TRACTATUS
DE
FASCINATIONE
NOVUS ET SINGULARIS,

In quo

Fascinatio *vulgaris* profligatur, *naturalis* confirmatur, & *magica* examinatur;

hoc est,

nec visu, nec voce fieri posse Fascinationem probatur; Fascinatio naturalis non per contagium, sed alio modo explicatur; Magos de se nec visu, nec voce, nec contactu, nec alio modo lædere posse roboratur,

THEOLOGIS, JURISPERITIS ET MEDICIS,

præsertim animarum Sacerdotibus provincialibus, quibus cum variis superstitionum monstris sæpè est pugnandum, imo omnibus hoc seculô corruptô, quo non tantum pravus circa fascinum sensus simpliciorum ingenia fascinat, sed & præservatio & curatio morborum verbalis (ad quam per occasionem hic fit digressio) ad ἀκμὴν tendere videtur,

lectu utilis:

AUTORE

JOHANNE CHRISTIANO Frommann D.

Medico Provinciali Saxo-Coburgico & P.P.

NORIMBERGÆ,

Sumtibus WOLFGANGI MAURITII ENDTERI, & JOHANNIS ANDREÆ ENDTERI Hæredum.

ANNO M. DC. LXXV.

Joh. Bernhardt Graff von Herberstein.

210

Erklärung deß Kupffer-Blats.

HIer ist gewisser Grund / was von der Zauberey
zu halten / auch was nicht / und was Beruffen sey.
Es red' ein altes Weib / und seh' auch was es wolle /
so kommt es (an sich selbst) nicht in die Hexen-Rolle /
durch Reden / Tasten / Sehn: Die Augen / Händ und Mund
die würcken nichts durchaus. Das hat gewissen Grund.

Das aber kan wol seyn / daß widersame Dünste
deß Leibes Schaden thun / doch sonder Hexen-Künste /
nur aus Verborgenheit / da Menschen und das Vieh
was Böses an sich ziehn / das aber muß man nie
benennen Zauberey: das kan / gleich wie bey Alten /
so wol bey Jungen seyn. Wer wolte dafür halten /
daß darum das / so von deß Menschen Leib und Mund
ausdunst / sey Zauberey? Nein. Das hat keinen Grund.

Gesetzt / die Unholdin thät Schaden andern Leuten /
wie auch dem armen Vieh / so muß mans doch nicht deuten /
ob käm es durch die Red' / durch Sehen und Figur /
Character / Gauckeley / so solche Teuffels-Hur
dazu gebrauchen mag: besondern ohne Zweiffel
würckt das der böse Geist / der losgelassne Teuffel /
so weit Ihm GOtt verhängt / bey welchem unser Glück
und unser Unglück steh't. Diß zeigt der Himmels-Blick
von oben her gethan. Der Satan ist der Ehren
nicht werth. Das will uns hier der werthe Frommann lehren.

M. C. F. N. D.

FAMILIÆ SPLENDIDISSIMÆ,

VIRI

GENEROSI MAXIMEQUE STRENUI

DOMINI

JOHANNIS HARTMANNI,

ab & in Erffa, auf Helmershausen/Aspach/

Nider-Lind und Rodach/

Ducalis quondam Consiliarii, nec non Castelli Coburgensis & Redituum Provincialium Præfecti Supremi,

Gente ac Mente, Arte & Marte fulgidis

FILIIS:

DOMINO

JOHANNI HENRICO,

ab & in Erffa, auf Helmershausen/rc.

Serenissimi Ducis Saxo-Gothani Consiliario Aulico Excellentissimo:

DOMINO

HARTMANNO FRIDERICO,

ab & in Erffa, auf Helmershausen/rc.

Legato Legionis bellicosissimo:

DOMINO

GEORGIO HARTMANNO,

ab & in Erffa, auf Helmershausen/rc.

Militiæ Colonello dignissimo:

DOMINO

JOHANNI FRIDEMANNO,

ab & in Erffa, auf Helmershausen/rc.

Serenissimi Ducis Saxo-Cizensis Equiti aulico spectatissimo.

GENE-

GENERIS:

DOMINO

JOHANNI AUGUSTO à Leitsch/

in Marck Vippach & Tielsdorff/ etc.

Reverendissimi & Serenissimi Ducis Saxo-Hallensis Chiliarcho Fortissimo, Castri Heldrungensis ac Querfurtensis Gubernatori Laudatissimo, nec non districtus ejusdem Praefecto Provinciali Supremo.

DOMINO

JOHANNI à Bibra/

in Irmeltshausen & Aubstett/ etc.

Liberae Imperialis Nobilitatis in Franconiâ Directori Eminentissimo, nec non Districtus Rhoenensis & Vierrensis Praefecto Solertissimo.

DOMINO

JOHANNI GEORGIO à Rotenhan/

in Eyrichshofen/ Rentweinsdorff/ Sendelbach/ & Hermansberg/ etc.

Imperialis Ecclesiae Bambergensis Sub-Camerario Haereditario, & in Feudali ejusdem Judicio Adsessori nominatissimo.

DOMINO

WILHELMO LUDOVICO ab Harstall/

in Mühla/ Creutzberg & Schreckebach/ etc.

Toparchae Florentissimo.

Salutem & Felicitatem!

ILluſtria Nobilitatis ſplendore capita, quæ divina clementia ſubditis præter cætera dona ditavit, munus hoc cœleſte gratô excipiunt animô, magniq; æſtimant; pretium ejus & excellentiam ex impreſſô divinitatis charactere, qui Anima eſt, divinæ auræ, ut quibusdam loqui placet, particula, pretioſiſſimo Filii DEI ſanguine redempta, æſtimantes, munus ipſum ad laudatiſſimorum Regum & Principum exemplum eò curioſiùs aſſervant, & religioſiùs curant, quò gravius aliquando ex ratione divinæ Majeſtati reddenda gravi,

ob depositi jacturam, iisdem imminet periculum. Suæ enim salutis fuerit prodigus, qui, quod divinô adjutus & fretus auxiliô cavere potest, omni animô avertere negligit æternum animæ exitium. Quod proinde Rex optimus in Regno, Princeps in Principatu suo, id quoq; Nobilis in suorum subditorum, quibus Rex Regum & Princeps Principum præficere eum voluit, solo, compositis ad divinas sanctiones moribus, agit, &, veluti isti, suavissimum pariter Patris Patriæ nomen meretur, sic, ut inter suos Pater subditorum, non adulatione vanâ, sed jure optimo audiat, datamque sibi potestatem patriam, quæ, Senecæ eloquio, est temperatissima, li-

 beris

beris consulens, suáq; post illos ponens, exerceat, animo & ingenio solerti Nobilis studet. Feliciori sidere ut istud efficiat, hoc consequatur, connatum & translatum in se à Majoribus Nobilitatis splendorem virtute optimâ, & animi bonis perficit, Sapientiæ studium, quod solum ex Plutarchi mente perfectum habitum revera apponit, quo sine, sapientissimi Philosophi, Platonis judicio, nullus gubernationi locus, excolit, &, quod potissimum, illustrissimam verbi divini facem actionibus suis semper præfert. Sic splendididis Nobilitatis veræ radiis suos etiam novercantis fortunæ injuriis pressos, fovere; sic gratioso & velut occultô in suorum

pectora influxu eadem ſibi devincire; ſic quæ Cacodæmonis malitia machinari ſolet, molimina repellere à ſuis novit. Emendatisſimum horum, quæ expoſui, Vos ipſi, Viri Generosi, & vitæ & Strenuæ Nobilitatis, mentis & gentis ſplendore illuſtres! ſpeculum exhibuiſtis, neque, ut exhibere deſiſtatis, innata generoſæ mentis indoles, virtutum pietatisque exercitio perfecta permittet unquam. In hoc quoties & ego contuendi accepi copiam, ſimul ingentem animo peperit admirationem tum lectisſima ſplendidæ Familiæ corona, membris virtutum nobilisſimarum, Naturâ, Arte & Marte partarum ſingula-

ribus parata, & amicitiæ vinculo firmata, tum perennans in singulis membris, queis illa constat, virtutum vigor, gratiam præsenti & gloriam huic, ac, si quod erit, secuturo seculo, ferens. Magnum magnam FAMILIAM indies amplificandi & laudatissimis factis amplius nobilitandi amorem; superstitiones, quę subditorum pectora fascinare queant, repellendi fervorem; constantem ad gloriæ metam per aspera contendendi tenorem, & cunctis animum virtutibus exornandi verum exemplar exhibendi in singulis adverti. Honoratissima Vestrûm præsentia, quoties eâ vel ingruente morborum tempestate mihi consilii conferendi gratiâ advocato,

cato, vel aliàs in congressibus, malô corporis affectu non infaustis, frui fuit datum (datum autem fuit apud omnes, uno excepto, quem, ne truncata hîc florentissimæ FAMILIÆ corona videretur, omittere nolui; nihilominus eundem conspiciendum, si non oculis corporis mei occasio unquam, tamen mẽtis aciei exhibuit sæpius celeberrima ejusdem fama) nunquam nõ ista omnia ostendit, atque ostendendo simul animo meo inspiravit vigorem, eum'que non tam propensus vester in me affectus & favor, quàm vestri sermones pietatis & prudentiæ sale conditi, testes reconditorum in pectore nobili verę NOBILITATIS thesaurorum locupletissimi,

excitarunt. Dulcis & tenax iſtorum, ne dicam (non autem omni ſilentiô ſupprimam) beneficiorum memoria, ut publicum conceptæ ex iis & acceptæ lætitiæ teſtem hîc, velut oblatâ occaſione, gratò animó proferam, ſuadet: nec proferre auderem, niſi ea ipſa, quæ illius cauſa eſt, pectorum veſtrorum nobilitas humanitatis gratiâ temperata, mihiq́ue ſatis perſpecta, ad bene de gratâ hujus, quod è Charitum gazis & Pieridum ſcriniis depromptum, jam NOMINIBUS VESTRIS officioſâ mente manuq́ue dedico & conſecro, receptione ſperandum animaret: fixam nihilominus in eâ ſpem precibus inſuper

fulcio,

fulcio, & ne Tractatui ejus, qui NOMINUM & VIRTUTUM VESTRARUM ſplendorem veneratur, cumque devinctisſimæ gratitudinis memoriâ beneficia & favorem veterem recolit, faventem oculum animumque invideatis, eâ, qua par eſt, devotione peto. Permittite, rogo, ut STRENUITATIS VESTRÆ fulgor has operas illuſtret. Ἀρχομένου ἔργου πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές: Græcorum vox eſt, hoc eſt, *incipiente opere frontiſpicium oportet ponere præfulgidum*. Et NOMINA VESTRA huic Tractatui præfixa ejus frontiſpicium reddunt præfulgidum, ut, ſi vel maximè non ex ſe, tamen ex frontiſpicio, Liber placere queat. Continet Liber

hic

hic ea, quæ quidem, ne ullibi dictorum in eo fundamentum, hoc eſt, ſuperſtitiones, mala & ludibria varia ex ingenii lapſu, naturæ abuſu, & Satanæ aſtu nata reperirentur, vosmet ipſos in votis habuiſſe novi. Votorum lenimen quoddam, utut tenue, præſentes, quas ingenii mei tenuitas procuravit, paginę ſiſtunt, hoc nomine, ut ſpero, vobis non ingratæ. Votis divina Clementia annuat, &, quod itidem animitùs voveo, faſcinum omne non modò à NOBILISSIMA VESTRA FAMILIA, ſed & omnibus iis, quibus vos præeſſe voluit, & ab omni humanæ ſocietatis membro abeſſe jubeat ſummus rerum omnium arbiter. Nullum licet Vobis *Vulgi* Faſcinum, quia nullum

lum est, sit metuendum, quod tamen ex suo gremiô lege certâ inferre *Natura* valet, quodque infensissimus Dei hominumque hostis *Cacodæmon*, ut, sive per se, sive per satellites suos, animæ & corpori, modis infinitis, immittat, nullo non temporis momento quærit, cavendum. Quod omne, ne vestræ prosperitati & saluti immineat, vel imminens aut jam præsens FAMILIÆ serenitatem turbet, ut omnipotens Divinæ Majestatis manus præcaveat, calida sunt pectoris VOBIS devinctissimi suspiria. Quam verò ex placitô suo Dux Vitæ & Necis NOBILISSIMÆ FAMILIÆ, juxta Naturæ leges cuique mortalium servandas,

 fune-

funestam nuper induxit caliginem per insperata, eaque ultima, ast beata fata, MATRONÆ MAGNÆ, Vestræ MATRIS & SOCRUS desideratissimæ, ANNÆ SOPHIÆ ab ERFFA, natæ à SCHEIDINGEN, quæ sexûs sui in verè Nobilium ordine decus fuit & ornamentum, ut honestissimum, ita laudatissimum, Patrona mea honoratissima (cujus piis manibus ego beneficiorum memor hanc gratitudinis aram hoc loco consecro) eam cœlestis gratiæ Serenitate commutet, &, quæ ejus FAMILIÆ derelictæ agenda est, vitam (Nestoream velit DEUS!) pulsis semper difficiliorum temporum nubilis Felicitatis so-

le

ſe illuſtret, campumque VOBIS amplisſimum ſemper concedat, in quo GENEROSUS VESTER animus virtute & benè agendi conſuetudine confirmatus ſine faſcinô cum magnô NOMINIS & FAMILIÆ incremento plus ultra excurrat, & genere ac ſanguine digna ad DEI OPT. MAX. gloriam & proximi ſalutem gerat. Tandem, quod ultimum & præcipuum votorum omnium punctum eſt, poſt vitam nobiliter in hoc mundi theatrô actam divina MAIESTAS VOS ad cœleſte regnum evehat, & in Filios ſuos, in quos hîc potentiâ meriti FILII ſui æterni VOS adoptavit, ibi reipſa gloriâ omni mundanâ majore,

confirmet, & sibi coelitibusque associatos æternùm habeat. Datum Coburgi, Calendis Novembris, A. O. R. M. DC. LXXIV.

GENEROSARUM MAXIMEQUE STRENUARUM DIGNITATUM VESTRARUM

observantissimus

Johannes Christianus Frommann D.

LECTORI BENEVOLO ET CANDIDO
Salutem!

PRæsentem de Fascinatione laborem aliquot quaternionibus absolvere, MUSIS ISSIACIS saltem è Cathedrâ disputatoriâ offerre, & tantum non intra Patriæ limites continere, animus, fateor, primùm fuit, veniam sic, quæ eâ ratione in lucem prodeant, licet properante vel simplici Minervâ sint elaborata, facilius impetrare ratus. Neque enim à tenuitate meâ proficisci posse, quod prurienti jam orbi, qui nullo, nisi novum, rarum, curiosum & exasciatum sit, mulcetur, acceptum esse queat, ego in meipsum descendendo facilè cognovi. Sed nescio quo fascino perculsus in spaciosissimum devenerim campum, ita ut, qui breve iter meditabar, opinione longius illud invenerim, quod tamen bonis avibus, quanquam non sine labore, per difficilia loca feliciter, si non ad hominis votum, tamen ad Numinis fatum, tandem absolvi. Amicorum autem quorundam humanitati partim, partim instinctui itineris hujus literarii prolixitatem tribuo. Mihi namq; in variarum circa Fascinum opinionum consideratione, quæq; eò spectant, remediorum enumeratione occupato, materiæ hujus, non, ut in ore, ita & in scriptis, ubiq; obviæ gratiâ quidam invitati, Pa-

stores præsertim provinciales, qui Fascini nomen frequens in ore, & superstitiones multas in pectore multorum deprehenderunt, ut conatui meo velificarentur, varia communicarunt, &, quod testudineo gradu per disputationes tractatus prodiret, seròq; ita ad umbilicum in frequenti Respondentium defectu deduceretur, ut totius Tractatus editionem continuo præli fervore maturarem, suasores fuerunt, ex quibus præcipuè Viros tàm solidæ eruditionis decore, quàm pietatis fervore Reverendos DN. THOMAM Schmidt *Pastorem & Adjunctum* in Scherneck *dignissimum, Compatrem meum honoratissimum, &* DN. PETRUM Franck *Pastorem* in Gleusen *vigilantissimum, amicum integerrimum, nomino. Locum suasioni amicæ dedi, eamq; tractatûs partem, quæ jam per disputationes fuerat typis excusa & elaborata, novis curis submisi, eam in meliorem ordinem ad certa capita & sectiones redegi, atq; ad elaborandam partem reliquam ingenii vires accinxi. Qui autem me Præside editam in primis 24. quaternionibus partem in Illustrissimo hoc Athenæo, defendere & Respondentium munere voluerunt fungi, Studiosi fuerunt tum temporis Adolescentes Gymnastici, (jam Juvenes sunt Academici) sequentes:*

Balthasar Frommann *Coburgo Francus.*

Joh.

Joh. Laurentius Seelmann Coburgo Francus.
Joh. Adamus Zinck Salzunga Thuringus.
Johannes Brockmayer Torgâ Misnicus.
Johannes Starck Cygneâ Misnicus.
Johannes Resch Turnaviâ Francus.
Joh. Conradus Hagelgans Coburgo Francus.
Joh. Casparus Güttich Rombildâ Francus.

Inde reliqua, ut dixi, quæ elaboranda restabant, boni publici causa aggressus sum, & superatis, quæ remoram injiciebant, difficultatibus, colophonem tandem opellæ imposui. Rerum varii generis mixturam, occasionem ita objecti tractatione subministrante (non tamen confusum chaos) deprehendes. Theologica nonnunquam, materiâ ita postulante, inserta vides, sed judicium de Theologicis proprio Marte non dedi. Allegatione autem rerum Theologicarum falcem in alienam messem non immisi, sed quod Theologi falce sua messuerunt, quasi mutuô sumtô pace eorum collegi, & in horreum meum, ut Lectoris animum forsan istorum avidum eò citiùs & certiùs pascam, comportavi, eodem jure, quo isti titulo mutui, quæ Medici vel Philosophi falce propriâ in agris suis messuerunt, alienos fructus accommodatô nonnunquam percipiunt, & in proprium usum convertunt. Si hæc & alia, ea præsertim, quæ controversa sunt, non ad omnium

um erunt palatum, non indignabor. Nam secundùm Vatis Megarensis effatum οὐδὲ Ζεὺς Κρονίδης θνητοῖς πᾶσιν ἁδεῖν δύναται. *cumq; obortâ controversiâ duæ dentur partes contradictoriè dissidentes, nisi* τὸ ἐπέχειν *arripias, & Neutralitatis medium tuearis, quamcunq; certè in literariô bellô partem elegeris, habebis quibus displiceas. Neq; ipse mihi (ingenuè fateor) ex asse semper, ne ulli dubitationi relinqueretur locus, satisfacere, & quo curiosum animum ubiq; tranquillarem, invenire potui. Dissensum Palladis, non Martis, filii ferunt, isq; salvâ amicitiâ stare potest, modò verborum aculei & sagittæ, quæ animum & nomen lacerant, non rem ipsam refutant, pharetræ Satanæ relinquantur. Optimus quisq; succensere veretur ei, qui partes eorum, quos justissimâ dissentiendi causâ niti existimat, sequitur. Avocatoria autem à Sacrâ Veritatis Majestate ipsâ per evidentes rationes promulgata qui legit, & parti, quæ hactenus placuit, non renunciat, contumaciæ reus meritò habetur. Est quippe* Veritas, *ut Plato ait*, res divina omnium bonorum & diis & hominibus principium. *Tantæ autem Majestatis, ut non omnes, nec semper in sui conspectum sui cultores admittat: proinde si & mihi augusta ejus facies & præsentia fuerit quandoq; negata, fati iniquitati pluribus communi, & ingenii tenuitati*

quam

quam agnoſco, id erit tribuendum. Interea debitum veritati litandi ſtudium ſemper paratiſsimum non modò altâ mente repoſtum, ſed & literato orbi teſtatum maneat. Veritati dum lito, DEI, qui veritas ipſa eſt, gloriam, & commodum proximi, qui in veritate eſt diligendus, quæro. Superſtitiones & præſtigiæ, quæ genuina ſunt mendacii ſeu Patris mendaciorum, Dæmonis nimirum ſoboles, veritati contrariantur, & quod non eſt, eſſe conantur perſuadere. Obviam iſtam opinione ſæpius mihi factam in hoc etiam tractatu ſiſto, &, ut vides, jam pietatis pigmento, jam ſimplicitatis fuco & facilitatis ſpecie; jam ridiculo abſurditatum apparatu, & turpiſsimis impietatis nævis conſpicuam ſe exhibet. Sub iſto habitu ſimpliciores & incautos Cacodæmon decipit: ſub hoc deceptos & Magorum albo adſcriptos in ſui conſuetudinem trahit, eò quidem curioſiùs, quò certiùs animæ periculum inde hominum ſaluti imminere novit. Neq; veteratoris ſpem & conatum falli experientia teſtatur, quæ ſuperſtitionem ubiq; vigere prodit. Malum enim, ut Maximè Reverendi Dn. D. Geieri ore loquar, & commune eſt, & ſubtiliter infeſtans, & extremè periculoſum. *Et ſanè mihi in hoc de Faſcinatione ſolâ occupato tot & tanta ſuperſtitionum monſtra occurerunt, ut horror animo non ſemel fuerit incuſſus, gemitusq; ob id expreſſus:*

):( ):( ):( ):(&

& ingemiscent mecum probi omnes, quibus liberorum, posterorumq; salus curæ, cordiq; est: nec tam superstitionum pluralitas & subtilitas, quàm earundem in animis multorum radicatarum profunditas & fertilitas, omnem eorum, qui strenui salutis & justitiæ sunt Sacerdotes, laborem eludens, dolorem justum creat. Tanta nimirum est Dæmonis oculos mentis, quæ secura est, fascinandi potentia! Securitatem circumstantiarum, quæ Magiam crassam comitantes produnt, absentia parit, quâ absurda excusari posse rudiores sibi persuadent, parum vel minimè curantes, quem ista habeant autorem, ut sunt præprimis superstitiosi verborum cultores, realem iis virtutem (uti vetulæ benedictionibus suis) tribuentes, quorum gratiâ potissimum hunc laborem suscepi, & latentem sub hac herba anguem infernalem manu philosophicâ extraxi, juxtaq; oculorum radios à vulgo frustra & credi & metui in primo Tractatûs hujus Libro docui. In secundo an & quæ sint Naturæ in inferendo fascinô partes exposui. Tertius Liber de Fascinatione Magico-Diabolica agit, qui tantò reliquis major, quanto major in immittendo fascino Dæmonis, quàm Naturæ labor & vulgi circa istud error. Decorum si prolixitate fuisse læsum objicis, tu lapsum tuâ humanitate, respiciendo materiæ tum dignitatem, tum fertilitatem, quæ

men-

mentem manumq; ita seduxit, excuses rogo. Faxit divina clementia, ut quem intendi, laboris effectus voto, pulso omni Satanæ fascino, respondeat, mecumq; cordatiores quiq; superstitionum monstra socio labore prudenter, citra proximi innocentis periculum, prosternant, Satanæq; technas & fraudes veritatis luce repellant. Auguror tamen, fore, qui Magiæ notam sibi per verborum, τȢ Abracadabra & aliarum ineptiarum superstitione plenissimarum usum sibi imprimi iniquè ferant, quos ego parvi æstimo. Prævideo scriptum hoc lapidem nonnunquam fore offensionis, in quem quæ impingent, limata doctiorum ingenia forsan invenient, quæ displicent, quibus amicè dissentientibus amicè respondere, &, si meliora edoctus fuero, assentiri semper ero paratus. Ast & idem fore ominor prædam malignantium linguarum ac rapinam mordacium calamorum, sudemq; in oculis eorum, qui societatis humanæ sunt excrementa, Atheistas, Magos & Magas intelligo, qui, quod apertô Marte aggredi nec audent nec possunt, occultô rancore per calumnias & falsitates, imitati Ducem infernalem, aggrediuntur, bonos proscindere & diris devovere satagunt. Sed hi animum suum movebunt, non meum, injurias quascunq; intra privatos cordis parietes sine turbatione decoquere hactenus assuetum. IN SPE ET SILENTIO FORTITUDO MEA. Vale.

CARMINA
GRATULATORIA ET VOTIVA.

I.

FElix, qui potuit magicas cognoſcere cauſas,
& quæ Tartareo murmure fingit anus.
Intima naturæ rimari, & faſcina quæ ſint,
non eſt intimiùs gloria noſſe minor.
FROMMANNI Scriptum doctus mirabitur orbis,
&, quæ ſint, noſcet, faſcina, quæve minùs.
Vivet in æternum nomen, nec faſcina clarum
turbabunt ullis exitioſa modis.

Nobiliſſ. Dn. Auctori, honoris & amicit. ergò facieb.

Georgius Wolffgangus Wedelius D. Prof. Publ. & Medicus Ducalis Saxonicus, h. t. Academiæ Jenenſis RECTOR.

II.

FAſcina divinum lædunt vehementer honorem,
naturæq́ pia ſatagunt inferre parenti
infandum ſtuprum. Quando ergò quæris, Amice,
vanam impoſturam communi exponere luci,
& ſcelus, unde ortum eſt, immane remittere in orcum,
gloria cœleſtis, dum vindex aſſeris illam,
& natura ſuo puro ſervata decori
multa tibi debent, nec deerunt præmia utrinque.

Excell. Dn. Autori, Affini ſuo Honoratisſimo ex animo gratulatur, & laboribus ejus, ut publica commoda illis præclarè juventur, bene precatur

Philippus Jacobus Spenerus, SS. Theol. D. Paſtor Ecleſ. Mœno-Francofurt. atque Miniſt. Senior.

III.

FAscina, præprimis Satanæ, mortalia lædunt
Pectora, sed paucis Fascina nosse datur.
FROMMANNUS doctâ docet hæc, traditque Minervâ:
Jam meritô BELLE! jungit Apollo Tuum.

His Affini suo honoratissimo gratulatur
Georgius Heublein D. Reipubl. Coburg. Syndicus.

IV.

HUc ades: hunc versa, vulgi plebs credula! Librum;
Ex hoc errorem noscere disce tuum.
Nil, nil sola Sigilla *valent: nil* Verba: Character
Nil virtutis habet: Littera *muta manet.*
Solus non infert Oculus, *non fascina* Tactus:
Nec Vox *ore malo lædere missa potest.*
Philtris: Mercurii Virgæ: Stillisque cruentis
Interfectorum *quæ sit habenda fides:*
Spectra *quis intus agat genius: de* Traduce morbi
Quid duce credendum sit ratione tibi:
Consensus rerum *unde sit: &* Contagio morbi:
Incubus *unde: & quâ vi* Periapta *juvent:*
Hosti *vis* Stygio nobis *sit quanta* nocendi:
Ac succurrendi *quanta parata* Deo:
Et contra Magicas *quâ* mens pia *polleat* artes:
Omnia FROMMANNI, pluraque, tradit Opus.
VIR PIUS hæc tradit, doctus, bonus, atque peritus;
Huic ut majorem fas sit habere fidem.
ILLE est Theiologus, Medicus, Jurista, Sophusque,
Hæc igitur cunctis quis placitura neget?
At Momos, quibus hunc taxare lubido laborem,
VIR PIUS haud curat, moris id esse ratus.
Ergò valete, valete malæ mala fascina linguæ;
Hic valet adversus Fascina quæque Liber.

Non tam Poëtico, quàm cultum, amorem & affectum erga Excell. Egregii hujus Operis Authorem contestandi studiosissimo stylo fec.
D. Georg. Abraham. Merclinus Jun. Med. Noriberg. ord. Ejusdemque Collegii Med. Socius.

V.

CArminibus quid gens non fecit? Carmine sanat
Prœtides ac herbis natus Amythaonis.
Direptam cœlo vult alter carmine lunam.
Vah! quàm Fascinii quàm dolus invaluit!
Fascinii FROMMAN dum scripta reliquit ad unguem
Carminici, multis, lector Amice, leges.
Utilis euge labor! Vicit labor improbus annos
Post paucos. VIR eô Macte Machaonie!
Grande Chori Decus Aonii! Sanos ne placebat
Sic Animis homines reddere, sicque PROBOS?
Penelopes telam multus scribendo retexit
Saxaque Scriptor amat volvere Sisyphia:
At labor exhaustus nunc iste bonoque futurus
Est tuus. Hinc omni major es invidiâ.
Consuluisse Juventuti modò pergito scriptis,
Ac prodesse Tuis, atque favere mihi!

Nobiliss. ac Ampliss. Tuam Excell. omni honoris genere prosequenti

M. Matthiæ Gravio, in Universitate Erfurt. Prof. Publ.

VI.

I Liber, ac orbi docto te publicus infer,
eximia spargens utilitatis opes.
Fascina dum curâ solerti tradita sistis,
non est, hinc lingua fascina quòd metuas.
Quæ natura facit, quæ fingit fascina vulgus,
quæ patrat Satanas, ne didicisse juvat.
Tuq; libri salve Pater ingeniose, perennis
cui fama ex fœtu stet superetvé suo.
Euge bonum factum! Macte hac virtute! Merentem
tàm pulchrè perpes laudis agalma manet.

Adfectui in Virum πολυμαθέστατον, Collegam atque Compatrem Honoratissimum, testando L. M. Q. faciebam Coburgi

M. ISRAEL CLAUDERUS,
Hist. Eloq. Poët. Prof. Publ.

VII. Fa-

VII.

FAscina derides, VIR decantate, maligna
Putasque mera somnia,
Quæ censet orbis omnia.
Producis Satanæ glaucomata, vana sagarum
Canentium dicteria
Sperantium ludibria.
Non pipere & scombris hæc est meditatio digna
Potius benedicto elogio,
Sapientiæ præconio.
Rumpat ut ile suum dæmon, stygiæque phalanges
Fremant, minentur fascina
Vetulæ quieti crastinæ.
Erigis hôc signum tibi, crede, perennius ære
Non imbribus, nec Japygi
Obnoxium, nec pulveri.

VIRO Excellentissimo atque Experientissimo scrib. gratul. calamo simul & cum voto omnigenæ felicitatis Gothæ
memoriamque abituriens sui vivam exoptans
M. Theodorus Schneider, Seren. Alb. Duci Sax. à Conc. Aul. & Apodem.

VIII.

DE Fascinatione *quando disseris*
pereruditè, Doctor inclutissime,
& multa falsa providenter destruis,
quæ vera Vulgus infrunitum judicat;
& multa vera congruenter adstruis,
quæ falsa Vulgus imperitum clamitat,
Factum, profectò, laude dignum perpetras,
quod ore pleno prædicetur adfatim.
At ne veneno Lingua lædat improba,
aut Livor atrox torvitate luminum
infestet istud elegans Opusculum,
Frontem notemus candidam: Præfiscini!
Procul hinc abesto tetra vis Calumniæ,
Morsusq; Sycophantiosi Zoili;

procul

procul hinc Avus volatica sputamina,
& Laus abesto vilior Plebecula,
cui displicere Laudis est fastigium.
Hæc scripta sunt & exarata naviter,
ut Optimates arbitrentur, censeant.
Illi huc & illuc curiosa *Lumina*
vertiginantes denotandum nil vident
carbone nigro, vel stylo deletili
quod aboleatur induatve spongiam.
Tu perge sis proinde, Vir Clarissime,
ex IngenI fœcundiore fabricâ,
Cælo favente, plura sic procudere
linenda Cedro, digna Mæcenatibus,
quos defuturos heic tibi non suspicor,
sint rariores hocce quamvis seculo.
Quin (ecce! promtus audeo promittere)
Hæc Laudis atque Gloriæ felicitas,
exinde quæ, Vir Ample, consurget tibi,
nullo subinde fascino *mordebitur.*

De superato doctissimi Tractatus labore gratulabundus
lmque appos.

Petrus Francus Silusio-Henneberg. Pastor
Saxo-Gothanus in Gleussen & Herreth.

IX.

INnumeras laudes, Mæcenas, inde mereris,
Tam benè dum tractas FASCINA, laudis opus.
Illas, qui potis est, cantet, pro viribus ornet;
Ejus namque mihi copia nulla datur.
Lætor honoribus, ingeminans ex pectore votum:
Nestoris annosi secla superstes agas.
Ut scriptis docto jam nunc Clarissimus Orbi
Clarior evadas, dum vehet æquor aquas.

Ita Dn. Evergetæ atque Adgnato suo filiali cultu
perpetim prosequendo adcamare voluit,
debuit

Balthasar Frommann / SS. Theol.
jam Lipsiæ Stud.

INDEX

INDEX GENERALIS.

Præloquium. Pag. 1

EXERCITATIO PRÆLIMINARIS DE FAscinatione in genere agit, ejusq; Nomen, Descriptionem & Divisionem exhibet. pag. 3

LIBER I.

De FASCINATIONE VULGARI SEU POETICA.

PARS I.

SENTENTIAM DE FASCINATIONE VULGARI VULGAREM PROPONIT.

SECTIO I. De *FASCINATIONE VISUALI.*

CAPUT I.

Cur Poëtica & Vulgaris dicatur, exponitur. Fascinatio visualis probari solet. (I.) Autoritate *tum sacrâ tum profanâ. Loca Scripturæ enumerantur. Profani quidam Scriptores citantur.* pag. 9

CAPUT II.

(II.) Ad Rationes, *quæ pro Fascinatione visuali proferri solent, fit progressus.* Prima *& præcipua à visionis modo, quem veteres Platonici oculis inesse, radiosq; in invidia & ira vitiari, ex eorum sententia, ostenditur, istorumq; affectuum natura traditur.* pag. 13

CAPUT III.

Secunda *pro Fascinatione visuali Ratio à mulieribus menstruatis visu specula inficientibus petitur.* Tertia *ab Amore.* Quarta *à Basilisci.*

lisci (cujus etiam exemplum recitatur) visu maligno & Lupi hominibus raucedinem inferentis noxio. Quinta *à* Charadrio *Ave visu sanitatem ictericis restituente.* Sexta *à Lippientibus visu similem affectum proximo inferentibus.* *pag.* 17

CAPUT IV.

Tandem experientia, *quam nonnulli se habere jactant, pro confirmatione visualis fascinationis subjungitur.* *pag.* 20

SECTIO II.

De

FASCINATIONE VOCALI.

CAPUT I.

Post transitionem (I.) Autoritas, *quæ opponitur, tum sacra tum profana adducitur. Loca Scripturæ pariter recensentur: item profani nonnulli citantur Viri. Incantare quid? Empsalmistæ. Salomon incantationes composuit. Poëtæ carminibus multum tribuerunt. Thessalæ voces & Thyesteæ preces quid? Paracelsus verborum & characterum Patronus. Exempla brutorum incantatorum. pag.* 22

CAPUT II.

(II.) Rationes *pro Fascino vocali adducere orditur. Earum* prima *sumitur à Curatione morborum, quæ verbis fit. Exempla varia tum aliorum, tum nostratum proferuntur.* *pag.* 28

CAPUT III.

Rationem Secundam *ab imprecationum & execrationum efficacia sumtam;* & Tertiam *à Musicæ vi petitam cum historiis, exhibet. Siquidem Musicâ moventur 1. inanimata. 2. bruta. 3. Homo. 4. Spiritus. 5. Morbi eâdem sanantur, & qui à Tarantulâ sunt percussi, Musicâ sanantur.* *pag.* 31

CAPUT IV.

Ratio quarta *datur à clamore militum in præliis magno, quo hostes terrentur, volucres in terram decidunt. Vociferantium vox olim Alala. Sonô specus Smellen horridô hostes sunt prostrati.* Quintam *rationem subministrat Oratoriæ potestas. Exemplum adducitur.* Sextam *ominosa nominis impositio & Relatio. Pompejus id expertus est.* *pag.* 40

CAPUT V.

Septima *ratio Nominum & Verborum, præcipuè linguæ Hebrææ, facultatem extollit. Hebræa lingua prima. Cuncta habuerunt nomina sua, antequam ab Adamo appellarentur, & hæc à rerum natura sunt petita. In Hymnis quædam Hebraica nomina ob majorem eorum vim Ecclesia retinere creditur. Verbis Hebraicis Judæus quidam incendium hîc restriuguit.* Ultimam *Rationem scripti verbi in curatione morborum vis & potestas parit. Domesticæ quoque nostratum observationes, verba vim habere testari videntur. Tandem* (*III.*) Experientia *pro Fascinationis vocalis confirmatione opponitur.* *pag.* 42

SECTIO III.

Utrique Fascinationi, visuali & vocali, communia tradit.

CAPUT I.

DESCRIPTIONEM FASCINATIONIS vulgaris, ejusque subjectum, modum & Efficientem causam proponit. *pag.* 48

CAPUT II.

Opinionis de Fascinatione originem eruit. Quomodo verba vim & facultatem acquirant, exponitur. Sententia prima *Astrologorum est, qui ab Astris eam derivant.* Secunda *Avicennæ & aliorum, qui ab Imaginatione arcessunt.* Digbæi, *Fracastorii & aliorum in eo consentientium rationes adducuntur.* Tertia *Pomponatii est, qui varias hîc comminiscitur causas* *pag.* 51

CAPUT III

Signa Fascinationis tum ex mente quorundam Medicorum, tum ex sententiâ Vulgi recenset. *pag.* 58

CAPUT IV.

Curationem tradit: & quidem ex mente Veterum inter remedia præservativa occurrit primò Priapus. Cur Hortis Satyrica signa addita, exponitur. Coccinea licia etiam fascino avertendo fuisse, creditum. Vox ἀβασκάντως, *præfiscine fascini alexiterium, item aliæ plures formulæ. Versus Fescennini unde dicti? Adoratione etiam fascino* occur-

occurrerunt; item despuitione, luto, fortunæ secundæ occultatione, casu adverso, rutâ, alysso &c. pag. 59

CAPUT V.

Remedia ad Fascinum recentiorum, ut & nostratium varia recensentur. Historia mira Fascini curati. Herba Sideritis fascinatorum est asylum. Suffumigationes etiam fascini gratia fiunt: item Benedictiones. pag. 66

CAPUT VI.

Præservativa Fascinationis vulgaris remedia monstrat. pag. 73

PARS II.

JUDICIUM AUTORIS DE VULGARI FASCINATIONE PROPONIT, ET QUIDEM.

SECTIO I.

De

FASCINATIONE VISUALI AGIT.

CAPUT I.

Ubi ad loca Sacræ Scripuræ pro Fascinatione suprà sect. 1. cap. 1. allata respondetur. Primùm autem recolitur, cur hæc vulgaris rectè dicatur? pag. 75

CAPUT II.

Profana profanorum Virorum autoritas colenda, sed ad aram usq; quorundam hîc nævus tangitur. Ad locum Aristotelis sect. 20 problem. 34. & Æliani lib. 1. de Animal. cap. 35. respondetur. De Plinii autoritate variorum judicia De Triballis, Illyriis. De binis nonnullorum in oculis pupillis. Plinii lapsus. pag. 82

CAPUT III.

Virgilii autoritas adducitur, cujus salvandæ gratia varii varia afferunt. Pro eodem etiam Borellus pugnat, & radios defendit, sed infeliciter. Ovidius, Horatius, A. Gellius & Plutarchus producuntur. pag. 88

CAPUT IV.

(II.) Ad Rationum *pro Fascinatione visuali allatarum solutionem fit*

fit transitus. Prima, *quæ & præcipua est, à visionis modo sumta, fusiùs explicatur & examinatur. Visionem non per emissionem radiorum, sed specierum receptionem fieri ostenditur. Mercurialis lapsus. Temperamentum oculorum investigatur.* pag. 91

CAPUT V.

Ratio prima uberius explicatur. A præsentiâ luminis ad ejusdem pro visu emissionem colligere non licet. Platonicorum sententia magis examinatur. pag. 95

CAPUT VI.

Varia diverticula eorum, qui radios defendunt. Cur quidam de noctu omnia viderint. Filii de Kackerlack producuntur. Homo solus inter animalia oculorum varietate notatur, ex qua etiam visûs in eadem specie varietas colligitur. pag. 99

CAPUT VII.

Invidia nihil facit ad Fascinationem. Invidia quid? Item Tristitia, Odium, Desperatio, ex quibus invidia oritur. Oculorum structura non admittit radiorum invidi virulentorum profusionem. Radii ad objectum dirigi nequeunt. Struthiocamelum solô visu pullos ex ovis excludere falsum est. pag. 102

CAPUT VIII.

Ad Rationem Secundam *à menstruatis specula oculis inquinantibus desumtam respondetur, & locus Aristotelis explicatur. Menstruus sanguis suâ naturâ vitiosus non est. Ratio* tertia *ab Amore petita, solvitur. Amor quintuplex. Oculi non sunt in amore Duces, ita ut ab ejus, quæ amata erit, radiis ardentibus amans amorem contrahat, id quod aliquot rationibus probatur; sed potiùs ministrorum officio funguntur. Plutarchus, & Valleriola notantur.* pag. 108

CAPUT IX.

Ratio quarta *à virulento Basilisci visu discutitur. Basiliscus datur. Historia cujusdam Basilisci, à circumforaneo quodam huc allati. Impostorum in fingendis Basiliscis fraudes. Basiliscus non visu, sed halitu necat, sicut & alia venenata animalia, quod historiâ confirmatur; item antra & cavernæ nonnullæ. Ad conspectum suæ in speculo imaginis non emoritur. Quintò de Catoblepæ visu idem*

fertur judicium. A Lupo hominem, prævisum raucum fieri falsum. Lupi halitus non est venenatus. Sextò de Galbula, quæ narrantur, falsa sunt. Lippientes non visu, sed effluviis contagiosis afficiunt alios. pag. 115

CAPUT X.

Experientia (III.) examinatur, & fallaciam causæ sæpe subesse ostenditur. Ut subitaneus lapsus, ita & morbus subitaneus varias ob causas evenire potest. Ad exempla Idelphonsi respondetur. Quid de Sene illo Hetrusco sentiendum, traditur. Zeileri exemplum ponderatur. In Scrutinio ratio non negligenda. pag. 124

SECTIO II.
FASCINATIONIS VOCALIS EXAMEN SISTIT.

CAPUT I.

De Vocis, Soni & Verborum formatione ac naturâ. Vox unde dicatur? Vocis instrumenta quæ? Verbum unde dicatur? Verba vel sunt significantia, vel non significantia, & hæc vel simpliciter vel secundùm quid talia ἐφέσια γράμματα *quid? Deinde verba vel bona sunt, vel mala; vel clarâ voce pronunciantur, vel obmurmurantur, vel scribuntur: vel in enunciatione vel extra eam spectantur: in iis occurrunt materiale & formale. Verba hominis de se non habent vim* ἐνεργητικὴν, *bene autem ratione alterius.* pag. 130

CAPUT II.

Verba (ut & sonum) nullam habere virtutem naturalem, rationibus probatur. quia 1. omnes, qui eadem verba pronũciarent, idem efficerent. 2. verba quoad materiale sonus sunt, adeòq; accidens: nullum autem accidens est principium principale productivum accidentis. 3. ex aëre diverberato facta mox pereunt. 4. sunt signa pura. 5. Verba unius rei varia nec unam nec plures possident virtutes. 6. Arbitraria sunt. 7. non habent vim vel supernaturalem, vel artificialem vel naturalem. 9. Non sunt agentia quod vel quo. 9. nec eadem repetita graviùs afficiunt. 10. Non possunt conjungi cum patiente. 11. non agunt in diversi generis contraria. 12. Non habent ob varias combinationes vires varias. 13. ad quantitatem spectant,

ſpectant, cujus nulla vis. 14. incantatio legibus divinis & humanis non interdiceretur, ſi naturalis eſſet verborum poteſtas pag. 139

CAPUT III.

Vocis Incantatio, natalia & varia acceptio. Excantatio apud Joſephum quid? Item Ἐπωδὸς. Ἐπωδὴ *unde? Carmen maleficum. Incantatoris & malefici ſecundùm Hieronymum differentia. Hebræis ut dicatur incantator. Talmudicis incantatio vel magna eſt vel parva. Synonyma Vocis Incantator, tam græca quàm latina. Incantatio quomodo definienda. Vox Germanica* Beſchwerung *voce Incantatio eſt latior. Adjuratio quid? Ejus & Incantationis objectum. De voce* Ἐξορκισμὸς. *Adjurationis & Incantationis differentia. Adjurationis effectus eſt à Deo: Incantationis non à Deo, nec Angelis bonis, ſed à Diabolo.* pag. 148

CAPUT IV.

Cur cantandi vox ad flagitia magica denotanda ſit traducta? Incantationum modi varii: continent maledictiones vel benedictiones. Necromantica incantamenta variis ritibus fiunt. Voci incantatoriæ ſcripta etiam verba junguntur & characteres. Pontificiorum exorciſmi magis incantamentis ſunt affines. Quid in exorciſmo baptiſmali Evangelicorum verbis imperativo modo factis indicetur. Saniores Ethnici nullam verbis ineſſe virtutem intellexerunt. Seneca & Plinius conciliantur. Incantationes legibus & divinis & humanis ſunt interdictæ. pag. 155

CAPUT V.

Autoritas ſacra *pro Faſcinatione vocali allata examinatur. Locus Pſ. 58. explicatur. Sive Faſcinatio ibi propriè ſive impropriè ſumatur, non obſtat. Satanæ fraude ſerpentes exuuntur. Incantatio quoq; apparenter fieri poteſt. Locus Jerem 8. exponitur. Per regulos ibi hoſtium crudelitas, qui flecti nequeunt, indicatur. Verba execratoria juxta Zelotypiæ leges prolata ſuam à Deo acceperunt vim & virtutem.* pag. 163

CAPUT VI.

Autoritas profanorum *Virorum hoc in loco eſt vana. Lumine revelationis deſtituti divinæ ſua & ſæpe mira dogmata communicarunt Barbari Græcis. Græcis Barbari qui? Doctrinæ gratia in*

Ægy-

Ægyptum Græci profecti sunt, unde Magiæ semina retulerunt, quod scripta eorum testantur. Græci semper pueri. Magiæ præbuit fomentum Medicina præsertim Ægyptiorum. Hi quoq; à Diis suis, h. e. à Dæmonibus pellibus incubantes per somnia remedia in fanis capiebant. De incubandi nomine & ritu etiam adhuc hodie in Italia durante. Qualitatum occultarum & cœlestis influxus nomine multa magica sunt contecta, præsertim apud vulgum, qui Sacerdotum suorum placita constanter credere tenebatur. pag. 172

CAPUT VII.

Poëtarum, præsertim Græcorum, ut & Historicorum Græcorum autoritas vilis est pretii. Aristoteles verborum vim non tradidit, neq; Hippocrates, Galenus & Plinius eam agnoverunt. Goëtia publicè quibusdam in locis proposita. Salutatores verbis curare falsum est: impostores sunt & fraudulenti. Per verbi divini abusum via Satanæ sternitur ad perficiendum curationis opus. pag. 176

CAPUT VIII.

De Incantationibus Salomonis variorum judicia. Tralliani superstitiosum ad Colicam remedium. Carmina posse cœlo deducere Lunam error est, quem gentiles etiamnum in Africa & utrâq; India errant: sed Astrologia hunc rejicit, eundemq; jam olim Ethnici deprehenderunt. Carminibus solis & nudis Circe nihil effecit. pag. 181

CAPUT IX.

Thessala voces. Thyesteæ preces. Thessalica mulier. Romani tutelares Deos carmine evocare superstitiosè & frustra laborarunt. Th. Paracelsus se Magum esse verbis suis seipsum prodit, produntq; viri docti. Rationes ejus solvuntur. Verbis Osii, &c. Serpentes incantari negatur. Crocodili, Tauri, Serpentes & alia cum incantantur, non verbis ipsis, sed Dæmonis concurrentis opera hoc patratur. p. 187

CAPUT X.

Transitus ad Rationum *solutionem fit. Ratio* prima *à verbali morborum curatione sumta est lapis offensionis, cur fusiùs ea examinetur. Verbis non fieri curationes ostenditur. Deum Satanas ut simia in curando æmulatur, & quidem triplici modo. 1. occulto modo. 2. verbo. 3. verbis & rebus. Sæpe etiam ad rerum absurdarum*

darum usum citra Verborum additamentum concurrit. Per somnia etiam remedia suggerit. Rete & verborum & rerum absurdarum quibus ponat? Mendax ipse cum sit, cur vera quandoque dicat. Omnia exemplis illustrantur. pag. 187

CAPUT XI.

Verbalis curationis exempla varia tam veterum, quàm recentiorum & nostratium examinantur. Lunæ vis Medica hac occasione consideratur. Diabolum etiam rebus & verbis absurdis, quorum autor ex pacto non est, præsentem esse, & quæsitum in iis effectum occultè largiri exemplis declaratur. pag. 201

CAPUT XII.

Autor à verbali cura verborum curatores dehortatur. Qui magica sacris verbis jungunt, Commodo Antonino sunt similes. Tractatio materiæ præsentis non ad forum Theologorum, sed Physicorum pertinet: nihilominus autoritate gravissimorum Theologorum probatur. Magis esse annumerandos, qui per verba certa curant, aut alia mira efficere videntur. Historia mulieris verbis solis morbos curantis ad lapides damnatæ. Causæ malorum nostrorum ex Seneca. pag. 212

CAPUT XIII.

Ratio secunda pro Fascinatione vocali ab Imprecationibus & execrationibus desumta discutitur. Thyesteæ preces unde dictæ? Imprecationum effectus non à verbis, sed à Deo pendet, quod nec Ethnicos latuit. Per imprecationes etiam Diabolus immittitur. Wiero neganti respondetur. Prædicta omnia exemplis confirmantur. Verborum efficacia eorum, qui ad Judicem supremum alios stato tempore, ut sequerentur, provocarunt, & sequaces habuerunt, unde? pag. 217

CAPUT XIV.

Ratio tertia à Musica petita examinatur. Musica unde dicta? Hac inanimata Orpheum movisse, à quibusdam Ethicè intelligitur, à nonnullis magicè explicatur. Muri Hierichuntini non sono buccinarum sunt collapsi. Bruta Musica delectantur. Orpheus magus vel fanaticus. De Arione à Delphino ad litus deportato. De pisce Xiphia voce allecto, quæ referuntur, nihil facere pro verborum pote-

pote-

potestate physica ostenditur. An certis verbis piscis ille allectus detineatur, & Græcorum idioma intelligat, investigatur. pag 222

CAPUT XV.

Musicæ vis uberiùs, & quidem quoad Hominem consideratur. Cur Homo Musica delectetur & afficiatur? Variæ Variorum sententiæ. Rectiùs à phantasia depromitur causa. Sonus inconcinnus mirè sæpe phantasiam, & per hanc corpus afficit, quod Historiis illustratur. Agrippa notatur. Phantasiæ & auditus excellentia in Homine major est. Musicæ instrumentalis, quando vocalis jungitur vis est major. Græcorum exempla in dubium vocantur. Alexandrum quomodo Musica ad iram commoverit? Musica nostræ ætatis veterum præfertur, & contra Pancirollum vindicatur. Modorum Musicorum, quos, sed non omnes, veteres usurparunt, nomina, proprietates &c. recensentur Historia de Citharœdo apud Ericum Daniæ Regem examinatur. Sirenes Poëtarum ad fabulas spectant. Dari autem Sirenes probatur. Quadruplex Sirenum, quarum Poëtæ mentionem faciunt, expositio: moralis recensetur. pag. 227

CAPUT XVI.

Musica Spiritus non afficit. Qualis Spiritus Saulem turbarit? An Saul fuerit obsessus? Lutherus Musica Dæmonem fugat. De Davidis cithara Saulem à Spiritu maligno agitatum demulcente. Musica animi & corporis affectibus per accidens medetur, neque hoc semper. Antiquorum cantiones sæpe incantationes fuerunt. De Thalete & Græcis Musica pestem mulcentibus. Sonum Musicum virtutem ab instrumentis capere negatur. Tarantatos quomodo Musica sublevet. Phantasiam hic ab ideis veneni tarantulæ corrumpi dicimus, salvoq; aliorum judicio liberè sentimus. pag. 235

CAPUT XVII.

Ratio quarta solvitur. Clamor magnus cum terret, phantasiam auditoris afficit. Deus tamen quandoq; concurrit, quod Historia quadam confirmatur. Oratoria, à qua quinta ratio sumitur, incantatrici arti assimilatur. Ejus vis ad Phantasiam alterius pervulsam reducitur, non ad potestatem quandam Physicam. Vox una magnam quandoq; vim habet, non Physicam, sed moralem, id quod exem-

exemplo confirmatur. Rationis sexta *fundamentum, quod est ominosa nominis impositio & recitatio, lubricum est, quia votivi nominis impositionem sæpè sperato eventu carere, historiæ testantur.* *pag.* 244

CAPUT XVIII.

Ratio septima, *quæ est Cabalistica nominum interpretatio, & Hebrææ linguæ commendatio, ventilatur. Hebrææ linguæ encomium. Ab efficaci ejus significatione ad realem ejus virtutem non licet colligere. Hebrææ linguæ palma ab aliis in dubium vocatur. Voce Schemhamphoras Christum miracula non fecisse, contra Judæos probat Lutherus. De impositione nominum ab Adamo facta: in ea non semper ad naturam rerum respexit. Vires rerum ad sensus hominis procedere negatur Ficino & Agrippa. Cur Hebræa nomina Halleluja, Amen, Hosanna, Sabaoth &c in Ecclesia retineantur? Talmudhicis triplex Amen, quibus vires magnas tribuunt. Vox Cabbala explicatur. Verbis Cabbalisticè spectatis nulla inest virtus realis. Christiani hic Judaizantes notantur. Ex nomine* יהוה *Judæis opinio Cabbalæ nata. Hanc Pererius nervosè refutat. Judæi illius, qui oborto aliquoties Coburgi incendio ignem literis Hebraicis restinxit, examinatur.* *pag.* 250

CAPUT XIX.

Ratio octava *& ultima à verbo scripto, Amuletis & Characteribus sumta cur fusius examinetur.* Verbum scriptum non impropriè, sed propriè hic capitur. *Duabus rationibus verbi scripti vis infringitur. Amuleti nomen & divisio. Naturalium Amuletorum varia exempla recensentur: quomodo ista operentur? hæc licita sunt: illicita indicantur. Ludicrorum exempla: sunt illicita; horum virtus, nisi ab imaginatione magica sit, à potestate magica deducitur: jocosa quo sensu admitti queant. Magica quid sint: omnia sunt fugienda.* *pag.* 268

CAPUT XX.

Nomina, Character, Imago, Sigillum *explicantur. Ægyptiorum & Chaldæorum amuleta. Talisman quid? Paracelsus verborum, Characterum, imaginum & sigillorum Patronus, ut & Agrippa. Jam olim annuli characteribus fuerunt insigniti. Nostro seculo*

characteristicam Philosophiam & curam defendit Goclenius junior. Periaptis quantum secundum Galenum tribuendum. Characteres cœlitus vires non accipere, aliquot rationibus probatur. pag. 278

CAPUT XXI.

Paracelsi autoritas rejicitur, ut & Agrippæ: an hic fuerit Magus? Cardanus fluctuat. Characteres habent defensores varios. D. Goclenius à D. Roberto refutatus. Anonymo cuidam Mago respondetur. Lotichius non omnes signaturas, verba, & characteres rejiciendos esse contendit. Rationes ejus adducuntur & examinantur. Amuleta verbis, characteribus, figuris & imaginibus insignita damnantur. In originem opinionis de characterum & figurarum virtute inquiritur. Triplex scribendi ratio Ægyptiis usitata. pag. 290

CAPUT XXII.

Amuleta particularia enumerantur, ut in causa juventus de similibus judicium ferre discat: sed mutila, non tota dantur. Inter magica milites variis ad impenetrabilitatem ab armis utuntur: non tamen omnia, quæ sanguinis impetum reprimunt, magica esse probatur. Ægyptii permulta habuerunt amuleta. Amuleto Ægyptiaco simile Autor quoque nuper vidit. Q. Sereni Abracadabra examinatur. Alia quoque huic similia adducuntur & damnantur. p. 301

CAPUT XXIII.

Evangelium pro Amuleto suspendunt Pontificii freti autoritate Augustini, sed frustra: sicut & Chrysostomi autoritate Baronius & Bonartius abutuntur. Delrio reverentiæ causa ejusmodi amuleta gestanda esse contendit, quod altiùs expenditur. Simpliciores facilè tota fide in amuleta ipsa ruunt, instar custodis cujusdam porcorum Casp. à Rejes & Delrio notantur: item Virungus Verbalibus Medicis opponitur sanum judicium Simonii Episcopi Iprensis, quod tulit de Oratione quadam Salutatorum. Domestica experimenta notantur, nempe de lepore domestico & pullis in nido repertis, quibus verba eorum mentionem inter edendum facientia fatalia esse creduntur: item reliquæ nugæ excutiuntur. pag. 310

CAPUT XXIV.

Experientia, quæ pro Fascinatione vocali adducitur, excutitur. Iterata

rata ablactati infantis lactatio fascinatricem qualitatem inferre nequit. Ad exempla allata respondetur. Reiterata lactatio ab alia infamia liberatur. *pag.* 321

SECTIO III.
FASCINATIONI VISUALI ET VOCALI COMMUNIA RECOLIT.
CAPUT I.

Fascinationis vulgaris non datur Definitio, subjectum, &c. quia non ens est. Evtelidam & Narcissum seipsos fascinasse negatur. Circa objectum, quod fascino creditur obnoxium notamus, Dæmonis fraudes. Ludionis fortunam verba non variant. Fortuna in lusu investigatur. Verba nec ab astris, nec ab imagine, nec aliunde vires acquirere ostenditur. De Pomponatio Mirandulani & Gödelmanni judicium. *pag.* 323

CAPUT II.

Signa vulgaris Fascinationis rejiciuntur, eaq; aliud signare per sedulam causarum investigationem docetur. Variare autores in signorum enumeratione ostenditur. Signa, quibus vulgus noster in fascini dignotionem perveniri credit, examinantur. *pag.* 328

CAPUT III.

Curatio Fascini licet nulla detur, remedia tamen ad examen revocantur. Priapus *quis? Orientalibus Baalphegor dictus. Turpitudo remedii vix oculos fascinatores repulisse creditur. Cur Priapum Fascini fugatorem antiquitas statuerit? Sua veteribus & aliis relinquuntur; nostratium ad Fascinum remedia hic ventilantur. Superstitionem quid gignat & foveat apud mulieres? Erroribus, qui superstitionem & vanas observantias augent, resistendum est.* *pag.* 333

CAPUT IV.

Quæ nostratium ad Fascinum remedia superstitionis arguantur, summariter enumerantur Superstitionis nomen, efficiens principalis ac instrumentalis. Differentia inter religiositatem & superstitionem. Superstitionis aliquot exempla. Cautione tamen hic maxima opus, propter exempla, quorum ratio dari nequit. Remedia ad Fascinum nostratium superstitione laborare monstratur. Exem-

plum mulieris superstitiosum medium pessimo consilio usurpantis. Historia Fascini in pago Merzpach à Zingara curati ventilatur. Silentii Nomen. Divinitatis aliquid Silentium habere traditur, non tamen potestatis particeps esse, ostendi potest. Cur Elisæus Famulo suo Silentium injunxerit? Cur Dæmon in magicis exercitiis Silentium suis imponat? Fascini suffumigatione ab Empirica curati historia examinatur. pag. 338

CAPUT V.

Benedictio anilis rejicitur: præmittitur Nominis consideratio: Benedictionis veræ causæ, subjectum, materia, objectum, Forma, Finis. Benedictionis anilis paradigmata. Descriptio. Benedictionem anilem à vera longè abesse probatur. De Benedictione Sacerdotis in populo Israëlitico. Pseudobenedictionis subjectum exagitatur. Efficacia ejus unde? Finis quis? pag. 351

CAPUT VI.

Benedictiones aniles sunt 1. Superstitionis plenæ non tantum in genere spectatæ, sed etiam in specie Papisticæ 2. Magicæ. 3. Frustraneæ sæpè, quod exemplis illustratur. 4. sunt reipsa maledictiones. Formulæ quædam examinantur. Malleolus notatur, ejusq; rationes pro curatione morborum per verba sacra discutiuntur. M Vischeri laus in confutanda benedictione anili. pag. 362

CAPUT VII.

De remediis nostratium præservativis: quo sensu formula, ut DEUS te custodiat, admitti queat? reliqua omnia exsibilantur. Festivo Cœl. Calcagnini apologo vanitates omnes excipiuntur. Ratione, cur prolixa sit libri primi tractatio, & dicto quodam Platonico idem hic liber clauditur. pag. 376

LIBER II.

De FASCINATIONE NATURALI SEU PHILOSOPHICA.

CAPUT I.

Fascinatio hæc cur Philosophica dicatur & naturalis? Quidam vulgarem cum naturali malè confundunt. Quomodo communiter definiatur.

finiatur. Fascinatio hæc impropriè ita dicitur, propriè autem contagium est. pag. 378

CAPUT II.

An alia ratione detur Fascinatio naturalis, inquiritur. Negant hoc nonnulli Galeni autoritate freti, & quia in eadem specie humana antipathia non occurrit. Huic autem experientia repugnat, atque exempla in contrarium adducuntur. Ad Galeni locum respondetur. Antipathia similitudinem inter ejusdem speciei individua non tollit: subjectum suum non denominat morbosum; neque effluviorum in actione antipathetica exspiratio contagium infert: requisita Contagii. Codroncho & Birmanno dubia moventibus satisfit. pag. 381

CAPUT III.

Fascinationis hujus ratio ulterius confirmatur, cujus gratia plura enodantur. Magna datur temperiei in eadem specie humana varietas: diversa inde effecta manant: non tantum nascendis sed & natis temperamentorum varietas obtingit. An, qui venenum in suam naturam per consuetudinem vertit, & alteri præsentia sua nocet, contagio, an rectius fascino afficere dicatur, inquiritur. Varia in gratiam materiæ præsentis colliguntur §. 4. Effluviorum profluxus datur in antipathia, non tamen in omni. Communicatio effluviorum mutua est vel non mutua. Natura sui conservatrix est. Pororum corporis usus. Transpirationis necessitas. Sueta fascinum ex vulgi mente curandi methodus sententiam nostram confirmat, & Historia notabilis probat. Antipathetica effluvia magnam alterationem inferre nemo miretur, cum & ea, quæ sympathetice & amicè consentiunt, idem præstent, quod experimentis docetur. Hominem etiam bruta fascinare posse colligimus. De Marsorum & Psyllorum, qui serpentum morsus non reformidarunt, natura. pag. 386

CAPUT IV.

In cruentatione cadaverum fascinatio naturalis locum habet, non tamen in omni. Cruentationis causæ naturales eruuntur. Antipathiam inter hominem vivum & mortuum locum habere contra Gutierium asseritur. Ab aliis, qui adventitiam antipathiam hic agno-

agnoscunt, autor, qui ingenitam ponit, dissentit eosq; impugnat. Libavius cum autore conciliatur. Calor & Spiritus in sanguine occisi ad tempus reliqui manent. Libavius vindicatur. Variorum circa cruentationem istam sententiæ. Causam tamen sæpè superna-turalem adesse, autor cum aliis sentit. pag. 399

CAPUT V.

Fascinandi virtutem ab astris conferri gratis Carthaginensis adstruit. Venenatorum animalium malignitas non est ab astris, sed à forma eorundem specifica. Siderum influxus in se non est malignus. Si ratio ista locum haberet, plures darentur fascinatores. Gutierrius Carthaginensem non æquo Marte impugnat. In qualitatibus occultis quæ occurrant. Langius notatur. Cœlum non confert fascinandi virtutem. pag. 407

CAPUT VI.

Quantum Imaginationi in Fascinatione tribuendum. Imaginationis natura docetur. Actiones ejus sunt vel primariæ vel secundariæ. Quomodo suum subjectum afficiat? Apprehensa species nec à cognoscente facultate virtute reali imbuitur: neq; si reali qualitate esset prædita, imbui posset. Per accidens quomodo imaginatio corpus alteret. Virtus imaginationis in quinque potissimum observatur. pag. 411

CAPUT VII.

Sennertus ab insultibus Gutierrii vindicatur, & hunc infelici sidere prælium conseruisse ostenditur. pag. 415

CAPUT VIII.

Imaginationis vires justò longiùs alii extendunt. Anima hominis cum intelligentiis malè confertur. Anima extra corpus de se nil operatur, adeoq; nec imaginatio. Corn. Agrippa, Helmontius & alii notantur. Imaginatio verba virtute naturali imprægnare nequit. Imaginatio unius realiter in aliam non agit. Objectiones diluuntur. Homines melancholicos sui similem dispositionem per spiritus in alios transfundere negatur Verulamio propter rationes in contrarium præsentes. pag 419

CAPUT IX.

Per Imaginationem homo sine matre, Utero & Semine generare nequit,

ut

ut statuit Avicenna, qui asseclas in Galliis invenisse videtur, ubi mulier sine viro fœtum per imaginationem concepisse & genuisse dicitur, quod publico Parlamenti Gratianopolitani scripto confirmatum. Sed pro figmento habet Patinus. Imaginatio quomodo fœtum immutet. Animam fœtus nonnnihil ab Imaginatione matris immutari ostenditur. Vitia matris etiam in fœtum per Imaginationem propagantur. Verba gratiæ & iræ quomodo Imaginationem afficiant; item confidentia de Medico & medicamentis, quomodo sanitatis causa. Imaginatio non omnem tollit morbum. pag. 426

CAPUT X.

Non, quia remedium fascinum tollere videtur, fascinum ipsum certò inferendum. Impedita transpiratione infantes sæpiùs morbis corripiuntur, qui malè fascinationi visuali vel vocali adscribuntur, cùm frequentiùs infantes ita corripiantur. Recens nati infantes cur non sudore madeant. Vaporosa excrementa retenta morbos pariunt; quod cùm aniculæ ignorent, inde facilè fascini opinio in iis surgit, etiam lethalis, cujus tamen ratio alia est. pag. 433

CAPUT IX.

In herbæ, quæ Sideritis Beruffkraut *vocatur, naturam & vires inquiritur. Sordium in ejus decocto post balneum causa: ex istis fascinum inferre vulgare non licet. Herbæ illius decoctum non soli transpirationi prohibitæ, sed & aliis causis succurrere potest. Commendatio balnei aquæ dulcis calidæ. Adstringens herbæ vis non obest: non omnem eam tollere morbum, licet sordes detergat, historia confirmatur. An decoctum pro potu datum conferat, non constat. Mucilago non est ab ipsa herba. Cur post lotionem sanorum similis in decocto reperiatur mucilago?* pag. 436

CAPUT XII.

Suffumigia pietatis, voluptatis & sanitatis gratia fiunt. Medicinalis eorum usus ostendit. Superstitiosa circa horum usum notantur. pag. 441

CAPUT XIII.

Ruta, Alyssum, Bacchari, radix Satyrii, &c. quid & ad quod fa-

scinum conferant, & quas vires habeant. Cur Baccharis corona fascini sit remedium De gagate. pag. 444

CAPUT XIV.

Consilium pro infantibus, in quo signa fascini sic dicti vulgaris compareant. Propter eorum voracitatem ad cacochymiam est respiciendum. Si malum est in principio & nondum satis cognitum, ad sudorifera, balnea calida & suffumigia confugere licet, modo non adsint prohibentia: hæc ostenduntur. Quid intus exhibendum? pag. 448

LIBER III.

De

FASCINATIONE MAGICA ET DÆMONIACA.

PARS I.

FASCINATIONIS DIABOLICO-MAGICÆ NOMEN, EXISTENTIAM ET DEFINITIONEM INDAGAT.

CAPUT I.

Autor è foro Philosophorum ad Magorum forum progreditur: hoc isto est longè majus Cur Fascinatio hæc diabolica & magica dicatur? Vocis, Magus, derivatio, quid significet? A nativa significatione in alienam abiit. Nomen Diabolus explicatur. Fascinatio hæc Dardania appellari potest Dardanus Magus. Magi olim Dardanii dicebantur; non ita hodie. Nomen, fascinatio Magica, hic in ampliori significatione capitur. Fascinatio Magica & Diabolica quomodo differant? Magi, non ut tales, etiam lædere possunt, Ad veneficium quid requiratur? pag 451

CAPUT II.

Fascinationem Diabolicam & Magicam dari probatur. Reginaldus Scotus eam negavit: Voetius autem rationibus 10. probat. Gutierrio Fascinationem Diabolicam, & quidem non rem, sed nomen ejus impugnanti respondetur, & nomen vindicatur. Fascinatio pro diverso respectu diversimodè definitur: id quod materiam præsentem diversimodè tractandi ansam præbet. pag. 455

PARS

PARS II.

De

FASCINATIONE MAGICA RATIONE PRIMITIVÆ ET STRICTÆ VOCIS, FASCINUM, SIGNIFICATIONIS.

CAPUT I.

Magos visu fascinandi potestatem habere, autoritate, ratione & experientia videtur posse probari. Sed impossibilitas in contrarium remonstratur. Quæ visu inferri putantur maleficia, à Dæmone fiunt. Sagæ in Persia corda hominibus devorant. pag 459

CAPUT II.

Verbis non possunt Magi fascinare. Friderico I Barbarossæ Magus quidam verbis non potuit nocere. Verba virtute à Dæmone non possunt imprægnari, ipse occultè operatur. Historia muris, qui verbis cujusdam natibus immissus credebatur. Varia ex abscessibus prodire quandoq; observatum. pag. 462

CAPUT III.

Tactus efficaciam nonnulli probant exemplo Regis Pyrrhi, mulieris, quæ Adriani Imperatoris genua osculata est: Petrus Borellus exemplo scribæ, N. Remigius aliis exemplis, videntur confirmare. Reges Galliarum, Angliæ & Hispaniæ solo tactu strumas sanare dicuntur. Amuleta, manus humani cadaveris, septimus fœtus masculinus, torpedo, Echeneis, item exempla duarum personarum tactus efficaciam adstruunt. pag. 465

CAPUT IV.

Tactus qua talis est per se nihil, at per accidens materialiter spectatus, aliquid efficit. Exemplum Pyrrhi alii ad fabulas, alii ad fiduciam, alii rectius ad fraudes Diaboli referunt: naturalis non fuit illa virtus, ut Borellus frustra pro hac laboret. Tactus hominis sani nihil præstat. An plantæ vel mineralis vires ab ortu homini insint indagatur. Delrio & alii hoc minus accuratè refutant, quibus Gasp. à Reies frustra succurrit. Exempla Borelli & Remigii examinantur. p. 468

CAPUT V.

Reges Franciæ, Angliæ & Hispaniæ strumosos solo tactu curare, cur in dubium vocetur? Gutierrius pro Rege suo infeliciter pugnat.

Nullum, licet vera ista sint, exinde subsidium pro tactus efficacia procuratur. Exempla de Comitibus de Habsburg & Balliolis notantur. pag 475

CAPUT VI.

De contactu Amuletorum, manus cadaveris humani, septimi fœtus masculini: de Torpedine, de Echeneide & reliquis cap. 3. in oppositum prolatis, agitur, omniaq; fusius examinantur. pag. 479

CAPUT VII.

Pro halitus efficacia licet proferantur rationes & exempla, halitum tamen de se noxium non esse probatur 1. ab ejus materia 2. indifferentia 3. ab exspirationis fine. Halitus impuritatem habet vel ab extra vel ab intra. Ea quæ Borellus in medium adduxit, examinantur. pag. 483

PARS III.

De

FASCINATIONE MAGICA IN SENSU GENERALIORI SPECTATA.

SECTIO I.

De

CAUSA EFFICIENTE PRINCIPALI FASCINATIONIS MAGICÆ.

CAPUT I.

Actiones Magicæ ad Dæmonem tanquam causam principalem reducuntur. Multa in sacris Dæmon habet nomina. Dæmones unde dicantur? Omniscii non sunt, sed multiscii. Triplex datur in iis scientia: Idem nomen tribuitur etiam Angelis; item animæ à corpore separatæ. Diaboli etymon. Item vocum Satan, Belial. Beelzebub unde & cur dicatur? Cur Diabolus Deus vocetur? Varia Dæmones sibi ipsis nomina imponere ex Actis Judicum punctum veneficii concernentibus legere est. pag 487

CAPUT II.

Diaboli omnium hostes. Eorum potestas magna est. Potestas ea vel est Physica vel moralis, & hæc vel positiva, vel negativa. Dæmon amisit dotes gratiæ, non naturæ. Potestas ejus non est infinita vel illimitata.

mitata. Cur Dæmon, cum per se fascinare & lædere queat, Magorum sagarumq; requirat consensum? pag. 487

SECTIO II.

De
INSTRUMENTALI FASCINATIONIS MAGICÆ CAUSA.

CAPUT I.

Causa instrumentalis homo est, qui non est purum instrumentum. Synonyma Magorum & Magarum. Venefici & veneficæ cur dicantur? Veneni vox in bonam & malam partem sumitur. Malefici, maleficæ. Maleficium sumitur hîc strictè. Sortilegi & sortilegæ. Lamiæ unde dicantur? In ventre piscis Lamiæ Jonas fuit. Lamia Regina in Libya crudelis. Fera in Africa Lamiæ nomine. Voces sagæ & striges explicantur. An strix, avis nocturna sit fabulosa? Suctionem sanguinis adolescentis Ficinus suadet senibus, cujus tamen autoritate & ratione sanguinis Transfusores frustra nituntur. Magæ etiam dicuntur Tegulariæ, Veratrices, Alrunæ. Appellationes Magorum & Magarum Germanicæ variæ adducuntur & explicantur. pag. 496

CAPUT II.

Primas Magicas superstitionis inventor Zoroaster: unde dicatur? Zoroastres plures fuerunt, ex quibus famosus fuit Cham filius Noæ. Quis primus ante diluvium fuerit Magus, incertum. Cum idololatria quasi eodem ovo prognata videtur. A Cham & ejus filio Misraim orta, in Ægypto & Persia radicata. Ab Ægyptiis non tantum Hebræi sed & Græci, & ab his Romani labem istam contraxerunt. Sponte non nullis in locis Magiæ zizania succreverunt. In omni Hierarchia Magos fuisse scriptura monstrat. Bileamus Magus. Radiante Evangelii luce à Magia etiam doctos, quin & Sacerdotes quandoque infici mirum. Cur nostra ætate in medio Ecclesiæ Christianæ sinu tot reperiantur fascinatores & fascinatrices? pag. 505

CAPUT III.

Instrumentalis causæ subjecta quædam particularia in sequentibus enume-

numerantur. Mosen Plinius & Apulejus pro Mago habuerunt. Unde persuasio orta, Atheistis quibusdam in cœtu Christiano ea quoque insedit persuasio. Vannini mors. Mosen non fuisse Magum probatur, licet fuerit in Scholis Ægyptiorum enutritus. Regis Persarum filio quatuor præfecti sunt. Mosi Magiæ notitia fuit, non usus. Non, quia ad dividendum mare & dulcescendam aquam rebus absurdis Moses usus, hinc Magiæ est accusandus. Plinii lapsus triplex. Jannes & Jambres Pharaonis Magi. Unde eorum nomina resciverit Apostolus? Fuerunt Sacerdotes. An eorum opera mira præstigiatoria fuerint, an verò quoad hypostasin vera? quomodo fuerint producta? pag. 509

CAPUT IV.

Magos Christum adorantes verè Magos, & instrumenta Satanæ fuisse, multi, etiam ex Patribus, statuerunt. Eorum fundamenta. Contrarium alii sentiunt. Buntingus eos in libro & naturæ & scripturæ versatissimos fuisse probat. Vocantur ab aliis reliquiæ Scholæ Danielis. Vocis, Sibylla, etymon & homonymia. Varia eaq; sacra oracula Sibyllæ ediderunt. Naturalis causa Prophetiæ frustra assignatur. Sibyllinos libros supposititios esse Casaubonus probat. An Cyprianus fuerit Magus? Quia & negativa & affirmativa sententia patronos habet magnos, decisio quæstionis in medio relinquitur. pag 515

CAPUT V.

Simon Magus Fascinator celebris pro Deo habitus. Ejus opera mira. Ex aëre, in quo à Dæmonibus vehebatur, in terram Petri precibus præcipitatus perit. Ob id Petrus supplicio à Nerone afficitur. Circe venefica famosa, ejus parentes, regnum, exilium; homines transmutavit in bestias. Inter fabulas Circe refertur. Joh. Trithemius Magus. Caroli Bovilli de Steganographia judiciū. Eum Naudæus & Tannerus frustra absolvunt. Ignatius Lojola Magus. Item Wierus, quod rationibus è Bodino desumptis probat D. Tabor. Cingari Magi. Eorum nomen & origo investigatur. Sunt fascinatores, fures, mendaces. Historia virginis molam extra uterum in abdomine gerentis: Cingari autem clavos & pilos esse falsò edixerant. Carnifices

nifices plerunq; Magi. Obstetrices veneficæ Diabolo accepta sunt organa, quia infantes vel necant, vel clàm Diabolo consecrant. pag. 521

CAPUT VI.

Numerus Sagarum Magorum numerum superat. Causa generalis est sexus illius fragilitas: specialis, curiositas & credulitas, vindictæ cupiditas, libido, egestas. Fœminæ in augendo complicum numero viris sunt potentiores. Sagæ sunt allectatrices, & superstitiosa ac absurda varia ad Dæmonis mandatum ad alios propagant, quorum formulæ quædam proponuntur. pag. 531

SECTIO III.
CAUSAM SINE QUA NON ET IMPULSIVAM FASCINATIONIS MAGICÆ TRADIT.

CAPUT I.

Causa sine qua non Fascinationis Magicæ est Dei permissio. Ad actionem magicam Deus concurrit mediatè & immediatè. Concurrit etiam permittendo. Ex non-impeditione nulla in Deum recidit culpa. Deus non semper permittit. Permissio Dei non nuda est, sed cum praxi & operatione aliqua conjuncta Deus etiam fascino limites ponit; probatur exemplo Jobi. Actuositatem permissionis divinæ probat ejus in certum finem directio. Actionibus suis limites à Deo poni, Dæmon ipse quandoq; fatetur. Exemplum horrendum. Permissionis divinæ limites jam sunt contractiores, jam ampliores. Cur Deus magis Pharaonis prodigia exercere permiserit. pag. 535

CAPUT II.

Causa impulsiva Fascinationis Magicæ datur ex parte & Dæmonis, odium nimirum & invidia; & Magorum, Sagarumq;, estq; vindictæ cupiditas, infernalis Ducis mandatum & voluntas famæ & existimationis dignitas, egestas, & tenacitas, voluptas, metus. pag. 540

PARS IV.

De

OBJECTO FASCINATIONIS MAGICÆ.

SECTIO I.

De

PRIMARIO EJUS OBJECTO.

CAPUT I.

Objectum Fascinationis variat; Quod Agrippa ligationis nomine per exempla indicat. Objectum primarium homo est, quem Dæmon per se etiam, Magus autem non sine Dæmonis concursu fascinare potest. Dæmonis Christo in alto monte omnia regna ostendentis actio fascinatoria quidem fuit, Christum autem non fascinavit. Spiritus non fascinatur, ipse sponte captivatus possessores suos captivat. Perditionis & infelicis possessionis exempla. Spiritus hominem fascinat. Hominis præ spiritu excellentia. De potestate Dæmonis potissimum circa hominem agitur. Magi consensum ad omnem fascinationem Dæmon non requirit. Fascinat Dæmon totum & partes, animam scilicet & corpus. Anima ratione essentiæ non fascinatur, sed ratione facultatis propriæ & officii, ut est forma hominis informans. Obsessio spiritualis quid? Corpus fascinatur vel totaliter vel partialiter. Transformationem à Dæmone non fieri posse, probatur. *pag.* 542

CAPUT II.

Intellectum hominis Dæmon fascinat. Phantasmatum falsitas unde? Dæmonem immediatè & directè in intellectum hominis agentem agere & species intelligibiles imprimere posse probatur: Dæmon mancipia sua scientiæ, prudentiæ, artiumq; notitia imbuere potest, non tantum præceptorum externa traditione, sed & luminis intelligibilis præformatione. In hoc statu homo non, ut in obsessione, purè passivè se habet. Dæmon per causam naturalem scientiam non potest infundere. Dæmon substantialiter non implet animam intelligentis, sed solus Deus. Diversimode Deus & Dæmon species intelligibiles menti imprimunt. Voluntas fascinatur. Quæ intellectum movet non effectivè, sed moraliter. Pro qualitate objecti ab intellectu

lectu apprehensi qualificatur etiam voluntas. Hæc per appetitus etiam sensitivi impetum fascinatur. Risus fascinatur, item sermo. Historiæ fœminæ à furibus, ne loqueretur, fascinatæ. Dæmon obsessorum lingua abutitur: non hominis solùm, sed & brutorum vocem exprimit. Obsessi imperiti Græcè & Latinè locuti; sed propter notitias congenitas ab humoribus suscitatas id contigisse negatur. pag 551

CAPUT III.

Inter inferiores animæ rationalis facultates primo cognoscentis facultatis fascinatio explicatur. Fit ea in ecstasi Diabolica. Ecstasis quid? Ecstasis vel naturalis est, cujus exempla adducuntur, vel supernaturalis, eaq; divina vel diabolica. Sopor Adami ecstasis fuit. Ecstasis diabolica quid? ejus exempla. Bodini & aliorum error, statuentium, animas ἐκστατικῶν verè emigrare refutatur. Cardanus se suspectum reddit. Ecstasis diabolica fit ex κακοζηλίᾳ Dæmonis. Lycanthropia, Horum, qui Lycanthropia laborant non unam esse rationem, exemplis docetur. Plinius transformationem negat, cui tamen Thomasius distinctione succurrit. pag. 560

CAPUT IV.

Sensum communem fascinari posse probatur. Sensus per se non errant, sed per accidens. Requisita sensus. Phantasiam sæpius fascinat Dæmon, & in eam agit vel immediatè vel mediatè. Lamiis transportationis opinionem impressurus somno eas sepelit, & per insomnia fallit. Historia. Lamias tamen etiam corporaliter quandoq; ad conventicula transferri conceditur. Consultatores Coburgenses adversus D. Taboris insultum vindicantur. Exemplum phantasticæ delusionis & realis transportationis. Memoria bifariam fascinatur. Memoria etiam aliquid luminis intellectualis à Dæmone accipere potest, Studiosi Patavini memoria naturalis in dubium vocatur. Ars memorialis subsidia magna naturali confert: hujus exempla traduntur: non tamen ita eam perficit, ut aliquot millia nominum semel audita vel lecta reddere queat. pag. 655

CAPUT V.

Fascinum somni & vigiliarum. Somnia vigilantium. Somniis diabolicis Turcæ fugitivos vigilantes retrahunt. Dormientes fascinantur

nantur partim sopore profundissimo, partim insomniis variis. Exempla illius. Maleficium taciturnitatis. Dæmon somniis lucidis potens responsa etiam in somniis dedit. Ephialtes quid? est balneum quoque Dæmonis. In Ephialte Dæmon hominibus illudit. Fauni & Satyri Ephialtes dicti. Ephialtes vel naturalis vel præternaturalis. Hujus exempla duo, quorum alterum ridiculum. pag. 574

CAPUT VI.

Visus frequentissimè & variè per varios organi morbos fascinatur. Excussionis oculi exempla duo. Objecti ratione quomodo fiat fascinatio. Res visibiles invisibiles per fascinum diabolicum fiunt. Objectum visibile alia forma comparens variat itidem, & quidem vel ratione figuræ, seu totius, seu partium: vel ratione quantitatis tum continuæ, tum discretæ: vel ratione coloris: vel ratione motus & quietis: vel ratione horum omnium, aut plurimorum. Visibile corpus Dæmon sæpe induit, quod vel phantasticum vel verum, vel partim phantasticum, partim verum. Samuelem à Pythonissa in Endor evocatum non fuisse verum Samuelem, sed larvatum spectrum, probatur. Vallesius, qui asserit animam Samuelis permissu Dei venisse, & assumto corpore aëreo Sauli respondisse, notatur. Dæmon subeundo bruta verum corpus induit. Dæmones non omnibus, sed quibus volunt, sui videndi copiam faciunt. Prædicta omnia maximam partem historiis illustrantur. pag. 580

CAPUT VII.

Auditum Dæmon fascinat, mutando vel organum, vel objectum; fascinat etiam vocis, quasi propriæ formatione. Dæmon fistula puerorum & murium Hammelensium auditum fascinat. Historia ista recitatur. Olfactus, Gustus, & Tactus similiter fascinantur, præcipue ex parte objecti, & quidem in gustu id sæpe phantasticum est, & sola opinione tantum sibi vesci videntur fascinati. Lamiæ vescuntur humana carne. Maleficium taciturnitatis: hujus historiæ. Tactus fascinatur, cùm cutis induratur, ut ignis & omnem acutorum, item globulorum impetum explosorum eludat. Ars Passaviensis: hujus nomẽ & origo. Alia etiam per hancartem indurantur.

Tactus

Tactus fascinatur etiam, ut sentiat ea, quæ non sunt. Exemplum fascinati tactus & visus. pag. 288

CAPUT VIII.

Facultas appetens fascinatur mediante facultate cognoscente; hanc quomodo Dæmon fascinet? Amor vel naturalis est, qui hîc non attenditur; vel sensualis, vel rationalis: & hic & iste fascinatur. Cor hominis ab amore non vacat: hic Deo debetur; sed Dæmon eum seducit, & quidem in iis potissimum, qui sensuum ductum magis sequuntur. Fascinum amatorium magicis artibus inferri antiquitatem non latuit. Fascini amatorii exempla. Judicum favor fascino procuratur. Odii fascinatorii exempla. Odium erga Deum Dæmon tempore tribulationis excitare studet. Exemplum odii fascinatorii mulierum erga viros. Dæmon se reliquis affectibus fascinandi studio immiscet. pag. 596

CAPUT IX.

Hominis secundum Facultatem vegetativam fascino subjecti consideratio. Vita quid? Dæmonem morbos tum per se, tum per Magos immittere, ex sacris & profanis probatur. Historia Duffi Regis maleficio læsi. Eam in dubium Cardanus & Wierus vocant, quod mirum videri nequit. Morborum fascino injectorum quidam Catalogus è Chirlando. Realiter morbos inferri probatur & historiis confirmatur. Objectio quædam pro lamiis pugnans diluitur. Res per fascinum immissæ atrocissimos dolores creant, quod per exempla ostenditur. Dæmon pestem quoque immittit, & modum etiam Magos docet. Ita non tantum morbos sed & mortem infert, quod historiis & Lutheri autoritate confirmatur. Nutritionem Dæmon quoque fascinat phantasticum alimentum subministrando; quandoque tamen verum porrigit. Fascinum lactationis. Augmentativam facultatem Dæmon fascinat. An arte Magica fieri possit, ut gigantes & pygmæi generentur? illud negatur, hoc conceditur. pag. 602

CAPUT X.

Facultatis genetricis fascinatio frequens est; fit in utroque sexu. De nodatione seu ligatione ligulæ. Viri frequentius impotentes fiunt,

quàm fœminæ. Exempla. Fœminæ fascinantur, ut justo vel citius, vel tardius, vel nunquam, aut cum difficultate, seu perpetua, seu temporaria pariant, aut pariant id, quod non parere debent, nimirum monstra, vel fœtus diabolicos, vel corpora aliena, vel fœtus mortuos. Ad monstrorum productionem quandoque Diabolus concurrit. Non omne monstrum est fœtus diabolicus: ad hujus productionem quomodo Dæmon & fœmina concurrant? De Erucis, quos die Elbe vocant: de fratris Lombardorum generatione: ex semine humano & sanguine menstruo istum oriri negatur. Per fascinum diabolicum produci statuitur. De cambionibus. Diabolus sobolem quandoq; suffuratur & aliam supponit. Omnia exemplis illustrantur. pag. 515

CAPUT XI.

Homo ratione accidentium spectatus non est à fascino immunis. Non pii, ut Jobi exemplum testatur. Lutherus idem confirmat. Limites tamen Dæmoni sunt positi. D. Simonem Pauli minæ sagarum non terruerunt. Fascinantur personæ Magistratus, rarius tamen. Saga quædam Judicem frustra per diabolum lædere conatur. Qui è lecto mane precibus non muniti surgunt, facilius fascinantur, cujus historia adducitur. Omnes ætatis & sexus homines fascinantur, mortui & vivi, item absentes. Magus Magum fascinat. Fascinantur, qui fidem in matrimonium datam temerè violant. Temerarii, & qui limites officii transgrediuntur: item jejuni, cujus ratio datur: pleraq; antedicta historiis illustrantur. pag. 629

SECTIO II.

De

SECUNDARIO FASCINATIONIS MAGICÆ OBJECTO.

CAPUT I.

Objectum secundarium fascinationis Magicæ sunt res homini inservientes, quæ vel naturales sunt, vel artificiales: Naturalium subdivisio. Dæmon universum hoc ejusq; leges, cœlum & astra fascinare nequit; item elementa integra, benè autem eorum partes. De Dæmonum generibus variis. Magna est Dæmonis in elementa potestas.

testas. Bodini error. Deo non permittente, nihil Dæmon potest operari. pag. 638

CAPUT II.

An Sagæ pluvias & tempestates ciere queant? Seneca negat, cui Wierus adstipulatur. Plinius affirmat. Conciliatio. Sagæ per potestatem Dæmonis ista efficiunt. Cur Dæmon princeps aëris dicatur? Cur Sagas in sua persuasione relinquat? Cur se subjici simulet? Magos & Sagas, ubi, quoties, & quando libet, data licentia, tempestates, ciere posse, exemplis probatur, & ratione confirmatur. Non tamen semper licentiam habent, ut nec Dæmon, qui tunc frustrati effectus causam in sagas ipsas reficit. Venti apud Finnos & Lappones venales. Judæi & Cingari ignem fascinant. pag. 743

CAPUT III.

De Mineralium Fascino. Jonstoni promissum. Lapidis mirabilis historia. Mineralia Dæmonis fraude sine dubio oculis hominum quandoque subtrahuntur. Vegetabilia fascinant & perdunt sagæ: fructus aliò traducunt, omnia Deo permittente. Bruta fascinantur, ut jumenta, canes, feles. Historia Crocodili fascinati carnificis munere fungentis: item porci à sagis excarnati. pag. 648

CAPUT IV.

De Artificialium Fascinatione. Cerevisia fascinatur, ne benè vel coquatur, vel ferveat, aut cùm aufertur. Sagæ in ea opera, quibus dies dominica profanatur, aliquam habent potestatem. Fascinantur & arma, ne lædant; ædes, ut incendantur; lintea cùm auferuntur; molendina, ne volvantur; naves, ne moveantur. pag. 652

PARS V.

De

MATERIA FASCINATIONIS MAGICÆ.

CAPUT I.

Materia Fascinationis. Vox ista hìc non strictè, sed latè sumitur, uti & vox fascinatio: Materia est vel spiritualis vel corporalis. Corporalis est vel vera, vel putatitia, utraque vel purè naturalis, vel mixta. Artificialis vel sacra, vel profana. Materia fascinationis Magicæ est amplissima. Inter naturalia dantur quædam, quorum

effectus purè naturalis est, ut venena. Exemplum. Quando venena ad materiam magicam referantur. Sagæ quandoque materiam nullam, sed consensum saltem præbent, quandoque nudas ceremonias & ritus adhibent, ad quæ magicus effectus sequitur: quæ exemplis confirmantur. Dæmon etiam res naturales fascinationis ergò suadet: sed & inter naturalia absurda veniunt, quæ talia sunt, non absolutè, sed respectivè. Absurditas unde colligatur? Quandoque quædam absurda videntur, quæ tamen non physicè, sed hieroglyphicè sunt intelligenda, quod exemplo probatur. Inter naturalia venena primò collocantur. Venena veneficæ vel propria manu colligunt, vel à Satana accipiunt: pulveres variant. Cur venenum, quô Magi utuntur, non ipsum Magum inficiat. Pulveres & unguenta Sagarum sæpè innoxiè ab aliis attrectantur, quod indicio est, virtutem eorum à Dæmone esse. pag. 655

CAPUT II.

Ad materiam magicam venit Mandragora. Hujus & vocis Alraun *etymologia. Ejusdem descriptio: vis præcipua quæ? Commentum de ejus radice.* Ἀνθρωπόμορφα *in regna vegetabili opera. Alruni impostorum fraude quomodo sculpantur & fiant? Alius modus recitatur. Anile circa radicem Mandragoræ commentum aliquot rationibus confutatur. Mandragora quomodo fœcundare queat? Dudaim Rachelis Mandragoram fuisse dubitatur: eam conceptionis juvandæ gratia Matriarcham expetiisse negatur. Effectus Mandragoræ spurii refutantur, eosq́; à Dæmone manare docetur. Historia de Alruno.* pag. 866

CAPUT III.

Homo materia fascinationis Magicæ. Cur infantes præsertim nondum baptizati expetantur? Etiam proprios infantes olim Molocho Phœnices & Israelitæ consecrarunt. Gnosticorum circa infantes incesto concubitu natos crudelis error. Veneficæ infantes potus & maleficii gratia expetunt. Initiationis & promotionis magicæ ritualia. Ad usum magicum adhibentur cineres cadaverum ustorum, caro, caput mortui. Teraphim quid? Historiæ horrendæ. Expetunt etiam Sagæ spinas demortuorum, manuum, pedumq́; digitos pro magico lumine, excrementa, lac maternum. Platea Coburgi die Juden-gaß

Gaß dicta, unde nomen habeat? Usneæ vires magicæ. Cur ista ab homine desumenda Dæmon suadeat? Absurda ista vim magicam, Deo non permittente, non exerere, historia quadam confirmatur. Serpentes, bufones, anguillæ &c. ad magica opera adhibentur. Bufones sub limine defossi & pulverisati non fascinant. Hydropicus pulvere bufonis usti restituitur. Insecta in corpus immissa verum effectum edunt. pag. 677

CAPUT IV.

An virgula divinatrix ad materiam Magicam spectet? diversæ hîc sententiæ. Rationes eorum, qui Dæmonis commercium hîc latere suspicantur. Autorum circa materiam, tempus collectionis, præparationem &c. inconstantia. Sed propter causæ obscuritatem Magiæ notam virgulæ divinatoriæ non esse imprimendam ostenditur. Metalla virga è corylo detracta scrutari illicitum non est: nec virga ipsa illicitum medium. Sententiarum diversitas, quid arguat? Cur varius sæpè sit circumstantiarum apparatus? Superstitiones circa virgulæ illius amputationem recitantur & refutantur. Tempus amputationis & collectionis observare diverso respectu, est & non est superstitiosum. De Fraxini ligno (Wundholtz) simile fertur judicium. Autorum diversitas hîc quoque notatur. Historia. Superstitiosis ritibus lignum hoc infamatur. Chamæleontis pes sinister, item heliotropias lapis, ut quis invisibilis fiat, superstitiosè commendantur. Lapides materia magica in Scopelismo. Scopelismus quid? ejus exempla. Voetius magicum quid fuisse dubitat. Contrarium vindicatur. Varii dantur Scopelismi. Exempla eorum pag. 688

CAPUT V.

Verba & voces magicis operationibus inserviunt. Vox à natura, articulatio ab arte est. Lingua nulla naturalis est. Cur variæ formulæ adducantur. Psalmo 109. tanquam magico incantamento quidam malè utuntur: in eo finis Spiritus S. ostenditur. Imprecatio ista Prophetæ non est in exemplum trahenda. Anathema Adelberti: judicium de eo. Exempla verborum scriptorum magicè usurpatorum. Ad somnia vera impetranda Cardanus libros cervicali subdere, absurdè commendat. pag. 700

CAPUT

CAPUT VI.

Artificialia etiam materia magica fiunt. Vocis, Teraphim, natalia, quid sint? Tilsemanum exempla. Gaffarellus frustra sculpturas Talismanicas & Teraphim defendisse conjicitur. Crucifixi Christi imago pro materia magica usurpatur; exemplum. Cereæ item imagines quomodo fascini causa tractentur? Historia puellæ per imaginem ceream miserè fascinatæ. Sagittæ, bombardæ, instrumenta magica fiunt. Solennia consecrationis. Tragicus sæpe est istorum sagittariorum eventus. Panis eucharistici ad maleficia abusus. Indusium necessitatis quomodo conficiatur? Gladii magici Imperatoris Maximiliani præparatio & vires; quæ in dubium vocantur. Armorum magicè fascinatorum exemplum. Specula, vestimenta, acus, amuleta & sigilla ad materiæ magicæ censum venire possunt. Ex characteribus duos præcipuè Paracelsus commendat. Artificialium magicorum differentia. Materia magica mixta. Res omnes homini inservientes quatenus materia Magica fiant? pag. 715

PARS VI.

De MODO FASCINATIONIS MAGICÆ.

CAPUT I.

Modus est nodus, hoc est, explicatu difficilis. Nodi Cassiotici. Si modus in physicis sæpe ignoratur, quantò magis in metaphysicis? Iō *quomodo decepit Wierum, ut historiam Regis Duffi in dubium vocaret. Diabolorum opera tribus modis efficiuntur: pleraq; sine naturæ administra ope efficere nescit. Actio Dæmonum ab ipso effectu distinguenda: ista semper vera, hic sæpe apparens est. Corporalis obsessio quomodo fiat? Quomodo per imprecationes immittantur Dæmones. Obsessio spiritualis quomodo fiat? Satanam cor intrare, cor implere quomodo intelligendum? Obsessio hæc suos habet gradus. Satanæ in ea technæ. Suggestio quomodo fiat? Intellectus fascinatio. Quomodo Dæmon artes & scientias doceat? Exempla. Ars notoria. Non cujusvis intellectum Dæmon scientia & arte illustrat: illustrat usq; ad aram religionis: bona animi confert, ut*

animam

animam ipsam lucretur. Historia. Scientiæ per res naturales momento non acquiruntur. Historia de Craca anguium tabe scientiarum copiam ingenerante privigno. Absurdum quidem medium, malè tamen historiam ipsam negat Wierus. Quomodo ipsam sedem intellectus Dæmon perficiat? Mediatè etiam per phantasiam intellectus fascinatur. Modus, quo se anima rationalis ad species objectas applicare potest. pag 731

CAPUT II.

Voluntatem Dæmon fascinat, non physicè, sed moraliter: item inspirationibus: ad vitia temperamento congrua homines solicitat. Risus fascinum: Risus quomodo fiat naturaliter & supernaturaliter? Sermonis fascinum. Organa vocis & Sermonis quæ? ea Dæmon fascinare potest. Sagæ cujusdam equuleo impositæ Dæmon linguam in forma sciuri comprimit, ut taceat. Varias voces novit formare. Lingua abutitur energumenorum, ut blasphema effutiat, absentia indicet, ignota & futura prodat. Quorum futurorum Dæmon habeat cognitionem? Omniscius non est. Christianorum in sylvis Juliani tempore degentium locum ignoravit: item Lutheri Pathmum. pag. 745

CAPUT III.

Facultas sensitiva quomodo fascinetur, & quidem in ecstasi diabolica? in Lycanthropia? Datur etiam Lycanthropia ex morbo: item ob phantasiam in somno fascinatam. Modi, quibus accidit vigilantibus, ut se in bestias transformatas esse credant, & aliis etiam tales videantur, exponuntur. Dæmon se in bestias sagarum loco transformans, quæ accipit vulnera, sagis alibi dormientibus infligit. Exempla hujus. Sensus communis & phantasiæ fascinatio quomodo fiat? Dæmonem species novas phantasiæ subministrare posse, confirmatur rationibus & experientia. Vigilantium phantasiam Dæmon fascinat privativè & positivè, & quidem mediatè: eam confortat & confirmat: quomodo hæc fiant? Dispositionem ad phantasiam & memoriam requisitam Dæmon melius, quàm homo ullus novit. Depravatæ imaginationis exempla: ea Dæmon novit, & hinc intermedia naturæ ope ipse phantasiam fascinare potest. Virtus

):():():():():():():():(

tus memoriæ: eam Dæmon exemplis edoctus Medici instar confortare potest modo vel naturali vel supernaturali. pag. 749

CAPUT IV.

Vigilia & somnus quomodo per fascinum magicum oriatur? quandoq; difficulter cognoscitur. Somni causa: eam Dæmon procurare potest. Non oritur somnus à digitis infantium, aut spinis humanis accensis, nisi forsan ab inuncto oleo. Vaporibus narcoticis potest Dæmon somnum inferre: item narcoticis cibo clam admistis. Narcotica quæ? ingrediuntur sine dubio unguentum sagarum. Hoc ipso somnum inferri negat Bodinus, sed malè. Narcotica non omnia frigida sunt. An Epimenidis somnus fuerit diabolicus? Quomodo Dæmon phantasiam somniis impraegnet? De mediata somniorum productione, eorumq; varietate, quæ Dæmoni in fascinandis sagis inservit. pag. 761

CAPUT V.

Visus fascinum cognitu difficile. Oculus fascinatur cùm excutitur. Ex modis aliquis examinatur. Quomodo oculus fascinetur, ut non videat ea, quæ sunt, vel videat ea, quæ non sunt. Etymologia vocis Præstigiæ. Præstigiator quid? Ad oculos mentis vox ista transfertur metaphoricè. Præstigii inventum Mercurio tribuitur. Cauculator, Gauckler/ unde? Ars cauculatoria quid? Okos Bokos unde dicatur? Cauculatores quandoque incantatores. Diabolus Cauculator peritus. Quomodo Dæmon ad præstringendum se accingat, Psellus per falsam hypothesin explicat. Aëre cur potissimùm Dæmon utatur? Coloris natura. Ex aëre Dæmon novit coloratum corpus formare. Opticæ ope Drebbelius mira perfecit: ita & Dæmon. Specula dantur naturalia & artificialia. Nubes specula naturalia fieri posse ostenditur. Dæmon specula aëre varia fabricare, & per ea hominibus illudere potest. Ad hoc in phantasia adminiculum quærit per imaginationem falsam, cujus exemplum traditur. Ex solo aëre Dæmonem phantasticum corpus formare negat Delrius, cui respondetur. Insignia præstigiarum specimina per exempla ostenduntur. pag. 767

CAPUT VI.

Dæmon visum fascinat subtrahendo objectum tum simpliciter, cùm impedit, ne objecti species ad oculum deferatur, vel delata recipiatur, vel recepta in tunica retina pingatur: tum secundum quid. Quomodo visum fascinet, ut alia forma visibile, & quidem ratione figuræ appareat. Corpus visibile, quod Dæmon induit, vel verum est, vel phantasticum, vel partim verum, partim phantasticum. Mortuorum corpora à putredine præservare novit, edoctus à natura. Talis mixtura exemplis probatur. Inanimata ad præstigiarum fucum trahit. Phantasticum corpus pro finis varietate variat. In Christi figura Martino, in Angeli forma Ludovico Regi Germanorum Dæmon apparuit. Apparet in forma bona, ut fallat. Alia ratione Dæmonem se in Angelum lucis transformare ostenditur. Wierus & Reginaldus Scotus, qui Dæmonem cum Lamiis pacisci negant, notantur. pag. 781

CAPUT VII.

Hominis speciem Dæmon induit sub variis exemplis confirmatur. Non tantum autem hominis in communi, sed certarum personarum, & mortuarum, & adhuc viventium formam assumit. De spectro quodam fœminæ vivæ imaginem hîc Coburgi referente. Dæmon etiam futurorum, ut ita loquar, hominum speciem exprimit. Cur hominis speciem libentiùs assumat? an semper turpitudine quadam notatus appareat: an verum sit, Dæmonem pedes suos nunquam obtegere? Moraliter hoc explicatur. pag. 786

CAPUT VIII.

Brutorum formas Dæmon assumit. Viri etiam ignei forma apparet. Unde ille ignis? Hirci formam in conventu Sagarum assumit. Dæmonibus hirci forma apparentibus Judæi sacrificarunt. De voce לשערים*, Levit. 17. v. 7. Gentiles etiam Satyros coluerunt. Jupiter Hammon in arietis forma cultus: Pan caprina facie, hircinis cruribus. Cur superbissimus spiritus hirci fœdi formam exhibeat? Ratio Delrii, Ursini, Authoris. An verum sit, Dæmonem*

Lucii, Ovis & Columbæ effigiem non posse repræsentare? Affirmantium rationes diluuntur. pag. 793

CAPUT IX.

Fascinum Auditus quomodo fiat, obscurum. Soni natura est abdita. Organum, quod est auris, quomodo fascinetur? Sonus quid? is variat: ubi subjectetur, quomodo diffundatur. Dæmon de se sonum, non efficit, sed mediante corpore, aëre scilicet. Vox Dæmonis non propria, sed mutuatitia saltem est. E fistulis & organis pneumaticis novit, quæ ad sonum formandum requirantur, quomodo is formandus? Εγγαςείμυθοι & πύθωνες? Pythonissa in Endor ex obscœnis oracula edidit. Cathedram divinatricem Dæmon ubiq; formavit. Dæmonis vox qualis? Phantasiam Dæmon speciebus sonoris imprægnare potest. Ex parte objecti & medii quomodo fiat fascinatio Auditus. pag. 797

CAPUT X.

Quomodo reliqui Sensus fascinentur? & quidem Odoratus ex parte subjecti, objecti & medii. Gustus ex parte subjecti & objecti. Hominis omnivoracis exemplum. Pica quid? Ejus exempla. Quomodo saporem certis proprium in insipidis & alienis Magorum lingua cum gratia percipiat? Magi anthropophagi: horum (scilicet anthropophagorum) exempla plura. pag. 804

CAPUT XI.

Quomodo Tactus fascinetur? Cur sensus pereat illæso motu? Stuporis universalis exempla. Causa in membranis cerebri investigatur Objectio diluitur. Stuporem universalem etiam Dæmon inducere potest, ut causa mediata, per membranas cerebri læsas per narcoticos corporis humores & cibos, item per externa narcotica. Lapis Memphites: media stupefacientia. Quomodo stigmata Sagis impressa fiant insensibilia? Quomodo ab ignis injuria Magi reddantur immunes. Ignes, qui non urant, dantur. De cutis induratione, ut impenetrabilis ab armis fiat: eam herba Victorialis non efficit, nec pulvis Ægagropili. Cutis induratio naturalis non satis validè impugnatur: quæ per verba acquiritur, non à Deo, vel bono Angelo est,

sed

sed à Dæmone: quomodo Dæmon eam efficiat? Quomodo Tactus fascinetur, ut sentiat ea, quæ non sunt? Tactum fascinat Dæmon etiam per dolorem. pag. 807

CAPUT XII.

Quomodo Appetens fascinari queat? Quomodo Dæmon affectus juvet? De fascino amatorio. Nomen Philtrum consideratur. An amor philtris conciliari queat? Nonnulli negant: quidam affirmant. Horum conciliatio. Cognitio triplex. Sensus duplex. Amor naturalis quomodo actuetur? C. à Reies rationes solvuntur. Amorem per philtra naturalem conciliari posse probatur autoritate, ratione & experientia. An Magicis artibus & philtris amor conciliari possit? An & quomodo Dæmon in voluntatem nostram agat? quomodo amorem excitet? Pulchritudo fascinatis oculis quandoque spectata amorem parit, qui philtris adscribitur. Philtra absurda. Hippomanes. Perniciosi philtri exemplum. Philtra jam olim damnata. Damnantur naturalia malè præparata, item magica. Annulo magico Carolus M. ad amorem fascinatus. A philtrorum naturalium usu cur abstinendum? Jesuitæ interrogando philtra confitentes puellas docent. pag 816

CAPUT XIII.

Affectuum reliquorum fascina inferendi modus in genere indicatur. Affectus quid? Tria sunt, quibus ad mala facienda impellimur. Fascinum odii inducitur per suggestiones, & per naturalia. Absurda etiam Dæmon suadet. Odium naturale cum maleficio odii non confundendum. pag 827

CAPUT XIV.

De Fascino facultatis locomotivæ. Id Dæmon mediantibus causis naturalibus infert, motum naturalem vel inferendo, vel depravando. Violentum motum quomodo inferat? eundem in Strigiportio confert. Unguenti Sagarum ingredientia. Unguentum motum non confert. Quidam per artem volarunt. Corpora deportare spiritui non repugnat. Exempla. In velocissimo isto motu Sagæ aliquid violenti patiuntur. pag. 829

CAPUT XV.

Vegetativæ facultatis fascinum. Causa morbi remota quadruplex est. Morbus triplex. Dæmon omnis generis morbos potest inferre. Modos venena applicandi varios Dæmon novit. Sagas naturaliter, non per Satanam fascinare scribit Helmontius. Ex universalitate effectus cautè de causa ejus est dijudicandum. Sagas per ideas fascinare Helmontius operosè probare laborat; quæ sententia examinatur & profligatur. pag. 832

CAPUT XVI.

Injecta morbos pariunt. Dubitatur tamen, an ea, quæ è corpore rejiciuntur, revera in corpore fuerint, & verè ejiciantur: quidam affirmant, alii negant. Rationes pro negativa Wieri, quas tamen non adeò firmas esse ostenditur. Author quædam revera, quædam autem præstigiatoriè fieri sentit. Vias ordinarias Dæmon mediante sensuum fascino legit. Quomodo materialia in partes externas Dæmon immittat? Sententia Delrii & Helmontii: hic citra dimensionum penetrationem materialia non à Satana, sed à Saga immitti statuit, & exemplis è natura petitis confirmare satagit: idem ad suas ideas recurrit: quæ omnia examinantur & refutantur. Historia pueri, cui venefica femoris os, & os tibiæ surripuit. Modus morbos inferendi prodit etiam modum mortem inferendi. Lamias quandoque per somnia deceptas credere, se homines verè occidisse, historia quadam confirmatur. pag. 841

CAPUT XVII.

De Nutritionis fascino. Nutritionis causa tum efficiens, eaque triplex, principalis, instrumẽtalis & impulsiva, tum materialis. Quomodo in his fascinatio fiat? Alimentum Dæmon clam subtrahere, & clam subministrare potest. Herba Scythica, Tabacum, Coca famem sedant, sed ad tempus non adeò longum. Fascinata nutritiva facultate augmentativa fascinatur. Quidam ex liberis suis arte Pygmæos effecit. Catellos pygmæos efficiendi ars. Homo procerioris quidem; sed

sed non gigantea quantitatis per artem fieri potest: Sic & diabolico fascino. pag. 851

CAPUT XVIII.

Genetricis facultatis fascinum tradere difficile est. Ligatio ligulæ est actio magica. Debiti conjugalis solutionem Dæmonem decem modis impedire posse ostenditur. Historia de juvene, qui ob phantasma interjectum se sociæ jungere non potuit. Herodis Zelotypia insana. Historia de Dæmone, qui invisibiliter succubus factus semen viri provocavit. Partium genitalium ablatio fit vel verè vel phantasticè. An Dæmon sexum mutare queat? mutationis naturalis exempla. Vera sexus mutatio non datur, sed apparens. Causa apparentiæ & erroris est 1. lusus naturæ, quæ vel partes viriles aliquandiu occultat, vel clitoridem longiorem producit, vel Androgynos parit. 2. error quorundam, statuentium, partes genitales virorum & mulierum solo situ differre. pag. 855

CAPUT XIX.

Fascinum abortus Dæmon internè & externè infert. Abortum promoventia vera & absurda. Fascinum difficultatis partus. Fascina generationis læsæ. Quomodo Dæmon monstrorum productionem promoveat; fœtus diabolicos producat? hujus exempla; verum hominem, licet cum homine verè congrediatur, generare nequit Diabolum prolem nec ex se, nec mediante alterius semine producere posse probatur. Wierus Thomam malè refutat. Quid de exemplis, quibus ex Dæmonis incubi cum mulieribus commixtione homines fuisse productos probatur, sentiendum? Dæmones cum viris & fœminis verè commiscentur. Probatur hoc ex Augustino, quem Wierus malè in eo reprehendit. Datur etiam commixtio phantastica, quæ per somnia fit. pag. 866

CAPUT XX.

Uterus aliena sæpe parit. Mola volatilis. Quomodo aliena in utero generentur? Sententia Marci refutatur: cui assensus præbetur, si mediante semine assumpto fieri dicatur. Exemplum de serpente. Dæmonis fraude etiam aliena in utero oriri possunt. Consideratio

ſpecialior ratione fœminæ, uteri, partus, Diaboli. Alterius ſpeciei ſemen homo magico auxilio concipere, & propria virtute generare nequit. Hiſtoriæ mulierum, quæ ova pepererunt. Judicium de iis. Hiſtoria ruſtici, qui ova peperit, ſic & canes. Id per actionem magicam & præſtigiatoriam factum eſſe probatur. De ovi à gallo productione. Ova, quæ ruſticus & canes ediderunt, celeritate & fraude Dæmonis fuerunt ſuppoſita. An Dæmon uterum ita faſcinare queat, ut fœtum immaturum non per viam ordinariam, ſed aliam v. g. per os, umbilicum, ilia &c. pariat? Affirmativa poſt relationem hiſtoriæ de fœmina, quæ conceptum ter per os peperit, ſtatuitur. *pag. 877*

CAPUT XXI.

Faſcinationis modus in ſubjecto ſecundario cur hic negligatur? Tempeſtates Dæmon poteſt excitare. Pluvia artificialis quomodo exhibenda? Dæmon breviori labore pluviam efficit. Animalia domeſtica præcipuè Dæmon faſcinat, & inter ea vaccas, lacte eas ſpoliando, quod ipſum ad varia inſtrumenta ridicula, vel ad ſagarum vaccas occultè defert. Exemplum ridiculum. *pag. 889*

PARS VII.

De

FINE, ITEM LOCO ET TEMPORE FASCINATIONIS MAGICÆ.

CAPUT I.

De Fine Faſcinationis magicæ. Finis eſt in genere bonorum: at bonitas ibi vera nulla, ſed malum, cujus principium Dæmon. Finis ille conſideratur vel ex parte Dæmonis efficientis, qui vel primarius, vel ſecundarius, vel ex parte Magi conſentientis, vel Dei permittentis. Cauſæ permiſſionis ex mente D. Thummii, qui docet, Deum hominum corpora & fortunas Satanæ lædendas tradere 1. propter ſeipſum 2. propter hominum utilitatem. 3. propter hominum peccata. 4. propter ipſum Satanam. 5. propter Sagas. *pag. 892*

CAPUT II.

De Loco & Tempore Fascinationis magicæ. Locus ubiq; datur; ne sacer quidem est immunis. Tempus omne eidem inservit, præcipuè nocturnum. Pavoris nocturni causa. Vocis Strix synonyma Hebraica & Græca. Lilis quid? A Dæmone nocturno Hugon dicto, Hugonoti nomen habent. Meridie etiam Dæmon operosus est. De Dæmonio meridiano ex Psalm. 91. v. 6. Interpretatio vulgata & LXX. non respondet fontibus. Explicatio illius dicti. Dæmones meridie esse infestos credidit vetustas. Obstetrices etiam norunt. Historiis id confirmatur. pag 896

PARS VIII.

De

SIGNIS FASCINATIONIS MAGICÆ.

SECTIO I.

De

SIGNIS DIAGNOSTICIS.

CAPUT I.

Signa Fascinationis magicæ calamo breviore hîc consignantur. Rerum fascinatarum omnium signa tradere difficile est. Signum, per quod discrimen effectus naturalis à supernaturali cognoscitur. Exempli loco ponitur pluvia verè sanguinea: ex causis merè naturalibus non oritur; historia illustratur. In dijudicandis autem effectibus naturalibus prudenter agendum esse, exemplo pluviarum ibidem confirmatur. Vitulo, pileo, lapidibus &c. pluere naturaliter potest. Agentis supernaturalis vestigia in rebus artificialibus facilius deprehenduntur. Exemplum rerum arte factarum cruentarum. pag. 899

CAPUT II.

Signa Fascinationis magicæ in homine tradere difficile est. Signa obsessionis spiritualis. Corporalis obsessionis signa propria & infalli-

bilia

bilia non dantur. Dispescuntur in primaria & secundaria. Ista sunt rerum occultarum revelatio & notitia, linguarum peregrinarum scientia & potentia præternaturalis: sed eadem nec omni, nec soli Dæmoni obsidenti competunt. De obsessis ex signis non singulis, sed aliquot conjunctis judicandum. Signa secundaria quæ? An fascinatio sit obsessio, & fascinati obsessi sint dicendi? Non semper Dæmon, ubi operatur, αὐτοπροσώπως est. Ad obsessionem requiritur Dæmonis sæviendi facultas à Deo impetrata. Ratio tractationis limitatur arctiùs. Regula generalis pro fascini mentis & corporis dignotione. pag. 904

CAPUT III.

Fascinatio corporis difficillimè cognoscitur. Causæ difficultatis 1. morborum quorundam facies admiranda. Horum exempla. 2. Causarum in quibusdam morbis obscuritas. τὸ θεῖον *Hippocratis in morbis quid? Exempla. Vulgus, cùm morbi causam non comprehendit, ad fascini opinionem labitur. 3. Morborum naturalium & supernaturalium quandoque affinitas. 4. Dæmonis versipellis calliditas. Exemplum utriusque. Signum, quod omnibus morbis è fascino ortis conveniat, non datur. Sennertus tria eorum signa tradit, quæ evolvuntur. Capitis distorsio affectus mirus & rarus. Ejus exemplum. Certissimum fascini illati signum quod? Fascini infantium præcipuè macies signum. Ligaminis signa. Signa morborum magicorum superstitiosa. Unde pili in decocto verbenæ post lotionem?* pag. 909

SECTIO II.

De

SIGNIS PROGNOSTICIS FASCINATIONIS MAGICÆ.

CAPUT I.

An morbi à fascino orti sint curabiles. Quidam affirmant, quidam negant. Affirmantes rationibus & experientia se tuentur: sic & negantes. Sententia definitiva Codronchi, Sennerti, Autoris, Suarezii, qui distinguit inter morbos, qui à Magica dependent, & non dependent. pag. 919

CAPUT

CAPUT II.

Medicamenta fascino opponere Medicus non desistat, nisi ipse desistere cogatur. Prognosis in fascino est difficilis. Prognostica generalia traduntur. pag. 924

PARS IX.

De PRÆSERVATIONE.

CAPUT I.

Immunis à fascinationis periculo nemo est; etiam primos parentes Dæmon fascinavit, & adhuc animas fascinare laborat. Corporale fascinum certò præcavere potest nemo. Precibus tamen insistendum, quæ optimum præservativum, quod historiis confirmatur. Sagarum commercium vix vitare possumus, quia earum signa non habentur. Signa afferuntur falsa, ut sunt fletus sine lachrymis. Nam quidam flere nequeunt, ob constitutionem naturæ singularem, & stuporem in malo atroci peculiarem, quod exemplis probatur. Sprengeri & Bodini error. Vossii judicium de Bodini Libro de Dæmonom. Signa plura alia examinantur. Probatio per aquam rejicitur. Magica Sagas explorandi remedia. pag 926

CAPUT II.

Naturalia Fascini præservativa nulla dantur. Dæmon à rebus naturalibus non afficitur. Sententia Thoperi, qui censet, Dæmones habere potentiam videndi, audiendi, odorandi, &c. examinatur. Rebus fœtidis cur Dæmones fugentur? De radice Baaras. Historia Eleazari ventilatur. Jecoris piscis suffumigium in Libro Tobiæ quomodo Dæmonem fugarit? Præservativa fascini remedia veterum. Herbas & gemmas incantationes & fascina depellere, quomodo intelligendum? Ex absentia effectus præservativum non potest certò statui. Experientia, quæ obvertitur, examinatur. Cur quandoq; rebus sensibilibus alliciantur Dæmones? Sanguini humano indirectam vim ad fascinum & Dæmonem inesse negatur. pag. 932

CAPUT III.

Recentiorum ad fascinum remedia. Hypericum & Antirrhinum præcipuè commendat Carrichterus: de hoc Autore Helmontii judicium. Hyper. cum & Ruta fascinatis & obsessis cur prosint? Ratio J. Bapt. Portæ à Sim. Pauli eluditur. Historia mira de Hyperici contra Dæmones virtute examinatur. Hydrargyrum ad fascinum commendatum. pag. 938

CAPUT IV.

Peculiaria sunt Pontificiis remedia præservativa, de quibus 1. in genere judicatur 2. in specie de signaculo crucis. De Usu signi crucis in primitiva Ecclesia. Cur hodierni Christiani eo utantur? Non crucem, ut talis est, sed propter fidem, cujus crux tessera est, fugit Dæmon. Crucis inefficacia probatur. Virtus ejus accidentaria juvandi unde? Thyræus notatur. Aquæ lustralis ad Dæmonem fugandum futilitas probatur. Pro reliquiarum Sanctorum virtute gratis Thyræus & Schottus laborant, quorum objectiones diluuntur. Satanæ, conquerenti se imagine B. Mariæ fuisse fugatum, Pontificii credunt. Nec cruce, nec aqua lustrali, nec reliquiis Dæmonem depelli historia quadam confirmatur. Agnum Dei Pontificii commendant ad superstitionem usq;, ad impietatem & falsitatem usq;. Pronuntiatio nominis Jesu an, & quatenus sit præservativum? Lojoliticum præservativum. Salem cur Dæmon abhorreat, ratio Bodini, quæ rejicitur: nec ratio Delrii satis probat. Lotio manuum matutina malè inter præservativa refertur: error ex lotionis apud Judæos & Ægyptios usu ortus. Præservativa alia superstitiosa, præsertim Judæorum recensentur. pag. 940

PARS X.

De

CURATIONE FASCINATIONIS MAGICÆ.

SECTIO I.

De

NATURALI EIUS CURATIONE.

CAPUT I.

Fascini curatio triplex. Divinæ necessitas. Naturalis non in omni locum

cum habet. Etiamsi fascini à Dæmone in conservari dependentia ignoretur, non tamen remedia naturalia sunt negligenda. Medicamenta sunt vel evacuantia, vel alterantia. Inter ista præferuntur mineralia vegetabilibus. Alterantia simplicia enumerantur. Omnia secundum methodum medendi sunt usurpanda. Alterantia pro fascino universalia duo Codronchii. Emplastrum fœtidum Mynsichti. Carrichteri duo unguenta ex visco corylino (quod Horstius & Henric. ab Heer commendant) & tiliaceo. pag. 953

CAPUT II.

Ad Paralysin crurum & brachiorum sine macie ex fascino remedium Carrichteri: ad maciem corporis: ad contracturam. In motibus quasi convulsivis profuit oleum hyperici compositum Goleri: hujus descriptio. De Cataplasmate ad fascinum, quod ex asa fœtida & allio paratur, judicium Authoris. Historia de puella fascinata proprio sanguine externè usurpato curata. Juniperi ad fascinum usus. Pro fascino per imaginem ad ignem in orbem motam remedium Carrichteri. Ad dolores eo modo illitos. Hydrargyri ad fascini curam usus. pag. 958

CAPUT III.

Ad sterilitatem ex fascino & ligatione remedia ex variis Authoribus. Corallia commendantur. Historia Salmuthi de Coralliorum ad fascinum usu. Eum in dubium vocat Schockius. Autor distinguit. Historia Salmuthi suspecta est. Franc̄isc. Joelis methodus curandi fascinatos. Historiæ duæ ridiculæ. In amoris fascino & philtro quid agendum? Naturæ motus est observandus. Appropriata in hoc fascino. pag. 964

CAPUT IV.

In Curatione bufonum, lacertarum, & insectorum aliorum, item absurdorum & insolitorum per fascinum immissorum evacuantia sunt exhibenda: item specifica, quorum quædam per observationes historicas recensentur. In curatione fascini remedia sunt continuanda & varianda; Deiq; auxilium primo limine implorandum. pag. 972

SECTIO II.

De
MAGICA MAGICÆ FASCINATIONIS CURATIONE.

CAPUT I.

Magica fascini curatio quæ? Dæmon non tantùm morbos, quos intulit; sed & eos, quos non intulit, curare potest, sed non semper, nec omnes. Curandi notitiam habet. Curare eum posse Saludadores probant, & incolæ provinciæ Arcladam. Diaboli auxilium non est implorandum, ob severum Dei mandatum: promissum in baptismo datum: inimicum hostis jurati conatum: Satanicarum fraudum apparatum. Dubia & periculosa est apud eum morbi cum sanitate commutatio. Nec à Magis fascini ablatio petenda est. Jure quidem civili id conceditur, non autem divino & Canonico. Casus tamen excipitur. pag. 974

CAPUT II.

An signa fascini liceat destruere? & negativæ & affirmativæ sententiæ Autores graves nominantur. Autor in affirmativam inclinat: Rationes pro affirmativa. Negativæ sententiæ rationes quædam solvuntur. Signa anxiè non sunt quærenda, ac si in eorum destructione spes sola sit collocanda. Fascinum etiam tollitur, signo non destructo. Anxia cura est diffidentiæ index. Signa casu inventa destruere licet. Exempla fascinorum, signo invento, repente sublatorum. Dei circa signi positionem & inventionem non sunt partes nullæ. pag. 978

CAPUT III.

Curatio magica etiam frivolis, superstitiosis & absurdis peragitur. Hæc curandi ratio etiam Ægyptiis fuit usitata, quorum Dii mali genii fuerunt. Cur laudata olim Ægyptiorum remedia hodie nihil valeant? Quomodo intelligendum illud, in verbis, herbis & lapidibus magna est virtus. De Scypho vitreo per certum humanæ vocis sonum rupto D. Morhofii relatio. Experimenti ratio in aëre fundatur:

datur: propterea vocis & verborum efficaciam non confirmat, nec Magos juvat. pag. 983

CAPUT IV.

Amuleta characteribus & verbis insignita superstitiosa sunt & magica remedia. Monstrosæ superstitionis paradigmata Papatus parit. Exempli loco producitur Crux, Numisma S. Patriarchæ Benedicti, cui vires supra modum superstitiosæ attribuuntur, id quod & Jesuita Kircherus agnoscit & fatetur. Amuleta duo è Baronio notantur. Naturalia quandoq; superstitiosis junguntur, ut hæc per illa excusari quodammodo queant. Nonnunquam sola naturalia Dæmon suadet, quæ tamen & ipsa absurda sunt ad effectum producendum, quod exemplo de lotio in Rege Therone confirmatur: & veterum herbæ multæ superstitionis saltem signa fuerunt, propterea voto hodie non respondent. Non tamen semper Magi superstitiosa & vana suadent ac usurpant. pag. 987

CAPUT V.

Maleficium maleficio non licet tollere: at de facto id frequenter fieri dolendum: sed falluntur iidem. Exemplum maleficii, dispensante Papa, sublati, in quo tres homicidas notat Bodinus. Quo animo hîc magica remedia tradantur. Medicastræ cujusdam methodus, qua in macie puerorum curanda utitur, examinatur. Experientia quatenus locum inveniat. Magicum ad incubum Dæmoniacum remedium, ut & futilia alia. Magica ad impotentiam conjugalem per fascinum inductam varia recensentur. Exempla maleficii maleficio vaccis ovibus illato oppositi. Lactis ablationem magicam stercore humano tollere, magicum non est. Sententia Augustini, in Deo, non in Dæmonibus salutem esse quærendam. pag. 992

QUÆSTIO UNICA.

An Transplantatio morborum ex uno subjecto in aliud sit Magica? pag. 1002

APPEN-

APPENDIX.

I.

Magnum esse ubique Dæmonum numerum. pag. 1049

II.

Magnum etiam Magorum & Magarum esse numerum. pag. 551

III.

Diabolum esse infestissimum Dei & humani generis hostem. pag. 1054

IV.

Diabolum Dei simiam esse. pag. 1056

ΘΕΟΣ!

ΘΕΟΣ! ΘΕΟΣ!

ITa laudatissimô Veterum sub rerum, quas aggrederentur, auspicium, velut bonæ scævæ gratia & celevsmatis instar exclamantium, Hesychiô & Eustathiô ad *Homeri Iliad. β.* testibus, exemplô nos quoque summum DEUM nostrarum de re, superstitionum, fraudumque infernalis Ducis astu concitatarum plenissimâ, Dissertationum constituimus initium: vel Ἰησοῦς! Ἰησοῦς! in cujus nomine omnia facere Apostolus sacrô DEI omnipotentis instinctu impulsus *Col. 3.* præcipit. Suam itaque Cyro tesseram, ζεὺς σύμμαχος καὶ ἡγεμών, *Juppiter auxiliaris & dux*, relinquimus. Nostra esto: Ἰησοῦς σύμμαχος καὶ ἡγεμών, *JESUS auxiliaris & dux*. JESUS ad dextram Patris sui cœlestis sedens victor gloriosissimus auxiliatrices potentissimasq; omnipræsens cunctis auxilium ardentissimâ mente implorantibus manus porrigit. JESUS Dux Serenissimus & Potentissimus errantibus & suô exemplô sanctissimô, & verbi divini face clarissimâ viam, quà pergendum sit, monstrat. Monstrat autem? imò sub vexillô divinæ Majestatis charactere conspicuo post actum ex inimicis nostris triumphum justissimum tutos, comitibusque, qui cœlites sunt, sanctissimis stipatos ad augustissimam Patris cœlestis, & clarissimam Veritatis sedem ducit. Sed suos ducit, fide scilicet in JESUM constantissimè perseverantes. Suâ verò culpâ pereunt, qui perditissimi Satanæ instinctum secuti in meridianâ veritatis Christianæ luce in devia abeunt, & sacramentum Stygio duci dicunt. Abeunt, quicunque superstitionibus & impietati, spretis religiosiùs sentientium monitis, animum securi aperiunt. Et quid mirum? Est quippe inanis, dolor! multorum persvasio, existimantium, modò in Ecclesiæ veræ, quæ Evangelica est, sinu velut in securitatis portu degant, se omne salutis punctum obtinuisse, qui tamen non advertunt, motô ab advenâ incolis bellô etiam in securitatis portu tranquillitatis serenitatem perire. Et sanè DEO in Ecclesiæ sinu movent bellum, quicunque ad superstitiones sanctissimo Numini semper abominabiles, & verissimæ do-

ctrinæ ſemper contrarias deflectunt. Apprimè, quod J. Lipſius *lib. 1. Monit. & Exempl. Polit. cap. 3.* tradit, jam ſuccurrit. Verba ipſiſſima, quia præliminari huic ſermoni quadrant, adducere placet: *Religio*, inquit, *igitur laudabilis, ſed ſita velut inter duos ſcopulos, ſuperſtitionem & impietatem, quem utrumq; ſvademus & opus eſt vitare. Subit miſerari humanam conditionem, ſive, ut Plutarchi verbis efferam*, ἀνθρωπίνην ἀσθένειαν, ὅρον οὐκ ἔχουσαν, ἀλλ᾽ ἐκφερομένην, ὅπου μὲν εἰς δεισιδαιμονίαν καὶ τῦφον, ὅπου δὲ εἰς ὀλιγωρίαν τῶν θείων καὶ περιφρόνησιν, humanam imbecillitatem, quæ finem aut modum non habet, ſed aliàs abripitur in ſuperſtitionem & vanitatem, aliàs in neglectum rerum divinarum aut contemtum. *O utraq; magna peſtis! Sed illa crebrior, hæc deterior: atq; illa Pietatis ipſa imagine ſe commendat. Sed imagine; neq; aliud eſt, quàm humanarum mentium ludibrium ſuperſtitio.* Quot ſuperſtitionum monſtra, quæ pagellæ noſtræ ſiſtunt, Faſcini opinio in animis credulorum peperit? ut & hîc miſeram illorum finem modumque neſcientium conditionem mirari ſubeat, eoque magis, cùm, quod de genere barbaricô, annotante ibi eod. Lipſiô, Plutarchus dixit, καὶ εὐάλωτον εἰς δεισιδαιμονίαν φύσει τὸ βαρβαρικὸν, *Pronum naturâ ad ſuperſtitionem genus barbaricũ*, de Chriſtianô idem ferè (ſed obſtat vox Natura) affirmare liceat. Tolle vocem iſtam, & ſermonem experientiæ, ſi modò hanc curioſiùs conſulas, non difformem eſſe, mecum affirmabis. Dolendũ certè in Chriſtianorum orbe tacitum cum infenſiſſimo DEI hominumq; hoſte per varia faſcini remedia, ne alia dicam, pactum frequentari, neque ſe frequentare multitudinis capita intelligere, neque, quod ex librô tum Scripturæ, tum Naturæ in contrarium ſolidè producitur, vel quæ ſubſint Satanæ fraudes, velle intelligere. Aſtutus ille animis in fide languidis verba ſacra pro remediis faſcino & malis aliis opponendis ipſe, ſed ad abuſum, ſubminiſtrat, quibus velut ſeſamô & papavere ineſcati in ſecuritatis ſomnum incidunt profundiſſimum. Omnia iſta majorem ex iis, quæ ad DEI in cœlis regnantis gloriam, & proximi in terris errantis commodum elaborata publicæ deinceps diſquiſitioni ſubmittemus, lucem accipient. Quod ut feliciter fiat, denuò exclamamus: Ἰησοῦς! Ἰησοῦς! Ethnicæ conſuetudinis fuiſſe, vota ſua & preces in tabellâ conſcriptas cerâ obſignare, atque ita Deorum ſtatuis affigere, annotat Scipio Gentilis *in Apolog. Apul. pag. 275.* Ego & votum & laborem meum in chartaceis his tabellis ſincerâ veritatis ſtudiô conſignabo, atque ita JESU CHRISTI ſtatuæ, h. e.

membris

membris ejus, nimirum discipulis nostris sanâ doctrinâ egentibus affigam. Tu verò JESU auxiliaris & dux potentissime, de Sanctuario tuo auxilium mitte, &, qui Spiritu tuo sanctissimo tuorum intellectum perficis, meum quoque hoc eodem, quæso, illumina, ut, quomodo latentem in Fascini opinione Charybdin, quæ multorum animos absorpsit, evitare queant incauti, dextrè edoceam, & Te Duce aliis in hoc fretô nataturis à periculosô flexu viam ad veritatis portum apertam monstrare queam. Fiat, ô JESU! fiat!

EXERCITATIO PRÆLIMINARIS
De Fascinatione in genere agit,
ejusque
Nomen, Descriptionem & Divisionem exhibet,

§. 1. JESU itaque auspice Tractationis nostræ naviculam mari immittentibus, & sub expansis velis pergentibus nobis ipsum Nomen, *Fascinum*, mox primô omnium locô spectandum occurrit. Superabimus hoc: siquidem ἀρχὴ παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις, *principium eruditionis est intelligentia verborum*, secundùm Socratem, qui, Xenophonte teste, disputationes à definitione vocularum inchoavit, qua intelligeretur, quid quæque significarent, id quod etiam Galenus *lib. 1. περὶ κράσεων cap. 7.* his præcipit: Χρὴ πρότερον ὑπὲρ τῶν ὀνομάτων διελέσθαι τῶν ἐμπίπτειν ἐξ ἀνάγκης μελλόντων εἰς τὸν ἐφεξῆς λόγον. *Decernere prius de nominibus oportet, quæ in habendo nobis sermone incident.*

§. 2. Natales autem vocis *Fascinatio*, *Fascinum*, variæ Autorum sententiæ obscurant; siquidem 1. à *Fasce* vel *Fasciis* natalia id trahere quibusdam videtur, quasi id genus incantationis vox significet, quod certis ligaturis, quas περιάμματα & περίαπτα Græci dixerunt, obligamenta Eutropius *lib. 3.* vocat, perficitur; aut quòd quasi ligentur ii, quos fascinum læsit, quia & Hebræi incantatorem vocant חֹבֵר q. *congregantem*, quòd magicis nexibus & adjurationibus congreget & societ animalia magna & parva, ne noxam ullam afferant; vel quòd ipse consortium cum Dæmone quærat; vel addat venenis verba non istis minùs metuenda, ut Dionys. Vossius *in notis ad R. Mos. Maimonidæ de Idololatr. lib. p. m. 77.* conjicit. 2. *à fando* Festus originem deducit, quam illa veterum persuasio, credenti-

dentium verbis, fando tum ab invidis malevolisque, imò & benevolis impensiùs laudantibus, tum à laudaturis fascini avertendi gratiâ factis invexisse videtur. Hæc derivationis ratio Germanicis etiam verbis, **beruffen/ beschreyen / verschreyen/** quæ fando à fascinatoribus fieri putantur, januam aperit. Verbum, **Beschreyen** tamen Germanis idem quandoque est, ac præcoci linguâ aliquid impensiùs, sine fascini quidem, attamen sub contrarii eventûs metu laudare. V. g. cum infans sine ploratu dies aliquot & noctes quietè traduxit, dicere solent: **Das Kind ist GOtt Lob froñ/doch will es ich nicht beschreyen/** i. e. **doch will ich nicht zu frühzeitig frolocken und es zu sehr loben/** quia nimirum contrarium facilè sequi & laudis summam evertere potest. 3. A Græcô βάσκανον Fascinum dictum putat Cloatius Verrius in libris, quos inscripsit verborum à Græcis tractorum, Aul. Gellio *lib. 16. cap. 12.* annotante, hujusque judicio commodè & conducenter; eamque sententiam longè simpliciorem veriorem que esse scribit Vossius *Lexic. Etymolog. pag. 205.* Facilis autem est B in F, & A in I transitus. Ita à βρέμω est *fremo*, à πατάνη *patina*, à κάτινος *catinus*; Scaliger *in fine conject. ad 5. Varron. de Lingu. Latin.* Βάσκανος autem à βασκαίνω *fascino, invideo, liveo*, venit, & βασκανία *fascinatio*, invidia est. Invidere quippe secundùm Ciceronem est nimis alterius bona intueri. Atqui & hoc fascinatores agunt. Βάσκανον φύσει τὸ αἰγυπτιακὸν καὶ τὰς τῶν ἑτέρων εὐπραγίας ἰδίας ὑπελάμβανον εἶτε κακοπραγίας. *Ægyptii rumpebantur invidiâ, quod ipsis est nativum vitium, & alienam felicitatem suum interpretabantur infortunium.* Philo *in Flaccum pag. 750.* Hinc ἀβασκάντως λέγειν est, cum votô aliquid boni dicere, ne propterea nobis alii invideant, & invidendo lædant. Sed unde βασκαίνω deducemus? Fortè, inquit Matth. Martinius *Lexic. Philolog. pag. 786.* est originis Chaldææ à פְּסַק *scindere, rumpere.* Eò enim ferè fascina referebantur, ut alienæ integritatis statum rumperent. Idem tamen præstare ait, vocem propiùs referre ad βάσκειν, quod Hesychius exponit non tantum πορεύεσθαι & ἀνίςασθαι (quando scilicet est à βάω, βαίνω) sed & λέγειν, κακολογεῖν *maledicere*: quum scilicet βάσκω est pro φάσκω, à φάω *loquor.* Fascinatio autem variè fiebat, gestibus oculorum, malâ linguâ &c. Scapula verò *Lex. Lat. Græc.* illud Grammaticis plerisque dici scribit quasi φάεσι καίνω, *luminibus*, h. e. oculis sive adspectu *occido.* Atque hæc Etymologia, quam etiam Etymologus & Theocriti Scholiastes tradunt, quia persuasione, quantumvis inani,

veterum

veterum nititur, nobis quoque arridet, quamvis ista primitivam vocis acceptionem, secundùm quam læsio etiam verbis facta intelligitur, exprimat.

§. 3. His autem natalibus ortum Nomen hoc variô *Homonymiæ* habitu indutum jam spectabimus; siquidem tessaræ instar est, quam in suis Medici & Philosophi aleis variè motam aliam atque aliam faciem exhibere norunt. Nam 1. Fascinatio pro *læsione* capitur, quam solo *visu* vel *laudatione* inferri superstitiosa antiquitas credidit, & cum vulgô multi etiamnum sibi persuadent. 2. Fascinatio est *vaporis virulenti à corpore noxio natura ab iis dissidente* ἀπόῤῥοια i. e. defluvium, ut ait Langius *lib. 2. Epist. Medic. pag. 723.* quamvis verba, quæ ibi subjungit, hanc cum præcedente acceptionem confundant, quo de infra. 3. Fascinatio *ludificationem sensuum* & læsionem à Magô per Dæmonem ex pactô cum eô illatam significat, & Magica audit. Adi Dn. D. Sennertum *lib. 6. Pr. Med. part. 9. cap. 1.* Ita verò Fascinatio pro actione, qua noxa infertur, & Fascinum pro actionis effectu capitur, quo sensu illi, qui noxam sustinet, fascinum tribuitur, & ablatâ noxâ fascinum ablatum esse dicitur. Sed hæc nominis ἀκρίβεια apud Autores non semper viget. 4. Fascini voce etiam veteres usi sunt pro *Veretro* & *Priapo*, quem eo nomine, quod grande αἰδοῖον haberet, pagana cœcitas coluit. Sic Enothea Priapi Sacerdos apud Petronium Encolpii adolescentuli pertentavit fascinum *tam rigidum reddere quàm cornu.* Ita quoque Horatius *8. Epod.*

Illiterati num minus nervi rigent?
Minusve languet fascinum?

Per fascinum virile membrum, quod fascia tegi solet sive campestribus, hîc intelligi Commentator & Cruquius dicunt. Fascinum autem vocarunt partem illam, quoniam fascinandis rebus hæc membri deformitas apponi fuit solita. Cœl. Rhodiginus *lib. 4. antiq. lection. cap. 6. pag. 123.* rationem nominis hujus veriorem ex historiâ eliciendam censet & ait: Lectum siquidem apud Varronem est, in Italiæ compitis Liberi Patris sacra solita celebrari tantâ turpitudinis licentiâ, ut in ejus honorem virilia colerentur pudenda, palam exultante nequitiâ. Nam Liberi membrum per dies festos magna celeritate plostellis per agros priùs, mox & in urbem vectabatur. Lavinii integer mensis Libero dicabatur. Quibus diebus unusquisque spurcissimis abutebatur verbis, donec per forum id

transveheretur membrum. Cui, inſpectantibus omnibus, matrem familiâs honeſtiſſimam coronam neceſſe erat imponere. Sic DEUS is propitiabatur ad ſeminum eventus, ſic ab agris Faſcinatio averruncabatur. Unde, opinor, turpi membro impoſitum nomen ab eo, quod præſtabat. *Hæc ille.* Vid. quoque Auguſtinus *lib. 6. de Civit. DEI, cap. 9. p. m. 356.* ex quo etiam Johannes Baptiſta Pius *Annotat. Poſterior. cap. 146.* apud Gruterum *Theſaur. Critic. tom. 1. p. 351.* deteſtandum iſtum veterum ritum refert. Huc ſunt, ſubdit, qui trahunt illa Epigrammatici verba:

Schemate nec dubio, ſed apertè nominat illam,
Quam recipit feſto menſe ſuperba Venus.

Cur autem ingenti Priapum mutone effinxerint, ejusque Faſcino inequitarint nupturæ, vide ſis apud Voſſium *de Orig. & progr. Idolol. edit. Amſtelodamenſ. in fol. tom 1. pag. 172. & tom. 2. pag. 182. 208.* 5. Faſcinum etiam *Artem Rhetoricam* vocarunt Lacedæmones, qui civitatem ſua oratores expuliſſe traduntur, eò quod præſtigiis orationis populum, quò vellent, pertraherent, & veluti faſcinarent. Adoleſcentem, qui ad diſcendam Rhetoricam Athenas conceſſerat, ablegarunt, adjectâ causâ, quòd rediret inſtructus arte Faſcinandi, annotante M. Georg. Draudio *ad C. Jul. Solin. memorab. part. 1. cap. 3. in fin.* 6. Faſcinum in genere dici poteſt omne, quod excellente in aliud agendi vi præditum illud ita quaſi cogit, ut non facilè aliò permoveatur. Sic Turnebus *Adverſ. lib. 20. cap. 35. Neſcio quomodo me effaſcinant libri antiqui, & ad inſaniam propè me adigunt.* Eundem ſenſum Viri longè Eloquentiſſimi Dn. Val. Thilonis, *mei quondam in Acad Regiomont. Patroni & Præceptoris honoratiſſimi*, verba *Panegyr. Academ. 1. pag. 23.* ferunt. *Neſcio*, inquit, *quo gratô quodam Faſcinô fiat, ut tam pertinaci pacis amore teneamur.* 7. Aliter vocem, Faſcinum, *in Theatr. Sympathetico aucto* Sylveſt. Rattray *adit. ad Sympath. & Antipath. p. 58.* & Helmontius *de Magnet. vuln. curat. p. 464.* accipiunt. Ille, convenientiam & diſconvenientiam inter Magnetiſmum, Electriciſmum, amorem & odium, faſcinum & ligationem, ſympathiam & antipathiam ibi exponens, dicit, Faſcinum fieri inter ea, quæ ſe mutuò amant vel oderunt. Cùm tamen ſecundùm communem de Faſcinô ſententiam Faſcinatio ibi etiam obtingat, ubi nec mutuus amor, nec odium mutuum viget: neque enim infans Faſcinatus Faſcinantem ſemper redamat vel odit. Helmontius, ut, quomodo Faſcinum à Sympathiâ, & utrumque

trumque à magnetismo distinguatur, doceat, sequens ponit exemplum. *Canis*, inquit, *antipathiam cum gallinâ habet, hanc nempe vorat ille, & hæc canem fugit. At ubi noviter pullos exclusit, hæc canem fugat, quamvis generosum, Fascino nempe animâ gallinæ canis animum ligante, non obstante antipathiâ priore, disparili armorum præsidio & robore inæquali, nunquam tamen in his magnetismus est.* Verùm præterquam quòd antipathiæ vox nimis amplietur, canem gallina, licet pro pullorum salute ex amore pugnans id conetur, non semper experientiâ teste fugat, sed contra ab iratô cane ipsa nonnunquam fugatur. Neque Gallinæ anima, cùm qualitatibus alteratricibus de se careat, animum canis ullô modô ligando Fascinare vel lædere potest, nisi terrorem alteri incussum inter Fascina contra communem sententiam abusivè referre velimus. 8. Aliam vocis Fascinum acceptionem legimus apud Petronium *lib. 2. Satyric.* ubi *Enothea scorteum Fascinum, ut oleô & minutô pipere atq; urticæ trito circumdedit semine, paulatim ano inseruisse dicitur.* Nonnulli equidem per scorteum Fascinum mentulam vel penem coriaceum, sive è coriô fabricatum hic intelligunt. Sed hos refutat Joh. Petr. Lotichius *Comm. in h. l.* & *glandem* potius vel *suppositorium* remedii genus in re Medicâ usitatissimum esse intelligendum, ex requisitis omnibus, quæ ad unguem usque sortitum fuerat istud remedii genus, quod Petronius scorteum Fascinum appellat, solidè probat.

§. 4. Ea verò significationis diversitas facit, ut, quamvis ultimas demas acceptiones, Catachresi & Metaphoricâ significatione conspicuas, priores tamen tres ob usûs diversitatem & vanitatem unâ falce ad unum Definitionis seu Descriptionis cumulum ægrè congeri queant. Tentabimus tamen, quod per artem non licet, & pro viribus qualem qualem colligemus. *Fascinatio est actio, quâ corpori noxa visu, verbis, contactu aut effluviis malis occultô modô agentibus per vim seu naturalem seu supernaturalem inferri putatur.* Singulis Descriptionis hujus verbis ut hoc in locô inhæreamus, eademque enucleemus, quia inferiùs docenda istis claritate suâ prælucebunt, operæ pretium est nullum.

§. 5. Ad Divisionem, præmissâ istâ, proniori jam pede tendimus. Dividitur à nonnullis Fascinatio in *Vulgarem* seu Poeticam, in *Philosophicam* seu Physicam, & in *superstitiosam* seu Dæmoniacam. Ita, Mart. Delrio *Disquis. Magic. lib. 3. part. 1. quæst. 4. Sect. 1. edit. Mogunt. 26.* Fr. Torre-

Torreblanca *Dæmonolog. lib. 2. cap. 27. pag. 327.* Rodericus à Castro *Medic. Politic. lib. 4. cap. 1. pag. 211.* Sennertus *l. c.* Henr. Nicolai *de Mag. Action. Exerc. 8. p. 184.* Sprengerus *Mallei Malefic. part. 1. quæst. 2. p. 29.* eam quoque divisionem, sed non satis apposité, tradit. *Fascinatio*, inquit, *capitur tripliciter: uno modò dicitur ludificatio sensuum, quæ fit per artem magicam &c. Secundo modo potest dici invidia, ut ibi Apostolus dixit: Quis vos fascinavit, i. e. tanto odio persecutus est. Tertiò, quod ex tali odio fiat immutatio ad malum in corpore alicujus per oculos alterius inspicientes eum.* Membrum quidem primum fascinationem Dæmoniacam, & tertium Poëticam exprimit, secundum verò verò Physicam minus dextrè; & sunt, quæ in ultimo desiderari possunt, ut patebit inferiùs. Paulus Zacchias *Quæst. Medico-legal. lib. 2. tit. 2. quæst. 13. num. 10.* ex Huchero tradit divisionem Fascinationis in *naturalem* vel *substantialem*, quæ ex contrarietate quadam ac idiosyncrasiâ naturali dependet; *in accidentalem*, quæ ex accidentali causâ, ut ex tetris ac malignis vaporibus originatur, & *in voluntariam*, quæ ex intuitu inimico cum odio, irâ, invidiâ aut malâ voluntate pullulat. Aliam fascinationis divisionem tradit Cardanus *lib. 1. de venen. cap. 17.* ubi tres fascini species supponit. 1. quæ à metu oritur, mala quæpiam timendo aut imaginando, 2. quæ à modo agendi, tractandi, percutiendi, aut intensiùs respiciendi, 3. quæ imaginibus fit & suffossis sub limine quibusdam rebus. De Fascino etiam Vairum & Guil. Perkinsum scripsisse dicunt alii: sed isti ad manus nostras non venerunt.

§. 6. Nos primam retinebimus Divisionem, quia Divisionis tenorem magis quàm reliquæ, quarum membra sibi invicem exactè non opponuntur, servare videtur. Ut verò, quod illius sit precium, constet, cuivis speciei suum dabimus locum, & singulis ἐπίκρισιν nostram subjiciemus, atque ad Lydium ex Philosophiæ fundo productum veritatis lapidem membra singula revocabimus.

LIBER

LIBER I.

De

FASCINATIONE VULGARI SEU POETICA,

PARS I.

SENTENTIAM DE FASCINATIONE VULGARI VULGAREM PROPONIT.

SECTIO I.

De

FASCINATIONE VISUALI.

CAPUT I.

Cur Poetica & vulgaris dicatur, exponitur. Fascinatio Visualis probari solet (1) Autoritate tum sacrâ tum profanâ. Loca Scripturæ enumerantur. Profani quidam scriptores citantur.

§. 1. Vulgaris & Poetica prima Fascinationis species salutatur. *Poetica* quidem, non quòd ψευδολόγους habeat autores vel favitores solos Poetas, qui, ut Aristoteles *lib. 4. Metaph. cap. 2.* loquitur. Κατὰ τὴν παροιμίαν πολλὰ ψεύδονται, *& ex libelli de moribus Catonis nomine inscripti lib. 3.*

--- miranda canunt, sed non credenda Poetæ.

Erasmus *Adag. pag. 1694.* cùm & Philosophorum nonnulli Fascinationis hujus fuerint Patroni: ne tangam ex Scholis Philosophorum Poetas ipsos

prodiisse, & Philosophiam per fabulas proposuisse, quo de eruditè M. Thurmius *in Disp. peculiari Lipsiæ habitâ*: sed quòd Poetarum doctrinam, quæ vulgi judicio figmentis simillima, referat. *Vulgaris*, quia vulgus illam antiquorum opinionem per manus quasi traditam etiamnum tuetur. Neque mirum, cùm vulgi cor cœcum, ingenium varium, judicium temerarium.

Τυφλὸν δ' ἔχει
ἦτορ ὅμιλος ἀνδρῶν ὁ πλεῖστος,

cæcum habet cor turba hominum maxima, ut ait Pindarus *Nemea od. 7. p. m. 281.* Fascinationem *vocalem* Germani, ut supra §. 2. vidimus, vocant das Beruffen / Beschreyen / Verschreyen. *Visualem* quo nomine exprimant, neque audivi, neque legi, nisi apud all. Bernh. Albrecht *Concion. de Sagis 4.* ubi ait: Zu solcher ihrer Beschädigung brauchen sie (die Hexen) mancherley Mittel. Entweder thun sie es mit dem Gesicht / wenn sie die Leute / sonderlich schwangere Frauen und kleine Kinder mit ihren feindseligen zornigen Augen starck anblicken. Dahero man sagt: Das Kind ist übersehen.

§. 2. Dari autem Fascinationem per Visum & Vocem, h.e. Visione seu aspectu fascinantis vel etiam solâ laudatione aliisque verbis, homines & animalia fascinari posse, operosè nonnulli probare laborant. Et quidem

§. 3. I. *Fascinationi, quæ Visu* fieri putatur, Autoritas, Ratio & Experientia succurrere videntur.

§. 4. (I.) *Autoritas* tum sacra tum profana est. *Sacra* Sacræ Scripturæ est. 1.) Deut. 28. v. 54. *Homo delicatus in te & luxuriosus valdè invidebit fratri suo & uxori, quæ cubat in sinu suo.* In textu habetur תֵּרַע עֵינוֹ, *malignabit oculo suo.* תֵּרַע est fut. Niph. à Rad. רָעַע malum esse vel videri. Sicut & Hiph. תֵּרַע *malum facere, malè agere, malè facere, malo aut damno afficere* notat. Hoc in loco fascinatio, quæ oculo fascinatore fit, apprimè videtur confirmari. Oculus enim fascinator is est, qui, quod intuetur damno afficit, quod cum Poetis vulgus queritur. Pagninus locum hunc ita vertit: *Viri teneri apud te, & delicati valdè malignus erit oculus in fratrem suum, & in uxorem sinus sui &c.* LXX. autem Interpp. sic habent: Ὁ ἁπαλὸς ἐν σοὶ καὶ ὁ τρυφερὸς σφόδρα βασκανεῖ τῷ ὀφθαλμῷ αὐτοῦ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ &c. *Fascinabit oculo suo fratrem suum*, cùm expressis verbis hîc dicatur, fascinatio, quæ visu fit, statuminatur,

§. 5. 2.) Sapient. 4. v. 12. Βασκανία γὰρ φαυλότητος ἀμαυροῖ τὰ καλά. *Fascinatio nugacitatis obscurat bona.* Ita quidem antiqua versio. Sed φαυλότης significat etiam *improbitatem, pravitatem*, nequitiam. Verbum ἀμαυρόω, *obscuro, ad nihilum redigo, exstinguo, infusco, labefacto*, significare Lexicographorum fide constat. Itaque si verborum, quæ sensûs omnis sunt incunabula, ductum sequi velimus, fascinatione visû improbi & pravi factâ labefactari bona & pulchra dicendum. Nam bonitatis & pulchritudinis laude præprimis quæ sunt conspicua, fascinationi sunt obnoxia. 3.) Ecclesiast. 14. v. 8. *Nequam est oculus invidi.* Ubi LXX. Interpp. ita: Πονηρὸς ὁ βασκαίνων ἰδίῳ ὀφθαλμῷ, quæ certè verba oculum fascinatorem pariter produnt.

§. 5. 4.) Paulus ad *Galat. 3. v. 1.* scribit: Ω ἀνόητοι Γαλάται τίς ὑμᾶς ἐβάσκανε τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι. *O stulti Galatæ, quis vos fascinavit, ut non crederetis veritati?* De oculo invidente Chrysostomus h. l. intellexit. Sed in universum puto accipi posse de fascinatione, quæ & oculô, & malâ linguâ, & præstigiis fieri solebat, scribit Ursinus *Analect. Sacror. lib. 3. pag. 300.* Quamvis postea de præstigiis μεταφορὰν ferè malit explicare, quibus & visum & sensum communem solent mali artifices corrumpere, ut fascinatus putet se videre, quæ tamen non sunt.

§. 6. *Profana* est Aristotelis, Æliani, Plutarchi, Plinii, Virgilii, Ovidii, &, quos isti in opinionis societatem traxerunt, plurium aliorum. Aristotelem *Sect. 20. probl. 34.* cum quærit: Qua de causâ ruta βασκανίας remedium dicatur? fascinum supponere videmus. Ælianus *lib. 1. de Animal. cap. 35.* περὶ βασκανίας varia fascinationum remedia, quibus aves fascinantium oculos cavent, recitat. Plutarcho in scenam prodeunti infrà vacivas dabimus aures. Plinius *lib. 7. Nat. Hist. cap. 2. In eâdem Africâ*, inquit, *familias quasdam effascinantium, Isigonus & Nymphodorus tradunt, quarum laudatione intereant probata, arescant arbores, emoriantur infantes. Esse ejusdem generis in Triballis & Illyriis, adjicit & Isigonus, qui visu quoque effascinent, interimantque quos diutiùs intueantur, iratis præcipuè oculis: quod eorum malum præcipuè sentire puberes. Notabilius esse, quòd pupillas binas in singulis oculis habeant. Hujus generis & fœminas in Scythia, quæ vocantur Bithyæ, prodit Apollonides, Philarchus, & in Ponto Thibiorum genus, multosque alios ejusdem naturæ, quorum notas tradit in altero oculo geminam pupillam, in altero equi effigiem.* Et paulò

post, fœminas omnes ubique visu nocere, quæ duplices pupillas habent, ait. Quo de etiam Ovidius *lib. 1. Amor. Eclog. 8.*

--- --- *oculis quoq; pupula duplex*
Fulminat, & geminum lumen ab orbe venit.

Telchinas quoque Rhodi insulæ populos visu omnia vitiare idem *7. Metamorph. v. 364.* prodidit hisce:

Phœbeamq; Rhodon & Ialysios Telchinas,
Quorum oculos ipso vitiantes omnia visu
Jupiter exosus fraternis subdidit undis.

Virgilius *Eclog. 3.*

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

De oculo fascinante loquitur etiam Horatius *lib. 1. Epist. 14.*

Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam
Limat; non odio obscuro morsuq; venenat.

Solinus quoque ex Apollonidis auctoritate refert, fuisse in Tartariâ mulieres, quæ visu præsertim iratæ interficerent eos, in quos attentius conspexissent, & in Hispaniâ etiam quibusdam in locis familias esse scribit Covaruvias, quæ nocendi infamiâ maximè notentur. Gasp. à Reies *Elys. jucund, quæst. camp. q. 24. n. 3. & q. 63. n. 22.*

§. 7. Avicennæ ex regiâ, ut ferunt, Cordubensium Principum stirpe oriundi, Medici celeberrimi, Cornelii Agrippæ & aliorum verba discursus noster infrà dabit. Veteribus istis A. Gellius (seu, ut Lipsius *lib. 4. Epistolic. quæst. 8,* eum vocat, Agellius) quoque erat jungendus, & cùm *l. 9. c. 4* habeat, quæ legi merentur, audiendus. Scribit autem se in portu Brundusii inclyto libros venales Græcos plurimos ære pauco emisse, & quidem scriptores veteres non parvæ autoritatis, qui fuerunt Aristæas, Proconnesius & Isigonus Nicæensis, & Ctesias, & Onesicritus, & Polystephanus & Hegesias. Id, inquit, in iisdem libris scriptum offendimus, quod postea quoque in lib. Plinii Secundi naturalis historiæ septimo legimus, esse quasdam in terrâ Africâ familias hominum, voce atque linguâ effascinantium: qui si impensiùs fortè laudaverint pulchras arbores, segetes lætiores, infantes amœniores, egregios equos, pecudes pastu atque cultu opimas, emoriantur repentè hæc omnia nulli aliæ causæ obnoxia. Oculis quoque exitialem fascinationem fieri in iisdem libris scriptum est: traditurque esse homines in Illyriis, qui interimant videndo, quos diutius

irati viderint: eosque ipsos mares fœminasque, qui visu tam nocenti sunt, pupillas in singulis oculis binas habere.

CAPUT II.

(II.) *Ad Rationes, quæ pro Fascinatione visuali proferri solent, fit progressus. Prima & præcipua à visionis modo, quem veteres Platonici oculis inesse statuerunt, petitur. Lumen & radios oculis inesse, radiosq; in invidiâ & irâ vitiari ex eorum sententiâ ostenditur, istorumq; affectuum natura traditur.*

§. 1. PRo Fascinatione visuali (II.) *Rationes* plures, sed diversissimi valoris, solent afferri, quarum tamen maximam partem eos, qui, rejectâ hac, naturalem fascinationem admittunt, sibi vendicare, hic ipse liber, & qui sequitur, docebit. I. Præcipuam & quæ vulgi errori primam dederit occasionem & originem eam esse conjicimus, quòd visionem luminis seu radiorum ex oculis ad objecta ejaculatione fieri jam olim Plato ejusque asseclæ, & qui in horum sententiam descenderunt, statuerint, ut apud Cœl. Rhodiginum *lect. antiq. cap. 2. & 3. p. m. 548.* videre est. Inde si radii oculorum sunt vitiosi, objecta à vitiosis radiis affici, visuque lædi seu fascinari posse, facilè illis fuit colligere. Istud autem Plato in Timæo p. m. 1056. expressissimis verbis prodidit: τῶν δὲ ὀργάνων πρῶτον μὲν φωσφόρα συνεκτήναντο ὄμματα, τοιᾷδε ἐνδήσαντες αἰτίᾳ. τοῦ πυρὸς ὅσον τὸ μὲν κάειν οὐκ ἔσχε, τὸ δὲ παρέχειν φῶς ἥμερον, οἰκεῖον ἑκάστης ἡμέρας, σῶμα ἐμηχανήσαντο γίγνεσθαι; τὸ γὰρ ἐντὸς ἡμῶν ἀδελφὸν ὂν τούτου πῦρ εἰλικρινὲς, ἐποίησαν διὰ τῶν ὀμμάτων ῥεῖν λεῖον καὶ πυκνὸν, ὅλον μὲν, μάλιστα δὲ τὸ μέσον ξυμπιλήσαντες τῶν ὀμμάτων, &c. h. e. interprete Marsil. Ficino: *Sed ex omnibus faciei partibus primi luciferi oculorum orbes coruscant, hac causa dati. Ignis certè illius, qui non urit quidem, sed illuminando suaviter diem invehit mundo participes oculorum orbes dii fecerunt. Intimum siquidem nostri corporis ignem hujus ignis germanum syncerumq; per oculos emanare voluerunt, in quibus levis congestusq; ubique ignis hujusmodi sit, sed per eorum duntaxat solidiorem angustamq; medietatem ignis purior evolet, crassior verò cohibeatur. Itaq; cum diurnum lumen applicat se visûs radio, tunc ea duo inter se similia concurrentia atque commixta, quò oculorum acies diriguntur, ibi in unius jam domestici corporis cohærent speciem, ubicunq; videlicet tam intimi quàm externi luminis fit concursus. Totum igitur hoc propter similitudinem pas-*

 sionem

sionem eandem sortitum, cum quid aliud tangit, vel ipsum ab alio tangitur, motum hujusmodi ad corpus omne, perq; id ad animam usq; diffundens sensum efficit, qui visus vocatur. At postquam in noctem discesserit cognatus ignis, visionis radius evanescit. Videatur & Ficinus ipse *Comment. in Conviv. Platon. Orat. 7. cap. 4.* Chrysippus quoque apud Plutarchum *IV. de placitis Philos. cap. 15.* his conformia tradit, dicens: Προέχονται ἐκ τῆς ὄψεως ἀκτῖνες πύρειναι *profunduntur ex oculo radii ignei.* Germani etiam hanc radiorum evibrationē præsertim in torvo & irato vultu conspicuam his exprimunt: Er sihet mich an/ als wolt er mich mit den Augen durchstechen.

§. 2. Lumen autem aliquod oculis inesse fidem faciunt multa. Noctu, quòd copiosius lumen haberent, omnia viderunt Tiberius Cæsar, Asclepiodorus Philosophus, Cardanus, Jul. Cæsar. Scaliger, Cœl. Rhodiginus & alii. Tam lucidos Augustus Cæsar habuisse fertur oculos, ut in quos paulò attentiùs oculos intuitu defixisset, hos tanquam ad Solis fulgorem oculos connivere cogeret. In ultimâ terra, cui Albaniæ nomen est, incolas in pueritiâ canescere, & noctu acutius, quàm interdiu, cernere, Gellius l. c. habet. Experientia pro Platonicis surgit hæc: θλιβομένου γὰρ καὶ κινομένου τοῦ ὀφθαλμοῦ φαίνεται πῦρ ἔκλαμπον, *cum constringitur & movetur oculus, videtur ignis lucere*, inquit Aristoteles *lib. de sensu & sensili cap. 2.* ubi contra Platonem concertatione assurgit. Atque hoc argumentum Excell. Dn. D. Bartholinus Præceptor quondam meus honoratissimus in exasciatô suo *de Luce Hominum & Brutor. Tract. lib. 1. cap. 14. & 15.* fusè persequitur. Hîc nonnulla alia, quæ ibi non occurrunt, præsentis argumenti gratia adducuntur. Olaus apud Majolum tom. 1. dier. canicular. *pag. 84.* in Aquilonaribus regiōnibus homines nonnullos reperiri testatur, quibus tanta acies visiva sit, ut noctu omnia videant atque internoscant. Phil. Salmuth *cent. 1. obs. Med. 58.* scribit, se virum novisse, cui, quò magis sobrietati studuit, eò frequentiùs per noctem à primò vel secundô somnô hoc evenit, ut, quoties oculos aperuit, toties frusta quasi ignis ex oculis eruperint, ita quidem, ut lectum, vestes & alia viciniora agnoscere potuerit. Literatus quidam, quod observatione istam præcedente notat idem, si inebrio genio indulsisset, percoctâ quodammodo crapulâ, quoties nares interdiu emunxit, totū ambientem aerem scintilllis refertum vidit, & quidem summâ cum molestiâ, cum per quartam partem quadrantis horæ pro unâ vice molestia illa perduraverit, quippe aliis

quasi

quasi objectis tum obliteratis. Consumtâ verò planè crapulâ rectus sensuum usus rediit. Malacca homines Hollandis filii de Kackerlack dictos sustentat, quibus obtusa interdiu est oculorum acies, sed noctu & in tenebricosis locis acuta, ut propterea negatam de die, quem quieti & somno consecrant, mercaturam noctu faciant, fila torqueant, & ad sueta sole occaso (loqui ita mihi autoritate Legum XII. Tab. liceat) mox in crepusculô redeant. Hoc Erasmus Francisci, Vir politioris doctrinæ, in speculô suo politissimô prudenti industriâ elaborato, sive, ut ipse inscripsit, **im ausländischen Kunst und Sitten-Spiegel** pag. 759. **aus Jurgen Andersen Orientalischen Reisbeschreibungen** recitat. Adi præter Celeberrimum Bartholinum, Elegantissimum Vossium *de Idolol. tom. 1. p. m. 426.* ubi credibile censet, in vulgo sic affectos esse non paucos, utcunque ipsi ea, ferè de ventre duntaxat solliciti, negligant referre, vel saltem ista non perveniant ad aures eruditiorum, quibus ferè placet illud, *Odi profanum vulgus & arceo :* Gasp. Schottum *Physic. curios. pag. 564. & 1434.* Goth. **Voigt in** Physicali**schen Zeit Vertreiber** *cent. 2. quæst. 65.*

§. 3. Lumen hoc pro affectuum varietate in ipsâ etiam oculorũ superficie variat. *Gaudente* animo gratũ cum gratiâ splendorem oculi emittunt, quẽ amittunt, *mærore* pectus pungente, motusq; tarditate suum produnt languorem spirituumque torporem. Invalescente *metu* sub palpebris turbidi refugium quærunt. *Irâ* effervescente sub rubore vigorem cum lumine abundantiore igneum acquirunt, qui *in mansuetudine* remittit. Mente *cogitationibus* pressâ hærent & sub modicô lumine quiescunt. *Invidiâ* si animus cruciatur, torvum characterem quasi internâ vi coacti cum lumine sat copioso exprimunt. Internum verò lumen seu radii naturalem dispositionem servantes læsionis culpam non merentur : sed si vitiosi sunt, quod ab oculis manantes attingant, afficere credunt. Vitium in corporibus vitiosis animo affectuum, præsertim Invidiæ Iræque, Auctibus turbato contrahere non humores tantum ; sed & ipsos, quibus vitæ thesaurum Natura concredidit, Spiritus, licet subtilissimi sint, testatur celeberrimus Ienensium Æsculapius Dn. D. Rolfinck *Medicin. Special. lib. 2. sect. 3. cap. 3. Morbosâ*, inquit, *dispositione Spiritus inquinari simile vero, tum illos, qui sanguini juncti á tenuiore ejusdem parte realiter non distinguuntur, tum illum, qui in medullosâ cerebri substantiâ ex arteriosô sanguine productus animalibus inservit functionibus.* Alia Ratio succurrit, siqui-

ſiquidem Spiritus ſubſtantias mixtas eſſe cum Kypero *Medicin. contract. pag. 367.* ſalvâ doctiſſimorum Virorum illos ſimplices eſſe pronunciantium autoritate, affirmare licet. Radix autem corruptionis mixta materia eſt.

§. 4. *Invidia* cœcis ignibus μᾶλλον δαπανῶν τὴν καρδίαν, ἢ ὁ ἰὸς τὸν σίδηρον, ut loquitur Froſſardus *lib. 1. magis conſumens cor quàm rubigo ferrum*, hoc ipſo malum corpori inducit ſtatum, & ut M. Palingenius canit:

--- --- improba peſtis
Diffundens ſeſe totos contaminat artus,
Præſertimq; oculos angit.

Ira, ſecundum Plutarchum, τῶν παθῶν πανσπερμία, ut omnium animi perturbationum, etiam invidiæ ſemina, in eam confluant, humores & Spiritus turbat, exagitat & depravat. Itaque lumen, radii ſeu Spiritus characterem qualitatis iniquioris ſibi à corpore vitioſo impreſſum inde ad objectum ferunt, idque cum ſubtiles, agiles & maximè penetrantes ſint, ſubeunt, immutant ſeu faſcinant. Cùm Spiritus Faſcini vehicula tam confertim ad oculos confluant, & in objecta ejaculentur, ſi ex impurô ſanguine procreati fuerunt, nihil certè mirum eſt, homines effaſcinari, inquit Langius *lib. 2. Epiſt. Medic. 36.* Tantam autem Invidiæ ad nocendum vim antiqui putarunt, ut eam ſolâ voluntate & ipſo afflatu ac contagione maleficam & venenatam eſſe, & hominibus, quibus malè vellet, graviter obeſſe cenſuerint, Turnebo *lib. 9. cap. 28. pag. 280.* annotante. Ovidius quoque in Invidiæ Deſcriptione, quam 2. Metam. tradit, malum Invidorum ſtatum indigitat, quando canit:

Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto,
Nusquam recta acies, livent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno,
Riſus abeſt, niſi quem viſi movêre dolores.
Nec fruitur ſomno, vigilantibus excita curis:
Sed videt ingratos, intabeſcitq; videndo
Succeſſus hominum.

§. 5. Invidia malum cum ſit commune, frequentem eſſe Faſcinationem quis mirabitur? Τίς οὐκ οἶδε τῶν πάντων, ὅτι τοῖς μὲν ζῶσι πᾶσιν ὕπεστί τις ἢ πλείων, ἢ ἐλάττων φθόνος. *Quis omnium mortalium neſcit vivos omnes invidiâ*

dia aliqua laborare, alios majore, alios minore? inquit Demosthenes *pro Ctesiphonte.* Cùm ergò, ut ostensum, à Spiritibus visivis noxiâ qualitate præditis visibilia objecta lædi queant, eadem ita Fascinari, atque adeò Fascinationem, quæ Visu fiat, dari arguunt.

CAPUT III.

Secunda pro Fascinatione visuali Ratio à mulieribus menstruatis visu Specula inficientibus petitur. Tertia ab Amore. Quarta à Basilisci (cujus etiam exemplum recitatur) visu maligno, & Lupi hominibus raucedinem inferentis noxio. Quinta à Charadrio Ave visu sanitatem ictericis restituente. Sexta à Lippientibus visu similem affectum proximo inferentibus.

§. 1. RAtio II. pro Fascinatione Visuali hæc est: Si mulieres menstruatæ lucidissima Specula, quæ inspiciunt, inquinant, sequitur visu fieri posse Fascinationem. Atqui illud Aristoteles *lib. de insomn. cap. 2.* tradit. *In Speculis*, inquit, *valde nitidis cum menstruis advenientibus mulieres inspiciunt in Speculum, fit superficies speculi, ut nubes sanguinea.* Caussam ibidem subjungit, quoniam non solùm visus patitur aliquid ab aëre, ἀλλὰ καὶ ποιεῖ τι καὶ κινεῖ, *sed & facit aliquid & movet.* Plinius quoque *lib. 7. cap. 15.* scribit, menstruo laborantium superventu acescere musta, flaccescere tactas fruges, mori insita, exuri hortorum germina, & fructus arborum, speculorum fulgorem ipso aspectu hebetari. Pet. Texera, citante Casp. à Reies *Quæst. 54 n. 13.* Goæ arborem vidit, in horto cujusdam vicini pulcherrimam, quæ brevi tempore exsiccata fuit, ex eo solùm, quia in illâ lintea sanguine menstruo infecta suspenderentur. Quin & lapidem bezoar magnæ virtutis & pretii ab ancillâ menstruatâ manu leviter tractatum statim dissolutum fuisse ait. Chirurgos propterea à vulnerum conspectu & linteorum contactu menstruatas fœminas arcere, vulgo etiam notum est. Ea cum sit malitia Sanguinis menstrui, oculorum aciem indequoque inquinari posse existimant.

§. 2. III. Amor ex aspectu mutuo conciliatus opinioni patrocinatur: quo de Marsil. Ficinum *Comment. in Platon. conviv. cap. 4.* quod inscribitur: *Amor vulgaris est Fascinatio quædam*, loquentem audiemus: *Quid mirum, si patefactus oculus & intentus in aliquem radiorum suorum*

aculeos in adstantes oculos jaculatur, atque etiam cum aculeis istis, qui Spirituum vehicula sunt, sanguineum illum vaporem, quem Spiritum nuncupamus, intendit? Hinc virulentus aculeus transverberat oculos: cumque à corde percutientis mittatur, hominis perculsi præcordia, quasi regionem propriam repetit, cor vulnerat, inque ejus duriori dorso hebescit, reditque in Sanguinem. Valleriola *Obs. 7. lib. 2.* posteriora hæc verba ita exponit: *Hic Spiritus incensus, & jam amatæ rei specie agitatus cor exagitat, inflammat, uritque nimiô motu, atque caloris æstu, dum vehementer potiri re amatâ amans desiderat, dumque vicissim illa nitentes in illum oculos convertit, adeòque mutuo aspectu amantes visorios utrinque manantes radios complicant & commiscent, annon aspectu amatorio præcordia spiritali telo vigent, & unà cum aspectu mutuô alter alterius amorem combibet?* Hæc Apulei exemplo, quod Marsilius ibi ponit, confirmari dixerint. *Causa*, inquit, *omnis & origo præsentis hujus doloris etiam medela ipsa & salus unica mihi tute ipse es. Isti enim tui oculi per meos oculos ad intima delapsi præcordia acerrimum meis medullis commovent incendium.* Tale incendium sensit juvenis ille, cujus Cornax Medicus *lib. 1. consult. cap. 3.* ut testis oculatus mentionem facit. Huic, cum insanus præ amore nobili & honestæ cuidam fœminæ, cujus nuptias ambiebat, temporisque progressu consecutus est, assideret, & cum eâ in prandio verba misceret, vena in temporibus prope aures sponte est aperta, & copiosus profluxit sanguis, quem strophiolô compescere conatus est. Vid. quoque Plutarchus *l. 5. Symposiac. quæst. 7.* Joh. Baptista Porta *Mag. Nat. lib. 8. cap. 14.*

§. 3. IV. Basiliscus visu & alios & seipsum fascinat. Aspectu enim venenum excitat, & radiis virulentos infigit ictus, cum speculo autem reciproco jaculatu in sui authorem retorquentur, verba sunt J. B. Portæ *l. c. p. 157.* aliorum, quos apud Gesnerum *lib. 5. de Serpent.* legere est, sententiæ conformia. Confirmare ea videtur Basiliscus ille, cujus historiam è J. Pincier prolixè recitat Sennertus *Nat. Scient. l. 7. cap. 10.* quem Warsoviæ in Poloniâ A. 1587. quidam mortis candidatus coriô toto corpore indutus & speculis undique munitus cum duobus perspicillis, quibus oculi fuerant obligati, unâ manu ferreum rutabulum, alterâ facem ardentem tenens in cellâ exanimatum invenit, reciprocâ scilicet in Speculis sui imagine fascinatum & peremtum. Plinius *lib. 8. cap. 21.* narrat esse apud Hesperios Æthiopas fontem, Nigris nomine, ut plerique existimarunt.

Juxta hunc, ait, fera appellatur Catoblepas, modica alioquin, cæterisque membris iners, caput tantum grave ægrè ferens: id dejectum semper in terram, aliàs internecio humani generis, omnibus, qui oculos ejus vidére, confestim expirantibus. Fracastorius *lib. 1. Antipath. cap. 1.* catoblepam hominem ad mille passus conspectum interficere ait. A Lupo quoque hominem prævisum raucum fieri, quin & obmutescere, & contra, si homo prius lupum conspexerit, eum elinguem fieri, persuasum fuit antiquis. Plinius *lib. 8. cap. 22.* ait: In Italiâ quoque creditur luporum visus esse noxius: vocemque homini, quem priores contemplentur, adimere ad præsens. Ita Lupos, quod Mœrim priores vidissent, vocis facultatem ei eripuisse scribit Virgilius *Eclog. 9.*

Nunc oblita mihi tot carmina: vox quoque Mœrim
Jam fugit ipsa: lupi Mœrim videre priores.

Ubi Servius addit: *Hoc etiam Physici confirmant, quod voce deseratur is, quem prior viderit Lupus. Unde etiam Proverbium hoc natum est: Lupus est in fabulâ. Quoties supervenit ille, de quo loquuntur, & nobis sui præsentiâ amputat facultatem loquendi.* Mantis, locustæ genus, quæ in stipulis enascitur, si quod inspexerit animal, protinus illi quippiam producit mali. Hinc Proverbium: *Mantis te vidit.* Cœlius Rhodiginus *antiq. lection. lib. 30. cap. 22.* Quæ omnia jam adducta, mirum quantum fascini possibilitatem adstruere, putantur.

§. 4. V. Si visu in objectum certum fixo Sanitas potest conciliari, sequitur multò magis læsionem seu fascinationem posse aspectu inferri. Prius verum esse probari potest exemplô Charadrii avis, quæ & Galgalus, Galbala dicitur, de quâ Ælianus *lib. 17. de animal.* hoc prodit: (*Charadrius avis eximiô naturæ beneficiô affecta est, nam si quis ictericus acerrimè in eam intuetur, illa contra oculis fixis, tanquam vicissim ei succensens respiciat, sic affectum hominem suo obtutu ad Sanitatem reducit.* Cùm ergò visu sanitatem icterico avis paret, quantò magis homo visu morbum inferet & fascinabit, siquidem læsio in rebus ad interitum sua naturâ pronis faciliùs, quàm redintegratio procurari potest. Eadem avis secundum Heliodorum *lib. 3. Histor. Æthiop.* ictericum intuentem refugit & aversatur oculis connivens, non propter invidiam remedii, ut quidam volunt, sed quia contagione se affici sentit transeunte in ipsum per obtutum alterius affectionis ceu fluxu quodam. Plutarcho *lib. 5.*

Symposiac. cap. 7. idem est traditum. Referunt insuper autores, sub velamine, ne antè remedii particeps fieret licitator, quàm emeret, venditionem fuisse factam: atque inde adagium in eos, qui rem utilem celant, natum: *Charadrii æmulus.*

§. 5. VI. Lippitudine qui laborant, oculorum intuitu & radio similem alterius respicientis oculis affectionem imprimunt, quia radius emissus ab oculis vaporem secum spiritualem noxiâ qualitate præditum vehit. Hinc illud Poetæ *lib. 2. de remed. Amor. v. 219.*

Dum spectant oculi læsos, læduntur & ipsi:
Multaque corporibus transitione nocent.

CAPUT IV.

Tandem (III.) *Experientia, quam nonnulli se habere jactant, pro confirmatione visualis fascinationis subjungitur.*

§. 1. HIs Rationum momentis (III.) *Experientiam* jungunt. Expertum sæpius esse opponunt, homines, qui pancraticè vixerant, cum à vetula, vel alio quopiam fascinandi virtute prædito fuissent conspecti, subitò in morbos incidisse. Joannes Idelphonsus apud Gutierrium *dub. 3. num. 29. pag. 37.* urget 1. hoc, quia sæpe homines, mulieres vel pueri visuntur, usque adeò manè consumpti, ut de eorum vitâ summum possit haberi discrimen; quibus tamen nec Doctorum Medicorum cura profuit, neque remedia, ut par erat, debitè adhibita satis fuerunt, sed potius perseverante affectu, imò ingravescente sæpiùs ad vetularum suffitus Psalmistarum seu Empsalmistarum orationes & signacula, accedendo ipsos ægrotos, Pancreaticè exinde habere animadversum est. Et paulò post: Sæpe etiam expertum esse ait, certos homines inveniri, in quibus habitus ille Athletarum nequaquam inest, qui tamen, cum vetula (de qua non levem de fascinatrice lue suspicionem vulgus habet) malâ eorum sorte intuetur, in morbos incidunt, in capitis ingentes gravitates, dolores ac cruciatus, ciborum aversionem ac febres. Idem testatur memoriæ fide omni dignæ proditum esse, inventos fuisse, qui ubi attentâ mente marmora aspicerent, dextrâ formâ ac speciosâ elaborata, illicò illa in partes divisa admirationi adspicientibus maximè fuisse. Atque hoc de lapide Gagate expertum sæpe haberi, dum ad infantium collum aut humeros sub ficæ forma in fascini tutamen advehitur, notat. Notissimam, ait, esse

historiam

historiam cujusdam Valentini Equitis, qui, cùm ex gravi morbo convaluisset, patinas in mensâ appositas solo aspectu in partes subitò divisit, visivæ solùm actionis virtute novitatem admirandam inferens. Insuper jurejurando affirmat, se observasse, quendam convalescentem, cùm à mulierculâ de vi fascinandi suspectâ aspiceretur, illicò in cibi fastidium & alia ferè lethalia accidentia incidisse, nec ab illis liberari potuisse, nisi per antidota ad fascinum adhiberi solita: alium verò, & quidem honorificum quendam Sacerdotem ex gravi ægritudine adeò impurum ac infectum fuisse, ut omnes sibi approximantes, nisi robustæ fuerint complexionis, statim malô affectu infecerit.

§. 2. Hetrusum oculis fascinantem senem Marcus Hieronymus Vida *lib. 2. Bombyc.* sequentibus versibus inducit:

Quandoquidem memini Tusci altâ in rupe Viterbi
Ipse senem vidisse ferum, cui dira rigebant
Ora, gravesq; oculi, suffecti sanguine circum,
Fronsq; obscena situ, hirtiq; in vertice cani.
Ille truci (scelus!) obtutu genus omne necabat
Reptantum, teneras animas, parvasq; volantes.
Quin etiam, si quando hortos ingressus, ubi annus
Exuit expleto turpem novus orbe senectam,
Floribus & passim per agros incanuit arbor,
Ille hortis stragem dedit, arboribusq; ruinam,
Spemq; anni agricolæ mæsti flevere caducam.
Nam, quocunq; aciem horribilem intendisset, ibi omnes
Cernere erat subitò afflatos langvescere flores.

§. 3. Zeilerus in der Reis-Beschreibung durch Hispanien *cap. 2. pag. 314.* exemplum Excellentissimi cujusdam Baronis, à Gubernatoris civitatis Gibraltar uxore fascinati, verbis Germanicis, hîc in Latinum translatis, recitat. Germanorum Nobilium iter facientium societatem præsentem ubi intellexit illa, ut illorum convivandi rationem, si grave non foret, coràm intuendi sibi daretur venia petiit. Qua impetratâ magno stipata comitatu accessit, & ad contubernii januam pedem figens, moram sat longam ibi traxit. Domum verò reversa è Gynæceô quandam illicò hoc instructam nuncio remisit, illum ipsum Dominum, quem ad mensam è regione accumbentem fixis oculis respexisset, certò certiùs in gravem

 morbum

morbum delapsurum, ni suffitum è pulvere transmisso (fuerat ille è rore-marino paratus) sibi pararet. Quamvis verò risum hoc sodalibus moverit, subitò tamen ille morbum incidit gravissimum, ita ut reliquorum suasu ancilla demum eum suffumigaret, ipse verò nullum sanitatis incommodum ex hoc deinceps sentiret. Neque mirum fuisse subdit Zeilerus, quòd paucos formæ gratiâ sibi similes habuerit Baro.

§. 4. Itaque an & quomodo visu fascinatio fiat, ex his, quas posuimus, rationibus & experimentis, præsertim primâ ob id fusiùs expositâ, elucere colligi posset. Difficiliùs verò & majori labore se expedire conatur verbalis cohors verbis inhærens, quomodo verbis fascinatio fieri queat? Ad hanc jam tendimus.

SECTIO II.

De FASCINATIONE VOCALI.

CAPUT I.

Post transitionem (1) Autoritas, quæ opponitur, tum sacra tum profana adducitur. Loca Scripturæ pariter recensentur: item profani nonnulli citantur Autores. Incantare quid? Empsalmistæ. Salomon incantationes composuit. Poetæ carminibus multum tribuerunt. Thessalæ voces & Thyesteæ preces quid? Paracelsus verborum & characterum Patronus. Exempla brutorum incantatorum.

§. 1. Oculos ergò claudimus, & ori curiosiùs attendimus, præprimis, quia verba potius, quàm visu fascinationem fieri, & ad eam inducendam ista naturali facultate pollere vulgo est persuasum, id quod trita vox ex tempore de infante in deteriorem statum delapsô data **vielleicht ists beschrien worden/** prodit.

§. 2. II. *Fascinationem per Vocem* dari & verba vires naturales habere, Autoritate, Ratione & Experientiâ pariter confirmare laborant. Loquuntur autem de λόγῳ προφορικῷ seu verbis ore pronunciatis, non manu scriptis. Scriptis enim verbis fascinationem (Magicam hîc excipio) fieri nec à vulgo audimus, nec apud Autores legimus.

§. 3. (I.)

§. 3. (I.) *Autoritatem* itidem tum ſacram, tum profanam opponunt. *Sacram* 1.) *Pſalmus 58.* ſubminiſtrat, ubi Regius Propheta David ita loquitur: *Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantium & venefici incantantis ſapienter.* Incantatio autem ἐπωδὴ carminibus & verbis conſtat. Et ἐπωδὸς, ut Heſychius & Suidas annotant, ἡ ἐπάδουσα τοῖς νοσοῦσι παισὶ, i. e. mulier dicebatur, quæ pueris à lamiis aut ſtrigibus faſcinatis nocturnisque lemuribus laceſſitis carmine medebatur. Langius *lib. 1. Epiſt. 33.* Dicendum ergò Regium Prophetam oraculô iſtô & incantatoris voce ſerpentem domantis ſcientiam & ſerpentis ad vocem aures ſibi obturantis calliditatem, adeoque naturalem verborum potentiam, quam irrationalis etiam beſtia agnoſcit, & inſtinctu naturali declinare laborat, confirmare. 2.) *Jeremias cap. 8.* Dei juſſu hæc eloquitur: *Ecce ego mittam vobis ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio.* Regulos velut animô regiô verborum potentiam eludere, nec eandem, ut cæteri ſerpentes, formidare, his ſignificatur. Huc 3.) Adjuratio zelotypiæ Moſis *Numer. 5.* refertur, ad cujus recitationem adulteræ oculi proruebant, venter intumeſcebat, & femur ejus concidebat. Eâdemque horâ, qua ipſa moriebatur, adulter quoque, qui cum eâ rem habuerat, moriebatur, quæque illi acciderant, ipſi quoque accidebant. Quem ritum Hieroſolymis uſitatum ex Hebræorum ſcriptis Paulus Fagius *in Thargum Onkeli*, & ex hoc J. J. Speidelius *Specul. Var. Jurid. Polit. Hiſtor. Obſerv. & Notab.* prolixè refert. Videatur quoque Joſephus *Antiquit. Judaic. lib. 3. cap. 10.*

§. 4. *Profana* eſt itidem *Plinii*, *Tralliani*, *Q. Sereni Sammoniaci*, *Virgilii*, *Ovidii*, *Aetii*, *Myrepſi*, *Catulli*, *Tibulli*, *Lucani*, *Senecæ Tragici*, *Horatii*, *Claudiani*, *Nemeſiani*, *Lucii* & aliorum, quibus *Arabes* ferè omnes; item *Origenes*, *Picus & Ficinus*; inſuper Cabaliſtæ & recentiores *Judæi*; ut & *Pomponatius*, *Cornelius Agrippa*, *Paracelſus* & alii pollicem premunt. Verbis autem præprimis ad carminum ſimilitudinem compoſitis tantum tribuit ſuperſtitioſa antiquitas, ut iis Dæmones elicere, & cum iis verba miſcere, tonitrua, tempeſtates & pluvias ciere, ventos pellere, naves figere, ſegetes perdere, ſerpentes domare, arma obtundere, morbos curare, ſenectam levare, amorem conciliare, & hujusmodi infinita alia, etiam contra naturam ſe præſtare poſſe crederet. Hinc factum, ut actus, quo

dictis

dictis carminibus ac verbis ea perpetrarentur, incantatio seu incantamentum diceretur, à cantando, quia cantando ille quandoque peragebatur. Quare incantare secundùm Nicol. Perottum *in Cornucop. super Martial. col. 515.* apud Gasp. Schottum *Mag. Univers. part. 2. pag. 207.* propriè est verbis solis vel etiam rebus quibusdam adjunctis aliquid supra naturam moliri: & secundùm Joh. Lazar. Gutierrium *Opusc. de Fascino pag. 5.* incantamentum pressè sumptum quodvis opus verbis solis naturaliter (ut vulgus credit) patratum notat. Eidem incantatio seu incantamentum *Empsalmus* dicitur, & incantatores propterea *Empsalmistæ*, à Psalmis, quia frequentiùs ex Psalmorum verbis, seu ad illorum instar verba incantatoria componunt, vocantur. Quem morem ad Davidis citharâ cantando perfidum ac Diabolicum Melancholici Saulis animum demulcentis exemplum, sic compositum invaluisse censet, ut cœcum vulgus eos impostores, qui Psalmorum verbis abutuntur, malas ac morbosas hominum dispositiones suis empsalmis seu incantationibus fugare posse opinetur. Quid? quod Sapientissimus Israelitarum Rex Salomon teste Flav. Josepho. Antiquit. Judaic. *lib. 8. cap. 2. p. m. 212.* incantationes composuerit, quibus morbi pelluntur, & conjurationum modos scriptos reliquerit, quibus dæmones ita fugantur, ut in posterum nunquam reverti audeant. *Atque hoc sanationis genus*, inquit Josephus, *nunc usq; plurimum apud nostrates pollet. Vidi enim ex popularibus meis quendam Eleazarum in præsentia Vespasiani & filiorum & Tribunorum reliquorumq; militum, multos arreptitios percurantem. Modus verò curationis erat hic: Admotô naribus dæmoniaci annulo, sub cujus sigillo inclusa erat radicis species à Salomone indicata, ad ejus olfactum per nasum extrahebatur dæmonium: & collapso mox homine adjurabat, id, ne amplius rediret, Salomonis interim mentionem faciens, & incantationes ab illo inventas recitans.*

§. 5. Verba igitur, sive ad carminum similitudinem sint composita & decantata, sive à compositionis lege tali immunia & recitata, sive sacra sive profana, significativa vel non significativa, efficaciam, adeoque etiam fascinandi virtutem verba certa habere, qui crederent, antiquis temporibus fuerunt, & hac nostra ætate in vulgi circo reperiuntur. Plinius loco jam ante *Sect. 1. cap. 1. §. 6.* citato ex Isigono & Nymphodoro refert, in Africâ familias quasdam esse effascinantium, quarum laudatione inter-

intereant probata, arescant arbores, emoriantur infantes. Alex. Trallianus *lib. 11. cap. unic. de Podagr. in fine p. m. 314.* ad Podagram & omnem fluxionem sequens commendat: Herbam sacram, quæ est altercum, quum Luna est in Aquario aut Piscibus, effodito ante Solis occasum, radicem non attingens: ubi effoderis ipsam duobus sinistræ manus digitis, pollice & medio, dicas: Loquor tibi, loquor tibi herba sacra: cras voco te in domum Philiæ, ut sistas fluxionem pedum & manuum hujus viri vel hujus mulieris. Sed adjuro te per nomen magnum Jaoth, Sabaoth: Deus qui terram firmavit, & fixit mare fluviis abundans fluentibus, qui exsiccavit uxorem Loth, & fecit eam statuam salinariam, accipito spiritum matris tuæ terræ, & vires ejus, & siccato fluxionem pedum aut manuum hujus viri aut mulieris. Crastino die ante exortum Solis, acceptô osse cujuscunque animalis mortui, effodito radicem & acceptâ ipsa dicito: Adjuro te per sancta nomina, Jaoth, Sabaoth, Adonai, Eloi: ac in ipsam radicem salis pugillum conjicito, inquiens: Ut sales hi non augebuntur, sic neque affectus hujus viri aut hujus mulieris. Item extremam radicis partem agro alligato, cavens ne madescat, reliquum verò suspendito super crustam diebus tercentum sexaginta. *Hæc ille.*

Virgilius *Eclog. 8.*

> *Carmina vel cælo possunt deducere Lunam,*
> *Carminibus Circe socios mutavit Ulyssis.*
> *Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.*

Idem *lib. 7. Æneid.*

> *Quin & Marrubia venit de gente Sacerdos*
> *Fronde super galeam, & felici comptus oliva,*
> *Archippi Regis missu fortissimus Umbro.*
> *Vipereo generi & graviter spirantibus hydris*
> *Spargere qui somnos cantuq; manuq; solebat.*

Ovidius *lib. 2. Amor. Eleg. 1.*

> *Carmina sanguineæ deducunt cornua Lunæ,*
> *Et revocant niveos Solis euntis equos.*
> *Carmine dissiliunt abruptis faucibus angues,*
> *Inq; suos fontes versa recurrit aqua.*

Lib. 14. Metamorph. de Carmente seu Canente Pici Regis uxore sic canit:

Rara quidem facie, sed rarior arte canendi
(Unde Canens dicta est) sylvas & saxa movere,
Et mulcere feras, & flumina longa morari
Ore suo, volucresque vagas retinere solebat.

Quæ paulò post de Circe referat, legantur ibidem. Catullus ad Lesbiam:

Tam te basia multa basiare
Vesano satis & super Catullo est,
Quæ nec pernumerare curiosi
Possint, nec mala fascinare lingua.

Tibullus *lib. 1. Eleg. 2. & 8.* audiatur: Ibi ita canit:

Hanc ego de cœlo ducentem sidera vidi,
Fluminis hæc rapidi carmine vertit iter.
Hæc cantu finditque solum, manesque sepulchris
Elicit & tepido devocat ossa rogo, &c.

Lucanus ita *lib. 6.*

Carmine Thessalidum dura in præcordia fluxit
Non fatis adductus amor, flammisque severi &c.
Mens hausti nullâ sanie polluta veneni
Excantata perit.

Seneca *Med. act. 4.*

---- - -- tracta magicis cantibus
Squammea latebris turba desertis adest.
Hîc sera serpens corpus immmensum trahit,
Trifidamque linguam exsertat, & quærens: quibus
Mortifera veniat: carmine audito stupet &c.

§. 6. Thessalæ voces & Thyesteæ preces quid aliud apud Horatium *Epod. od. 5.* quàm verba incantatoria notant? ubi etiam commentator per Thyestéas preces graves & noxias, imprecationes duras intelligit, qualibus Thyestes usus est contra Atreum fratrem, qui ejus filium coctum illi apposuit edendum. Ode ult. Canidia canit ita:

An quæ movere cereas imagines,
Ut ipse nosti curiosus, & polo
Deripere Lunam vocibus possum meis:
Possum crematos excitare mortuos,
Desideríque temperare poculum.

Plura

Plura Poetarum loca adducere supersedemus. Addimus autem & hoc, arcanum & multis ignotum Romanorum morem fuisse, ut, cùm obsiderent urbem hostium, ante omnia Romani Sacerdotes certô carmine evocarent tutelares Deos, sicque absentibus Diis urbem tandem devincerent, sicut Virgilius *Æneid. lib. 2.* canit:

Excessere omnes adytis, arisq; relictis
Dii, quibus imperium hoc steterat.

Quo de Plinius *lib. 28. cap. 2.* & Macrobius *lib. 3. Saturnal. c. 9.* Propterea, teste hoc, ipsi Romani & Deum, in cujus tutelâ Urbs Roma erat, & ipsius urbis Latinum nomen ignotum esse voluerunt. Atque eam ob causam Valerium Soranum neci fuisse traditum, quòd arcanum hoc nomen propalare fuisset ausus, ex Solinô & Varrone refert Pierius *in hieroglyph. lib. 36.* Macrobius è Sammonic. Sereni *lib. 5.* reconditar. rerum sequentem evocationis formulam tradit: *Si deus, si dea est, cui populus civitasq; Carthaginensis est in tutelâ, teq; maxime ille, qui urbis hujus populiq; tutelam recepisti, precor, veneror q;, veniam q; à vobis peto, ut vos populum civitatemq; Carthaginensium deseratis: loca, templa, sacra, urbemq; eorum relinquatis, absq; his abeatis: eiq; populo civitatiq; metum, formidinem, oblivionem injiciatis, proditique Romam ad me meosque veniatis: nostraque vobis loca, templa, sacra, urbs acceptior probatiorq; sit: mihi quoque populoque Romano militibusque meis præpositi sitis, ut sciamus, intelligamusque. Si ita feceritis, voveo vobis templa, ludosque facturum.*

§. 7. Theoph. Paracelsus verbis ac characteribus nimiùm addictus *Philosoph. Sagacis lib. 1. cap. 6. pag. 70.* ita scribit: Die dritte Species (Magicæ) lernet machen Wörter / die da alle die Krafft haben / so vom Himmel in den Kräutern sind / als ein Exempel: Alles das der Artzt vermag aus der Artzney zu bringen / solches vermag solche Species durch Wörter zu vollenden / denn was die natürliche Ordnung gibt von ihr selbst / das gibt auch die Kunst. Und diese Species heisst mit ihrem rechten Namen CHARACTERALIS. Et pag. 113. daß ihr mich weiter verstehet / was die Natur vermag in einem fremden Corpus zu vollbringen / daß vermag auch der Mensch / daß er dieselben Operationes dahin mag bringen / da die Conception mag hingebracht werden / also daß ein Bild / daß weder Fleisch noch Blut hat / einem Cometen gleich ist und wird / daß auch die Wörter und Characteres Krafft haben so wol als Artzney. Idem verba & characteres non esse viribus destituta, non tantum incan-

tatorum serpentum, sed & cantharidum, & alcedinis vitâ carentium exemplis probat. Istæ enim exteriùs applicatæ nocivam vesicæ vim communicant. Hujus verò pelli continuâ multorumque annorum serie plumæ ejusdem coloris novæ abjectis prioribus accrescunt. Ipse quoque serpentes in Helvetiâ & Sueviâ incantari docet *Archidox. Magic. lib. 1. pag. 69.* tribus his vocibus, Osii, Osia, Osii, quæ Græca esse dicit. Si enim serpentibus admurmurentur, eos aures mox obstruere ait: at si audiant, innoxios statim & mitiores reddi, sic ut manibus citra periculum omne contrectari queant. Hoc ipso exemplo permotus Lotichius *l. c. p. 111.* verba atque characteres non ἀσυμβόλως esse aut virium omninò expertes censet.

§. 8. Crocodilos à piscatoribus incantari è Villamontiô refert Gasp. Schottus *Mag. Univers. part. 2. lib. 4. cap. 2.* qui ipse se vidisse ait, quosdam è Nilo eos vocare, & secum venales ad forum abducere. Grillandus apud Delrium *lib. 2. p. m, 136.* de taurô incantatô idem narrat hunc in modum: *Et ego alias vidi Romæ quendam Magum excellentissimum Græcum tempore Hadriani VI. antequam perveniret ad urbem ipse Pontifex: quod solis verbis compresserat vires cujusdam fortissimi tauri, existentis in armento in loco Sylvestri: quem sic affixum, ut ita dixerim, & humiliatum apprehendit per cornua & chordulâ quadam satis debili, arte tamen magicâ fabricatâ, taurum ipsum ligatum, quo voluit, adduxit mediâ nocte circiter quatuor aut quinque milliaribus, quæ visa fuerunt per ducenta & ultra viros.*

CAPUT II.

(II.) *Rationes pro Fascinô vocali adducere orditur. Earum prima sumitur à curatione morborum, quæ verbis fit. Exempla varia tum aliorum, tum nostratium proferuntur*

§. 1. (II.) RAtiones jam, quibus verborum vocumque vim & efficaciam Fascini Patroni, ut ex discursibus tum publicis tum privatis collegi, confirmare solent, vel posse videntur, adducemus. Sit I.) Si verbis fieri possunt curationes, verbis etiam læsiones, adeoque etiam fascinationes fieri posse, vero magis est simile: quia læsio in rebus, suâ naturâ corruptibilibus, paratu est facilior, quàm redintegratio. Antecedenti autem fidem faciunt præstantes Medici & Philosophi. Plinius *lib. 28. N. N.*

cap. 2.

cap. 2. Dixit, inquit, *Homerus*, *profluvium sanguinis vulnerato femine Ulyssem inhibuisse carmine: Theophrastus ischiadicos sanari. Cato prodidit luxatis membris carmen auxiliari, Marcus Varro podagricis.* Idem ex Attali sententiâ narrat, Scorpione viso, si quis dicat *Duo*, cohiberi nec vibrare ictus. Cardanus apud Weckerum *lib. 5. de secret. pag. 149.* sibi contigisse ait, ut sanguis nulla arte potuerit cohiberi, tandem, præcantione illâ, quæ à passione Domini sumitur, illicô sanguinis profluvium cessasse, neque eo loquente vel comedente sanguinem apparuisse, etsi locus egregiè tum doluerit, & vulnus apparuerit. Verba ter repetita fuisse hæc: *Sanguis mane in te, sicut Christus fecit in se. Sanguis mane in tua venâ, sicut Christus in suâ pœnâ. Sanguis &c.* Verba singula, ut & formulas alias, quarum farraginem Myrepsus *Sect. 2. antidot. 298. 405. 419.* & alibi, Cœlius Aurelianus *in Chron. c. 1.* Cardanus *lib. 2. tr. Contract. Medic. 7. & de rer. variet. lib. 8. cap. 44. ac lib. 17. cap. 92.* Simon Majolus *dier. canic. tom. 2. colloq. 3.* Fernelius *lib. 2. de abdit. rerum caus. cap. 16.* Francisc. Vallesius *Philosoph. Sacr. cap. 3.* Wierus *de præstig. lib. 5. cap. 8.* Camerarius *cent. 2. cap. 76.* Delrio *Disq. Mag. l. 3. p. 2. q. 4. sect. 8.* Freitagius *Noct. Medic. cap. 39. pag. 139.* D. Sachs. *Gammarolog. pag. 868.* tradunt, referre nolumus.

§. 2. Ad Sanguinis è naribus profluvium sequentem sibi ab amico formulam indicatam refert Voetius *Disp. Select. part. 3. pag. 567. Max, Haks*, Lyack Jesus &c. ita ut cum trinâ pronunciatione orationis Dominicæ & τῦ Ave Maria, verba ista ter dicantur, digitusque cartilagini imponatur, & linteum aquâ frigidâ humectatum cervici applicetur. Ostensos sibi etiam versiculos rythmicos memorantes *Jobum*, *Christi claves* &c. quibus virum cœtera probum secundùm traditionem majorum equos, quorum ungula à clavô ferreô læsa (vernagelt) curasse scribit. Riolanus Pater ap. D. Bartholinum *cent. 2. Hist. Anat. 78.* sæpe se expertum affirmat, Epilepticos resurgere, si ter in aurem vulgati versiculi insusurrentur:

Gaspar fert myrrham, thus Melchior, Balthasar aurum,
Hæc tria qui secum portabit nomina Regum,
Solvitur à morbô Christi pietate caduco.

§. 3. Fontecha sequentia verba ter in aurem patientis epileptici devotè recitata profuisse observavit: *Purget & mundet & muniat nos titulus triumphalis Jesus Nazarenus Rex Judæorum &c.* referente Casp. à

Reies *quæst. 22. n. 1.* Sequens tanquam grande arcanum ad phthisin sibi fuisse transmissum scribit M. Casp. Rothius *in explic. Evang. Joh. 4.* Paciens matutinâ trium dierum horâ ante Solis ortum, & eorundem vespertinâ post Solis occasum malum accedat, eamque sic alloquatur:

Apfelbaum ich thue dir klagen/
Die Schwindsucht thut mich plagen
Der erste Vogel der über dir fliegen thut/
Benehme mich der Schwindsucht gut/ rc.

§. 4. Quid monstri verò nostrates hîc alunt? Ex infinitis pauca tantum, quæ Lectorum oculis & auribus fascinandis sufficiant, adducere placet. Sed

Vos lectum admissi risum teneatis Amici.

Ad Phthisin aquæ fontanæ potum in lecto manè, antequam pedibus terram æger contingat, haustum rustica annosa mihi bene nota maximè commendat, sed verba hæc insuper pronunciare ægrum jubet:

Trinck Leibs mag (sine dubio ita pronunciandum: Trinck deß Leibs Macht.)
Deinem Hertzen eine Krafft/
Deiner Lungen ein Blut/
Das sey dir für die Schwindsucht gut rc.

Cauponem enim senem in pago G. cui olim fuisset ancillata, infinitis phthisi laborantibus ita succurrisse etiamnum affirmat. Ut Ganglium (Uberbein) & verrucæ tollantur, nonnulli, ubi duos uni equo insidentes conspiciunt, mox partes istis laborantes tangunt, manum versus equitantes vergendo, & ternâ vice succlamando: Nehmt den dritten mit rc. Unicum hoc sub quatuor thalerorum pretiô frustra adhibitis aliis, sibi remedio fuisse, quædam non infimæ conditionis fœmina fatetur. Srumas, gibbos, verrucas & ganglia abigenda Lunæ radiis opponunt, manuque aliquoties palpant, dicendo: Was ich sehe / nehm zu: was ich greiff / nehm ab/ rc. Ganglium cuidam, quòd ter manu illud tergendo toties dixerit: Stehts mir an / so laß stehen / stehts mir übel / so laß weg gehen rc. sensim evanuit. Alia postquam clausis oculis manus verrucis refertas, inque semipugni formam contractas ad invicem affricuisset, & hæc pronunciasset: was ich sehe / das laß stehen/ was ich aber nicht sehe / das laß weggehen/ rc. à verrucis fuit liberata. Commendant & operculi caput die Veneris fortuna reper-

repertum, quo, ubi manè surrexerunt, verrucas per octiduum tundunt, dicentes: Fahr hin in das weite Holtz/ &c. Fuit, quæ datô consilio cœmiterium tribus trium septimanarum, ut vocant, Veneris diebus silentio ingressa, aquâ in cippô quodam collecta vel hac deficiente, communi silentiô infusa, postquam aliquandiu stetisset, verrucas decrescente Lunâ lavit, & his, quæ adjecit, verbis profligavit: Diese Wartzen wasch ich ab / mit dem Wasser / welches Krafft hat / wovon mir meine Wartzen gehen ab / &c. Bubonis doloribus sub axillâ olim correpta virgo (jam marita) pia, hoc tanquam expertum à quadam accepit quidem, sed, quod atrocissimos corporis dolores conscientiæ ulcusculo piô consiliô præferret, usurpare noluit. Ad fluvium laborantem Magistra accedere, novo crinali verriculô pretio, quo liceat, redemto, bubonem sine aquâ verrere & sequentia profari jussit:

Der Schlier und der Drach
Gehen miteinander zum Bach/
Der Drach ist ertruncken/
Und der Schlier verschwunden &c.

τῷ &c. formulis singulis hactenus adjecto me verba quædam studiô suppressisse indico, idque factum, ne temerariô ausu cum animæ periculo periculum faciundo vanitatibus fraudibusque his Diabolicis (quarum exempla plura ceu proba & experientiæ sigillo roborata multitudinis superstitiosa capita ad insaniam usque jactant & commendant) incauti implicentur.

CAPUT III.

Rationem secundam *ab imprecationum & execrationum efficaciâ sumtam; &* tertiam *à Musicæ vi petitam cum historiis exhibet. Siquidem Musicâ moventur 1. inanimata, 2 bruta. 3. homo 4. Spiritus. 5. Morbi eâdem sanantur, & qui à Tarantula sunt percussi, Musicâ curantur.*

§. I. II.) CUm *Imprecationibus* & *Execrationibus* tam privatis, quàm publicis, quæ à personis privatis & publicis fiunt, pondus inesse experientia testetur, etiam verbis fascinandi vim inesse posse exinde concludere licet. Tragicas execrationes Diogenes Philosophus sibi occurrisse

rille jam olim dixit, quòd viveret ἀνέστιος, ἄπολις, ἄπατρις, ἀχρήματος, καὶ ἐφημερόβιος, i. e. *carens domo, civitate, patriâ, pecuniâ, nullam habens certam sedem & in diem vivens*, Erasm. *Adag. pag.* 567. Imprecationum non vanarum exempla vide sis apud Camerarium *oper. subcisivar. cent. 1. cap.* 86. *& cent. 3. cap.* 23. Zvvingerum *in Theatr. vit. hum.* Titium *in locis Theol. Historicis* Speidelium *Specul. Var. Jurid. Polit. Hist. obs. & Notab.* ex quo hoc unum, quod habet *pag.* 344. adducam. Mediolani contumax & impius filius, porrectis digitis oreque obliquè distortô contumeliosè matrem irridebat. Mater graviter filio succensens: *Utinam*, inquit, *in malâ cruce os sic intorqueas.* Diebus parum elapsis filius iste in furtô deprehensus crucis supplicio damnatur, ubi, cùm per scalas subveheretur à carnifice, visus est pari modo, quo matrem irriserat, os suum intorquere. Nihil de iis dicendum, qui sani & incolumes à mortuis ad DEI tribunal provocati provocatores suos stato tempore sunt secuti, ac de verborum pondere testati, ut tragica itidem exempla apud Sim. Majolum, Camerarium Voetium, Delrium, Just. Lipsium, Harsdorfferum, Drexelium, quæq; in statu Ecclesiastico potissimùm occurrerunt, apud Virum desideratissimum Dn. D. Joh. Ernest. Gerhardum *p. m. Disp. pecul. de Appellatione tali* probant.

§. 2. III.) *Musica* ipsa & harmonicus instrumentorum musicorum sonus admirandâ, qua pollent, inaminata, bruta, homines, spiritusque movendi & corpora morbosa sanandi virtute, verborum, vocum, sonique vim ac efficaciam confirmant. (1) *Inanimata* movisse Musicâ Orpheum canendi peritiâ excellentissimum testatur Horatius *lib. 1. carm. od.* 12, sic canens:

Aut in umbrosis Heliconis oris,
Aut super Pindo gelidove in Hamo,
Unde vocalem temerè insecuta
Orphea sylva.
Arte maternâ rapidos morantem
Fluminum cursus, celeresq; ventos,
Blandum & auritas fidibus canoris
Ducere quercus.

Et *Epist.* 3. *ad Pisones* de Amphione:

Dictus

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere sono testudinis, & prece blandâ
Ducere quò vellet.

Sonô buccinarum muros Hierichuntinos, Duce Josuâ, Israelitæ, postquam Jordanem transivissent, Chananæam expugnaturi, succusserunt & dejecerunt. *Jos. cap. 6.* (2.) Bruta movisse Orphea Horatius locô jam citato ait:

Sylvestres homines sacer interpresq; Deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire Tigres, rabidosq; Leones.

Virgilius *4. Georg.* eum deprædicat

Mulcentem Tigres & agentem carmine quercus.

Arion cantûs suavitate ab Ovidio *lib. 2. Fastor.* his inducitur

Quod mare non novit, quæ nescit Arionatellus?
Carmine currentes ille tenebat aquas.
Sæpe sequens agnam lupus est à voce retentus,
Sæpe avidum fugiens restitit agna lupum.
Sæpe canes leporesq; unà jacuere sub umbrâ:
Et stetit in saxo proxima cerva lea.

Et, ut ibidem habet, Arion à Delphinis, quos sibi conciliarat, demersus in litus sospes fuit deductus. Historiam Herodotus, & ex eo A. Gellius *Noct. Attic. lib. 16. c. 19.* aliique tradunt. Delphinus enim non homini tantùm amicum animal, verùm & Musicæ arti, mulcetur Symphoniæ cantu, & præcipuè hydrauli sonô. Plinius *lib. 9. cap. 8.* Elephas cantu devinctus non ampliùs ad pristinos mores à consuetudine deficit. Ælianus *lib. 12. de Animal. cap. 44.* Cervas fistulis demulceri accepimus & in laqueos inter venandum cantu duci à venatoribus. Equis autem coeuntibus veluti quidam hymenæus tibiâ canitur: id autem ab incitandis equis Musici appellarunt ὑπποθορον, inquit Clem. Alexandrin. *lib. 2. pædagog. c. 4.* Paguros Musicâ capi, dum piscatores latenter calamos inflant, & tibiis ludunt, narrat Gesnerus *Hist. aquatil. pag. 121.* Constat quoque apud Septentrionales, Ursos, Delphinos, Cervos, oves atque vitulos, imò & agnos delectari Musicis Melodiis, rursusque horrisonis cornibus seu tubis ab armentis arceri Lupos & Ursos. Itaque Pastores bicornibus fistulis (Sackpipas illi vocant) ludentes, aliquando per Ursos rapti continuò ludunt,

dunt, donec fame urgente ursus discedat, alimonium conquisiturus. Tunc accepto caprino cornu, interdum vaccino sonum horridum excitant, & feram à reditu terrent. Mich. Prætorius *Syntagm. Music. tom. 1. cap. 15.* Piscis Xiphia, Latinis Gladius, quia rostrô gladium quasi præfert, dictus, in freto inter Siciliam & Scyllæum tractum Mamertino verbis singularibus cantu & notâ nautis istius loci usitata capitur. Nam simul ac verba percepit, mox iis veluti allectus è latebris erumpit, ac præsentem se sistit non multũ infra aquas subsistens, qui postea ab hastato in prorâ piscatore capitur. Verba autem, quibus piscem alliciunt, sunt sequentia:

Mamassu di pajanu
Palletiu di pajanu
Majassu st' igneta
Palletu di pajanu
Pale la stagneta
Mancat a stigneta
Pronastu varitu pressu du visu
è da terra.

Verba hæc Athanas. Kircherus oculatus & auritus testis ab ipsis piscatoribus, cùm aliquando venationi prædictæ interesset, sibi dictata notavit, ex cujus relatione hæc & alia plura ex ejusdem arte Magnet. & Musurg. *lib. 9. part. 2. c. 7.* Schottus *Mag. Univ. part. 2. pag. 213. & seqq.* habet, ubi addit, licet verba ficta videantur Linguæ Siculæ gnaris, ficta tamen non sunt, sed vera & verè significativa, ita tamen successu temporis corrupta ut ἀσύμαντα videri possint. Dicti nautæ sensum eorum sciunt, sed utrum Græca sint & corrupta, an antiqua Sicula, ignorant. Sed quod è Thom. Fazelli *Decad. 1. rer. Sicul.* notat, admirationem parit. *In eorum captura,* inquit ille, *malo navigii homo super impositus Græco sermone ac edita voce piscatores (qui in frequentibus scaphis manent in statione) naviculas, ut ad loca piscium clavô dirigant, appellat. Eâ græcâ voce Xiphii illecti ac ferè confirmatiores facti navigio ac vadis appropinquant, statimq; telo à venatore icti capiuntur. Quod si speculator aut quivis alius sermonem Italicum temerè effuderit, simul atq; illum Xiphii audierint, ac si lethi malum eis portenderet, repentè diffugiunt. Ita Græcorum idioma ab Italico distinguere videntur.*

§. 3. (3.) *Hominem* Harmonicas voces Sonosque afficere & movere qui nescit, rerum humanarum est nescius. Atque ideò Musica est inventa θεραπείας ἕνεκα τῶν ἀνθρώπων τῶν παθῶν, καὶ μάλιστα δὴ μεταστρέφειν ψυχὰς ἀπηνῶς καὶ ἀγρίως διακειμένας *ad curandum humanos affectus, & potissimum, ut in rectum possit reducere statum mentes sævitiâ & feritate affectas*, autore Dione

Dione Chrysostomo *orat. 32. ad Alexandrin.* Prout autem tum Musica organa, tum harmonici iis expressi soni, tum temperamenta, mores & affectus hominum variant, ita & Musicæ effecta. Variant Musicæ instrumenta, &, ut loquitur Majolus *Tom. I. dier. canic. colloq. 23. pag. 583.* in tot varias formas modulationesque confecta novimus, ut nulla scientia latiùs in omne hominum genus effudisse seipsam videatur. *Quædam*, inquit Clem. Alexandrinus l. c. *vel ad cupiditates inflammant, vel amores incendunt, vel animum iramq; irritant. In bellis itaq; suis tubâ utuntur Hetrusci, fistulâ Arcades: Siculi autem instrumentis, quæ appellant* πηκτίδας, *Cretenses Lyrâ, Lacedæmonii Tibiâ, cantu Thraces, Tympano Ægyptii & Arabes Cymbalo.* Nostra ætas insuper Pandoras, Testudines, Thiorbas, Violas, Cheles, Citharas, Spinettas, Clavicymbala, Tubas marinas & alia plura pruriginis arma, ut vetus quidam Poeta apud Salmuth *Comment. in Panciroll. lib. 1. pag. 136.* organa illa Musica vocavit, ostentat. Pro modorum autem ratione alios atque alios animi motus olim vel excitatos vel sedatos esse, in antiquorum monumentis reperimus. Lucianus id in *Harmonide* tradit: Καὶ ἑκάστης ἁρμονίας διαφυλάττειν τὸ ἴδιον, τῆς Φρυγίου τὸ ἔνθεον, τῆς Λυδίας τὸ βακχεῖον, τῆς Δωρίου τὸ σεμνὸν, τῆς Ἰωνικῆς τὸ γλαφυρὸν, id est: *Uniuscujusq; harmoniæ servare proprietatem. Phrygiæ divinum impetum* (quod Apulejus *Florid. cap. 4.* vertit religiosum) *Lydiæ bacchanalem furorem sive licentiam, Doricæ severitatem* (Athenæus *lib. 14.* τὸ ἀνδρῶδες, καὶ τὸ μεγαλοπρεπὲς καὶ τὸ σφοδρὸν, i. e. virilitatem, majestatem ac vehementiam) *Ionicæ jucunditatem* (quod Apulejus reddidit varium) Cassiodorus *lib. 2. Epist.* apud Camerar. *Cent. 1. oper. subcisiv. cap. 18. Doricus*, inquit, *prudentiæ largitor est & castitatis effector: Phrygius pugnas excitat, votum furoris inflammat: Æolius animi tempestates tranquillat, somnumq; jam placatis attribuit: Jastius intellectum obtusum acuit & terreno desiderio gravatis cælestium appetentiam bonorum operator indulget: Lydius contra nimias curas animæ tædiaq; repertus remissione reparat & oblectatione corroborat.* Pythagoram animi perturbationes lyrâ composuisse scribit Seneca *libr. 3. de Ira, cap. 9.* Clinias Pythagoreus, quando ad iracundiam se impetu ferri sensit, τὴν λύραν ἁρμοσάμενος ἐπιδάλλειν, *lyram assumptam pulsavit.* Rogatus cur id faceret, respondit: πραΰνομαι *mitigor*, testibus Æliano *Varior. lib. 14. cap. 23.* & Athenæo *lib. 14. cap. 5.* Canus apud Philostratum *lib. 5. cap. 7.* ætatis suæ tibicinum præstantissimus

mus roganti Apollonio respondit, se, quicquid vellet, Musicâ suâ præstare posse, *facturum ut mœrenti à tibia mœror sopiatur, lætus verò seipso reddatur hilarior, & qui amat, calidior, & qui sacris addictus est, in Dei cultum & laudes fiat pronior.* Alexandrum M. Antigenide tibicine modulante, usque adeò velut lymphatico impetu incitatum exarsisse, ut sono bellicô illectus concussis armis è mediis epulis proripiens manus in adstantes intenderit, sed molliori citharârum sonô ab armis ad epulas revocatum refert Plutarchus *lib. 2. de Fortun. Alex.* Mirabilem Musicæ effectum sensit Ericus II. Daniæ Rex, cujus historiam Saxo Grammaticus *lib. 12. Daniæ*, & ex hoc Nicolaus Caussinus *de Eloq. Sacr. & human. lib. 8. cap. 7. pag. 468.* sequentibus verbis recitat: Apud Ericum, cognomine bonum, Daniæ Regem citharœdus quidam haud ignobilis, admirabiles & propè stupendos artis suæ commendabat effectus, maximeque illud ipsum, quod in humanos sensus mentesque obtineret imperium. Rex verborum novitate perculsus, qui neque tantam vim Musicæ arbitraretur, continuò hominem artis specimen edere jubet, & torpentes animos ad furorem Martium, si posset, accendere. Annuit ille, &, ne qua nocendi ansa daretur, arma ex aula omnia efferri præcipit, custodesque in atrio collocari, quo furentes, si qui fortè in insaniam agerentur, compescerent. Dictum factum. Tum ille, qua plurimum pollebat cantandi peritiâ, primum quidem inusitatæ severitatis concentum edidit, quo, stupore quodam & mœrore, omnium quotquot aderant, auditorum mentes cernebantur oppressæ: deinde adeò suaves & mellitos cantus effudit, ut totius jactatione corporis intemperantem proderent lætitiam. Tandem verò, ubi acrioribus modulis intonare cæpit, continuò totis tectis fremere, tumultuari, arma & gladios inclamare. Nec mora, accurrunt custodes, ut Regem cum aliis furentem contineant. Sed ille effractis atrii foribus, arrepto ense, quatuor transfodit, & ut actus in rabiem taurus, totis bacchatur ædibus. Vix tandem pulvinarium & lectulorum mole undique oppressus contineri potuit. Postquam menti restitutus est, relictô procuratore regni filiô, Hierosolymam expiandorum homicidiorum, per pios cruciatus, gratiâ profectus est, atque in Cypro defunctus.

§. 4. Sirenes ab Hebr. שיר, *canticum* dictas, mirabili cantûs suavitate aures prænavigantium olim fascinasse quis nescit? Antiquitatum

tum Secretarios si consulimus, tantam fuisse percipimus, ut sui ipsorum Auditores obliti non modò vacivas aures non potuerint non præbere, sed & ipsissimam in cædem se trahi permiserint. Testis hujus rei αὐτόπτης est Orpheus in Argonauticis, qui, quòd artem arte profligasset, salvus Sirenum loca superavit. Nam cùm Minyæ per ea loca Ancæo navem gubernante navigarent, se Citharam sumpsisse scribit Orpheus, suoque cantu Sirenum cantum retudisse, cùmque Deorum certamina caneret, minimè fuerunt auditæ Sirenum cantilenæ. Cujusque verò genio se conformabant illæ, & quibus maximè audiendis quisque delectabatur, suavissimô ore pronunciarunt. Ad captandos gloriæ cupidos res ab illis præclarè gestas canebant, ad libidinosos demulcendos res modulatæ sunt amatorias, ad captandos plurimos cum præteritorum cum futurorum omnium revelationem promisere mirificam. Quæ omnia è veterum scriptis hausta Nat. Comes *Mytholog. lib. 7. cap. 13.* fusiùs proponit.

§. 5. (4.) *Spiritus* Symphoniacos, quos Musica parit, concentus afficere sacro codici *1. Reg. 16. v. 16. 17.* credimus dicenti: *Spiritus autem Domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam à Domino. Dixeruntq; servi Saul ad eum: Ecce spiritus Dei malus exagitat te. Jubeat Dominus noster, ut servi tui, qui coram te sunt, quærant hominem scientem psallere citharâ, ut quando te arripuerit Spiritus Domini malus, psallat manu suâ, & leviùs feras. Et ait Saul ad servos suos: Providete ergò mihi aliquem bene psallentem, & adducite eum ad me &c. Adductusq; fuit David. Igitur quandocunq; spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, & percutiebat manu suâ, & refocillabatur Saul, & leviùs habebat; recedebat enim ab eo spiritus malus.* Spiritus igitur nequam, aut ut LXX Interpretes habent, malus, qui Hebræorum Regem Saulem exagitavit, toties Citharæ virtute fuit expulsus, quoties Citharam pulsavit David. Mart. Delrio quidem *l. c. pag. 50.* Dæmonem exagitasse Saulem per atram bilem scribit; cui Vallesius *de Sacr. Philos. cap. 28.* naturalem causam cum divina conjungens, & admirandum illum effectum in utramque referens adstipulatur, productis in medium quibusdam Avicennæ verbis *ex cap. 18. fen. 1. tract. 4. quod est de Melancholia.* Sed hos Schottus *l. c.* deserit, & cum aliis, quos citat, censet spiritum illum nequam & malum, qui exagitavit Saulem, fuisse Diabolum, qui non tantum exteriùs vexaverit ipsum, uti vexavit Job, sed etiam interiùs eum pos-

ſederit, eumque diris phantasmatibus, triſtitiâ, mœroribus, anxietatibus, doloribus afflixerit, & per vices exagitaverit; hic enim propriè eſt & vocatur ſpiritus nequam & malus.

§. 6. (5.) *In Morbos* etiam dominatum Symphoniam exercere, cum antiquis ſentit J. Porta *lib. ult. Mag. Natur. cap. 7.* è quorum monumentis, quod Dn. D. Rolfinck *Med. Spec. lib. ult. cap. 19.* curioſiùs collegit, adjiciemus. Iſchiadicis inprimis Muſicam mederi tradit Theophraſtus *in lib. de Divin. error.* referente Athenæo *lib. 14.* notans: ἰσχιακοὺς ἀνόσους διατελεῖν, εἰ καταυλήσοι τις τοῦ τόπου τῇ φρυγιστὶ ἁρμονίᾳ. *Qui vexantur coxendice, eo cruciatu liberari, ſi quis dum dolor urget, tibiis Phrygiam modorum harmoniam canat.* Peſtis ferociam muſico concentu manſuefieri, hujusque curationis ſpecimen exhibuiſſe tradunt Thaletem Cretenſem, Pythii Apollinis oraculo à Lacedæmoniis accitum, Muſicâque peſtem tunc graſſantem ſedaſſe. Homerus Græcos peſtem muſicis concentibus depuliſſe tradit *Iliad. 1.* Quin etiam vim certam in certarum infirmitatum curatione Muſicam obtinere exiſtimarunt, ſi fiſtulæ plantarum morbos naturali ſympathiâ reſpicientium conjungantur. Ex thyrſis Hellebori fiſtulæ confectæ ſonitu Lymphaticos curabant veteres, hosce enim helleborus ſumtus ſanat. Fiſtula ex caule Ricini purgat hydropicos. Ex cortice populi arboris confecta fiſtula iſchiadicos dolores ſonitu mitigare cenſebatur: populeum enim unguentum maximè prodeſt coxendicum doloribus. Oſſa animalis craſſiſſimi & à Muſis alieni os præbere tenue & maximè ſonorum mirandum eſt. Tibiæ exinde paratæ maximè ſonoræ ſublevant arthriticos & podagricos. Ad Venerem incitabat auditorem, è thyrſi ſeu caulibus ſatyrii conſtructa fiſtula. Deliquium animi ex cinamomi cortice conſtructum inſtrumentum muſicum depellere credebatur. Vigilias contumaces ſanabat paſtoria fiſtula ex ſex caulibus cicutæ artificioſè more veterum paratæ. Hæc Vir laudatus.

§. 7. Mirabiliſſimum verò, ut veriſſimum, à Tarantulâ, quæ eſt araneæ ſpecies, à Tarantô Urbe in ea Italiæ parte, quam Apuliam vocant, dicta, morſos nullâ ratione, perfectè ſaltem, niſi per Muſicam, curari poſſe. Percuſſi ſtuporem primò exitialem incurrunt, aut ſi qui fortè vitæ damnum evaſerunt, velut abalienati mente & ſemivivi continuô ſtupore & hebeti ſenſu oculorum auriumque affecti vitam miſerabilem ægerri-

gerrimè ducunt. Huic pesti & tam præsenti malo, quantum provideri humanâ diligentiâ valuit, unum hoc salubri remedio esse compertum est, si protinus tibicen aut citharista varios concinat modos. Tunc enim morbô ejusmodi percussus, qui moribundus & sermonis & oculorum sensus amiserat, quique nec ingredi nec fari, nec aliquo sensu frui valuerat, mox ubi tibiam aut citharam admotam propiùs audit, illo miti sono & concentu captus & demulsus, velut è gravi somnô excitus oculos attollit parumper, mox se in pedes erigit, ac sese recipiens, paulatim pro modulô & pulsu sonorum, servatâ psallendi lege, ingreditur. Tunc enim inaugescente sonô, quasi permulsis animis & confirmatis exultabundus maximo nisu atque impetu in saltus gestusque, nec indecoros, neque à pulsu citharæ dissonos erumpit: ita ut etiam rudes, ignavi, psallendi modos docti in ludo videantur. Ita Alex. ab Alexandro *Genial. dier. lib. 2. cap. 17. pag. 81.* Non autem quivis concentus, sed is, qui individui temperamento ac complexioni individua quadam ac peculiari ratione convenit, auxilium confert. Obortâ enim inter modos harmonicos dissonantiâ infecti genio contraria, sive studiô, sive ex errore citharœdorum id fuerit factum, ægerrimè se id ferre, miris variisque ac inusitatis animi & corporis gestibus signisque, produnt: mox verò, ubi ad amicam harmoniam fit regressus, veluti magnô malô liberati, ad priores saltationes agillimo motu, amico modulamini auribus oculisque admotis veluti applaudendo revertuntur. Nec quovis sonô quilibet tarantati moventur ad saltandum, sed quidam tympano quodam plectris ligneis utrâque parte pulsari solitô afficiuntur. Nonnulli cantu recreantur, cui auletarum sive tibicinum strepitosa musica conjungitur. Aliis & quidem delicatioribus testudines, lyræ, citharæ, clavicymbala simul concordata sonantur. Sunt, qui nullis aliis instrumentis præterquam strepitu tympanorum, bombardarum explosione, tubarum clangore, similibusque instrumentis vehementem sonum excitantibus ad saltandum invitantur. Id quod, & plura alia fide ferè majora Vir exquisitissimè doctus Athan. Kircherus, ejusque parastata Gasp. Schottus, ille *in lib. de Magnet.* hic *in Tract. de Magiâ* præ omnibus aliis studiosissimè tanquam oculati & auriti testes tradunt & docent. Eadem etiam Kircheri verbis in patriam linguam eleganter translatis fusè proponit Erasm. Francisci **in seiner lustigen Schau-Bühne / vielerhand** Curiositäten pag. 673.

CAPUT

CAPUT IV.

Ratio quarta *datur à clamore militum in præliis magno, quo hostes terrentur, volucres in terram decidunt. Vociferantium vox olim Alala. Sonô specus Smellen horrido hostes sunt prostrati.* Quintam *Rationem subministrat Oratoriæ potestas. Exemplum adducitur.* Sextam *ominosa nominis impositio & relatio. Pompejus id expertus est.*

§. 1. OPinione diutiùs nos detinuit argumentum de eo sumptum, quod per aurium sensus, quasi per animæ vestibula, si quando potentius est illapsum, delicatô titillationis lenociniô mentem surripit, & miti quodam dominatu vendicat. Jam IV.) novum, sed ab eo, quod isti, auribusque ad mollitiem natis, si quando potentiùs per eadem repagula illabitur, contrarium, mentemque velut distorquet, desumtum sequatur, inconditus scilicet & horrisonans clamor. Ingratus cùm hîc sit auribus, breviores etiam hîc erimus. Hoc verò confirmatum eunt, cùm metûs vinculis hostium pectora clamor altus constringat, Sociorum verò ad animositatem liberet, sonum in animos dominatum, & vim, quam Fascini autores quærunt, obtinere. Clamorem militarem in præliis magnam efficaciam ad terrendos hostes habere, inscriptio Capitis 77. quod Camerarius *oper. subcisivar. cent. 1.* habet, prodit. Atque Israelitis, Macedonibus, Persis, Hibernis, Germanis antiquis & aliis clamorem istum non tam ad excitandos, quàm ad perterrefaciendos ante prælium & in ipso conflictu hostes, fuisse olim, & nunc quoque Turcis usitatum esse, idem ibidem ostendit. C. Jul. Cæsar *de bello civil. lib. 3. p. m. 193.* hanc in rem ita commentatur: *Neq; frustra antiquitùs institutum est, ut signa undiq; concinerent, clamoremq; universi tollerent, quibus rebus & hostes terreri, & suos incitari existimaverunt.* Vociferabantur autem ante pugnam *Alala*, quod erat quasi præludium, & incitamentum ad manus conserendas. Ita Athenæus *lib. 1. Audi, Alila, belli filia, votis pravia.* Plutarchus de gloria Athen: *Audi Alala belli soror, hastarum hoc exordium*, annotante ita Josepho Laurentio *lib. 2. Polymath. dissert. 39.* Clamore militum etiam volucres, ut corvos & columbas, velut turbine motas in terram decidisse, ex Livio, Plutarcho, Tyr. Æmilio & rerum Bel-

gicarum

gicarum Scriptoribus refert l. c. Camerarius. Sonum Septentrionalis ille specus Smellen dictus, projecto in ipsum animali vivo, tam horridum edit, ut suâ excellentiâ, aures propè positorum suffocet, ne audire, aut loqui, vel stare possint. Quò casu evenit, ut, qui armis & viribus à bellico furore reprimi non potuerunt, solo terrore mugientis naturæ tabescant, pristinum vitæ robur vel nunquam recuperantes. Ita Olaus Magnus *in Histor. Gentium Septentrion. lib. 11. pag. 323.* Quantum Leonis rugitus terrorem incutiat, norunt, qui rugientem audiverunt, mihique etiam procul, nedum propè, consistenti Leonis Pragâ Holmiam in Sueciam deducti rugitus An. 1650. ibi, quamvis nullum à captivô mihi imminerer periculum, non levi fuit terrori.

§. 2. V. Oratoriæ vis & in animos hominum potestas admiranda est. Axioma hoc est & effatum honore dignum, quod etiam Excell. Dn. Kirchmajerus *Eloq. in Acad. Witteb. Prof. celeberr. Fautor Amicus* in prooemio Medullæ suæ oratoriæ quartum esse voluit. At verba oratoris ministri sunt paratissimi, capiendis alligandisque animis sufficientissimi. Datô nutu per aperta auscultantium repagula ad animæ regiam penetrant, istamque fascinant & ligant. *Oratoris animus in ipsa auditorum pectora influit, & gratissimâ omnium servitute sibi mancipat, quæ simul atque ingressa est, quid non efficit? Inflammandi sunt animi? In ignem accenditur; pungendi? in stimulos acuitur; illustrandi? funditur in lucem; consolandi? spargitur in Nepenthes; compescendi? frenum est, sanandi? Panacea est; deliniendi? fit Sirenula; dici non potest, quot sunt lenocinantis facundiæ mites præstigiæ, quot & quam admirabiles effectus*, verba sunt elegantissima Eloquentiss. Caussini *l. c. lib. 1. cap. 4.* Verùm per verba fit iste animæ influxus, per verba fiunt præstigiæ illæ mites, effectusque admirabiles. Prælaudatus Kirchmajerus in resolutione prædicti axiomatis adnotat de *Vincentio*, quodam suorum Collegarum, Ludovicum Granatensem gloriatum fuisse, quod profligatissimorum in orbe hominũ septuaginta tria millia (Bellarminum grandi numero diffisum eundem ad viginti quinque millia contraxisse) sermonis vehementiâ eò adegerit, ut publicè terga flagellis cæciderint: & non rarò velut verborum ejus fulmine icti adeò fuerint stupefacti, ut in medio auditoriô, sublatô clamore, gravissima profiterentur crimina. Jure hunc dixerimus *δημαγωγὸν populi ductorem*, quo nomine Oratores suos Athenienses appellasse, testis est Gellius *lib. 33. c. 13.*

Ast nullâ aliâ re, quàm verbis capiuntur, sicque ab aure revincti ducuntur.

§. 3. VI. Verbis inesse efficaciam, ex antiquis senserunt illi, qui ex nominibus suis boni malive quidpiam hominibus contingere statuerunt, quasi vi naturæ occultâ & geniô quodam nomina sortiantur homines, quæ futuræ ipsis aut adversæ aut prosperæ fortunæ quædam velut præsagia sint, notante, & varia ex illis hujus argumenti exempla colligente Joh. Brodæo *Miscell. lib. 7. cap. 5.* apud Gruterum *Tom. 4. Thesaur. Critic. pag. 3.* Quare etiam omni studio, ut insignia liberis imponerentur nomina, veteres sunt conati. *Exemplo*, inquit Scaliger *exerc. 266. sunt nationes integræ, argumento ritus. Hebræi enim & Græci nunquam sine aliquo significatu. Sic & veteres Arabes. Romani verò non sine Deorum consensu nomina videntur indidisse. Quippe nunquam nisi factis sacris. Oppidorum quoq; nomina ominis causa vel indita, vel mutata: ut Massilia, Beneventum.* Bonis proinde verbis, cùm ad ominis sinistri averruncationem facere putarent, vacivas aures proni, malis verò obtusas inviti etiam præbuerunt. Pompejus exempli loco adesto. In acie Pharsalicâ à Cæsare hic victus, fugâ quærens salutem, cursu insulam Cyprum (ut aliquid in ea virium contraheret) classem direxit: appellensque ad oppidum Paphum, conspexit in littore speciosum ædificium, gubernatoremque interrogavit, quod ei nomen esset: qui respondit, κακοβασιλέα vocari. Quæ vox spem ejus, quantulacunque restabat, comminuit. Val. Maximus *lib. 1. cap. 5.*

CAPUT V.

Septima *Ratio nominum & Verborum, præcipuè linguæ Hebrææ, facultatem extollit. Hebræa lingua prima. Cuncta habuerunt nomina sua, antequam ab Adamo appellarentur, & hæc à rerum natura sunt petita. In Hymnis quædam Hebraica nomina ob majorem eorum vim Ecclesia retinere creditur. Verbis Hebraicis Judæus quidam incendium hîc restinguit.* Ultimam *rationem scripti verbi in curatione morborum vis & potestas parit. Domesticæ quoq; nostratium observationes, verba vim habere, testari videntur. Tandem* (III.) *Experientia pro fascinationis vocalis confirmatione opponitur.*

§. 1. VII. VErborum efficaciam efficax ipsorum nominum facultas, quam Paracelsus, Agrippa, Platonici & recentiores Gabalistarum

ſtarum fundamentis freti extulerunt, confirmat. Tantum autem Nominibus, ſanctioris præprimis quæ ſunt linguæ, ut Hebrææ, & quæ res ſanctiores ſignificant, tribuunt, ut per ea Moſen, Joſuam, Samuelem, Eliam, Eliſæum, Iſaiam, Danielem, imò Salvatorem noſtrum per vocem שמהמפרש *Sembammephoras* tot & tanta feciſſe miracula, ſcribant. Hebræa enim lingua (ab Heber abnepote Seth ideò dicta, quia in ejus familiâ diviſis per alias linguas cæteris gentibus remanſit) prima omnium, qua primi parentes fuerunt locuti, lingua fuit, ut habet Auguſtinus *lib. 16. de C. D. cap. 11. & lib 18 cap. 34.* adeoque nominibus ejus linguæ Adam appellavit cuncta. *Omne enim, quod vocavit Adam anima viventis, ipſum eſt nomen ejus. Appellavitq; Adam nominibus ſuis cuncta animantia, & univerſa volatilia cæli, & omnes beſtias terræ. Gen. 2.* Cumq; ſuis nominibus appellaverit Adam cuncta, nomen ante habuerunt, quàm appellarentur. Quod ſi verò ante appellationẽ ſua habuerunt nomina, nõ ex appellatione & uſu, hominumque voluntate, ſed ex rerum naturis ſunt nata, nominaque ea rebus ab Adamo impoſita ſecundum uniuſcujusque vires, quaſi cum nominibus vires & officia quædam diſtribuiſſet, ut nominibus obedirent. Plato *in Cratyl. vel de rectâ nom. rat.* quaſi huc digitum intendiſſet, ita loquitur & docet, quod quisquis nomina ſcit, & res itidem ſciat, quandoquidem nomini res eſt ſimilis. Qui autem nomen poſuit, ſcientem fuiſſe illum neceſſe eſt. Si male ſenſiſſet, nequaquam ſibi ita omnia conſonarent. Inſuper, qui res ipſas percipit, per id percipit, quod conſentaneum eſt ac decens, per mutuam illarum communionem ſcilicet, ſi quo modo invicem cognatæ ſunt, & per ſeipſas maximè. Quod enim aliud eſt ab illis, aliud quiddam, non illas ſignificat. Nomina verò, quæ rectè poſita, ſunt ſimilia illorum, quorum ſunt nomina, proindeque res per nomina percipiuntur, & nomina res ipſas ſignificant, vimque naturali quadam ratione obtinent. Atque hæc ex verbis, quæ Hermogenes, Cratylus & Socrates ibi miſcent, ſunt extracta. Marſ. Ficinus autem *in argum. in Cratyl.* ſpecialiùs hæc expreſſurus; *Nemo*, inquit, *mirabitur, tantam in veris nominibus vim latere, ſi modò conſideraverimus ipſam rei vim naturalem, quando verè cognoſcimus pervenire ab objectis ad ſenſus, ab his ad imaginationem, ab hac quodammodo & ad mentem. Deinde à mente concipi quidem primum, deinde per vocem exprimi quaſi per partum.*

Atq; in hac ipsâ voce suis quibusdam articulis constituta vim ipsam rei sub significationis formâ quasi vitam latere : vitam inquam ab ipsâ mente per semina rerum conceptam primò, deinde per voces editam, postremò per scripta servatam. Eodem tibicine, quem à Ficino mutuatus est, utitur Corn. Agrippa *lib. 1. de occult. Philosoph. cap. 70.* ubi hæc insuper tradit : *Hinc dicunt Magi propria rerum nomina esse quosdam radios, ubiq; semper præsentes rerumq; vim servantes, quatenus essentia rei signata in ipsis dominatur & discernitur, atq; res per illa tanquam per proprias & vivas imagines agnoscuntur. Sicut enim ex cœlorum influxibus & elementis cum virtutibus planetarum summus opifex producit diversas particulares; sic secundùm eorundem influxuum & influentiarum proprietates propria rebus nomina resultant, & imposita sunt ab eo, qui numerat multitudinem stellarum, omnibus eis nomina vocans.* Inde nomina in unâ linguâ producere effectus, quos nequeant in aliam translata, scripsit Origenes *lib. 1. & 5. contra Celsum.* Quare in suis characteribus esse conservanda statuit. Mars. Ficinus simili hoc utitur : Quemadmodum in corpore certâ ratione composito vita permanet, quo vel aliter compositô non permanet : Sic vitalis quædam divinis nominibus certo divinitùs modo compositis inest virtus, quæ illis permanentibus perstat. Eam ob causam in Hymnis verba quædam Hebræa, ut Halleluja, Osanna, Sabaoth, Ecclesiam retinere, quòd vis quædam & efficacia naturalis illis insit, conjiciunt. In Latina autem, ut alia, ista etiam verteret, nisi significationis valor & virtus periclitaretur.

§. 2. Solæ itaque Hebraicæ literæ ipsis sunt significativæ (quod præcipuum totius Cabalæ fundamentum) & illius rei nomen habent, quam significant, aliarum verò nationum literæ nil significant, sed tantùm imitantur nomina Hebraicarum. Quid autem significent Hebraici Alphabeti literæ, Gasp. Schottus *Technic. Curios. lib. ult, cap. 4.* ex Eusebio, Hieronymo, aliisque, item, quem ibi citat, Ath. Kircherus *in Oedip. tom, 2. class. 4.* docent. Magnam verò Cabalæ Hebræorum Rabini, & qui eos sequuntur, attribuunt virtutem, patrandi scilicet miracula, divina omnia atque humana mysteria cognoscendi, Spiritus bonos ad se vocandi, malos abigendi, creaturas mutas in obsequium trahendi. Specimen hujus egregium edidisse Judæum quendam concivium meorum ex vulgo multi credunt. Obortô enim ante triennium ad Turrim in Urbe hac lapideam, à plateâ lapideâ ita dictam, incendiô, Judæus quidam verba quædam Hebraica

braica in tribus domus flammis proximæ januis inscripsit, quibus ignem in obsequium ita traxit, ne præter duas, quas jam devoraverat, ædes plures absumeret. Idem ille, si benè memini, surgentis ante portam Judaicam Vulcani furorem pane, verbis quibusdam Hebraicis insignito, quem in flammam conjecerat, sedasse creditur.

§. 3. VIII. Si verbo scripto inest efficacia, majorem certè voci ore prolatæ inesse dicendum erit; quia hæc virtutis ab imaginativâ facultate imprimendæ magis est capax. Istud autem inde confirmatur. Nam Q. Serenus autor non infimi commatis, Gordiani Junioris, qui Seculô III. vixit, Præceptor, hanc ad Hemitritæum medelam commendat *lib. de Medicin. cap. 53.*

Inscribes charta, quæ dicitur Abracadabra,
Sæpius, & subter repetes, sic detrahe summam,
Ut magis atq; magis desint elementa figuris,
Singula quæ semper rapies & cætera figes,
Donec in angustum redigatur litera conum.
His lino nexis collum redimire memento.

Atque etiamnum ad Febres quoque amygdalis inscriptam vocem quidam, etiam emunctioris naris Viri, commendant & exhibent. Fernelius *lib. 2. de abd. rer. caus. cap. 16.* vidit scriptâ chartulâ collo subnexâ universi corporis icterum sanari. M. Servilium Nonianum Principem metu lippitudinis chartam duabus literis Græcis P. & A. inscriptam collo subnexuisse scribit Plinius *lib. 28. cap. 2.* Ab ipsis Apostolorum temporibus Evangelium pro amuleto suspendere usitatum fuisse, referunt Baronius & Bonartius apud Voetium *loc. cit. pag. 114.* Inter amuleta etiam versus sequentes, nocendi cupiditatem adimere, ut in loculis pecunia periculô careat, tradunt apud Majolum *Tom. 2. colloq. 3. p. 201.*

Imparibus meritis pendent tria corpora ramis,
Dismas & Gesmas, medio divina potestas.
Alta petit Dismas, infelix infima Gesmas:
Nos & res nostras conservet summa potestas:
Hos versus dicas, ne tu furto tua perdas &c.

Quidam cùm à rabidô cane morsus esset, transfixo pollice, panis crustam ut à latere vides, inscriptam, tribus sumpsit: quinquiesque dicta singulis

 vicibus

S	a	t	o	r
a	r	e	p	o
t	e	n	e	t
o	p	e	r	a
r	o	t	a	s

vicibus jejunus preces dominicam dixit pro quinque vulneribus Christi quæ moriendo accepit, nec non pro clavibus, ut dicunt: servatusque est immunis à maximô periculô. Ita Cardanus *lib. 8. de variet. rer. cap. 43.* Eidem malo hæc verba pani azymo inscripta, *Affra, Gaffra, Gaffritan &c.* prodesse dicuntur, annotante Sam. Hafenreffero *Nosodoch. lib. 3. cap. 7.*

§. 4. Tandem, ut domestica etiam subjungamus, verbis vim inesse plurium nostratium est opinio, inter prandendum vel cœnandum verba de lepore, si quem domi alunt, item de avium in nido degentium pullis, quos quis invenit, facere caventium. Eorum enim factâ tum mentione, fatali præprimis, mortis sequenti die subeundæ necessitatem exprimente, leporem vitam cum morte inopinatâ certò commutaturum, formicas verò avium pullos in nidis suis (nisi panis, quem præservativum mali esse dicunt, inferatur) devoraturas experientiâ edocti omninò statuere non dubitant. Lupum rustici non appellativô nomine den Wolff / sed das Unthier / den Graustiel indigitant, metuentes ne ob appellationem istam majora lupus domesticis animalibus damna inferat. Mulierculas dentientibus pueris ad hoc vix adducas, ut dicant: Das Kind kriegt Zähnlein; sed ajunt, das Kind kriegt Hackerlein / Wölflein. Cùm germanicâ dentis appellatione in dentitione dolores augeri credant. Sunt, qui Acidulas simplici nomine das Wasser appellare recusant, sed rationem petenti reddere nesciunt, communi ista se excusantes. Es soll nicht gut seyn. Cum de mulieribus magiæ suspectis vel sagis loquuntur, hæc, factâ ejus diei, quo loquuntur, denominatione adjiciunt, v. g. heut ist Montag / ist Wein und Brod feil. Ita enim præcaveri censent, ne sermonem institutum Sagæ rescitscant.

§. 5. (III.) *Experientiam* multam vulgus jactat eorum, infantium inprimis, qui post laudationem nimiam, in deteriorem delapsi statum, fascinationis cum certissimâ sanitatis, imò vitæ jacturâ conjunctâ senserunt effectum in nullam aliam causam referendum. A posteriori quoque ex sanitatis, remediorum fascinationi sacrorum ope, facta recuperatione ceu effectu colligit & experientiam crepat idem. Ipse ego, si vera fatendum, inficias ire nolo, me non semel observasse infantes optimè

optimè valentes garrulorum, gestatricum testimonio, objectaque fixioribus oculis usurpantium consortio admotos, domumque deportatos de subitò valetudinis læsæ sensisse incommoda, sed ex usu remediorum ad fascinum commendatorum sanitatem recuperasse.

§. 6. Ex ore & manu Pastoris cujusdam conscienciosissimi fideque dignissimi nuper accepi, fœminam quandam homines & animalia insciam & ἄνευ προαιρέσεως fascinasse (habe Leut und Vieh beschrien) ut vicinis hoc nomine fuerit infesta, & fugerint, quotquot connatam fascinandi facultatem cognoverunt, ejus præsentiam incolæ. Id mœrorem & quendam conscientiæ scrupulum peperit fœminæ. Confessionarius facti hujus iniquitate, quam fuerat questa illa, cognita, verborum cum vicinis miscendorum brevitatem, precum ad Deum fundendarum continuitatem, & ex ædibus egressuum raritatem suasit, prudenter ratus, si testudinis domiportæ instar domi se pia contineret, fato illius duriori sic fore consultum. Bona illa alias, quòd piam & inculpatam inter suos semper egisset vitam, fama frui solita, hoc solo, quòd fascinatrice lue esset prædita, famæ nævum, naturæ tamen, non voluntatis nævo, contraxit. Nullam naturalis mali causam aliam alii excogitare potuerunt, præterquam, quòd post ablactationem semel factam eidem infanti deinceps ægrotanti, solitoque vehementiùs ploranti mammas mater reddiderit, eumque denuo lactarit. Hæc dum scribo, in pagum urbi huic vicinum avocatus, puellam infantes & anserculos fascinandi virtute præditam, ibi degere, bonâ fide narrant plures. Anserculos præsertim ejus visu & voce perire dixerunt. Was es ansehe und begäckere/ das sterbe: ut propterea parentes liberiorem filiæ egressum negent, atque vicini ejus præsentiam caveant, & ab anserculorum grege arceant. Fascinationis, quæ invita etiam puellâ fit, causam pariter in ejusdem ægrotantis ad mammas regressum denuò post ablactationem factum referunt.

SECTIO

SECTIO III.

Utrique Fascinationi, visuali & vocali, communia tradit.

CAPUT I.

DESCRIPTIONEM FASCINATIONIS *Vulgaris, ejusq; subjectum, modum & Efficientem causam proponit.*

§. 1. HIs ita, quæ pro fascinante ore & oculo, seu Fascini vulgaris Existentiâ, ejus sectatores partim obvertunt, partim obvertere possunt, præmissis, *Descriptionem* Fascini vulgaris subjungemus. Roderic. à Castro *Medic. Politic. lib. 4. cap. 1.* hanc ad eorum mentem fabricat: *Fascinatio Vulgaris* est, qua ipsa visione seu aspectu visivo fascinantis, vel etiam invido aliquo laudante, eo solo, quod malignè & malitiosè aspicit vel laudat alium, à quo est averso animo, læsio fit. Ut si ex invidiâ affecti oculos infigunt, & quasi veneno tincto telo homines impetunt. Vallesius sic definit: Fascinatio est passio oculis illata & concepta, profecta ex quadam affectione animi ejus, qui intuetur. Corn. Agrippa *lib. 1. de occult. Philos. cap. 50.* ita: Fascinatio est ligatio, quæ ex spiritu fascinantis per oculos fascinati ad cor ipsius ingressa pervenit. Sed hæ posteriores angustiores sunt definito ipso, quia sub definito non continetur fascinatio vocalis, quæ tamen ad vulgarem spectat.

§. 2. *Subjectum*, seu id, quod fascinat, ratione *speciei* Homo & animantia bruta sunt, v. g, Basilicus & Catoblepa, quæ visu fascinant. Voce autem bruta fascinare nemo asserit. Sed in specie humanâ ratione *Sexûs*, ajunt, plures fascinantes fœminæ sunt, quàm viri, quòd fortiori lapsu à temperamento decedant, plurimisque noxiis vescantur, indeque singulis mensibus superfluitatibus expleantur & sanguis ebulliat melancholicus. Ratione *ætatis* inter fœminas maximè vetulæ fascinant, quia menses in illis per ætatem & absentiam caloris promtiùs vertuntur in venenum, & menstrua purgatio suppressa & venenata reddita, in corpus omne redundat, & Spiritus inficit, eos potissimum, qui ab oculis foràs exiliunt, hi verò aerem contaminant, pueros & tenellos fascino lædunt. Rod. à Castro

à Castro *l. c. pag. 209.* *In sexu masculino aspectus adolescentis fascinat seniorem*, inquit Mars. Ficinus *l. c.* *Quoniam verò Senioris humor frigidus est atq; tardissimus, vix dorsum cordis attingit in puero, & ineptus ad transitum, cor, nisi propter infantiam sit mollissimum, parum admodum commovet. Hæc ideò levis fascinatio est: illa verò gravissima, per quam junior transfigit præcordia senioris.* Ratione *temperamenti*, sanguinei & melancholici potissimùm fiunt fascinatores: illi propter levissimos, quibus gaudent, spiritus, qui ad caput facilè devenientes, & per oculos procidentes igneam quandam vim exerunt: hi propter vitiosam naturam spiritus & radios visivos habent vitiosos. J. B Porta *l. c. lib. 8. c. 14.* ait de sanguineis, ex parte quadam de cholericis, & iis, qui oculos habent amplos, nitentes & glaucos, casteque vivunt (ne frequenti coitu humorum succus exhauriatur) eos frequentissimô intuitu, diutissimâ imaginatione, cum aciem aciei dirigunt, radios radiis, & lumina luminibus conjungunt, fortasse amorem accendere posse.

§. 3. Ratione *accidentium & circumstantiarum* aliarum homo non modò invidus, iratus, malignus & malitiosus, sed & benevolus, scilicet amici, familiares & parentes fiunt fascinatores. *Haut sanè ignoras, quòd & amicis, & familiaribus & parentibus nonnulli oculum fascinantem esse existimant: usq; adeò, ut mulieres non ostendant illis pueros, nec diutiùs ab hujusmodi hominibus inspectari sinant.* Plutarchus *5. Sympos. cap. 7.* Item qui impensiùs laudant. Atque hinc Virgilius *Eclog. 7.*

Aut si ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Quin & idem seipsum fascinare potest, quod apud Plutarchum ibidem de Entelida Patrocleas recitat, qui, cùm sibi in flumine pulcher esset visus, propria specie captus, lethale sibi ipsi fascinum intulit, habitumque nitidiorem cum formâ perdidit, Narcissi exemplô, quem simili fato fata ultima sibi accelerasse Ovidius *3. Metamorph.* narrat. Nimirum refluxionibus, aquis, speculô vel fonte resilientibus in videntem imaginem retorquentibus sibi fascini perniciem intulit ille, ut sensit J B. Porta. *Sic*, inquit idem, *se propriô pueri fascinant fascinatu, parentes verò veneficis & fascinatoribus causam adscribunt.* Nostratium plurium animis ea insidet persuasio, eos, qui capitiô nocturno induti diutiùs justô matutino tempore incedunt; & qui jejuni caseum vel pisa masticarunt; item infantes semel

ablactatos, si ad lactationem denuò invitantur, homines ac bruta deinceps fascinare.

§. 4. *Objectum*, seu id, quod fascinatur, est non tantum homo, sed & bruta, ut pecora pastu, cultuque opima, equi, agni, canes, gallina, pulli gallinacei, anserculi &c. Item flores, plantæ arbores & segetes lætiores. Imò etiam inanimata, ut specula, vasa pulcriora & utensilia quæque lignea, argentea, aurea. Animatorum autem ea præcipuè, quæ pulchra sunt & ætate minora, quia tenuiorem, adeoque ad suscipiendas malignorum characterum impressiones aptum habent sanguinem, periculum incurrere perhibent. Vid. Alex. Aphrodiseum *liq. 2. probl. 50.* Hinc ad illud Virgilii: *Nescio quis teneros &c.*, Servius hæc habet: *Dicit causam maciei, & per transitum pulchrum se habere pecus significat, quod utiq; meruit fascinari.* Fascinô promtiùs infantes in linteis & indusiis nunquam lotis corripi nostrates sentiunt: & est in urbe hac, quæ infantis sui, quòd indusiô à susceptrice datô, non lotô eum induisset, ad mortem ita, ut sibi persuadet, fascinati obitum etiamnum deplorat, mater. Fœminas, cujus caput duæ aliæ comunt & capillos componunt, facilius eo die fascinari ferunt. Deformissimos quoque à fascinatione non esse tutos plebeii censent, aculeatis verbis deformitatis vitium nimis reprehendentibus istam procurari sentientes. Homines etiam faciem à fascinantis ore aversam tenentes, nihilominus tamen à tergô fascinari & lædi posse, iidem affirmant.

§. 5. Modus, qui formalem rationem continet, fit vel visione seu aspectu & oculô fixô, quem ὀφθαλμὸν φάσκανον Plutarchus, Cœl. Rhodiginus *antiq. lect. lib. 36. cap. 22.* fascinatorem oculum vocat; vel impensiori laudatione, seu verbis blandissimo ore prolatis his vel similibus: Ey ist das nicht ein schönes Kind! Je hab ich doch mein Lebtag kein schöner Kind gesehen! Stehet dem Kind nicht alles so schön an / rc. ita fascinari, inque tabem & malum statum infantes conjici credunt, nisi adjiciantur verba: Daß dich GOtt behüt: GOtt behüt und bewahr es / quæ fascinum amoliri putant. Es sitzt einer und spielt / und gewinnet. Der ander sagt: Ey wie gewinnest du also sehr? Bald wendet sich das Glück / und diesem wird gesagt; du hast mich beschrien. Zuvor gewann ich / nun kan ich nicht mehr gewinnen. Joh. Agricola in Teutschen Sprichwörtern pag. 271. Est & modus, cum reprehensore oculo gravioribus verbis deformitas nimia notatur.

§. 6. Effi-

§. 6. *Efficiens proxima* fascinationis spiritus sunt visorii. *Vid. Sect. 1. cap. 2 §. 3.* & verba à fascinante ore prolata. *Remota* Imaginatio per odium, iram aut invidiam suscitata & defœdata, qualitatem noxiam istis imprimens. Sed quæ ratio in benevolis, amicis, parentibus, qui ab affectibus pravis immunes præsumuntur? Respondet Plutarchus *loc. cit. c. 5.* his verbis; Audacter dico, universas quidem animi affectiones, quibus diu insunt, in iis melancholicos habitus ingenerare. Hi cum naturæ vim cœperunt, qualibet ex causâ moti sæpe etiam invitos homines in jam proprias & consuetas perturbationes deferunt. *Et paulò post*: Nulla itaque admiratione dignum, si, qui invidendi & fascinandi habitum contraxerunt, etiam adversus familiares ex propr[...]ate moventur; ast ubi moti fuerint, quod natura solet, efficiunt, non quod v[...]nt. Quemadmodum enim sphæram sphæricè moveri, & cylindrum in mo[...]m cylindri necesse est; ita & hominem sic invidiâ affectum invidenter adversus omnia moveri.

§. 7. Langius *lib. 2. Epist. Medic. 36.* & Fracastorius *de Sympath. & Antipath. cap. 23.* ita se in hoc negotio explicant. *Nec oculi tantum*, inquit ille, *sunt hujus execrandi mali organum, sed & vox, & quorundam hominum maledica lingua, quæ non corpus modo, sed animam quoque inquinat.* Et paulò post: *Nec temerè id fieri Philosophi tradunt. Laudatio nempe lætitiam in corde parit, & spiritus vaporulentos: quos turbulentos in faciem & oculos calor dispergit, per quos fascini virus ejaculatur.*

CAPUT II.

Opinionis de Fascinatione originem eruit. Quomodo verba vim & facultatem acquirant, exponitur. Sententia prima Astrologorum est, qui ab astris eam derivant. Secunda Avicennæ & aliorum, qui ab Imaginatione arcessunt. Digbæi, Fracastorii & aliorum in eo consentientium rationes adducuntur. Tertia Pomponatii est, qui varias hîc comminiscitur causas.

§. 1. UNde verò ipsa hæc de Fascinatione opinio nata sit: quærenti respondet Vallesius *Sacr. Philos. cap. 68.* præsupponendo 1. pueros solitò nitidiores & crassiores esse. 2. Solere sæpissimè occurrentes & viros & mulieres eos admirari, laudare, atque attentè intueri, & ulnis gestare, moticare, ac denique cum illis ludere. 3. habitum (ἕξιν) qui ad sum-

summum bonitatis attingit, periculosum esse juxta Hippocratem *lib. 1. aph. 3.* & secundùm Celsum *lib. 2 cap. 2.* qui nitidiores solitò sunt, suspecta bona sua habere debent. Periculum exponit prudentissimus Senex ibi; *Neq; enim possunt in eodem statu* (qui ad extremum venit) permanere: quia ut *2. aph. 20.* dicitur, *omne nimium est naturæ inimicum.* Hippocrates alter Galenus fusè periculum idem exponit *cap. 37. de optimâ secta ad Thrasyb.* & in libr. περὶ ἐυεξίας *ac 2. Epid. 2.* Concisè Heurnius *comm. ad aph. 3. lib. 1. Sed causam*, inquit, *jam videamus, cur habitissima hæc constitutio tanti periculi sit? Inprimis metus est, ne tenellula illa vasa (in quibus fervet sanguis) partium spirabilium ac hepatis dehiscant: vel ne extincto calido nativo nimiâ sanguinis ab ubertate præcipiti virium lapsu rapiantur homines: vel ne interceptis carotidum viis spiritus vitalis aditu ad cerebrum prohibeatur.* Præter habitum ad summum bonum nos alias infra *lib. 2.* dabimus causas. Interea verum manet, quod Vallesius ibi subjungit, cum pusilli ob naturalem habitum non rarò soleant, cùm viderentur optimè habere, in magna pericula repentè incidere, vulgus causam non intelligens in laudatorum, quales illi quotidiè habent quàm plurimos, oculos & invidentiam rejicit. Illos secuti sunt Viri alioqui eruditi, &, ut est talium ignorantia diserta, processit paulatim res ad agnos, ad gallinas, ad equos, ad segetes, ad arborum fructus, ad ipsa metalla, ad specula, ad lapides; cùm rubigine obducuntur, hebetantur, franguntur, comminuuntur. Primos autem hujus de Fascinatione vulgari opinionis autores & patronos inter Ethnicos surrexisse, Tertullianus testatur. *Est aliquid*, inquit, *etiam apud Ethnicos metuendum, quod fascinum vocant, infeliciorem laudis & gloriæ eventum.*

§. 2. Jam unde & quomodo verba vim & facultatem acquirere credantur, explorabimus. Nodus hic est Gordius, in quem solvendum ingenii aciem multi, sed frustra, intenderunt, nec, qui hunc solvat, Alexander erit unquam. Cardanus *lib. 2. tr. Contr. Medic. 7. pag. 500.* tres hac in causâ opiniones fuisse scribit, primam Astrologorum, secundam Avicennæ, tertiam Pomponatii.

§. 3. (I.) Astrologi dicunt, causam esse ab astris: utque illa perpetuò miracula in herbis ac animalibus pariunt, sic etiam in hominibus & in aëre: unde Albumasar in Sadan dixit: quòd si quis Jove cum capite in cœli mediô junctô aliquid à DEO petat, eum impetraturum, seque petiisse

scien-

ſcientiam Conciliator affirmat, viſumque ſibi profeciſſe petitionem. Ptolomæus verò in 4. quadripartiti dicit, eum, qui habuerit Lunam dominam artis in geniturâ in Sagittario vel piſcibus, convocaturum dæmones ac mortuos, illosque ei pariturós. Hactenus Cardanus. Anton. Carthaginenſis apud Gutierrium *loc. cit. p. 30.* aliquibus virtutem faſcinandi ineſſe contendit à malevolô aſtrorum influxu, cœlique peſſimô aſpectu concurrente eo puncto momentove, quo quispiam hominum uterô egreditur, aeremque experitur, ipſeque ab eo inſpiratur, tunc, ait, infelix ille infans, cœleſti illâ, ſed malevolâ configuratione ſigillatus, inficiendi, ſeu faſcinandi potentiâ inſignitur, qua plantas & animalia, homines potius, ſed & petras etiam, deſtruere valeat. Idem infert, quemadmodum animalia ſunt, quæ cœleſti quadam vi aliis ſunt noxia ac venenata: ſic homines aliis hominibus noxii ac malefici faſcinatoresque ſupernâ aſtrorum virtute exiſtere poſſunt. Inſuper contendit & aſſerit mixtionis modum aliquem requiri, ut aſtra illas & ſimiles qualitates in homines influant: tales autem venenoſos dici non poſſe, quia non habent principium intrinſecum neceſſarium venenandi: propterea faſcinationem etiam à manifeſtâ qualitate evenire poſſe, ſcilicet ab humore venefico putridôque in habitum converſo, qui, per oculos transmiſſus, adſtantem puerum teneramve mulierem, inficiat. Corn. Agrippa *lib. 1. occult. Philoſ. c. 71.* totus etiam & laborioſus eſt in eo, ut oſtendat, qua ratione virtus ab aſtris in carmina ad eorum nomen compoſita derivari queat.

§. 3. (II.) Avicenna (Cardano iterum auſcultamus) *lib. 8. de Animalib. cap. 7.* in fine dixit, quòd cauſa horum omnium ſit Imaginatio. Atque ibi varia pro confirmandâ Imaginationis & conſenſûs communis efficaciâ adducuntur exempla, ut oſcitante uno, oſcitat & alter, mingente uno, mingit & alter: cùm aliquem torqueri, uri, ſecari conſpicimus, ejus dolemus vices, cum videmus aliquem edere, quæ obſtupefaciunt dentes, in dentibus & nos ipſi ſtuporem patimur. Quin & hæc ejusdem fuit ſententia, referente Chriſtoph. à Vega *Art. Med. lib. 2. Sect. 6. pag. 307.* Ficino *tr. de Virib. Imagin. quæſt. 4.* & ex hoc Deuſingio *exam. pulv. Sympath. pag. 538.* animam humanam per fortem imaginationem non ſolùm proprium corpus, ſed etiam externum realiter transmutare, poſſe corpus ſanum (non modò proprium, ſed & alienum) ad ægritudinem, & ægrum ad ſanitatem convertere, corpora faſcinare, grandines, nives, ventos, ex-

citare, & siderum virtutes à cœlis depromere, hominem longè remotum & equo insidentem dejicere, & in puteum prosternere. Et *4.6. natural. cap. 4.* dicit Avicenna, mirum id non esse, quandoquidem Anima sit forma spiritualis, & corpori non necessariò cohærens, adeoque congenea supernis intelligentiis: quas uti absolutam in corpora sublunaria potestatem habere, & per se formas in materiam eorum inducere posse putat; ita quoque censet, animam eorum naturam imitari, in tantum, ut agere possit sine contrariô; operari in distans sine mediô; & tantam in res omnes materiales exercere potestatem, ut plus ab eâ, quàm ab ipsis agentibus naturalibus valeant alterari: sic, ut possit hominem sine matre, uterô & semine, & plantam sine semine generare. Atque hæc ita certa esse credit, ut 201. suæ Philosophiæ ineptos omnes esse dicat, qui hæc non credunt. Montanus *comm. in 2. fen. 1.* & Avicenna apud Marcellum Donatum *lib. 2. cap. 1.* se hominem quendam vidisse ait, qui ex solâ forti imaginatione, quoties volebat, in factô circulo plus quàm centum serpentes convocabat, quòd, etsi verba quædam susurraret, non virtute verborum sed & fortis imaginationis præstitisse contendit: sic & nonnullos ex forti imaginatione, non ex verborum virtute, extrahere sagittas & vulnera curare, tradunt. Corn. Agrippa *loc. cit. cap. 65.* animam fortiter elevatam ac vehementi imaginatione accensam mutare sanitatem vel ægritudinem non solùm in corpore propriô, sed etiam in corporibus alienis scribit.

§. 4. Ut autem in hoc Fascinationis negotiô Imaginationis vires, ad quas sæpè confugiunt, quantum tractationis nostræ ratio permittit, pluribus exponamus, videmus Avicennam, si efficiendi modum attendamus, statuere Imaginationem, ea omnia præstare solo animæ imperiô: quamvis D. Thomas loco §. seq. indicando Avicennæ mentem aliter hîc interpretari conetur. Avicennæ vestigia legunt alii, etiam hac nostrâ ætate. Helmontius *loc. cit. pag. 504.* ait, in homine sitam esse energiam, qua solo nutu & phantasiâ suâ queat extra se agere, & imprimere virtutem, aliquam influentiam, deinceps per se perseverantem & agentem in objectum longissimè absens. Atque hoc ingens mysterium appellat, quod propalare hactenus distulerit, dicit ibidem. Alii imaginationem ipsam verba virtute imprægnare sine probatione asserunt. Illustrissimus Comes Kenelmus Digbæus Eques & Reg. Angliæ Cancell.

cùm

cùm *Orat. de Pulv. Sympath. pag. m. 107.* fortem hominis alicujus imaginationem in imaginationem alterius debiliorem, & magis passivam mirè agere dicat, & probet, etiam in aliena corpora, atque multò magis in proprii corporis verba agere eaque alterare posse imaginationem, inferre licet. Probat autem Illustriss. Comes suum institutum ita: Singulis fermè horis videmus, quòd oscitante uno oscitet & alter. Quando fortè fortuna in homines effusissimè ridentes incidimus, vix ac ne vix quidem risum continere possumus, licet causam, ob quam alii rident, ignoremus. Si intramus domum, ubi omnes contristantur, melancholici evadimus: nam sicuti dicebat ille:

> ---- ---- ---- *si vis me flere, dolendum est*
> *primùm ipsi tibi.*

Fœminæ & pueri, quippe qui multâ humiditate scatent, & flexilis admodum animi sunt, omnium maximè fastidioso huic imaginationis contagio subjecti sunt. Novi mulierem, complexionis admodum melancholicæ, & uterinis affectibus plurimùm obnoxiam, quæ se à dæmone obsessam credebat, & admirandas actiones, quæ ab hominibus parum circumspectis pro supernaturalibus & dæmoniacis propriis habebantur, edebat. Erat autem fœmina nobilis, & in hæc mala solummodò ob acerbissimum dolorem, quem ex morte mariti susceperat, inciderat. Hæc ipsa secum habebat quatuor vel quinque virgines, quarum aliæ ipsi cognatione conjunctæ erant, aliæ verò ut pedisequæ famulabantur. Hæ simul omnes æquè ac ea obsessæ videbantur, atque non minus prodigiosas operationes exercebant. Separabantur itaque ab eâ hæ puellæ, ejusdemque conspectui ac convictui subductis (malum enim apud eas nondum tam altas radices egerat) sola dominæ absentia in præsens remedium cesserat: quin imò illa ipsamet, atrâ bile è corpore suo, opem ferentis Medici interventu, eductâ, restitutôque in integrum uterô pristinam valetudinem recuperavit. Hæc ille. Imaginatione, ut habet Christoph. à Vega l. c. ferunt homines, quos alexicacos appellant Hispani, salutatores sagittas & spinas evellere, & per focum aut districtos enses sine noxâ incedere.

§. 5. Alii autem imaginationis vim per Spiritus ex imaginantis corpore expulsos explicant. Hier. Fracastorius *de Sympath. & Antipath. cap. 23.* in spiritibus his à fascinante ejaculatis pedem figit & dicit, phantasiam

siam intentam posse etiam fascinum inferre, non quidem ab unoquoque hominum, sed à certis solùm, quorum humores & spiritus adeò remoti sunt à naturâ aliorum, ut pene venena sint. Ii igitur conceptô in infantem odiô intensissimè intuentes, spiritus quosdam ex oculis, & totâ è facie ejaculantur, qui ad teneros infantis spiritus appliciti eos, uti venena sensim absumunt: ex oculis autem & è toto corpore evaporare insensibilia corpuscula monstrant specula, in quæ mensibus laborantes mulieres inspectant; spurca enim & squalore quodam ac situ obsita redduntur. Legimus & familias quasdam fuisse in Cretâ, qui laudando fascinum inferebant. Quod certè uti possibile, recipiendum est. Existente enim naturâ quorundam perinde ac venenosâ & ejaculatis ex oculis eorum spiritibus perniciosis, nihil prohibet, non infantes solùm, sed & grandiores fascino affici, laudando autem maximè: quoniam laus propria lætitiam parit, lætitia autem dilatationem tum cordis, tum & totius faciei, & præcipuè oculorum, unde aditus quodammodo aperitur veneno, quod è fascinatore ejaculatur. Hactenus Fracastorius. D. Thomas *lib. 3. contr. gentes c. 103.* apud Majolum *tom. 1. dier. canic. colloq. 3.* huc quoque inclinat, inquiens: *Quod autem de fascinatione inducit Avicenna, ita accidit, quia mediante motu cordis immutatur corpus conjunctum; cujus immutatio provenit ad oculum, à quò infici potest aliquid extrinsecum, præcipuè si sit facilè immutabile, sicut etiam oculus menstruatæ inficit speculum. Habent igitur hujusmodi mulieres effascinatrices tantam cordis, simul quoq; corporis sui infectionem, ut facilè inficiant naturalis imaginationis vi, quæ tantum potest, ut vel etiam exaniment seipsos ii, qui acriùs imaginando mente aliquid concipiant.* Majolus ibi exemplum subjicit sponsi cujusdam, qui cùm ipsâ insciâ furtivâ quadam familiaritate adolescentulam sponsam deosculatus esset, ea intra unius horæ intervallum, tametsi summâ, optimaque valetudine periit. *Tanta*, inquit, *sese affecerat vi imaginationis velut admissa turpitudinis.* Sed lascivæ cupiditatis petulantiam virus ad oculos emisisse, ait Torreblanca *loc. cit. pag. 331.*

§. 6. **Eundem mediantibus spiritibus afficiendi modum in Imaginatione agnoscit Dn. D. Libavius** *Tract. de Cruent. cadav. §. 194. Nam,* inquit, *certâ ferè constat experientiâ posse aliquantulum dirigi expirationes per fortem imaginationem & aspectum ejus, à quo expirant, sicut in fascino & contagiosis morbis.* Et *Tom. 3. Alchym. tr. de impiet. Magia Paracels.*

racelſ pag. 83. Morbos aliquos, ait, *imaginando induci in corpora propria aliquando contigit, ſed non ſine affectu & diſpoſitione. Ita matres ſibi cohærentes fœtus poſſunt depravare. Cum faſcinantur equi, agni, tenelli, pueri &c. fit ſpirituum & habituum venenatorum in paſſibilia corpora, mediantibus ſpiritibus eorundem, impreſſio. Spiritus valens ſpiritum imbecillem, maximè quà patet, ut in oculis, facilè inficit. Iſti ſpiritus intendi poſſunt cogitatione directâ.* Sic & Petr. Apponenſis in *comm. & Probl. 6. Sect. 7.* Ariſt. referente Gutierrio pag. 161. cauſam cruentationis daturus dicit, interfectorem virtute fortis ſuæ imaginationis impreſſiſſe per viſum Spiritus inimicitiæ ſuccenſos in interfectum tempore interfectionis, qui ad præſentiam interfectoris moveantur ex interfectô ſuo ad interfectorem ſuum, unde exiverunt, propter quod cauſatur motus in corpore interfecti, & vulnera ſic ſanguinem emittunt. Paracelſus, dum *fragment. lib. Philoſoph. de virt. Imaginat. pag. 304.* dicit, imaginationes noſtras ad cœlos usque elevari, eos inficere, & *lib. 3. de orig. morb. inviſib. pag. 274.* ut magnes viſibiliter trahit ferrum, ita & imaginationem trahere inviſibiliter corpora, imaginationis vim non per animæ imperium explicare poteſt, quia nudum illud aſtra inficiendi virtute caret; nec per ſpiritus & expirationes, quia devenire eò nequeunt; ſed per radios, quos, ut loquitur Delrio, nonnulli velut Alkindus *lib. de Imag.* ſomniant.

§. 7. (3.) Pomponatius, ut ad Cardanum revertamur, præmiſſis quibusdam præſuppoſitis omnia ejusmodi experimenta in quatuor cauſas refert; ſcilicet in operationem rerum ipſarum dolô diſſimulatam: in Hominis propriam naturam; in Imaginationis vim, ut reliqua immutat manifeſtè; & in Aſtra. Verùm quia nihil, quod uberiorem mereatur declarationem, hic occurrit; ad alia properamus. Hoc ſaltem ex eo annotamus, ſtupenda ab homine fieri poſſe, non vi incantationis, ſed incantatoris, idque occulta hominis proprietate. Quemadmodum enim lapides & herbæ cœleſti virtute mirandas ſortiuntur vires: ita cœli influxu unum præ alio accipere virtutem mirifica patrandi ait.

CAPUT III.

Signa Fascinationis tum ex mente quorundam Medicorum, tum ex sententiâ vulgi recenset.

§. 1. AD veritatem per *Signa* Fascinationi propria se devenire posse cum vulgo autores censent. Quæ autem ea sint, non eadem omnium est sententia. Cardano *lib. 2. de Venen. cap. 7.* Fascini indicia sunt color mutatus, oculi tristes & demissi cum lachrymis aut nimium sicci, suspiria, cor triste, vigilia, insomnia multa, macies in corpore toto, & inprimis pallor. Item Hyacinthus rubens & corallia rubra in fascinô impallescunt, nitoremque amittunt, & si annulum digito immiseris ex asini ungulâ, sitque latior post aliquot dies, fascinô vel veneficiô affecti est indicium. Carthaginensis apud Gutierrium fascinationem signa cum veneni infectione & lactis corruptione habere communia tradit: tandem Pathognomonica quædam fascini signa, quibus effascinati pueruli ab illis, qui ob lactis corruptionem, Epilepsiam, aut aliud damnum torquentur, dignoscantur, dummodo constet, puerum convenienti lacte in qualitate & quantitate uti, subjungit: suntque 1. vitalis virtutis defectio quæ ex debili pulsu, raro tardoque deprehendatur. 2. convulsivus motus membrorum, ille scilicet, qui in Epilepsiâ correptis apparet. 3. appetitûs alimenti dejectio cum nausea aut vomitu. 4. terror à somno, fletus, inquietudo, quibus nec nutricum lactiferæ mammæ, nec dulcis cantilena, nec parentum mulcebris delicia prosunt. 5. Dejectiones lotiaque aut viridi, aut lucido colore infecta.

§. 2. Persæ, eodem autore, quo fascinum propalent, solent apponere capiti patientis, linteum, lotio ejusdem imbutum, & super caput exsiccari permittunt: inde considerant in linteo, an maculæ quædam appareant, tunc maculis visis patientem prædicant fascinatum; ast pannum lineum requirunt omni sorde expertem. Carrichterus à Joh. Hiskiâ Cardilucio editus pag. 491. cœruleum circa oculos colorem, inquietudinem & ploratum fascini (wenn die Kinder beruffen sind:) signa constituit. Mercurialis *l. de morb. puer. cap. 3.* ex macie remedia naturalia omnemque artem eludente fascinum concludit, præsertim, si extenuationis illius nulla alia sit causa neque interna neque externa, nec ex parte nutricis, neque infantis.

§. 3. Vulgus nostrum ex insanâ credulitate Fascino nimiùm addictum, ut fascinum exploret, prunas tres quercinas in pelvim aqua fluviali plenam, cunisque subditam, silentio injicit. Ex earum supernatatione fascini absentiam; ex earundem verò descensu præsentiam colligit. Sunt qui panis segmentum cultro tribus crucibus insignito trajiciunt, atque ita trajectum panem cum cultrô pulvinari, cui infans indormit, per noctem relinquunt. Cultri à rubigine infectionem sequenti die repertam fascini; puritatem autem immunitatis à fascinô indicem esse proclamant. Salsus sapor in infantis fronte lambendo deprehensus signum etiam fascini mulieribus nostris est indubitatum. Periculosius autem eos decumbere qui impensius, præsertim à tergo, laudantur: si terram insimul respicit laudator, lethalem fieri fascinationem existimant.

CAPUT IV.

Curationem tradit: Et quidem ex mente Veterum inter remedia præservativa occurrit primò Priapus. Cur hortis Satyrica signa addita, exponitur. Coccinea licia etiam fascino avertendo fuisse, creditum. Vox ἀβασκάντως, *præfiscine, fascini alexiterium, item aliæ plures formulæ: Versus Fescennini, unde dicti? Adoratione etiam fascino occurrerunt; item despuitione, luto, fortunæ secundæ occultatione, casu adverso, rutâ, alysso &c.*

§. 1. UT tandem ex his turbis, quibus impliciti hactenus fuimus, nos asseramus, ad *Curationis* portum concedemus, remedia, quæ tum Veterum, tum recentiorum fontes ad Fascinum commendant, visuri. *Veteres* obscœnæ religionis squalore fascinati obscœna quæsiverunt fascino remedia curativa & præservativa. II. Inter hæc *Fascinus* DEUS seu *Priapus*, *Mutinus* à mutone, *Tetinus* à tensione etiam dictus, primô limine occurrit, quem pudendi masculi formâ repræsentatum ceu fascini fugatorem & propulsorem è collo pueris, velut amuletum, suspendebant, ut intuentium oculos sic depellerent, & omne fascini genus averruncarent. Omnia enim turpia, teste Plutarcho *Symposiac. lib. 5. probl. 7.* malos invidorum oculos avertere, crediderunt. Verba hæc sunt: διὸ καὶ τὸ τῶν προβασκανίων, γένος οἴονται πρὸς τὸν φθίνον ὠφελεῖν ἑλκομένης διὰ τὴν ἀτοπίαν τῆς ὄψεως ὥστε ἧττον ἐπιρείδειν τοῖς πάσχουσι, i. e. *idcirco etiam fascini genus putant ad tabem condu-*

cere exserto ad incommodum visu , ita ut imbecilliùs sustineant dolorem. Isaac Hortibonus *lection. Theocrit. cap.5. pag.m. 308. hîc notat* προβασκάνιον *vocare Plutarchum , quod Latini amuletum vel mutinum , rectèq; Glossarii autorem mutinum explicare* προβασκάνιον *seu* προβασκάνθιον. Sic Varro *lib.6. de LL. Quare turpe id obscœnum, quod nisi in scœnâ palam dici non debet. Potest vel ab eo, quod puercis turpicula res in collo quadam suspenditur, nequid obsit bonæ scævæ causa.* Joh. Scaliger *in conject. in hunc Varronis locum p.m.152.* scribit ita : *Fascinus vel Fascinum dicitur veretrum. Horatius:* minusve langvet fascinum. *Videtur ita dictum, quòd depelleret fascinationes, ut ex hoc loco cognoscimus. Itaq; pro amuleto è collo pueris suspendebatur.* Eadem Priapii mago Triumphantium Romanorum curribus, quod invidiæ & fascino gloria, quò major, eo magis esset obnoxia, pendebat. Utrumque Plinius *lib. 28. cap. 4.* tradit : *Fascinus, inquit, Fascini depulsor Deus erat Imperatorum quoq; , non solùm infantium custos, qui inter Sacra Romana à Vestalibus colitur, & currus triumphantium sub his pendens defendit Medicus invidiæ.*

§. 2. Ex quo patet causa ejus, quod idem *lib. 19. cap. 4.* habet , ubi hortos & fores contra invidentium effascinationes dicari , inque remedio Satyrica signa esse ait. Ubi per Satyrica signa intenta Satyrorum Veretra Vossius in Lexic. suo contra Scaligerum in quinto Conjectaneor. hoc Plinii adductô, legentem Saturnia (quamvis in prima duntaxat editione; in posterioribus enim Satyrica habet) intelligit. Veretri autem salacitate insignes fuerunt Satyri, unde & nomen (à σάθη, quod est genitale Viri membrum, ut est apud Scholiasten Theocrit. *Idyll. 4.* Salmuth *in Panciroll. lib. 1. pag. 216.*) acceperunt. Confer, quæ ex Cœl. Rhodigin. supra *pag. 5. §. 3.* adduximus.

§. 3. Priapum hortorum habere curam, Virgilius quoque *lib. 4. Georg.* prodit:

> *Et custos furum atq; avium, cum falce salignâ*
> *Hellespontiaci servet tutela Priapi.*

Non dicit, inquit Servius ad h. l. Priapum illic esse debere , sed præcipit tales esse hortos, ut mereantur Deum habere custodem. Ibidem patriam Priapi denominat. *Hic autem Priapus,* inquit, *fuit de Lampsaco civitate Hellesponti , de qua pulsus propter virilis membri magnitudinem post in numerum Deorum receptus meruit numen esse hortorum.* Vossio

tamen

tamen parum verisimile videtur *lib. 2. Idol. cap. 7.* aliquem, quia esset æquò membrosior, propterea patriâ pelli. Quare ex Isidoro emendat, copulâ insertâ: *de qua pulsus, & propter virilis &c.* *Coccinea licia* etiam fascino avertendo fuisse creditum; quo nonnulli trahunt factum obstetricis seu Assæ apud Thamarem Genes. 38, 28. *Atque in ipsa effusione infantium unus protulit manum, in qua obstetrix ligavit coccinum.* Ursinus *3. Anal. 29.* Hoc autem in bulla inclusum fuisse, & sic gestatum à pueris unà cum aliis adversus invidiam remediis, quæ Amuleta dicebantur, credit M. J. Weitzius *Tract. Philos. Theol. cap. 10. num. 6.* idque colligit ex verbis Macrobii *lib. 1. cap. 6. Saturn.* *Sicut prætexta Magistratuum, ita bulla gestamen erat triumphantium, quam in triumpho præ se gerebant, inclusis intra eam remediis, quæ crederent adversus invidiam valentissima: hinc deductus mos, ut prætexta & bulla in usum puerorum nobilium usurparentur ad omen & vota concilianda virtutis: ei similis, cui primis in annis munera ista cesserunt.* Licet Macrobius diversas rationes afferat, cur triumphantes, cur infantes bullam gestarint, eandem tamen esse, quòd utrumque horum fascino crediderint obnoxium, utrique ergo remedium adversus id quæsivisse censet.

§. 4. Fascini etiam alexiterium esse vocem ἀβασκάντως Græci, *Præfiscine* Latine crediderunt, quam vel se vel alios laudaturi, ut fascinum amolirentur & deprecarentur, præfari solebant. Vox hæc *Præfiscine* fit ex *præ* & *fascino*, ut ad verbum sonet, *præter fascinum*, ἀβασκάντως citra invidiam. Apulejus *in Florid.* *Igitur, quod difficile factu erat, quodque reverà arduum nobis existimabatur, gratum esse populo, placere ordini, probari magistratibus & principibus, id præfusive* (præfiscine legit Muretus *variar. lection. lib. 9. cap. 3.* præfascine Florentinus apud *Elmenhorstium pag. 382.*) *dixerim, jam quodammodo mihi obtigit.* Veterator ille Leonida apud Plautum *in Asinaria Act. II. scen. 4. v. 84.* invidiam à se propulsurus ait:

> – – – – – – – *sequere hac ergo.*
> *Proficiscin? hoc nunc dixerim, nemo etiam in me accusavit*
> *Merito meo.*

Scaliger loc. cit. *Præfiscini hoc nunc dixerim*, legit ex mente Criticorum rectissimè. Eodem, ut notat Vossius, usus Tetinius Setina, apud quem Paula laudante immodicè, persona altera metu fascini interrumpens ait:

Paula mea, amabo, pol tu ad laudem addito præfiscini,
Ne puella fascinetur.

Quanquam tria ultima verba non Titinii esse, sed Charisii, qui locum citat, Vossius suspicetur, licet Turnebo & Scaligero aliter visum. Dicitur autem & *præfiscine* & *præfiscini*, quia ut Macrobius *lib. 1. Saturn. cap. 4.* ait, consuetum id veteribus fuit, ut his literis plerumque in fine indifferenter uterentur, sicut pristinè & pristini, proclivè, proclivi. Sic &, eodem annotante, modò diequinti, modo diequintè pro adverbio copulatè dixerunt, cujus indicium hoc esse ait, quod syllaba secunda corripiatur, quæ naturâ producitur, cum solùm dicitur de die. Vide quoque A. Gellium *lib. 10. cap. 24.*

§. 5. Aliis etiam formulis invidiam & fascinum solebant amoliri, quas ex Rittershusio collegit Magirus Vir doctus juxta ac laboriosus in laborioso opere, quod inscripsit *Polymnemon, Tit. Invidia*, suntque: Pace hæc vestra dixerim; absit invidia dicto; quod citra invidiam dictum velim; venia sit dicto, ut inquit Plinius *lib. 5. Epist. 6.* Bonâ venia dixerim; ut Mamertyn. panegyr. ad Maximia. Bona hora hoc exaudiat, ut Querolus. His addit Magirus & alias à se observatas: φθόνος ἀπέςω. *Æschylus in Agamn. v. 900.* φθόνος ᾗ μὴ γένοιτό τις θεῶν. Invidia verò nulli Deorum adsit. *Euripid. in Alcest. v. 1135.* Dii propitii sine invidiâ, quæ Cleo dixit, audierint. Callisthenes apud *Q. Curt. lib. 8. num. 5. pag. 332.* Nunc quoque nuncio, si dictum nullus fortunæ livor effascinet, in concordiam mecum sanitatem redire. *Symmach. lib. 6. Epist. 77.* Τῦ λόγυ δ' ὖ χρὴ φθόνον. Sophocl. *in Trag. v. 253.* quod ita Livius: absit verò invidia *lib. 28. cap. 39.* ἀπίτω φθόνος. *Aristanetus lib. 1. Epist. 12.* ubi Notator, nunquam verbis ac laudibus elata humanitas à veteribus, nisi invocatâ pace Adrastreæ, quam, si præteriretur, ulcisci credidére. Hæc ille. E Savarro *ad Sidon. lib. 1. cap. 6.* sequentia insuper porrigit Johan. Laurentius *Polymath. lib. 5. pag. 385.* Fascini repellendi gratia, cum uvæ legebantur, aut vina diffundebantur, solemne verbum effatum, *Multa;* cum fruges coacervabantur, aut recondebantur. Grandia farra; cum confabulabantur de messe, quantum collegissent, dicebant: *Quantum satis esset oppidò.*

§. 6. Ad Fascinum avertendum *Fescenninos versus* mollicie ac lascivie diffluentes maximâ, novis nuptis domum tendentibus convivæ nuptiales decantabant, contentione inter se quadam suscepta probrorum & tur-

& turpium verborum, ex quo victoriam is, qui verborum obscœnitate alterum superasset, reportavit. Rosinus *Antiq. Roman. libr. 5. pag. 609.* Lud. Vives *ad lib. 6. August. de C. D. pag. m. 360.* Conr. Rittershusius *sacr. lect. cap. 14. pag. 295.* Inde etiam versus illos dici quidam existimarunt. Doctissimus autem Vossius in Lex. Etym. à Fescenia Hethruriæ civitate vocem istam derivare mavult, minimè putans, veterum fuisse opinionem, verborum lasciviâ, qualis in Fescenninis erat versibus, fascinum arceri. Verùm major facto ipso exprimitur lascivia in Priapi formâ, quam tamen ad fascinum avertendum veteres adhibuisse constat: imò in sacris Dionysiii propitiato Priapô mulier super membrum, ut à frugibus fascinum averteretur, sedere jubebatur. Lud. Vives *loc. cit.*

§. 7. *Adoratione* etiam peculiari Fascinationibus occurrunt, Græcam Nemesin invocando, ut constat ex Plin. *lib. 28. cap. 2.* Item Neptunum. Τῷ Ποσειδῶνι καὶ ἄλλοις τισὶ θεοῖς, φθόνῳ τε ἔθυεν, μὴ καὶ βασκανία τὶς αὐτῷ ὡς ἔφασκε, γένηται. Cajus Caligula sacra Neptuno ac Diis aliis faciebat, & Livori etiam, ne qua invidia, ut ajebat, premeretur. Dion Cassius *lib. 59.* Deæ Cuninæ facit mentionem Lactantius *lib. 1. divin. Instit. cap. 20.* atque à cunis dictam ait, eò quòd infantes in cunis tueatur, & fascinum submoveat.

§. 8. *Desputione* quoque repercuti Fascinationes crediderunt. Plinius *lib. 28. cap. 4. Despuimus*, inquit, *comitiales morbos, h. e. contagia regerimus. Simili modo & fascinationes repercutimus.* Ternæ mentionem facit Theocritus Idyll. 6. p. m. 49.

Ὡς μὴ βασκανθῶ δὲ, τρὶς εἰς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον.
Ne verò fascino læderer, ter ipse in gremium meum inspui.

Vid. Ælias Schedius *de DIS German. cap. 45. pag. 437.* ubi ex Theocriti Scholiaste hæc refert: Εἰώθασι αἱ γυναῖκες ποιεῖν, ὡς μὴ βασκανθῶσι, εἰς τὸν κόλπον ἐπτύειν τρὶς, τὸ νεμεσητὸν ἐκτρεπόμεναι, i. e. *consueverunt mulieres facere, ne fascinarentur, in sinum ter exspuere invidiosum amolientes.* Tibullus *lib. 1. Eleg. 2.*

Ter cane, ter dictis despue carminibus.

& circa finem ejusdem Elegiæ:

Hunc puer, hunc juvenis turbâ circumstetit arcta,
Despuit in molles & sibi quisq; sinus.

Aul. Persius *Satyr. 2.*

> *Ecce avia, aut metuens divum matertera, cunis*
> *Exemit puerum, frontemq; atq; uda labella*
> *Infami digito, & lustralibus ante salivis*
> *Expiat, urentes oculos inhibere parata.*

Uda labella vocat, quia pueris edentulis saliva continuò fluit. *Infami digito*, i. e. medio, qui & impudicus, item Verpus dicitur, quia cæteris contractis extendi solet in cinædorum & mollium notam, quòd penem repræsentet. *Lustralibus Salivis* i, e. expiatoriis, nam lustrare, expiare, & purgare significat, unde festa Lustralia, quæ quinto quoque anno celebrabant veteres, ad quam puerorum lustrationem Persium allusisse sentit Foquelinus *comm. in h. l. pag. 80.* Saliva autem Virgo i. e. quæ stomachô jejuno manavit hîc intelligitur. Eam enim fascinationes repercutere, serpentes necare, autor est Plinius. *Urentes oculos*, i. e. lumine & radiis fascinantes, quos *inhibere*, i. e. sistere & avertere mater altera seu matertera potuit.

§. 9. *Lutum* etiam è balneô nutrices & ancillæ averruncandi fascini gratia acceperunt olim, eoque digitô suô frontem pueri inunxerunt, quod ex Chrysostomi verbis *Homil. 12. in 1. Corinth. cap. 4.* ab Ursino *Analect. Sacr. pag. 25.* & Geverh. Elmenhorstio *emendat. ad Apuleji Florida pag. 303.* citatis habeo. Ita ille : Εἴπω τί τούτου καταγελαστότερον ἕτερον &c. *Dicam & ne, quod risu majore dignum sit? Atat nemo accusanos intempestivitatis, si eo usq; sermo nobis procedat. Certè qui sordes velit expurgare, non gravabitur suas prius ipsius inquinare manus. Quid verò illud adeò ridiculum, mihi sanè non tale videtur, nam & ideò ingemisco. Est autem principium amentiæ & stultitiæ extremæ.* Pergit ibi ita : Βόρβορον αἱ γυναῖκες ἐν τῷ βαλανείῳ λαμβάνουσαι τροφοὶ καὶ θεραπαινίδες, καὶ τῷ δακτύλῳ χρίσασαι κατὰ τοῦ μετώπου τυποῦσι τοῦ παιδίου. Κἂν ἐρωτᾷ τις τί βούλεται ὁ βόρβορος, τί δὲ ὁ πηλὸς; Ὀφθαλμὸν πονηρὸν ἀποστρέφει, φησὶ καὶ βασκανίαν καὶ φθόνον, i. e. *Lutum è balneo nutrices & ancillæ accipiunt, eoq; digito suo frontem pueri inungunt. Si roges, cui bono lutum? cænum? averruncando, inquient, malo oculo, invidiæ, fascinationi.*

§. 10. Inivdiam adeoque & fascinum *fortunæ secundæ occultatione* quoque præcavisse veteres notavit Vincentius Alsar us *Tract. de Invid. & Fascin.* ejusque exemplum è Catullo *Carm. 5. ad Lesbiam* adducit:

Dein

Dein cum millia multa fecerimus,
Conturbabimus illa, ne sciamus.
Aut ne quis malus invidere possit.

Invidiæ enim livorem facilè evitari posse intelligit, & quidem, ut ait, si nec venditemus, nec ambitiosè nimis jactemus, minimèque cæteris nos præferamus. Inter omnia namque æqualitas maximè conciliat amicitiam & tuetur, ostentatio autem ubique invidiosa. In cœtu enim amicorum minimè nobis plausores, & nostrarum buccinatores laudum appareamus. Hoc enim ita odiosum semper existimatum est, ut jactata sit apud Græcos sententia: *Latendum esse dum vivimus, ut feliciter vivamus.* Paulò post ad citatum Catulli locum notat, *multum* dici ideò, quia multum non est numerus præfinitus: eam namque fuisse veterum superstitionem, ut finitum numerum obnoxium fascino crederent. Unde cum in culleum primam vini urnam indidissent, dicebant *multa.* Hoc enim & ad fascinum debellandum faciebat.

§. 11. Porro *casu aliquo adverso susceptô atque contractô* invidiam extingui, annotante eodem, senserunt. Exemplum casûs adversi petitur ex Herodoto de Polycrate in Thaliâ, cui nihil acciderat, quod nollet, nisi quòd annulum, quo delectabatur, in mare sua voluntate, de Amasis consiliô, abjecerat, ut Deorum invidiam (sic Herodotus) exstingueret.

§. 12. Insuper Aristoteles *Sect. 20, probl. 34.* rutam, Dioscorides *lib. 3. cap. 89.* alyssum, Virgilius *Eclog. 7.* Baccharem herbam, Plinius *lib. 26. cap. 10.* radicem Satyrii, quod Orchis fœmina dicitur, & *lib. 28. cap. 8.* corium frontis Hyænæ fascini amuleta esse posteritati reliquerunt. Virgilius ita canit:

Aut si ultra placitum laudarit, Bacchare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Etiam monilia conserta sacris conchis & lucifugæ meles, & vivi lapides cum corallis juncti, & herbæ magicô cantu adjutæ, ut inquit Gratius, ad depellendum fascinum prosunt.

Nam sic affectus, oculique venena maligni
Vicit tutela pax impetrata Deorum. Turnebus *l. c. p. 281.*

Plurima tamen ex his, quæ recensuimus, Wierus ad fascinationem Dæmoniacam, quam solam agnoscere videtur, refert de *Præstig. Dæmon. c. 21. p. 411.*

I CAPUT

CAPUT V.

Remedia ad Fascinum recentiorum, ut & nostratium varia recensentur. Historia mira fascini curati. Herba Sideritis fascinatorum asylum. Suffumigationes etiam fascini gratia fiunt; item benedictiones.

§. I. RECentiorum omnia ad fascinum remedia passim in Vulgi circô decantata, quis cognoscet? Superstitiosa pleraque cùm sint, ne Sacerdotum vel Magistratus sentiant rigorem fascini curatores, arcana silentii fide obsignare jubent, omnemque aliis innotescendi occasionem, nisi fascini tollendi necessitas eam imperet, præscindunt. Priapi imaginem in forma manus pollice sub indice misso infantium thoraci etiamnum in Hispania appendi tradit Gutierrius Hispanus *de Fascino pag. 9. & pag. seq. n. 3.* antiquam ac præsentem gentis suæ consuetudinem refert, manus melis infantium humeris appendendi, quibus mediis, ait, nutrices fascinum puerorum præcaveri religiosè opinantur, sacrilegumque habent, illo vel simili amuleto tam grandi malo, quale fascinum ipsis est, non subvenire: idque in brutis huc usque observari refert, quibus rustici pellem melis appendunt, ne, ut suspicantur, veneficus illis oculus nocumento sit; id animadverti in equo, mulo, asinoque, quorum collis bonam pellis ejus animalis partem rustici apponunt in visus fascinatorii tutelam. Gagates etiam pusillis ibi suspenditur, referente Vallesio, & quidem ut habet Delrio *lib. 1. cap. 4. quæst. 4. & lib. 3. part. 1. quæst. 4. Sect. 1.* manus ex eo lapide, item ex ebore vel argento in derisum inserto intra digitos primores pollice conformatur. Imò si summô mane surgenti quis ita digitos intendat, id ipsum quoque amuleti loco ibi haberi, scribit idem. Talpæ pedem sincipiti applicatum fascinationi resistere notat Sylv. Rattray *de Sympath. & Antipath. p. m. 18.* Sed cui resistat fascinationis speciei, non exprimit. Lupi rostrum, cervicem & caudam Ronsæus *in venat.* affert. Fascinationibus resistere putant alii fasciolas vel teniolas rubras alligatas equorum frenis vel ephippiis, quod Silesiis ac Moravis usitatum scribitur, fermè ut apud Græcos Romanosque pueri puellæque fasciolis præcingebantur russeis. Ita Adm. Rever. Dn. D. Geierus *disquis. Theol. de Superstit. cap. 3. §. 47.*

§. 2. Vul-

§. 2. Vulgus noster, præcipuè mulierculæ, quæ curam puerperarum & infantium recens natorum gerunt, Pharmacopœam variis & miris instructam medicamentis fascinô laborantibus aperiunt. Istorum jam major, jam minor, utendi modum & materiam si respicias, est copia & apparatus, & plurima ex his sacrum religionis odorem devotionis pistillo agitata naribus ferunt, corporisque salutem promittere videntur, sed quæ si veritatis cœlestis luci admoveamus, graviora animæ mala furtim parare deprehendimus. Sunt, qui aquâ fluviali silentio pertinaci, nulloque sermone, licet ab obviis hominibus ad verba invitentur, fracto, fascinati corpus tribus vicibus deorsum lavant. Quidam venerandæ Triados, ejusque personalia nomina insuper recitant. Nonnulli aquâ, super quam sponsus & sponsa è pago filiali in Parochiam suam ambulare, & defunctorum corpora vehi solent, per silentium bis hauriunt, & bis iterum effundunt: tertiâ vice haustam domum referunt, eâque homines & jumentorum capita lavant, sicque fascino medentur. Ex horreô vel domiciliô hæreditariô tres fœni manipuli silentio & sine reprehensione allati, cunisque vel lecto impositi etiam inter præsentia fascini remedia referuntur. Et est in hac urbe, quæ non exiguam quotanis fœni jacturam in ædibus suis hæreditariis patitur ab hominibus fascini gratiâ silentio illud auferentibus: hos tamen, quia sacrum furti hujus finem esse censet, reprehendere velut assueta jam supersedet. Alias infantium frontem fascini tollendi ergò lambere primâ quidem vice sursum, alterâ & sic in modum crucis secundùm latitudinem, tertiâ ibidem sursum, postea sputum post infantis tergum ex ore projicere, compertum tuli. Nonnullæ fascinum ramô pinu arbore desumtô, quo caput & faciem deverrunt, depellere laborant. Fascinatum etiam linteo contectum humique jacentem terræ sub stillicidio effossæ, ternâque unius horæ spatio vice allatæ manipulis tribus in modum crucis conspergunt. Ad idem stramentum fimi hæreditarii fascinato, ut indormiat, subdunt. Cespitem vivum silentio è puelli sepulchrô effossum, cunisque inditum, puero fascinô laboranti; è puellæ tumulo tractum puellæ fascinatæ succurrere, ita ut vel vita, vel mors acceleretur, genus fœmininum, masculino in hoc semper peritius, docet. Susceptrix etiam brachialia lintea, quibus induta infantem in sacro baptismi fonte susceperat, silentio contubernium ingressa, fascinato subdit, & silentio mox discedit, brevi regressa solitâ loquendi licentiâ fruitur. Infanti

fanti cuidam nullum è lotionibus emolumentum percipienti rasuram tribus ductibus è quatuor contubernii parietibus calce incrustatis detractam, & linteo, quo totum infantis corpus fuerat contectum, inspersam, remedio fuisse, alia quædam fidem fecit, cui tamen, quæ fuerint adjecta, verba memoriâ exciderant. Panis segmentum fœminas cultrum tribus insignitum crucibus trajicere & trajectum cum pane pulvinari per noctem subdere inter signa dedimus *cap. 3.* §. *3.* hîc curationis ratio est habenda & indicanda. Datâ itaque in cultrô rubigine, ceu fascini signo, panis segmentum post tergum in aquam fluvialem facie ab hac aversâ projiciunt. Si cani nigro devorandum offeratur, eum in rabiem actum iri ferunt. Tritum, inquit Joh. Freitagius *Illustrium Aularum Osnaburgensis & Tecklaburgicæ olim Medicus Noct. Medic. cap. 39.* vulgoque familiarissimum est apud nostrates pueris fascinatis tria lactis cochlearia ter per podicis foramen transfusa & quasi colata exhibere, vel laqueum suspendiosi in cinerem crematum propinare. (Delicata mehercle superstitio! quàm lautas epulas suis credulis apponit Diabolus! exclamamus nos cum eodem.)

§. 3. Mirus est ille curandi modus, quem mihi olim narravit Hans Schmidt / incola pagi Merzbach tribus hinc milliaribus distantis. Filiolus hujus biennis boni habitûs & elegantioris formæ macescete incepit, ut sola cutis tandem viduata carnibus ossa tegeret.

Pallor in ore fuit, macies in corpore toto.

Adeò extrita fuit valetudo, ut huic restituendæ nullum, quantumvis multam in hoc operam contulissent, remedium præsens invenerint parentes. Jam in Dracunculos (Mitesser) quos puellum infestare quidam existimarant, arma direxerant: jam affectui herbam fascino sacram obverterant: jam contra alia mala, quorum suspicionem animis curiosis credulitas impresserat, domesticorum paratu facilium aciem verterant; sed mali atrocitas omnem Parentum curam & medicaminum virtutem eluserat. Tandem mulieri cuidam Hebrææ forte fortuna accedenti mater filiolum spectandum offert, sed ista ad mortem usque puellum fascinatum esse edicit. Das Kind sey auf den Tod beschrien. Dicto tamen mox spem curationis pretio quatuor baciorum redimendæ subjicit, quam infantis proprii in deteriori longè statu constituti, sed à Zingarâ quadam optimè curati exemplô adauxit. Curandi modum,

dum, quem Zingara edocuisset, eô die, quod Sabbaticus esset, exponere Judææ fuit religio: sequenti verò die reversa his eum exposuit: Tres cinerum manipulos è tribus ædibus furtim, cavendo ne te ullus interpellet, collige: sub ingressum verò hæc in singulis tecum loquaris: **Ich will in dein Haus gehen/will ein Hand voll Aschen heraus nehmen vor mein franckes Kind/es soll niemand schaden/ und soll mich niemand beruffen.** Hoc iniquioribus illis temporibus, quibus Martis furor suis incolas sedibus & ædibus expulerat, factu fuisse perfacile ajebat. Recipe deinceps è panis primi, quem signare solent, segmine medullam, eamque cum cineribus furtivis permisce: ex his permixtis & linteolo collectis nodulum para. Insuper cum sole oriente aquam fluvialem, super quam sponsus & sponsa pergere, defunctorumque cadavera vehi solent, accede, & secundum flumen bis aquam situlâ extrahe, iterumque effunde. Aquam tertia vice extractam domum ubi deportaveris, dimidiæ ejus parti nodulum ad elixandum, & istum posthac fornaci ad exsiccandum impone. Reliquâ aquæ parte alterius aquæ fervor frangatur, in qua fascinatus infans est lavandus. Lavandus autem est tribus, ut ajunt, Veneris diebus proximè insequentium septimanarum. A balneo lotus & detersus in lectulô reponendus est. His ita tribus vicibus peractis aqua omnis confusa cum nodulo ad aquam, è qua fuerat hausta ante deportatur & infunditur, quàm Sol ad Horizontem reversus radios effundat. Secundùm hæc facta pristinam valetudinem sensim recuperasse filiolum Parens coram mihi narravit.

§. 4 Commune fascinatorum Asylum herba est Sideritis Heraclea, **Gliederkraut**/ Camerario *Herbar. lib. 4. cap. 33.* **Zeißkraut**/ Austriacis **Fußbeerkraut**/ referente Höfero, *Hercul. Medic. lib. 5. cap. 4.* nostratibus **Beruff-Kraut/ weil es wider das Beruffen und Beschreyen dienen soll; item Suchtkraut/ weil es wider mancherley Gesücht gut sey**/alibi, **Zische** dicta, quam vel cunis infantium imponunt, vel decoquunt, & in decocto fascinatum ter (quidam numerum negligunt, atque ita sine numero) lavant, & post quamcunque lotionem decocti haustum quendam præbent. Sed ut in patinâ stanneâ vel ligneâ hæreditariô jure partâ lotio fiat, religiosè observant. Posthac è mucilaginis & impuritatum in fundo præsentiâ vel absentia fascini præsentiam vel absentiam colligunt. Post lotionẽ infans non detersus sed madidus, linteoque, vel ex superstitiosâ aliarũ

curiositate, maris cujusdam indusio illotô seu immundo totus obvolutus lectulo suo redditur, & ad somnum invitatur. Si curationis successus ægrum destituit, vel lethalem esse fascinationem, vel occultô quodam eoque gravissimô morbô ægrum laborare, vel sagarum artibus (magicam enim fascinationem à vulgari vulgus etiam distinguere novit) perculsum sanitatis jacturam pati, parato ore reponunt. Wittebergenses fœminas aliam herbam, nimirum conyzam cæruleum, inde etiam ipsis Berufff-Kraut/ Tabernæmontano *lib. 2. p. m. 532.* Blaue Dürrwurtz dictam, infantium cunis contra fascinum imponere, autor est Sennertus *Tract. de Infant. curat. cap. ult.* & *lib. 6. Medic. pr. part. 9. cap. 1.* Aliam, quæ Senecio est, ad hoc forum confert Dn. D. Rolfinck *Medic. Special. lib. 9. sect. 2. cap. 11.* *Crebrò*, inquit, *hujus herbæ mentionem facit Paracelsus. Mulierculæ nostrates vocant quartam speciem à Dodonæo propositam* Berufff-Kraut. *Cum vident infantem* ἀτροφίᾳ *laborare, nimiâ commendatione formæ fascinatum, lavacrum ex hac herbâ conficiunt. Et certè sordes mirificè abstergunt.* Anicula quædam sibi olim, quod se fascinatam crederet, pro lavacrô decoctum ex restâ bovis (Hauhechel / Huthechel) paravit. Deprehensô errore, quòd aliam, loco decantatæ in his oris ad fascinum herbæ, recepisset, se quidem adstantibus risum concitasse, nihilo tamen minus sanitati fuisse redditam narravit.

§. 5. Suffumigationes etiam ad Fascinum vulgus plurimi facit, varias ex variis paratas, ex cyperô, caryophyllis, cinamomô, lignô aloes, frequentissimè thure. Vid. Zacut. Lusitanum *Medic. Princip. Histor. lib. 3. quæst. 31. pag. 510.* Nostratibus sequens frequens est: Recipe tres particulas absinthii, tres particulas corticum baccarum lauri, tres pariter herbæ Sideritis particulas, & his commixtis totum suffumigetur corpus. Rasurâ etiam quatuor mensæ extremitatum acuminatarum & primi liminis cum siderite fascinatum suffumigant. Linteolum detritum tempore natalitiorum Salvatori nostro sacrô sub diô suspendunt, eoque pro suffumigiô utuntur. Mulierculæ etiam pilis, nescio quibus (pudor nominare prohibet) vel è quibus corporis patris & matris partibus (quædam triplicis sortis pilos præcipiunt) evulsis, & pro suffitu combustis infantes fascinô laborantes curant. Carrichterus *loc. cit.* hoc habet: Nim Beerwinckel / daß ist / Ingrün / Dorant / Johanneskraut / leg es ihm ins Bad / darinn bade das Kind neunmal. Darnach nim Lindenmistel / Eibischholtz / das auf den

Weiden

Weiden gewachsen ist/ Oel-Kuchen Wahn/ damit räuchere das Kind Abends und Morgens/ so wird ihm bald geholffen. Vir quidam πολυμαθὴς, qui parem pietatis ardorem cum eruditione copulavit, sequentem mihi communicavit historiam: Matris cujusdam infantem in Urbe quadam patriæ vicinâ, incunabula olim inhabitantem carnis & pinguedinis apparatus omnis, quo antea fuerat conspicuus, sic tandem destituit, ut intestina ipsa oculorum aciei quadantenus conspicienda submitterentur. Sceleti figuram in eo expressam dixisses. Nullam defectui resarciendo ex omnibus, quæ curiosiùs & copiosiùs conquisiverant & applicarant, Medicinam salubrem invenerunt parentes. Matrona quædam nobilis, Empiricæ Medicinæ peritissima, tandem Urbem, & ad parentum petitum ædes ingressa ex primô intuitu fascinum statim legit, ac dixit, neque officinarum thecas omnes, neque Doctores, licet in consilium omnes adhiberentur, laboranti puello, quòd ad extremum esset fascinatus, fore auxilio. Id verò consilii dedit, ut reciperetur novemplex lignum, undecunque illud, ex sepibus etiam, sit collectum, & seminum seu florum fœni manipulus unus, hisque mixtis infans bene munitus ter suffumigaretur. Suffumigationis actu tribus vicibus peracto sensim pristinæ valetudini infans fuit restitutus.

§. 6. Audias, qui remediis benedictionis verba jungunt, seu insimul trium Deitatis personarum nomina recitata, ut ad varia morborum genera, ita etiam ad fascinum, commendant, rem se præclarè egisse, omneque animæ periculum evasisse existimantes, si non impurissimi Dæmonis semper detestandum, sed sanctissimi DEI nunquam non adorandum nomen, in quo etiam omnia sua Christiani facere jubentur, adjecerint, malô præsertim arte medicâ majori corpus infestante: tum locum habere illud *Sapient. 16. v. 12.* censent: *Neque herba, neque malagma sanavit, sed tuus, Domine, Sermo, qui sanat omnia.* Sic plebeja quædam hoc sibi fascinatæ remedio fuisse jactavit: Aquæ silentio allatæ prunam candentem in nomine Patris &c. injecit, qua ad fundum prolapsâ crura deinceps aquâ istâ deorsum, manumque extrorsum vergendo lavit: reliquam aquam post tergum tribus vicibus crucis in modum profudit, sicque à fascinô seipsam liberavit. Gallinam quandam fascinatam simili ratione fuisse curatam, narravit eadem. Quin fascinationis periculum à fascinatô in fascinantem conceptis benedictionis verbis transferunt, ita

ut insimul tres carbones ignitos (alii non ignitos) seu prunas in aquam injiciant, & inter hæc sequentia clarâ voce verba enuncient:

Hat dich beschrien ein Mann/
So komm es ihm selber an/
Hat es gethan ein Weib/
So fahr es in ihren Leib
Das zehl ich dir zur Buß im Namen ꝛc.

Alia quædam sibi religiosior visa istam formulam, quòd peccati nævô esset deturpata, reprehendit & hanc substituit: **Hat es gethan ein Mann oder Weib/ eine Magd oder Knab/ so kehr ich dirs ab/ das zehl ich dir zu gut im Namen ꝛc.** Quid? quòd adultiores fascini à se tollendi gratia seipsas alloquantur v. g. **Margret hat es gethan ein Mann oder Weib / so fahr ꝛc.** Si prunæ fundum petunt, cujus habuerunt, suspicio augetur: Si verò supernatant, suspicio cadit. Proinde ut ex fascinatoris vestimentis particulam quandam capiant, anxiè curant, qua pro suffumigiô usurpatâ fascini periculum tolli ajunt. Alii verò neglectô illo apparatu solum vestimenti ejus, cujus habent suspicionem, particulam clam surripiunt, eâque fascinatum suffumigant, aut sub cunis suffitum in certissimum auxilium parant. Ex Cartagena refert Gasp. à Reies *Elys. jucund. quæst. camp. quæst. 23.* remedium idem: nimirum quædam Hispaniæ vetulæ ex fasce fascinantis, ipsô insciô, frustulum incidunt, quo igne combusto fascinatum suffumigari jubent. Formulam benedictionis sequentem alibi ad fascinum commendari accepi: **Bist du beschrien über Zungen und Zahn/ ist es ein Mann oder Frau/ oder Knecht oder Magd/ der es hat gethan/ so komm es ihm selber an/ das sey dir genannt im Namen ꝛc.** Ad vaccarum præsepia etiam confugiunt, quibus fascinatum reponunt, benedictionis verba certis rhythmis inclusa adjicientes:

Der Mann der für dich gelitten/ der helffe dir/ ꝛc.
Der Mann der dich beschrien komme ꝛc.

Rhythmos nec scio, nec scire aveo, neque istos, quæ hanc medendi methodum mihi narravit, mulier tenuit, nisi fortè se nescire simulaverit. His verò fascinationis autorem ipsum quasi fascinatum non posse non accessum maturare, & si hujus vestimenti particula, quæcunque ea sit, quam furtim detrahere occasio permisit, ægrotus deinceps fuerit suffumigatus, fascinum fumo sublatum iri dicunt. Plura alia ad fascinum commen-

commendata passim audias & legas, sed quæ ad tertiam magis, quàm ad hanc primam speciem spectant, quæ eò erunt remittenda.

CAPUT VI.

Præservativa Fascinationis vulgaris remedia plura monstrat.

§. 1. VErùm quia turpius ejicitur, quàm non admittitur hostis, ne quis vel invitus aut inscius per laudationem nimiam, visu vel voce malum inferat, Græcorum Latinorumque more certas verborum formulas ceu fascini alexiteria, sermonibus vel præmittit vel miscet vulgus, sicque omne se periculum præcavere posse autumat. v. g. Daß dich GOTT behüt. GOtt behüt es: Unbeschrien: Daß ich es zur guten Stund rede / ꝛc. Atque eam non tam fascini, quàm suspicionis malæ metus invexit, consuetudinem, ut ferè nullus, qui in familiarem conspectum infantes admittit, præservativas istas formulas jam negligat, ne, si fortè ex naturali causâ ex apparatu morbosô in ægritudinem pronus, infans morbo brevi post corripiatur, vulgi & superstitiosarum fœminarum inclementiam sentiat & artis, nescio cujus, suspicionem, quod nonnullis evenisse novimus, insons in se derivet.

§. 2. Etiam ad utensilia puerperarum ac infantium recens natorum, cujuscunque ea sint sortis, lintea, lignea, stannea &c. in conspectum & ad usum prolata, mox tritum hoc, GOtt behüt es / in infimæ multitudinis ædibus (ædium superiorum Matronæ istas superstitionum ineptias rident) enunciatur & frequentatur. Si hæc fascini antidotus negligatur, ne fascinô infans corripiatur, metuunt. Clavem domesticam lecto appensam, vel cunis impositam fascinum præcavere, ex nostratibus quæ credunt & suadent, sunt mulierculæ. Panis etiam frustula infantibus apportatis contra fascinum largiuntur, cumque horum gestatrices plures subeunt ædes, plura quandoque domum frustula referunt, quæ cunis postmodum imponunt. Imponunt etiam, ut fascinum præcaveatur, chalybem, seram clausam, speculum, fasciculum filorum crudorum à virgine quadam tractorum. Similia refert Theologus & Pastor Noribergæ quondam conscientiosissimus Joh. Saubertus *Tom. 2.* seiner Gemähl Postill *pag. 260.* Sie legen unter die Wiegen deß Kindes ein Messer / einen Creutz-Schlüssel / einen Strennen Garn / ein Stück Brod / einen Spiegel / ein

Geißfüssen / und was dergleichen mehr ist / zu dem Ende / daß es dem Kind wider das Verschreyen / wider Unholden / und wider andere Gespenst helffen soll.

§. 3. Corallia quoq; sacrô regenerationis fonte unà cum infante rigata, seu, ut cum vulgo loquar, baptisata, item semen nigellæ, & parum casei ac panis (schwartzen Kümmel / Käs und ein Bißlein Brods) collo appensa commendant sic, ut in publicum sine his infantem deportare vetulis sit religio. Cùm in illotis indumentis faciliùs fascinô infantes corripi credant, ex istis particulam quandam, antequam gestatrices exeunt, humectant, & sic fascinum præcaveri persuasum habent. Audita prætereuntis infantem impensiùs laudantis voce, ne noceat, hæc secum vetulæ admurmurant & repetunt verba: Lecks in A. so schads nicht. Apud Italos, Hetruscos potissimum, multis seculis inolitum, adhuc perdurare hodie proverbium, scribit Wierus *p. m. 262.* ut si quando hominem impensiùs laudantem aliquem audiant, statim objiciant: *Di gratia non glidiate mal d' occhio:* h. e. *precor, ne oculi malum ei concilies, vel ne visu lædas.* Paulus Zacchias *Quæst. Medico-Legal. lib. 7. tit. 4. quæst. 4.* scribit, hinc illud emanasse, ut alicujus sanitatem bonamque valetudinem laudantes manus oculis admoveamus, ut si quis malignus spiritus in laudatum hominem à nobis emanare possit, is motu manus dissipetur, vulgum autem ad nasum manu recurrere, ignorantem, quid sibi velit illa manus admotio. Aliqui sunt, qui dum laudantur, faciem avertunt, non tantum, ut indicent, molestam sibi esse laudationem, sed ut à fascinô caveant. Fracastorius *loc. cit.* Vallesius, quod sit edacium præservativum, docet. *Alii*, inquit, *fascinationis timorem ad alios etiam quascunq; invidentiæ causas extendentes, si quid comedunt avidè, quod alium quempiam vident intueri, metu percussi, partem isti statim porrigunt, ne fascinentur.* Hoc verò etiam Aristoteles tradit *Sect. 20. probl. 34.*

§. 4. Ægyptiorum contra diversorum morborum violentiam, fascinationesque amuleta, periapta, periammata varia variisque modis, ritibus & ceremoniis consecrata, atque ex obeliscis, velut ex archetypis codicibus decerpta, quæ ceu sacra quædam phylacteria in collô, manibus aliisque corporis partibus, etiam secretioribus gestarunt, scire desiderantem remittit Schottus ad Athan. Kircheri Oedipum Ægyptiorum. Sed quia ista & similia fascino magico potissimum opponuntur, intacta hîc maneant.

maneant. Tædium, quod ex variarum superstitionum enumeratione cepimus, nos ad alia properare, idque veritatis nectare temperare jubet. Si quædam ex his, quæ enarravimus, ad tertiam spectant speciem, materiæ, quam nonnulli confusè tractarunt, obscuritatem & lubricitatem nobis imposuisse fatebimur. Quisquis autem pietatis sensum habet, his bene expensis, non poterit non mecum, vel cum Lucretiô, exclamare:

O miseras hominum mentes, o pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ, quantisq; periclis
Degitur hoc avi, quodcunque est.

PARS II.

JUDICIUM AUTORIS

De

VULGARI FASCINATIONE PROPONIT;

& quidem

SECTIO I.

De

FASCINATIONE VISUALI AGIT.

CAPUT I.

Ubi (I.) *ad Loca Sacræ Scripturæ, pro Fascinatione Visuali supra Sect. 1. cap. 1. allata respondetur. Primùm autem recolitur, cur hæc vulgaris rectè dicatur.*

§. 1. DIu satis inter densas superstitionum nebulas & multiplices contradictionū fluctus Tractationis nostræ navicula jactata: ut tandem rectam feliciori sidere viam ingressi ad veritatis portum provehamur, ingenii vela latius jam explicabimus, ac ventô sanæ rationis secundô superisque faventibus navigabimus.

§. 2. Et primò primam hanc Fascinationis speciem vulgarem, & anicularum fabulis persimilem etiam à gravissimis putari annotat Cœl. Rhodiginus *lib. 20. cap. 20.* quibus & nostrum ultrò adjicimus calculum. Φαῦλος γὰρ κριτὴς παντὸς καλοῦ πράγματος ὄχλος, *malus enim honestæ rei judex*

est vulgus. Malè multa apprehendit, apprehensa, præsertim specie quadam decora, falso dijudicat, dijudicata pertinaciter tuetur, proindeque receptam de Fascinô opinionem indoctis magis quàm doctis, senibus magis, quam juvenibus, mulieribus quàm viris probari miretur nemo. Indoctis quidem, quia cùm doctrinæ & eruditionis rore cælitus delapsô (quo Hieroglyphicarum rerum Secretarii istam indicant) careant, obdurata ad discretionis semina fovendum pectora gerunt: *Senibus*, quia ut Donatus *ad Terent. Andr.* loquitur, *senes vel anus ætate multis superstites delirant: unde & superstitiosi, qui DEOS timent nimis, quod signum est deliramenti: mulieribus, quia omnis superstitio est imbecillis animi atq; anilis*, ut ait Cicero *de Divinat.* Mulieres autem sunt σκεῦος ἀσθενέστερον *vas imbecillius, 1. Petr. 3.* Strabo quoque *lib. 7. Geograph.* non dubitat asserere hoc, ἅπαντες τῆς δεισιδαιμονίας ἀρχηγοὺς οἴονται τὰς γυναῖκας, h. e. *superstitionis autores esse mulieres.* Et Servius ad *lib. 8. Æneid. pag. mihi 564. Superstitio est timor superfluus & delirus, aut ab aniculis superstitio, quæ multis superstites per ætatem delirant, & stultæ sunt. Tametsi verò*, ut ait Vallesius loc. cit. ubi de Fascinatione agit, *video in ipsis etiam doctis esse quosdam, qui quadam ambitione omnia, quæ vulgus miratur, tueri curent, subtilitatis magis, quàm veritatis amore: unde judiciarii, Magi, præstigiatores, & secretorum periti haberi volunt, quorum ingenia ego nunquam fascinabo:* pleraque tamen multitudinis & vulgi capita, licet à doctoribus, piisque sinceræ religionis custodibus spurium hunc phantasiæ foetum cum suis involucris, Christianis manibus indignum, & propterea exponendum audiant, spreto nihilominus rationum pondere, & pertimescendo inde salutis periculô humaniter istum amplexantur, & posterorum sinui, ut aquilæ instar inibi rejuvenescere queat, tradunt. Citiùs clavam Herculis manibus eripias, quàm istam de Fascinô opinionem creduli vulgi pectoribus impressam expungas. Sacra nimirum vitulina à Jeroboamô semel introducta successores strenuè tutari non desistunt, & quò pluribus posterorum annis coronantur, eò majori antiquitatis splendore posteros dementant, eoque difficiliùs abrogantur & expugnantur. Expugnaturis inpræsentiarum ista fascini nobis argumenti difficultas nulla, præfiscine! h. e. citra invidiam, dixero! creat metum. Sublevat laborem amor, &, quam meditamur, gloria DEI, proximique, cui inservire studemus, commodum. Qui fastidiosô nostram

medici-

medicinam aſpernantur ſtomacho, ſacrô prius jejuniô & meditationum fervore, opinionis ſuæ cruditates conſumant, quàm accedant.

§. 3. Faſcinationem *Viſualem* Autoritate, Rationibus & Experientiâ confirmari, parte anteced. vidimus. Singulatim unumquodque ſpectabimus. (1.) *Autoritas* opponitur & ſacra & profana. *Sacra* Sacræ Scripturæ, quia eſt infallibilis & Deum habet autorem, manet autoritas: ſed ſacris, i. e. puris, & præconceptæ opinionis lutô non pollutis manibus volvatur, ſenſusque ad bonæ Interpretationis normam efferatur, non inferatur. Primus ex *Deut. 28. v. 54.* deſumtus eſt locus, qui ſecundum Pagninum ita habet: Viri teneri apud te & delicati valdè malignus erit oculus in fratrem ſuum. Βασκανεῖ τῷ ὀφθαλμῷ αὐτοῦ, ut habent LXX. Interpp. ℞. Locus hic nullum parit adverſæ cauſæ patrocinium, ſive verbum תֵּרַע, quod in Hebraico textu habetur, 3. Fut. Niph. Radicis רָעַע, ſive 3. Fut. Kal. Rad. יֵרַע dicatur, quorum illud paſſivam, hoc verò activam ſignificationem obtinet. Non enim faſcinationem, quæ vitioſis oculorum radiis, ſenſu poetico ſeu vulgari fit, & læſionem infert, hîc intelligi, contextus prodit, quem ut inſpiciamus, æquum eſt, ne, quod in ſuo foro JCTI dicunt, *incivile eſſe, de verbis quibusdam legis velle judicare, non inſpectâ lege totâ*, idem nobis in ſimili negotiô objiciatur. Moſes autem ad DEI mandatum Iſraelitas propoſitis præmiis & ſuppliciis, quorum utrorumque magnum ibi catalogum recitat, ad legum cuſtodiam & devitationem prævaricationis earum excitat. Inter calamitates impios ſecuturas Famem numerat, quam tantam fore prædicit, ut fructum uteri & carnes filiorum ſuorum & filiarum ſuarum Iſraelitæ, in anguſtiâ & vaſtitate ab hoſtibus immittendâ, ſint devoraturi. Sequitur jam locus citatus, ut habet vulgata: *Homo delicatus in te, & luxurioſus valde invidebit fratri ſuo.* [Arias Montanus verſ. interlineari rigorem verbi Hebraici ſecutus reddit: *Malignabit oculus ejus in fratrem ſuum.*] *& uxori, quæ cubat in ſinu ſuo, ne det eis de carnibus filiorum ſuorum, quos comedet: eò quòd nihil habeat in obſidione & penuriâ, qua vaſtaverint te inimici tui, intra omnes portas tuas. Tenera mulier & delicata, quæ ſuper terram ingredi non valebat, nec pedis veſtigium figere, propter mollitiem & teneritudinem, invidebit* [Arias Montanus itidem: *Malignabit oculus ejus.*] *viro ſuo, qui cubat in ſinu ejus ſuper filii & filiæ carnibus.* [Nic. de Lyra *in Comm.* i. e. abſcondet, ne inde accipiat partem.]

 & illu-

& illuvie secundinarum, quæ egrediuntur de medio feminum ejus, & super liberis, qui eadem horâ nati sunt: Comedent enim eos clam propter rerum penuriam: Lutherus bene vertit: Ein Mann wird dem Weibe und dem Sohn zu geben vergönnen (mißgönnen.) Eleganter Conr. Pellicanus *Comment. in Genes. cap. 2. pag. 5. fol. 6. Nulla*, inquit, *tam arcta erit amicitia & affectio naturalis parentum ad filios, fratris ad fratres, uxoris quoque ad maritum, quin ob famis calamitatem dissolvenda sit, & unus alteri cibum invidebit, abnegabit, & subtrahet ad sibi succurrendum in tanta mortis necessitate & angustiâ.* Invidus ergò oculus per malignum, non fascinator ibi intelligitur, quicquid sit, quòd per invidiam maligna oculo & hujus objecto qualitas communicari vulgò statuatur; quàm bene, patebit inferius. Verbum βασκαίνω §. seq. 5. videbimus.

§. 4. *Secundus*, qui opponitur, locus *Sapient. 4. vers. 12.* habetur: βασκανία γὰρ φαυλότητος ἀμαυροῖ τὰ καλά: *Fascinatio nugacitatis obscurat bona.* ℞. Fascinationis hìc quidem fit mentio, sed non sequitur: Ergò Fascinatio vulgaris seu poetica, quæ scilicet visu & voce fit, datur. Quid si allegoricus à vulgi opinione sumtus sit sermo? Si enim in sacris quædam veniunt intelligenda tropicè, ἀνθρωποπαθῶς, allegoricè & mythologicè; ut in libris Judicum ligna sibi Regem, atque ad ficum vitemque sermonem fecisse, fictâ quidem narratione, attamen veraci significatione dicuntur, quidni etiam absurdæ, à vulgô receptæ opinionis mentione verax significatio exprimi queat? Quid si Fascinatio Dæmoniaca intelligatur? aut desumptam ab hac metaphoricam loquendi rationem verba foveant? Atque hanc ea fovere ostendo verbis D. Conr. Dieterici, quæ concion. 2. super istud caput facit, pag. 408. Das erste sind die böse Exempel böser und verkehrter Leut/ welche der Griechische Original-Text nennet βασκανίαν φαυλότητος, fascinationem nugacitatis, wie es der gemeine Lateinische Interpres verdolmetschet/ aber es besser geben wird/ improbitatis sive malitiæ, Zauberey und Verblendung der Bosheit. Denn ob wol manchmal junge Leut Christlich und tugendlich auferzogen/ ihren Catechismum studirt/ daraus die Fundament ihres Glaubens und reiner Evangelischen Religion gelernet/ auch sonsten in moribus, Zucht und Erbarkeit sich fein sittsam und erbar zu verhalten wissen: Wann jedoch sie die Exempel der bösen Welt sehen/ gerahten zu Rotten/ Sectirern und Irrgeistern/ zu leichtfertiger böser Gesellschafft/ da machen die mit ihrem Ketzer-Schwarm und Schand-Wesen ein βασκανίαν, ein

Blend-

Blendwerck für ihr Hertz/ daß sie anders nicht / wie die Augen durch eingegebenes Spiegelfechten verblendet/ daß sie meinen/ sie sehen diß oder jenes / da es doch nicht ist / also daß sie durch solche böse ärgerliche Exempel bethöret und verblendet/ dadurch vom rechten Glauben zu falscher irriger Lehr / vom Guten zum Bösen verleitet und verführet werden. Eben wie auch der Apostel Paulus das Wort ἐβάσκανε in der Epistel an die Galater 3. v. 1. brauchet. Turpe quidem est ex Commentariô sapere, sapientis Senecæ *Epist. 33.* testimonio: siquidem, ut acutissimus Theologus Dn. D. Danhauerus *Idea Boni Interpr. & Malitios. Calumn. part. 1. sect. 2. art. 3.* loquitur, Commentariô intellectus μετασχηματίζεται, σφάλλεται, καὶ ἁμαρτάνει, & videt non mentem Auctoris, sed Commentantis. Verùm quia propriam falcem in alienam messem mittere, æquitas prohibet, & eodem D. Danhauero ibid. *pag. 223.* autore, magni est supercilii & arrogantiæ, nihil aliorum tribuere laboribus, ad sacrarum rerum Antistites, abditâ falce, abimus, spectaturi, quos in agro proprio, propriâ dexteritate peragunt labores, eosque caritatis pretio venales, positâ per contradicentes necessitudinis lege comparaturi.

§. 5. Ad *Tertium* locum *Ecclesiast. 14. v. 8.* *Nequam est oculus invidi.* Πονηρὸς ὁ βασκαίνων ἰδεῖν ὀφθαλμῷ. R. Nullam itidem esse sequelam: Malus est fascinans videre oculô. Ergo datur fascinatio vulgaris. Siquidem verbum βασκαίνω, non solùm fascinare, sed etiam invidere significat. Atque invidi etiam oculus est nequam vel malus, πονηρὸς, ut habetur *Matth. 20. v. 15.* Ratione Etymologiæ equidem, annotante cum Grammaticis Henr. Stephano *Thesaur. Græc. Ling. Tom. I. pag. 1883.* dicitur βασκαίνω quasi φασκαίνω, i. e. φάεσι καίνω *oculis lædo*, i. e. adspectu: affirmat tamen etiam invidere significare verbum idem. Sic Plutarchus *lib. de Invid. & Od.* Τοῖς δοκοῦσι χρηστοῖς βασκαίνουσι μᾶλλον, ὡς δὴ τὸ μέγιστον ἀγαθὸν τὴν ἀρετὴν ἔχουσι. *Magis invident iis, quos bonos putant, utpote virtute bonarum rerum optima præditis.* Quin vox βασκανία fascinationem quidem, sæpius autem invidiam seu invidentiam, interdum etiam obtrectationem notare, pag. seq. notavit idem H. Stephanus. Joan. Benzius *Thesaur. Eloc. Orator. Græco-Lat. Loc. 29. pag. 161.* in eadem classe locat hæc: φθόνος, *invidia, invidentia, obtrectatio*, βασκανία, *invidia, odium*, ἐπιχαιρεκακία, *voluptas ex malô alterius:* ut & verba φθονέω, βασκαίνω, ἐπιχαίρω, ad eandem revocat. Exempla è Demosthene ibi allata huc trahere supersedemus.

Luthe-

Lutherus etiam, invidiam ibi intelligi, versione suâ eleganti indicavit: Das ist ein böser Mensch/der nicht sehen mag/ daß man den Leuten Guts thut. Vid. Hieronymi verba jamjam citanda.

§. 6. *Quartus* nodus, quem Paulus *Galat. 3. v. 1.* nectere putatur, jam dicta recolenti solutu est facilis. Recurrit enim eadem argumentationis imbecillitas. Paulus fascinationis mentionem facit. Ergo fascinatio vulgaris datur. Datur sanè, scilicet in vulgi opinione, non autem in re, quod est in quæstione. Istud autem D. Hieronymus etiam circa locum istum occupatus non obscurè prodidit. *Dignè Paulo*, inquit, *qui etsi imperitus est sermone, non tamen scientiâ, debemus exponere: non, quòd scierit esse fascinum, qui vulgò putatur nocere, sed usus sermone sit trivii: &, ut in cæteris, ita & in hoc quoque loco, verbum quotidianæ sermocinationis assumserit. Legimus in Proverbiis: Donum invidi cruciat oculos. Qui apud nos invidus, in Græcô significantiùs ponitur, fascinator: & in sapientiâ, quæ Salomonis inscribitur: Fascinatio malignitatis obscurat bona. Quibus docemur exemplis, quòd vel invidus aliena crucietur felicitate; vel is, in quo bona sint aliqua, alio fascinante, id est, invidente, noceatur. Dicitur fascinus propriè infantibus nocere & ætati parvulæ: & his, qui necdum firmo vestigio figant gradum. Unde & quidam è gentilibus: Nescio, quis teneros oculus mihi fascinat agnos. Hoc utrum verum nec ne sit, Deus viderit: quia potest fieri, ut & Dæmones huic peccato serviant: & quoscunque in Dei opere vel cœpisse, vel perfecisse cognoverint, eos à bonis operibus avertant. Nunc illud in causa est, quod ex opinione vulgi sumtum putamus exemplum, ut quomodo tenera ætas noceri dicitur fascino, sic etiam Galatæ in Christi fide nuper nati & nutriti lacte, & non solido cibo, veluti quodam fascinante, sint nociti, & stomacho fidei nauseante, Spiritûs Sancti cibum evomuerint.* Hieronymi judiciô stat B. Lutherus *Tom. I. Altenburg. pag. 186.* ubi pariter à fascinatione vulgari ad Magicam abit, id quod etiam versione prodidit: O ihr unverständigen Galater/wer hat euch bezaubert/daß ihr der Warheit nicht gehorchet? Non tamen negamus, eidem vulgarem etiam, quam visu & voce naturaliter fieri antiquitas credidit, idiomate nostro Zauberey dici, id quod nominis, tractationem nostram concernentis, gratiâ, indicamus. Ita ille: Und eben das zeiget auch an das Wörtlein Bezaubern/ dieweil man saget/ und der Hieronymus auch der Meinung ist / daß Zauberey zuvor den Kindern und

der Jugend schadhafftig ist. Bezaubern aber [Fascinatio vulgaris] geschicht/ wenn man durch vergifftes und bezaubertes Angesicht beschädigt wird/ als der Poet Virgilius dasselbe Wort brauchet in seinem Bäurischen Gedicht: Ich weiß nicht / welches Auge meine zarte Lämmer bezaubert hat. Ob aber das wahr ist/ weiß GOtt wol/ spricht Hieronymus. Denn es kan geschehen/ daß die Teuffel diesem Ubel [ita ad Fascinationem vulgarem etiam Dæmoniacam accedere posse sentit.] auch dienen und verhelffen. Ich glaube/ daß das die Kranckheit der jungen Kinder sey/ welche unsere Weiber pflegen zu nennen die Elbe/ oder das Hertzgespan/ durch welche wir sehen/ daß die Kinder gantz verschmachten und verdorren/ und erbärmlich gepeinigt werden/ und zu Zeiten ohn Unterlaß schreyen und weinen. Man hat auch geglaubt/ daß solche Ding werden zugerichtet von den neidischen Zäuberinnen [fascinatrices ex invidia visu & voce juxta veterum sententiam lædentes hoc loco intelligit.] wann eine gegen der andern Haß und Neid trägt / darum daß eine ein hübscher Kind hat. Dahero auch das Griechische Wort βασκαίνω nicht allein bezaubern/ sondern auch neidisch seyn / bedeutet nach der Meinung Hieronymi. Et paulò post: Aber hie entsteht eine solche Frage: Ob zu glauben sey / daß deß Apostels Meinung sey gewesen/ als wäre solche Zauberey etwas? [Fascinum vulgare Lutherus itidem intelligit.] S. Hieronymus hält davor / daß er geredt habe nach dem gemeinen Brauch/ und habe aus dem Wahn deß Pöbels ein Gleichniß genommen/ nicht als hätte er gewust oder gehalten / daß Zauberey [fascinum vulgare] etwas wäre/ wie man pflegt auch viel andere Dinge aus den Fabeln der Heiden in der Schrifft zu brauchen / als da ist in dem Hiob der Wagen / Orion / Plejades / und im Esaia die Sirenen und Oenocentauri. Ich/ wie gesagt/ glaube gäntzlich / daß solche Zäuberinne durch deß Teuffels Hülff und Göttliches Verhängniß [hic cum Hieronymo ad fascinationem magicam inclinat] warlich den Kindern Schaden zufügen / und das zu einer Straff den Unglaubigen/ und den Gläubigen zu einer Versuchung; So doch viel andere Ding (wie die tägliche Erfahrung lehret) Schaden bringen den Menschen/ Vieh und allen andern Dingen / und die Dinge sind dem Apostel nicht unbekandt gewesen. Siquidem *Paulus non negat fascinum esse aliquid, aut non posse fieri, quia infra cap. 5. recenset inter opera carnis etiam veneficia, quæ eadem sunt cum fascino:* verba sunt ejusdem Lutheri *Comm. in Epist. Paul. ad Galat. ex prælect. ejus collect. pag. 144.* B. Balduinus quoque *Comm. in Epist. Pauli pag. 796.* & ab opinione vulgi, & ab invidiâ vo-

cis istius translationem ad res sacras factam esse doctè exponit. Dn. D. Winckelmannus Prof. Gissens. celeberr. *Comment. super eund. loc.* delusionem, deceptionem ac seductionem Pseudo, Apostolorum metaphoricè fascinationem quasi incantationem hîc appellari scribit. Et Rauppio *Bibliothec. Portat. lib. 1. pag. 143.* videtur Paulus voculâ hac uti generaliùs, & notare præstigias, quibus præstigiator oculos alterius perstringit, ut pro veris rerum speciebus falsa apprehendant, Verblendungen. Ab oculis autem ad mentem hîc esse translatam ait. Sic & Biblia Ernestina: **Wer hat euch bezaubert? (durch irrige Lehr die Augen eures Hertzens verblendet?)**

CAPUT II.

Profana profanorum Virorum autoritas colenda, sed ad veritatis aram usque. Quorundam hîc nævus tangitur. Ad locum Aristotelis Sect. 20. probl. 34. & Æliani lib. 1. de Animal. cap. 35. respondetur. De Plinii autoritate variorum judicia. De Triballis & Illyriis. De binis nonnullorum in oculis pupillis. Plinii lapsus.

§. 1. A sacris ad profana. Profana cæteroquin doctorum virorum autoritas est profana i. e. vana, respectu Scripturæ, quæ infallibilis est. Infallibilitatis autem privilegium neutiquam sibi arrogare potest ullus, cum res sint multæ difficiles, hominum naturæ inexplicabiles. *Eccles. 1. v. 8.* proptereaque ἐν βυθῷ ἡ ἀλήθεια, in profundo veritas demersa, à Democrito dicatur. Sed ob id contemtui habenda non est antiquorum autoritas; sed eò magis, quia omnium confessione Atlantes fuerunt, sapientiæ & doctrinæ sphæras stupendas menti impositas gestantes, suspicienda. Verùm non adoranda, quod illi facere videntur, qui vel nudâ antiquorum autoritate immotè nituntur, vel convicti Ciceronis *l. Tuscul. Quæst.* ore ajunt, *se malle cum Platone* (vel Aristotele) errare, quàm cum reliquis vera dicere. Mancipia ista paganis, quos Lactantius reprehendit, sunt similia, qui falsas religiones & sacra publicè suscepta atque à majoribus tradita pertinacissimè tueri ac defendere olim perseverarunt, adeòque scelus esse duxerunt, in eam inquirere, quòd clamarent, sufficere debere autoritatem vetustatis & majorum, hos scivisse, quid crederent, quid colerent, quare sic unumquodque in religione ordinarent. Rittershusius *Sacr. lect. lib. 2. cap. 4.* Major Aristoteli Philosophorum Principi insedit

candor,

candor, qui *lib. 1. Eth. ad Nicom. cap. 4.* præstare ait τὴν σωτηρίαν τῆς ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν ἄλλως τε καὶ φιλοσόφους ὄντας. ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν, ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν. Quæ verba Scaliger *exerc. 6. sect. 4.* divini pudoris plenissima appellat. Toto verò animo istorum insolentiam semper execror, qui, cum antiquos à veritatis januà aberrare vident, aculeatis eos verbis, spretâ omni humanitatis lege, graviter pungunt & conviciantur, errorumque monstra enumerando & exaggerando regiam ad astra viam sibi parare laborant. Pygmæi isti omnes ex imô solô Gigantum istorum humeris comiter impositi, quia plura quàm gigantes ipsi prospicere potuerunt, cernunt, se tanquam oculatissimos jactant, immemores, quod insuper vident, istorum se levamini debere.

§. 2. Profanos itaque supra citatos Autores jam sequimur, sed usq; ad aram veritatis. Principem locum Principi Philosophorum *Aristoteli* de universâ humanâ sapientiâ præter supraque cæteros omnes mortales, Scaligeri l. c. testimoniô, bene merito assignamus. Quid ille de Fascino? *Sect. 20. probl. 34.* quærit ita: Διὰ τί τὸ πήγανον βασκανίας φασὶ φάρμακον εἶναι. *Qua de causa Rutam fascinationis remedium esse ajunt?* Respondet: An propterea, quia tum effascinari se credunt, cum aut voraciter edunt, aut incommoditatum aliquarum tenentur suspicione, aut cibum habent suspectum, quem capiunt: itaque cum de mensâ eadem, qui privatè sibi assumunt, participem intuentem quempiam faciunt, affanturque, ne me fascines: ergò cibum cum perturbatione sument, nec quid bibent aut edent, sine turbatione & flatu, qui unà hauriatur & ingeratur. Quamobrem flatu ipso, vel cum extrudendus effertur, cibus quoque unà elatus ejicitur, vel cùm interclusus per humorem tenetur, tormina moventur & cruciatus. Igitur ruta præesitata vi sua & potestate calfactoriâ vas, quod recipit cibos, elaxat, & reliquum corpus itidem afficit: ex quo fit, ut flatus ille interclusus transmitti atque secedere possit. Verùm verba *ajunt, credunt*, quæ in reliquis ejusdem sectionis problematibus non reperiuntur, produnt, non ex propriâ, sed ex vulgi sententiâ Aristotelem ibi loqui, & in problematibus populariter Philosophum loqui, ac sæpe aliorum opiniones sequi advertit Zabarella *de Visu lib. 2. cap. 6. pag. 906.* Ad vulgi autem mentem responsionem affert, qua tamen non ipsam fascinationem probat, sed tacitè potiùs refutat, & opinionem vulgi superstitiosam taxat, sententis, intuitu fascinum inferri, & si inter edendum à spectatoribus

ribus metuatur, cibo de mensâ his dato, præcaveri: cum tamen læsio, quam ex fascino inferri credunt, vel voracitati nimiæ, vel dubio corporis statui, vel ipsi cibo potius sit adscribenda. *Voracitas* cruditatum & hinc ortorum flatuum est mater: hos autem ruta vi suâ & potestate calfactoria consumit. *Dubius est corporis status* eorum, tum qui ad summum bonitatis pervenerunt, juxta Hippocratem *lib. 1. aph. 3.* tum qui apparatu instructi sunt morbosô. Utrique incommoditatum aliquarum ex voracitate nimiâ oriundarum tenentur suspicione: illi, quia, ut Hippocrates ibidem loquitur, εὐεξία ista in suo statu manere nequit, & quidem, ut supra ex Heurniô annotavimus, propter affluxûs & effluxûs perennitatem: hi verò, quia ob apparatum morbosum à voracitate auctum jam in morbum sunt procliviores. Cibus vel flatuosus vel venenatus, vel alia quadam præditus est qualitate infensâ. At flatus suo calore rutam consumere dictum est. Insuper teste Dioscoride *lib. 3. cap. 43.* Plinio *lib. 20. cap. 13.* lethalium medicamentorum ruta antidotus audit, eoque nomine & propter alexiteriam hanc potestatem Ruta, quam Bernhardo Saxoniæ Duci, filio Ottonis Ascanii pro fratrum discrimine Imperator Fridericus Barbarossa dedit, rutaceâ, qua per æstum fuerat coronatus, coronâ ex obliquo supplicantis clypeo injectâ, (vid. Max. Rever. Dn. D. Spenerum *de Insign. Famil. Saxonic. pag.* 7.) Serenissimis Saxoniæ Ducibus etiamnum est accepta, & insigne in insignibus eorum hieroglyphicum, quia Saxonia efficacissima malignarum Romanensium traditionum semper fuit Antidotus, salutari potest. Istis autem causis jam enumeratis jungi potest metus, ob quem causarum verarum ignari μετὰ ταραχῆς cum perturbatione cibum sumunt. At metus cum corporis perturbatione ortus suffocando calorem vitalem cruditatum & hinc flatuum, imò & graviorum malorum fit autor. Sufficientes cùm hæ sint causæ, quis ad fascinum velut visu patratum, siqui post intuitum per accidens sequentur, effectus cum indocto vulgo referat?

§. 3. *Ælianus* genere Romanus, scriptor politissimus Casauboni *Comm.* in Ath. *lib. 15. cap. 3. pag. 949.* elogio, egregia multa in suis de animalium libris annotavit. *Lib. 1. cap. 35.* quod περὶ βασκανίας inscripsit, ait: βασκάνων ὀφθαλμοὺς καὶ γοήτων φυλάττεται τὸ τῶν ζώων τὰ ἄλογα φύσει τινὶ ἀπορρήτῳ τῇ θαυμαστῇ, &c. *Fascinantium oculos etiam rationis expertes bestiæ naturâ quadam arcanâ & mirabili cavent.* Pergit ibi & probat sic: *Nam Palumbi, ut*

bi, ut audio, fascinationis amuletum laurinos ramulos tenues primùm colligunt, deinde ad custodiam pullorum in nidos imponunt. Milvi autem rhamnum, Circi cichorium sylvestre, Turtures iridis fructum, Corvi viticem, upupæ adiantum, quod & Callitrichum aliqui vocant, Cornix arislereona, Ardeola cancrum, Perdices harundinis comam legunt. Turdi ramo myrti, gramine Alaudæ se tuentur: Aquilæ gentili suo lapide aetite: quem & mulieribus commodum esse, & abortibus adversari prædicant. ℞. per ὀφθαλμοὺς βασκάνων καὶ γοήτων *oculos fascinatorum & præstigiatorum* non oculi radiis visivis noxam inferentes, sed in genere πονηροὶ, malevoli, maligni intelliguntur, qui malignitatis in corde latentis sunt proditores, & in malis patrandis duces. Prout & invidi, oculis invidiam exprimentes ob effectûs malignitatem maligni dicuntur. Confer. *cap. præced. §. 2. & supra part. 1. Sect. 1. cap. 1. §. 3.* Vocibus autem istis ex libertate quadam & ex ore vulgi mutuatis Ælianus utitur, iisdem malitiam naturalem, h. e. mirabiles in diversæ speciei animalibus & vegetabilibus antipathias notat, & contra noxia animalia, contrariis qualitatibus prædita ç præservativa, quibus animalia à naturâ edocta utuntur, recitat. Imò ex recentioribus Sylv. Rattray supra pag. 6. citatus, cum ligationem & fascinum scribit fieri inter ea, quæ se mutuo amant vel oderunt, ad Ælianam vocis Fascinum acceptionem accedit, quem tamen vulgarem visivâ facultate promtam fascinationem statuere non censemus. Quibus verò istam pertinaciter urgere placet, id responsi, quod Vossius *lib. 3. Idol. p. m. 585.* in simili dat materiâ, à nobis ferat. Ita ille: *Magna est pavonis sagacitas, si lini radicem inquirit, ac sub alâ gestat, ut fascini amuletum, quod Æliano traditum lib. 10. de animal. cap. 18. Sed Græculum est commentum.* Ista quidem ab Æliano enumerata à dictis avibus in nidos imponi negare nolumus, sed, ut fascini, quod vulgare & propriè quibusdam dicitur, amuleta imponi, hoc commentum redolet. Tutiùs certè ad naturales contrarietates, quas natura animalia omnibus opponere docuit, recurrimus. Sic verbenacam supinam cornices nidis imponunt, ut blattas aliasque bestiolas ab iisdem abigant. Turtur nidis contra lupi incursus squillæ folia, quæ isti fugere consueverunt, imponunt. Hirundines blattas ovis infestas apio fugant. Quæ ex alia plura naturalium rerum scriptoribus constant.

§. 4. Plinius Naturæ Bibliothecarius Langio *Orat. pro Ital. p. 846.*

 dictus,

dictus, Naturæ consultos quidem sistere videtur, sed quia ipse in præsenti negotiô Naturæ consultus & αὐτόπτης non est, fidem omnimodò non meretur. Quam vero Isigonus, Nymphodorus & Apollonides Philarchus, quos Plinius citat, mereantur, aliis pensitandum relinquimus. *Ex diversis Autoribus* (verba sunt Salmasii Exercit. Plin. pag. 383.) *Plinius opus magnum consarcinavit, diversas etiam super eadem re sententias plerumque retulit.* Philologorum & Criticorum θαῦμα Th. Reinesius apud Dn. Bosium *in Append. Epist. Reinesio-Daudianar. cap. 4.* ait: *Non adhibuit* (Plinius) *in excerpendis Autoribus diligentiam competentem, & narrationes sæpè suas è diversis, etiam pugnantibus, incertis, fabulosis, superstitiosis contexuit; unde nonnisi inconditus cinnus sententiarum & falsimoniarum construi potuit.* Certè Plinius tantam fidei jacturam hac parte subivit, ut jam ab antiquô de illo in parœmiam abierit: *Mentitur sicut Plinius*, inquit Casp. à Reies *quæst. 1. n. 17.* Nihil proinde mirum, si in Pliniano agro adversa nobis zizania

— — *interq; nitentia culta*
Infelix lolium & steriles dominantur avenæ.

Liberius pariter de eodem Martinius *Lex. Philol. pag. 1173.* fert judicium, inquiens: *Plinius multa habet fabulosa & superstitiosa, majore diligentiâ quàm judiciô congesta.* Riolano certè apud Draudium *loco supra pag. 6. alleg.* ista, quæ de Triballis & Illyriis in historiam Plinius retulit, fabulosa videntur, fabulæque hoc dedisse locum statuit, quòd fuerint aspectu ferô & truculento. Nam ex oculis iratorum veluti scintillæ micant. Ut enim Arimaspi crediti sunt monoculi, quòd ad cynosuram collimando (erant enim insignes sagittarii) oculum unum clauderent, & Psylli crediti sunt resistere serpentibus, quod usu confirmata audacia venenum suctu mox retraherent, Thessali, quia primi ex equo pugnarunt, falsam de Centauris opinionem invexerunt: Ita Triballi & Illyrii crediti sunt fascinare, quòd visûs ferocia aspicientes terrerent. Hæc Riolanus. Idem ferè Henr. Nicolai *de Magicis Action. Exerc. 9 pag. 212.* sentit, ubi inter causas, quæ fascinum inferre creduntur, & hanc refert, persuasionem nimirum, & imaginationem teneri timidique animi vetulam deformem & quandoque horridâ notâ, ut Triballi & Illyrii, geminâ pupilla conspicui, insignem intuentis. Verùm ut nos Plinium hîc deseramus, prægnantem causam nondum habemus. Familias quasdam laudatione effascinantes

in

in Africa fuisse, nos Plinio ex Isogono & Nymphodoro referenti, quia Gellium, quamvis & hunc pari autoritatis robore munitum habet consentientem, credimus. Fuit enim terra illa, & præcipuè in ea Ægyptus Magiæ sedes, è qua superstitionum monstra in alias migrarunt regiones, ut dubium sit nullum, familias quasdam Dæmoni magis addictas, veneficio magico, quæ fascini monstra ediderunt, produxisse, Dæmone ex pacto nocere volentibus cooperante. Atque ad hoc ipse D. Henr. Nicolai ante citatus *Exerc. 6. pag. 184.* ubi de Fascinô Magicô agit, istarum in Africa familiarum, Triballorum item & Illyriorum facinora refert, ut & Delrio *libr. 3. D. M. part. 1. quæst. 3.* Sennertus *libr. 3. Pr. Med. pag. 382.* Hieron. Jordanus *lib. de eo, quod divinum in morbis, cap. 13.* Sed Wierus *de Lamiis cap. 34. pag. mihi 262.* Zacutus Lusitanus *loc. cit.* & Gasp. à Reies *quæst. 63. num. 12.* in occultè connata, adeoque in causas naturales superiùs dicta referunt. Verum quid de hoc sentiendum, lib. 2. indicabimus. Hîc suum saltem Plinio, quod habet *lib. 8. c. 22.* reddimus: *Nullum tam impudens mendacium est, ut teste careat.*

§. 5. Pupillas binas in oculis singulis nonnullos, nonnullos in altero oculô geminam pupillam, in altero equi effigiem, habuisse, fidem non meretur. Pupillæ binæ vel veræ fuerunt, vel apparentes. Si veræ fuerunt, monstrosa fuit oculorum conformatio: qualis & illa Regis Sinensium prudentissimi Xuni fuit, quem binos in quavis orbitâ oculorum bulbos (in jedem Aug ein par Aepfel) velut raræ felicitatis indices habuisse refert Erasmus Francisci in suo Speculo *pag. 1287.* Monstra verò raró fiunt, neque Anatomicorum, quos legi, ullus oculum pupillis binis instructum cultro Anatomico fuisse subjectum meminit; neque Physicorum ullum hoc annotasse recordor: At homines binis in uno vel utroque oculô pupillis insignes non raró & pro gente fuisse Plinii verba produnt. Certè secundùm naturam una in oculo reperitur pupilla, idque visionis naturam requirere Optica docet. Siquidem multiplicatis pupillis multiplicatur in oculo ipso species. Una & eadem res extra cameram obscuram collocata multiplicatur in charta secundùm foraminum multiplicationem: & si foramina fiant inter se satis vicina, concurrunt diversarum specierum partes in eandem chartæ portionem. Sic ergò ex unâ domô oppidulum, ex uno homine cohortem repræsentare poteris. Schottus *Magia Univers. part. 1. pag. 76.* Itaque apparentem

alteram

alteram in uno oculo fuisse pupillam censemus, & quidem vel stigma, pupillæ speciem exprimens, à Satanâ impressum. Stigmata enim Magis & Sagis suis Satanam imprimere constat, & quidem non carnosis modò partibus, sed quandoque etiam ipsorum oculis, teste Petro de Lancre, Parlamenti Burdigalensis Assessore in suo *de Arcanis Magor. miris Tract.* ab Anonymo quodam in vernaculam translato *pag. 54.* ubi hæc habet: Er (der Satan) druckt das Zeichen auch ein am alleredelsten und kostbarsten Ort deß gantzen menschlichen Leibs/ wo man solches unmüglich zu seyn beduncket/ als zum Exempel/ in die Augen oder in den Mund. Exemplum tradit *pag. 40.* Vel, ut Vossius *de Idol. lib. 3. pag. mihi 421.* conjicit, hinc inde fuit, quia circulus iridis exterior nigricante colore alteram retulit pupillam. Idem Plinii lapsum ibidem advertit scribentis, quosdam in altero oculo geminam pupillam, in altero equi habere effigiem. Nec enim dubitandum, ut scitè cum Dalecampiô sentit, quin Philarchus, ex quo istud Plinius refert, cum de oculorum vitiis sermo sit, ἵππον scripserit: ἵππος autem Medicis Græcis perpetua oculorum nictatio est. Sed Plinius ambiguitate vocis deceptus perperam reddidit equi effigiem. Concedamus autem pupillas multis binas verè fuisse, quid hoc ad fascinum? Dualitas pupillarum non novam, & quidem fascinandi qualitatem, sed numerum infert. Numerus autem ad Quantitatem spectat, cujus nulla vis & efficacia. Formatrix facultas sive tres, sive quatuor pupillas per errorem fabricet, non aliam propterea virtutem oculo confert, uti nec novam subjecto imprimit, sive bicipitem, aut quatuor crura, tria brachia, sex digitos formet. Si dixeris pupillas nocere, non quatenus tales, sed quatenus pluribus radiis transitum concedunt: Concessero hoc, modò id, quod supponitur, radiorum scilicet emissio, prius probetur.

CAPUT III.

Virgilii autoritas adducitur, cujus salvandæ gratiâ varii varia afferunt. Pro eodem Borellus pugnat, & radios visivos defendit, sed infeliciter. Ovidius, Horatius, A. Gellius & Plutarchus producuntur.

§. 1. Virgilius Poetarum quidem Phœnix Scaligero, multæ antiquitatis homo sine ostentationis odiô peritus A. Gellio *lib. 5. cap. 12.* dictus,

dictus, sed si Senecæ & Macrobii judicio stabimus, præsens erit, quod ad versum istum: *Nescio quis teneros &c.* reponi queat. Seneca *Epist. 87. Virgilius*, ait, *non quid verissimè, sed quid decentissimè diceretur, adspexit, nec agricolas docere voluit, sed legentes delectare.* Macrobius *Lib. 1. Saturn. cap. 1. Virgilium non minus Oratorem, quàm Poetam nominandum esse scribit.* Nimirum, ut cum Gutierrio loquar, Maro talia loquitur poetandi stylô ductus: nam & his temporibus etiam amantum præcordia venustarum mulierum oculis transfixa, nescio quàm fictitiè, forsan indecentiùs, Poetæ comminiscuntur. Alii aliter Virgilium absolvunt. Vallesius dicit, Virgilium non induxisse ita loquentem Socratem, aut Aristotelem, sed opilionem, ut debeat meritò ob loquentem personam censeri id dicere, non ex suâ sententiâ, sed ex vulgi opinione, quâ nihil incertius. Eandem Christoph. à Vega *de Arte Medend. sect. 6.* tenet sententiam: quibus, quia Servium quoque sibi faventem habent, assentiri malo, quàm iis, qui Magicum versu illo Virgiliano fascinum intelligunt.

§. 2. Pro Virgilio tamen, omnibusque radiorum favitoribus videtur pugnare Petr. Borellus *Cent. 3. Observ. Medico-Phys. lib. 1.* ubi ait, D. Le Faucher Ecclesiæ Carentoniensis Pastorem sæpissimè vidisse Lutetiæ sanctioris ærarii Tribunum, cujus oculorum acies tanta fuerit, ut conspicilla sua paulatim perforarit, adeò ut ea sæpe mutare & renovare fuerit coactus: nec dubitat, idem multis contingere, si observaretur. Pergit idem: *At si vitrum, quod adeò difficile solvitur, radiis oculorum perforatur, cur non in pueros agnosque tenellos agent; hæc tamen præcipuè in mulieribus observata fuêre, unde pleraque pro sagis habita sunt, quoniam sic multis noxas inferebant, cùm tamen id naturaliter fieret, & à corruptione menstruorum, quâ & specula fœdant, & arboribus plantisque reliquis, & vino acetoque nocere queunt.* Verùm 1. si vel maximè hæc ita fieri concedatur, non tamen radiis sed vaporibus ea sunt adscribenda. Aliud autem radius est, aliud vapor. Ille, licèt ponatur, oculos pro visionis actu perficiendo eum emittere, qualitas esset, vapor autem corporeum quid est. 2. Ipse Borellus *Centur. eâd. Observ. 67.* ubi aliam historiam refert, suppressâ voce illâ vapores nominat. *D. Chalvinus*, inquit, *nobilis Parasinus adeò acres emittit ab oculis vapores, ut conspicilla ejus excavent, & tandem perforent, inutiliaque brevi reddant.*

 3. Non-

3. Nondum satis ex hoc probatur, vapores ex oculis ad conspicilla acres manasse, cùm æquè ex ore, inter quod & oculos conspicillis medius locus conceditur, fundi queant, & quidem tum copiosiùs, tum commodiùs, quia sæpè in ventriculo & vicinis locis acerrimi accumulantur humores, à quibus vapores illorum indolem servantes adscendunt; tantâque acidi illi humores sæpiusculè causticâ acrimoniâ pollent, ut è ventriculô ejecti aquæ fortis seu spiritus mineralis instar linteamina erodant, dentes stupefaciant, æneamque pelvim arrodant. Imo sudorem Illustrissimi cujusdam Viri in tantum corrosivum fuisse scribit Willis *de Morb. Convulsiv. cap. 9.* ut instar aquæ fortis lintea, nî statim abluerentur, citò exederet & corrumperet. Quidni ergo effluvia corrosiva insensibilia in transpiratione & evaporatione, quæ è ventriculo fit, conspicilla sensim in isto Borelli exemplô eroserint? Propterea, ut ad radios corrosivos confugeret, & fascinum vulgare erigeret Borellus, non erat opus. Nullus certè dubito, si clausis etiam oculis vitra vel ori vel naso eorundem fuissent imposita, quin eandem contraxerint noxam; ut proinde magis fascinum naturale, quàm vulgare, ista probent. 4. Mulieres non omnes, sed quibus menstrua sunt corrupta, non radiis visivis, sed effluviis ex toto corpore promanantibus specula & alia inficere, infra docetur.

§. 3. Avolet hinc illa Musarum Luscinia *Ovidius*, qui, ut Taubmannus *Comment. in Cirin Virgilian. pag. 8.* eum indigitat, ingeniosus fabularum est figulus & gerulus. Τὸ ψεῦδος ὥσπερ τροφαῖς τὸ φαρμακῶδες ἐγκέκραται: *tanquam in alimentis venenum, ita mendacium admixtum* (opinionibus Poetarum) ait Plutarchus *de Aud. Poet.* Proinde cum granô salis, quæ Poetæ apponunt, sunt sumenda. Telchines ad idem, quod *cap. præced. §. 4.* Triballis & Illyriis assignavimus, prædicamentum referuntur. *Horatius* Poeta omnibus numeris absolutus, quo elogio Commentator ejus Joh. Bond *in Epist. Dedic.* eundem mactat; Romanæ fidicen lyræ digito prætereuntium monstratus, ut de seipso *Lib. 4. Carm. Od. 3.* testatur, poetico modo locutus per obliquum oculum invidum, & per odium obscurum invidiam, quæ tacitum est odium ac maledicentiæ morsu venenat, seu lædere intendit, intelligit. *A. Gellius* scriptor quidem nobilis, & in perscrutanda omni antiquitate diligens, ut Petr. Crinitus *de Poet. Latin. lib. 1. cap. 1.* eum commendat, aliorum tamen vitulis, & in isto, quem monstravimus, agro, ad Plinii exemplum aravit, propterea idem.

ea idem quoque cum Plinio ſortitur fatum. *Plutarchus* quoque, cui *ſect. 3. cap. 1. §. 3. & 6.* vacivos oculos dedimus, accedat. Hic à Trajanô conſulari dignitate ornatus, Decus ſui ordinis eximium fuit, Compendium eruditionis, Prudentiæ theſaurus, Antiquitatum utriusque gentis quidam DELIUS APOLLO Heinſio *Orat. III. de Bibl. pag. 32.* dicitur. Verùm ingenii ſui calamo feliciùs res politicas, quàm naturales expresſit, & cum in eo liberum de re quaque judicium miretur Bodinus *in Meth. Hiſt. cap. 4.* ubi non tam Hiſtoricus quàm Principum cenſor ei videtur, nos vulgi ſententiâ eum in multis faſcinatum rationis vela non ſemper diligentiùs explicuiſſe, ſed vulgi ductum ſecutum fuiſſe miramur.

CAPUT IV.

(II.) *Ad Rationum pro faſcinatione viſuali allatarum ſolutionem fit tranſitus. Prima, quæ & præcipua eſt, à Viſionis modo ſumta fuſiùs explicatur & examinatur. Viſionem non per emiſſionem radiorum, ſed ſpecierum receptionem fieri oſtenditur. Mercurialis lapſus. Temperamentum oculorum inveſtigatur.*

§. 1. SIc ergo ſcopulos autoritate conſpicuos, qui remoram objicere videbantur, tandem navicula prætervecta ad alterum jam latus & ipſum variis rationum lubricarum ſcopulis è ſuperſtitionum fundô paſſim ſurgentibus horridum curſum flectit. Itaque (II.) *Rationes* evolvemus, ut, quæ vulgi opinione firmô talô hactenus ſtare credita, eruditiorum, & hac noſtrâ, quam conferimus, cenſurâ lubricô, imò nullo ſtetiſſe ſuperſtitionem illam Poeticam & vulgarem, pateat. Maximam verò earum partem, ſi ad Lydium veritatis lapidem fuerint revocatæ, non ad poeticam, ſed ad phyſicam, quasdam etiam ad Magicam ſpectare patebit. Primarium autem, quod primo loco tangendum, eſt

§. 2. *Viſionis modus.* Viſu enim cùm faſcinationem fieri poſſe aſſerant, ejus modus præcipuè erit explicandus. Varias autem & diſcrepantes Autores doctiſſimos hìc fovere ſententias experimur. Nonnulli per ſpiritus Viſionem fieri ſtatuerunt: nonnulli per facultatis dignoſcentis ad viſibilia objecta ex oculis translationem; nonnulli per luminis emiſſionem ad objectum, ejusque reflexionem ad oculum; quidam per verberati aëris pupillam contingentis appulſionem ad objectum;

 quidam

quidam per receptionem quidem speciei, sed in oculi superficie: alii per luminis oculis connati emissi cum extremo lumine, tanquam cognato concursum & commixtionem; alii per qualitatem quandam cum externo lumine per circumfusum aërem à rebus ad visum nostrum pervenientem; alii per radios visuales, tanquam per manus, aut capillos animam se propagare ac sensibilia tangere dicunt: alii non propagari per radios animam, sed eos, quasi virgas & objecta se extendere, indeque ad animam reflecti & objecta renunciare: alii per simulacrorum quorundam continuâ successione à corporibus eorumque accidentibus effluxorum ad oculos appulsionem. Quis verò ad omnes se demittat? Nos jam Platonicos illos, quorum doctrina fascinationi favere videtur, conveniemus.

§. 3. Statuunt illi visionem fieri radiorum emissione: Aristotelici autem specierum per pupillam receptione. Ad arma venire & in arenam descendere nolumus, sed posthabitâ, quam Philosophis Principibus ipsis, ut hîc Platone & Aristotele, concertantibus posthabere decet, autoritate, mox ad Tribunal nobilissimæ Scientiæ, quæ Optica vocatur, decisivam sententiam audituri confugiemus. Stat ibi sententia: Visio fit receptione seu immissione specierum in oculos. Hanc inclutus Opticorum Senatus unanimi consensu approbat, & ita, ne ullus dubitationi locus supersit, roborat ac confirmat. Vide præter eos, quos citat Arnoldus Sengverdus *Introduct. ad Phys. Lib. 6. cap. 4.* insuper Euclidem, Zuchium, Scheinerum, Hevelium, Rhodium, Alstedium, Ant. de Rheida, Kircherum, Harsdorfferum, Schottum, Kolhansium, & qui horum castra sequuntur, recentiorum Physicorum coronam lectissimam: ut nil moremur, quæ prurientis ingenii lasciviâ & solitâ contradicendi libidine Basso *Phil. Natur. pag. 512.* pro contrariâ sententiâ adducit. Experientia optima rerum magistra omnem ejus conatum eludit. Hæc autem testatur, immitti species in oculum, velut in speculum. Est enim oculus naturæ speculum, sicut speculum est oculus artis, ut ait Cœl. Rhodiginus *Antiq. Lect. lib. 3. cap. 28.*

§. 4. Species istæ, effluvia seu potius defluvia, exuviæ, idola, simulacra, luculæ ab objectis decisæ, quæ rerum imagines visui sistunt, dici solent, easque Democritus, Leucippus, & Epicurus materiales vocarunt, nos cùm Aristotele immateriales esse pronunciamus. Illas ipsas autem

rem revera existere ita adstruimus. In obscurissimâ camerâ, ubi luci nullus, nisi per foramen digiti parvi latitudinem in diametro æquans, ingressus patet, rerum omnium externarum foramini oppsitarum simulacra & species genuinæ cum vivis suis coloribus in objecta tabula alba sese planissimè evidentissimèque ob oculos nostros ponunt, ut distinctim res quælibet cernatur & cognoscatur. Imagines istas exuvias jugi fluore à corporibus manantes Epicurus vocat apud Apulejum in Apolog. Has ἀποῤῥοίας canit etiam Lucretius:

> *Et quamvis subitò quovis in tempore, quamq;*
> *Rem contra speculum ponas, apparet imago*
> *Perpetuò fluere, ut noscas è corpore summo*
> *Texturas rerum tenues, tenuesq; figuras.*

Pro *Texturas* hoc loco Eruditissimum Casaubonum exuvias legere, ait Scipio Gentilis *in Apolog. Apul. pag. 99.* sed sibi parem elegantiam & jus in utroque verbo videri rectè scribit. Has autem texturas, figuras, seu species ab objectis devehi, & ad Tabulam usque in obscurâ camerâ protendi quisquis perspicit, qui quidem perspicit. Eodem modô id fit, ut in speculô, in quo ea etiam, quæ à tergo sunt, videmus: id quod inde fit, quia species in speculum impingunt, indeque repercussæ in oculum deferuntur. Ne longiùs evagemur, Vos studiosi Adolescentes, ipsimet, quæ in Camerâ suâ obscurâ portatili Vir Cl. Dn. M. Kolhans Profess. hujus Gymnasii & Opticæ Doctor Celeb. in pratô publicô extra urbē plus vice simplici vestrûm gratiâ collocata vobis ostendit, in memoriam revocate. Revocabitis, quæ jucundissimô oculos spectaculô paverunt, imagines prætervolantium & currentium, mobiles, urbisque nostræ è regione tum sitæ fixam, colorum varietate jucundam. Cameræ verò ad oculum applicatio quomodo fieri debeat, è Scheinero tradit Vir jam laudatus in elegantissim. suo *Tract. Optico Lib. 2. Part. 2. cap. 3.* ut ad oculum pateat, visionem fieri & perfici oculo velut in speculo.

§. 5. Si ergo visio non fit radiorum emissione, sed specierum receptione, ut probatum dedimus, neque etiam visu fieri posse fascinationem asserendum. Insignis proinde est lapsus Mercurialis, Viri alioquin Doctissimi, quando docet: *Si ulla fit effascinatio in infantibus secundùm Medicos & Philosophos, ea est, quæ fit per oculos, quotiescunq; scilicet mulieres aut viri venenati attentè intuentur ipsos oculos.* Nihil enim, quod

lædere & fascinare queat, ex oculô, ut visionis instrumento, ad objectum pervenit. Non entis autē nulla sunt accidentia. Diximus *ex oculo, ut visionis instrumento.* Oculus enim bifariam spectatur, vel ut *instrumentum visionis*, vel ut *pars corporis*. Ex oculo, *ut visionis organô* emanat nihil: siquidem virtus visiva est actio immanens, non transiens. Nam per actionem transeuntem semper aliquid, quod actione absolutâ manet, relinquitur, ut ædificatione perfectâ domus ædificata. Ast desinente visione nihil super est. Est ergò visio actio immanens. Dicere autem, virtutem visivam ab oculis emanare, est concedere, virtutem aliquam immanentē à suo subjecto dimoveri, quod contradictionem implicat. Ex oculo autem, *ut parte corporis*, aliquid (non autem radios visivos, sed corpuscula & effluvia certa, de quibus infra) manare posse largimur. Manant autem, sive quis attente intueatur infantes, sive oculos ab iis deflectat. Ut adeò sensus compositus à sensu divisô benè sit separandus. Ex oculô, qui est visûs instrumentum, aliquid emanat. Hæ duæ propositiones pugnare nesciunt. Utriusque veritas stat inconcussa. Profundantur licet ex oculo ἀκτῖνες πύριναι ad Chrysippi & aliorum mentem; distinguenda tamen est acceptio popularis à Philosophicâ. Vulgo condonamus sæpè, quod Philosophis, quos ἀκρίβειαν sectari decet, negamus. Si verò liberiori loquendi licentiâ isti fuerint usi, etiam libertatis suæ, modò eam fateantur, invenient Patronos.

§. 6. *Temperamentum oculi & igneum* Platonicis, & *aqueum* esse Aristotelicis concedimus, ratione scilicet diversarum partium. Si autem respectu potioris quis urgeat determinationem, frigidæ & humidæ, adeoque aqueæ naturæ esse oculos, asserere malo. *Nam humores, qui potissimam oculorum partem faciunt, frigidi & humidi sunt, & ab his interiores partes perpetuò humectantur, sicut vicissim forinsecus humores à cerebrò affluentes pariter eosdem humidos faciunt. Et nulla apparet ratio, quare oculi ignei constitui debuerunt. Nam quò illi obscuriores fiunt, eò perfectiùs in illis visibilium rerum species depinguntur*, nervosè inculcat Kyperus *Anthropolog. pag. 227.* Quare etiam inter εὐπόριστα visum confortantia experta oculorum lotio frigidâ manè facta refertur, quia simile à simili, humor ab humore conservatur, à contrario verò destruitur. Atque optimô Naturam consiliô oculos igne etiam donasse censemus, quia multis ad visionis naturam necessariis humoribus oculi turgent, proptereaque

frigi-

frigidioris sunt temperamenti, ad intensionem seu majorem frigiditatem ab externô frigore oriundam proni; ut frigiditas illa quadantenus castigetur, partis nobilitas conservetur, & omne à frigore externô periculum præcaveatur, spiritus ad oculos copiosiores, & cum sanguine ad caput semper tendente subtiliores Natura ablegat. Spiritus autē sunt πῦρ σύντροφον Hippocrati; ignis animalis Dn.D.Conringio, ignis sui generis Dn.D. Mœbio; & Lux Petr. Gassendo nihil aliud, quàm tenuissimus ignis, imò nihil aliud, quàm rarefacta flamma, quæ parum aut nihil propter raritatem calefacit. Tantò magis autem calefacit & splendet, quò minus aliis immersus seu purior fuerit & collectior. Tantò majorem ergò oculi gratiam habent, quantò majorem spirituum debitô modô per oculorum substantiam dispersorum copiam obtinent: atque hinc oculorum decus eximium, splendor, quo per morbi atrocitatem pereunte mortis tenebras instare prædicunt. Germani dicunt: Die Augen sind ihm schon gebrochen. Ignis ille vehementi agitatione, & juxta oculi angulos, quos canthos vocant, compressione de subitò collectior factus, oculi tunicas & humores tenuius saltem illustrat, ut fulgurum coruscationes repræsentare videatur. Si verò compressô oculô spiritus angustiori spatiô coarctati ex collisione ignescunt, sic quoque eandem luminis phantasiam ostendunt. Eâdem de causâ valida tussis quandoque scintillas oculis sistit, Alex. Aphrodisæo *Probl. 55. Sect. 5.* annotante; sternutatio, Th. Bartholino l. c. affirmante. Copiosiores si sint splendores & coruscationes, præternaturalem corporis vel capitis arguunt constitutionem, quod *loc. cit. pag. 53. & 109.* D. Bartholinus exemplis probat, & id, quòd nocturnis horis sæpius scintillæ oculis suis obvolutentur, sparsim exilientes in obscurô cubili, pro visûs sui damnô interpretatur.

CAPUT V.

Ratio prima uberiùs explicatur. A præsentiâ luminis ad ejusdem pro visu emissionem colligere non licet. Platonicorum sententia magis examinatur.

§. 1. NOndum tamen ex hac ignis seu luminis in oculô præsentiâ ad ejusdem ex oculô pro visione celebrandâ ad objecta ejaculationem colligere licet, quia nec simpliciter à præsentiâ luminis ad radiorum ejacu-

ejaculationem argumentari licet. Omni misto inest lux, non tantum mineralibus, sed & vegetabilibus & animalibus, eorumque partibus; sed in quibusdam ita immersa, ut splendor seu radius colorum more superficiem non transgrediatur. *Calida & urens quasi est in sinibus cordis, temperata & siderea quasi in cerebrô, fulgurans in cute, rosacea in labiis & genis, in unguibus speculi ad instar gliscens, in humore crystallino gemmea, in vitreo obscurè nitens observatur*, ait D. Schenckius *Histor. Humor. General. cap.* 5. & sanguis eodem autore splendet; radios tamen ultra superficiem ista omnia non profundunt. Lucem primigeniam stellarum omnium materiam esse, Astrologia sana docet; at istarum infimam, Lunam, radios de se nullos, sed omnes solis favore fundere, adstruit eadem. Suam singulæ oculorum partes lucem habent, respectu quidem aliarum partium copiosiorem, in se tamen satis debilem, quæ, ut spirituum vitalium præsentiâ continuô sustentetur, opus habet: illis pereuntibus, glauci mox evadunt oculi, splendorque perit. Debilius itaque lumen illud est, quàm ut ad objecta porrigi, & longè lateque diffusum radios spargere queat; & si spargeret, etiam aliis hoc oculorum lumine carentibus illustrata objecta videre daretur. Pulchrè Philosophus Patavinus Zabarella *de Visu lib.* 2. *pag.* 896. *Experientia docet emissionem luminis à re lucidâ facere potius, ut ea videatur, quàm ut videat. Illa enim quæ lucent, visibilia sunt, quatenus lucent, ideo etiam oculi catorum, quatenus noctu lucent, eatenus visibiles à nobis esse dicuntur, at non videntes; nisi eâ ratione, quâ significatur, illam oculi substantiam esse aliis oculis lucidiorem, proinde aptiorem ad recipiendos & videndos colores. Hoc etiam manifestè sensui repugnat. Ab omnibus enim oculis illuminaretur nocturnus aër, si lumen omnes oculi emitterent, nulla tamen apparet illuminatio facta ab oculis nostris noctu. At verò si tanta sit adversariorum pertinacia, ut asseverare contendant, emitti ab oculis nostris lumen, negare id saltem non possunt, debile admodum lumen esse: Cur ergô lumini huic nostro non evenit id, quod aliis omnibus evenire manifestum est? Omnia namq; parva lumina à magnis luminibus offuscantur, idcircò interdiu non lucent, noctu autem lucent, & videntur, quia tunc à nullo majori lumine opprimuntur.* Hactenus Zabarella, cujus reliqua, quæ ibi habet, verba legi merentur.

§. 2. Sed non tam luminis oculi proprii, quàm sanguinis ipsius ad oculos è corde affluentis radios pro visione, & hinc pro fascinatione

urgere

urgere videntur Platonici. Marſ. Ficinus enim *loc. cit.* poſtquam ſanguinem in adoleſcentiâ ſubtilem, clarum, calidum atque dulcem eſſe probavit, quærit ipſe: *Quorſum hæc?* Et reſpondet: *nempe, ut intelligatis, ſpiritus in hac ætate ſubtiles & claros eſſe calidos atque dulces. Hi enim cùm à cordis calore ex puriori ſanguine generentur, tales in nobis ſunt ſemper, qualis eſt & ſanguinis humor. Quemadmodum verò ſpirituum vapor hujusmodi creatur ex ſanguine: ita & ipſe ſimiles ſibi radios per oculos quaſi vitreas feneſtras emittit: Atque etiam ſicut cor mundi Sol ſuo circuitu lumen, perq; lumen virtutes ſuas ad inferiora demittit: ſic corporis noſtri cor motu ſuo quodam perpetuo proximum ſibi ſanguinem agitans ex eo ſpiritus in totum corpus, perq; illos luminum ſcintillas per membra diffundit quidem ſingula, per oculos autem maximè. Ad altiſſimas quippe corporis partes ſpiritus maximè, cùm ſit leviſſimus, evolat; ejusq; lumen per oculos, cùm ipſi perſpicui ſint, atque omnium partium nitidiſſimi, uberiùs emicat. Ineſſe verò oculis & cerebro lumen aliquod, licèt exiguum, animalia multa, quæ noctu vident, teſtimonio eſſe poſſunt, quorum in tenebris coruſcant oculi.*

§. 3. Sic ergo Ficino ipſo fatente, 1. oculis & cerebro lumen eſt exiguum, in iis etiam, quorum in tenebris coruſcant oculi. 2. Radios iſtos non oculus, ſed cor fabricat, & fabricatos cum ſanguine ad oculos propagat, per quos, quaſi vitreas feneſtras, radii, ſeu, ut Ficinus loquitur, luminum ſcintillæ projiciuntur. 3. Radii à ſpiritibus ipſis ſunt diſtincti. 4. Radii iſti in ſe ſunt laudabiles, ſed vitioſi fiunt, quando, ut in ſubſequentibus ait, vaporem corrupti ſanguinis ſecum trahunt. Verùm 1. hinc ſequitur, quò ſunt lucidiores, & plus luminis oculi habent (obtinent autem hoc, calidiori qui præditi ſunt temperamento & cerebro) eos etiam de acutiori oculorum acie, ut ſibi gratulentur, habere. Sed experientia in temperamento frigidiori quandoque excellentiorem, quàm in calidiori ſubjectô viſum monſtrat. 2. Sic non oculi ipſi principaliter, ſed microcoſmi ſol, cor puta, quod perpetuo motu cum ſpiritibus radios in univerſum corpus diffundit, faſcinat. 3. Non ſoli oculi, ſed & reliquæ corporis partes faſcinabunt. Quia enim radii cum ſanguine ad univerſa corporis membra diſtribuuntur, hæc autem perſpirabilia pororum ratione ſunt, per eosdem etiam tranſitus concedetur radiis, prout ſolis in macrocoſmo radii terræ poros ad mineralium ge-

nesin efficaciter subeunt. 4. Hinc ad oculum patet, non radios quà tales & per se, sed per accidens & quatenus corrupti sanguinis vapores, qui lippientium & menstruatarum more inficiunt, secum vehunt, lædere & fascinare, & consequenter, non ipsissimâ visione (esto eam radiorum emissione fieri) sed vaporibus pravis, quibus visio non fit, adeoque per contagium fascinum inferri. 5. Vaporem radiorum virtute subvectum alienum, non proprium subjectum fascinare ac perdere, quis nisi fascinatæ rationis homo sibi imponi patiatur? Cùm præternaturaliter malignitatis fomes generetur, proprium citiùs & priùs, quàm alienum ac distans subjectum, velut in malignarum febrium productione evenit, fascinabit.

§. 4. Præterea satis nondum probatum est, istos ipsos oculorum radios à veritatis radiis irradiari. Quid enim radius ille? an substantia an accidens? Si accidens, cui inhæret. Accidentis enim esse est inesse, idque à subjectô dependet. An tanti accidens roboris, ut propriâ virtute vaporem, qui est substantia, secum usque ad objecti cor, non obstantibus, quæ intervenire queant, substantiis, deferre possit? Si substantia sunt radii, num corporea, num incorporea? Si incorporea seu spiritus, quomodo hic rei corporeæ potest esse effectus? An agens naturale effectum specie diversum & sic toto genere nobiliorem edere valet? Spiritûs quidem nomen, quod prætereundum non est, Medicis & Philosophis est frequens, sed in respectiva significatione, observatô ad crassiora respectu, subtilissimo corpori tribuitur. Si corporea; cur distincti à spiritibus vitalibus & animalibus statuuntur? an istis radii sunt subtiliores? Num tantâ copiâ continuatô visionis actu corporea substantia effundi potest? tantâ dicô, ut, si toto die cœlum & totâ nocte stellas respiciam, non deficiant radii? cur continuam substantiæ deperditionem non sequitur insignis virium languor? cùm tamen actum venereum, & sudoris pluvias, in quibus fit spirituum jactura, insignis totius languor sequatur: an oculi ictu, velut instanti, corporea substantia ad astra usque conscendere, & iter stupendum absolvere potest? Qua virtute subjecti eò feruntur, & cujus vi eò pelluntur? cujus curâ à ventorum injuriis salvi & incolumes in itinere manent isti? cur non eadem ejusdem rei quantitas, etiam quando remota est, videtur? An visio facultatis visivæ cum re visivâ non est conjunctio, sed ab ea disjunctio, visioque extra homi-

hominem, non in homine est? An cùm alii sensus ab objectis suis patiantur, solus visus ab hoc est immunis? Cui tantus humorum & tunicarum in oculo apparatus, ut nervus opticus spiritibus emittendis sufficere queat? Annon emissio luminis è re lucidâ facit potius, ut ea videatur, quàm ut videat? nam quæ lucent, quatenus lucent, sunt visibilia. Cur ergò visio tribuitur isti? En densas inconvenientium tenebras! Singulis autem istis, & quæ opponi possent, omnibus ad syllogismorum angustias redactis, si lucidissimam Logicæ facem admovere vellemus, ut illa dissiparentur, hæc illustrarentur, quod facile esset, quis foret verborum finis?

CAPUT VI.

Varia diverticula eorum, qui radios defendunt. Cur quidam de noctu omnia viderint. Filii de Kackerlack producuntur. Homo solus inter animalia oculorum varietate notatur, ex qua etiam visus in eadem specie varietas colligitur.

§. I. Difficultatibus jam enumeratis & pluribus aliis pressi vel se premi posse videntes diverticula quæsiverunt varia. Proinde quidam non radiis inhærent, sed spiritus, item vapores, halitus, obvertunt. Sic J. B. Portæ *loc. cit.* fascinum est exterminatio quædam spiritûs per oculos ad cor fascinati deveniens, totumque inficiens; quamvis postea ad radios, quos spirituum vehicula vocat, recurrat. Vid. quoque supra *sect. 3. cap. 2. §. 5.* Langius modò vaporem incusat, modò spiritûs vehicula, modo spiritum vaporulentum habet. Sed rimam hanc, ne elabendi detur occasio, infra obturabimus. Quidam autem Platonis auxilium itidem implorant, dicentis in Timæo, ignem seu lumen in oculis contentum extra oculum manare, & cum diurno lumine jungi; atque ex illâ conjunctione & concursu passionem quandam resultare, quæ ad animam evolet, & ipsam protinus intus moveat, & sic videndi actionem perfici. Alii autem lumen oculorum emissum cum objecti speciebus insuper copulari, & amicô consortiô juncta ad oculos, ubi visionem fieri fatentur, redire dicunt. Sed, ut taceamus, plures difficultates, quibus per id Medicina non datur, redire, hoc unum adducimus, quis uno oculi stellas inspicientis ictu luminis & specierum ab istis emissarum conjunctionem & ad oculos regressum fieri credat? Interea manifestè ex

hoc constat, visu non posse fieri fascinationem, quia facultas visoria objectum non attingit, siquidem oculorum lumen extra missum & cum divinô conjunctum ad oculum revertitur. At verò inter agens & patiens contactus seu corporeus seu virtualis requiritur.

§. 2. Exemplis eorum, *qui de nocte omnia viderunt*, radiorum ex oculis emissionem satis confirmari negamus. Deusingii autem rationem, quàm *de Sens. Function. Sect. 2. §. 8.* dat, nostram non facimus. Scribit ibi, emissionem intentionalis luminis ex eorum oculis contingere non tamen visionem fieri, quatenus lumen intentionali suâ specie, seu diffusivo nisu versus objectum visibile vibratur, idemque illustrat, sed quatenus intermedia illuminationis ἐνέργεια modificatur ab objectô, atque per hanc modificationem visûs organum afficitur, adeòque objecti species in oculô repræsentatur. Felicius negotium hoc confecit Excell. Dn. Linemannus meus olim *Regiomonti Præceptor Fidelissimus Disp. de Visionis Naturâ, Assert. 1. & 6.* ubi statuit, species visibiles ad oculum appulsas isto oculorum lumine illustrari, lucidasque in retinâ pingi. *Id quidem*, inquit, *commodissimè fit, cùm lux illa internæ parti insita non sit, ut species turbaret, prout, in obscurâ camerâ evenit, si lumen inferas: Sed in anteriori uveæ parte habitet, & species in ipso aditu pupillæ citra negotium illuminatum eat. Quod ipsum etiam ex oculis felinis, qui pariter in tenebris fulgent, compertum evadit. Species verò in tenebris radiare, cùm rebus omnibus mistam esse lucem certum sit, extra dubitationis aleam positum videtur.*

§. 3. De *filiorum de Kackerlack* Hollandis dictorum, aliorumque visu tenebricosis in locis vegetô, solari verò lumine claris prostrato, ut animi nostri sententiam aperiamus, dicimus 1. nos desiderare fusiorem circumstantiarum enarrationem, an scilicet in tenebris etiam densissimis objecta planè omni luce destituta viderint isti; an noctes etiam mediæ populis illis sint tenebricosissimæ, an verò quodam, exiguo licet, lumine illas habeant temperatas? an isti (in reliquis exemplis) de die clarissimâ & nocte tenebricosissimâ nihil, sed in crepusculis demum objecta meliùs, an verò in his, & quæ hæc mediat, nocte obscurissimâ oculorum suorum acie visibilia optimè capere potuerint? quæ fuerit oculorum conformatio? siquidem 2. dicimus, oculorum conformationem, adeoque etiam visum, & in speciebus animalium & in individuis humanis non

rarò ratione tum temperamenti , tum ipsius conformationis variare.

§. 4. *Hominem* quod spectat, experientiâ edocti cum *Arist. Lib.1. Hist. Anim. cap. 10.* asserimus, solum, potissimum animalium hominem *numerosâ oculorum varietate notari*, cùm cæteris in suo singulis genere color idem sit, equis exceptis, qui interdum oculis proveniunt cæsiis. Sunt oculorum alii grandiores, alii parvi, alii conditi, alii modicè siti, & aut nimium connivent, aut rigidi, intentique constant, aut modicè nictant *Lib.5. de generat. Anim. c.1.* hominum oculos varios versicoloresque esse, ait. Nam alii cæsii, alii fluidi, alii nigri, alii caprini. Horum rationem dum exponit ibi, insimul visûs varietatem in istâ fundatam exprimit. Aliis palpebræ candidæ sunt, aliis ad nigredinem vergentes. Memoratu dignum est, quod è Phil. Montaldo refert Vossius *l. c. pag. 420.* hominem fuisse oculis glaucis, palpebris candidis, inque pueritiâ melius vidisse de nocte, pejus de die, sed virili ætate id fuisse immutatum: Mauros ei capto palpebras tinxisse atramento, ac vidisse tum acutiùs, sed rediisse vetus vitium, si atramentum detersisset. Causam à Montaldo præteritam è Plempio adducit, nempe quòd palpebræ candidæ nimium ea diluerent, quæ in tunicâ retiformi pingerentur.

§. 5. Quid ergò in eâ, quæ solo in humano genere reperitur, factoque ab ordine suetô recessû notatur, varietate mirabimur nonnullos felium instar noctu, & interdiu æquè paratam habere oculorum aciem, cùm isti insitum oculis lumen copiosiùs obtineant? quosdam veluti noctuas in crepusculis, matutinô & vespertinô tempore videre, ad Solis autem radios & contra atrâ nocte (nam & hac noctuas non videre, ex hoc probat C. Schottus, quòd tum accedentes silentiò non fugiant) cœcutire, cùm ut noctuæ nimis siccam & tenuem habeant humorum substantiam, quæ vim luminis igneam non ferat & facilè dissipetur? alios lynceis oculis præditos acutissimè (non tamen per asseres, ut de Lynce fabulantur) cernere, cùm ratione humorum & tunicarum detur in oculis dispositio optima, ut omnia amicè ad visûs excellentiam conspirent? præsertim cùm tunica retiformis, quæ est κυριώτατον visionis instrumentum, densa sit, ita ut prohibeat, ne altè se insinuet lumen, quali oculum aquilinum, qui & solare lumen rectâ intuetur, affectum esse, credibile putant Physici: alios autem ob humorum crassitiem ægrè objecta, instar piscium, qui ferè omnes ex coloribus, aut non nisi extremos, aut de mediis non nisi clarissimos discernunt, videre? *In Cumana regione Peru littorali homines parum*

vident: nebulæ enim in eorum oculis generantur, seu ex fluminis naturâ, seu ciborum, quibus vescuntur. Cardanus *de Rer. Variet. lib. 1. cap 4.* Videant ergò, qui ista urgent, quomodo cum suo duce Platone in gratiam redeant, qui, ut supra vidimus, ad videndi actionem perficiendam diurnum lumen, ut extra oculum mananti jungatur, concurrere statuit. Lumine enim diurno deficiente quomodo visio perficietur?

§. 5. Sic ergò Platone, quem omnium Philosophorum oculatissimum vocat Phil. Mornæus *de Verit. Relig. Christian. cap. 20.* quemque os in Philosophia purgatissimum & lucidissimum habere scribit Phil. Beroaldus *Oper. pag. 102.* discipulus Aristoteles in hac de Visione doctrinâ oculatior fuit, purgatius, lucidiusque os habuit. Est enim Visio reverà actio planè immanens, ac non emissione radiorum, sed receptione specierum intentionalium peragitur.

CAPUT VII.

Invidia nihil facit ad Fascinationem. Invidia quid? Item Tristitia, odium, desperatio, ex quibus invidia oritur. Oculorum structura non admittit radiorum invidi virulentorum profusionem. Radii ad objectum dirigi nequeunt. Struthiocamelum solo visu pullos ex ovis excludere falsum est.

§. 1. I*Nvidiæ* atrocitate, quam exaggerant, Platonici non juvantur, eaque, concessâ etiam eorundem hypothesi, physicè spectata minor est, quàm ut Fascinum inferre queat. Invidia Aristoteli *Libr. 2. Topic. cap. 2.* est λύπη ἐπὶ φαινομένῃ εὐπραγίᾳ τῶν ἐπιεικῶν τινος. Basilio M. *Homil. de Invid. tristitia ex alieno successu oriens: seu dolor animi ob alterius bonum, non quod ipse, qui dolet, idem desideret, sed quòd eodem carere malit eum, cui benè est*, Deisingius *Exercit. de Motu Anim. & sens. Function. pag. 309. Excellentiss. Viro* Dn. M. Johann. Weiß. *Mor. & Civ. Prof. Giessæ Celeberrimo, h. t. Pro-Rectori Magnifico, Amico inter multos non postremo, Disp. de Invidia cap. 1. est odium ob felicitatem alienam conceptum respectu superiorum, quia eis non æquatur, respectu inferiorum, ne sibi æquentur, respectu parium, quia sibi æquantur.* D. de la Chambre, *in de Arte Homines cognoscendi Tr. p. m. 143. Invidia est affectus mixtus ex tristitiâ & desperatione, cùm quis*

quis de bonorum, quæ alios possidere videt, acquisitione desperat. Certè mixtum esse hunc affectum ex tristitiâ, odio & desperatione, cui lætitia per accidens accedit, experientiæ suffragio constat.

§. 2. Invidia Aristoteli, ut vidimus, est λύπη *tristitia, dolor.* Propriè quidem dolor in corpore est, tristitia autem in animo. *Odium* in invidiâ præsens esse testatur illud Horatii *Lib. 3. Carm. Od. 24.*

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Invidi suis ipsis tormentis occupati nihil cogitant aliud, nisi eorum, quos oderunt, felicitatem, ait Lactantius *Lib. 6. de Verô cultu cap. 4.* *Desperatio* oritur, quia, ut proximus bonis, quibus gaudet, careat, invidus efficere nescit. *Lætitiam* invidiæ quandoque accedere, quæ ἐπιχαιρεκακία vocatur, Plato *in Philebo* indicat hisce: ὁ φθονῶν ἐπὶ κακοῖς τῶν πέλας ἡδόμενος ἀναφανήσεται. *Invidus proximorum adversis lætari deprehenditur.*

§. 3. In Tristitiâ sanguinis spirituumque circulatio & expansio languet, sanguinis moles circa cor præter modum subsistens hoc aggravat, & spiritus, caloremque insitum sensim suffocando minuit, propterea temperamentum evadit frigidius & siccius, partesque omnes suo debito officiô fungi cessant. Hinc pallor in ore sedet, macies in corpore toto, &, ut Gregor. Nyssenus *Lib. de Beatit. orat. 7.* loquitur, *oculi aridi intra palpebras tabidas & extenuatas recedentes, supercilium contractum, & ossa loco carnium translucida.* *Odium est ira inveterata* Ciceroni *Tuscul. Quæst. 4. desiderium quoddam, quò malè optamus, seu à qua tristamur*, Fracastorio *loc. cit. cap. 18.* Si odium inveterata est ira, & hæc mitior seipsâ recenti, minorum etiam ad nocendum erit virium. Ejusdem odium est pretii, si ut desiderium spectetur: neque enim in eo, sicut nec in *Desperatione* (corporali terrena spectante; spiritualem, quæ cœlestia attinet, & subtractâ divinâ gratiâ oritur, hîc non intelligimus) notatu digna fit humorum alteratio. Nullum autem horum qua tale & per se, si Physicè loqui velimus (Oratores & Poetæ loquendi licentiæ ad ornatum indulgentes suo utantur geniô, & Invidiæ virulentiam, quæ Ethicè venit intelligenda, exaggerent) malignum & venenatum corporis habitum, &, qui hujus sunt soboles, malignos morbos gignit. Sanè si eâ invidia pollet potestate, ut malignitatem

tatem in corde gignat, genitam per oculos pariat, & partam alienis corporibus ad nocendum transmittat, invidus Cain Abelem fratrem oculis fascinatoribus aptiùs, quàm manu trucidasset. Cur Haman Mardochæum, quem equo insidentem invidus & invitus circumduxit, aspectu non dederit præcipitem, miramur? Cur omnium filiorum Jacobi radii visivi, quos invidiâ flagrantes in Josephum multoties vibrarunt, langvidi & ad inferendum fascinum fuerunt inepti? An levis adeò fuit invidiæ flamma Pharisæorum, ut Christus, quia malevolô eorum intuitu ad mortem fascinari non poterat, cruci fuerit affigendus? maximè *commune cùm sit hoc vitium & pervagatum*, ut ait Cicero *de Orator. lib. 2.* præsertim in hac mundi senectâ, ubi Ratio Status mater improba, improbam filiam privati Commodi studium dolor! genuit, cujus educandæ gratiâ salus publica non rarò, ne periclitetur ista, periclitari cogitur, & nisi manus puræ DEO, Regi & Legi sacræ id præcaverent, sæpè periret illa, cur communissimum & morbô quovis frequentius non sit sit fascinationis malum, non immeritò quæritur? Infima, media & summa subsellia matris proliferæ filiæ occupant, neque cucullô se induere verentur. Immaturrima pruna arbore citiùs decutias, quàm privati commodi studium & hujus sororem invidiam hoc tempore expellas. Adeoque ubique jam imperiosæ dominantur, ut, si virulenti invidorum essent radii, oculique fascinum inferendi potestate pollerent, omnium ædes brevi forent nosocomia.

§. 4. Sed dabimus nos, quod Natura negat, liberali manu, & ultrò ponemus, per *Invidiam* & *Iram*, cujus motum sanguini & spiritibus nocentissimum esse, juxta affirmamus, generari malignitatem, aut apparatum in invidi corpore venenatum latitare; (nam venenum in corpore generari posse Medici affirmant) largiemur radios visivos per invidiam motos à malignâ humorum saburrâ infici & infectos emitti; quis verò tantam eorum vim fore sibi persuadeat, ut agnos, anserculos, homines, vasa, imò marmora sint fascinaturi? Ipsius oculi structura, radiorumque exeuntium quantitas, &, quæ considerandæ occurrunt, conditiones aliæ, ne credamus, suadent. Exiguum est pupillæ, & quidem tunicæ uveæ foramen, densâ corneæ membranâ munitum, humores post se habent triplices. Et 1. hi ipsi liberiorem Spirituum per pupillæ foramen transitum negant. 2, negat & tunica cornea densissima, laminis quatuor,

tuor, quibus epidermis imponitur, constans. Si porosam hujus naturam quis velit urgere, parcam nihilominus fore spirituum per humores & tunicam illam densam, transmissionem reponimus, ut propterea dubitemus, etsi tanti invidi essent oculi, ut idoli illius Chinensis FE, cujus oculi, aures, nares ac os ad duo milliaria conspiciuntur, *Artif. & Mirand. Sin. c. 13. p. 256.* an sufficientes (nisi summam virulentiam & Basilisci affinem naturam fingere velis) ad fascinum propagandum radii, si emitti possint, emitterentur. *Inquis:* Si non per pupillam, tamen per reliquam oculi substantiam & alias corporis partes virulenti transmittuntur spiritus. ℞. 1. Ergò non visu fit radiorum virulentorum ejaculatio, adeoque nec visù fit fascinatio: Sic habemus, quod volumus. 2. Sic cadit fascinatio vulgaris, & statuminatur naturalis, cui infra assignabimus locum. Et sic intelligendus venit Heliodorus *Lib. 3. Histor. Æthiop.* inquiens: *Hic aër nobis circumfusus per oculos, nares, halitus aliosq; meatus ad profundum penetrans, & ex qualitatibus exterioribus eò secum inferens, qualis influxerit, talem etiam his, qui excipiunt, habitum ingenerat.* Pergit ibidem & ait: Ὥστε ὁπόταν σὺν φθόνῳ τις ἴδοι τὰ καλὰ, τὸ περιέχον τε δυσμενοῦς ποιότητος ἐνέπλησε, καὶ τὸ παρ' ἑαυτοῦ πνεῦμα πικρείας ἀνάμεστον εἰς τὸν πλήσιον διεῤῥίπισε, τὸ δ' ἅτε λεπτομερὲς, ἄχρις ἐπ' ὄστεα καὶ μυελοὺς αὐτοὺς εἰσδύεται. Καὶ νόσος ἐγένετο πολλοῖς ὁ φθόνος οἰκεῖον ὄνομα βασκανίας ἐπιδεξάμενος, i. e. *Itaque ubi aliquis livore percitus res pulchras intuetur, circumstantem aërem qualitate maleficâ replet, ac proprium spiritum acerbitatis plenum in proximum quodq; contorquet. Spiritus autem utpote subtilis ad spiritum usq; & medullas ipsas pervadit, & plerisq; morbus fit invidia, & proprium accipit nomen Fascinationis.*

§. 5. Radios invidi virulentos seu spiritus visivos, ut secundùm posita, non à nobis concessa, pergamus, ex oculis per auram transmitti itidem ponatur, quid ad objectum ejus dirigit, & ne quaquaversùm dispergantur, cavet? An oculus, ut Alex. Aphrodisæus *Lib. 2. Problem. 50.* loquitur, radios velut telum in rem, cujus invidiâ tenetur & desiderio, vel, ut M. Ficinus ait, velut aculeos jaculatur? Negatur & hoc: solida quæ sunt corpora & gravia, impetum ab externo agente suscipiunt, motuque violento rectà projici possunt. Spiritus autem visivi qualitatum dictarum expertes sunt, ideoque neque teli vel jaculi instar evibrari subitò in longum possunt. Quandiu in corpore isti sunt, animæ regimini

ſubſunt: extra corpus verò prolapſi regiminis fiunt immemores & parere ceſſant. Pilam quidem pueri manus ad diſtantem parietem propellit, ſed fumum ſic projicere neſcit. Fumo autem ſpiritus ſunt volatiliores. Inſuper qui vaporoſum nos circumſtantem aërem, ſpiritibus ipſis craſſiorem transire integri poſſunt, niſi ſimul radios viſivos intermedium aërem ſecum ad objectum abducere credamus? qui in objectum non proximè adſtans, ſed ſæpè diſtans invidus agere, & faſcinator oculus ſpiritus in id vibrare poterit, *ſi aëris injuria ſagaciſſimum canum odoratum turbare aut ſufflaminare valet; ſi olei illitus aut parva ſaltem diſtantia magnetis notiſſimam qualitatem attractricem impedit*, ut verba, quæ in refutatione Magnetismi mumialis occupatus Excell. Dn. Lic. Chriſtianus Frider. Garmannus in elegantiſſ. *de Mirac. Mortuor. lib. 1. tit. 2*, fecit, præſenti negotio accommodem: *Objicis:* Si Solis radii aurâ à validiori ventô agitata non moventur, ſed deſubitò eam transeunt, ſalvique ad objectum rectà tendunt, quidni oculorum radiis contingat idem? ℞. Aere per ventum agitato etiam lumen & radios moveri oſtendit Mart. Schockius *Phyſ. Cœleſt. Diſp. 3. §. 12. p. 180.* & verbis Digbæi ſolidè ibidem confirmat. Quòd autem Solis radii agitari non videantur, dicimus cauſam eſſe eorundem ſummam ſimplicitatem, ſubtilitatem, multitudinem, & continuatum efficacemque è corpore lucidô effluxum. At radii oculorum, (ſi dari etiam concedatur) ex oculô invidi egredientes mixti ſunt, quia malignitatem in maligno corpore contraxerunt, quæ qualitas mixtorum eſt, propterea minus ſunt ſubtiles: ſunt inſuper in exgua copia, & quia efficax eorum protruſio continuari nequit, exeuntes in auram facilè disgregantur & diſſipantur, ut ad certam objecti particulam, velut oculos ejus, cui invidetur, dirigi nequeant. Tantam Catoblepæ oculorum virulentiam eſſe antiquitas ſtatuit, ut, qui oculos ejus vident, confeſtim expirent; propterea non niſi eminùs jaculis beſtiam percuſſerunt venatores. Si ergò virulentiſſimi animalis obtutus, quem ad jaculi jactum aliquò figit, non lædit; quantò minus invidi, qui, quò talis talem malignitatis gradum nunquam contrahit, obtutus in ea vel etiam minori diſtantiâ lædet? Craſſior oris halitus ore ſtrictô ſenſibiliter & violenter expreſſus cibum non niſi propiùs admotum refrigerat; remotiùs diſtantem, quia egreſſus mox diſpergitur, nunquam: quantò magis vaporulenti oculorum ſpiritus inſenſibiliter, nullâque

liaque vi sed blandè evibrati dispergentur, & ab objectô visibili aberrabunt? *Nec necessarium est*, inquit Gasp. à Reies *Quæst. 24. num. 19.* ubi de radiis amoris caussis agit, *ut substantia aliqua ex corpore pulchro in aliud transmittatur, nec si ita foret, permanentiam potuisset habere, quia vel esset aliquid in vaporis formâ, vel radii igniti corpus ad illum amorem accendentes.* Cùm insuper fascinandus æquè radios, quantumvis puros, emittit, annon in radiorum illius & fascinantis concursu fiet eorundem collisio & infractio? Si autem oculi, quos fascinum omnium primò recipere censent, sunt aversi, validissimi sint radii requiritur, ut v. g. agni fascinandi pellem subeant: quanta, ut utensilia, item marmora fascinentur, vis & virulentia statuenda? Tanta verò si agnoscitur, cur fascinator ipse nullas in seipso morborum injurias sentit, propriæque virulentiæ pœnas luit? Latitare quidem corpore illæso venenum potest, at si per affectus suscitatur, hospitio suo minatur ruinam. Lue venereâ & leprâ qui laborant, spiritus habent à materiâ virulentâ virulentos, eorum tamen visum Medicorum & Chirurgorum nullus metuit. Pestilentiâ affectorum halitum & contactum, non visum, fugiunt adstantes.

§. 6. Ruinosum itaque & cariosum est hoc primum argumentum, in cujus refutatione, quia palmarium est, studiô desudavimus. Antequam invidos linquamus, qui sibi ipsis & naturaliter & moraliter, aliis autem moraliter solùm nocent, Basilium M. audiamus, *Concion. de Invid.* quam Matth. Dresserus *Rhetoric. Part. 2.* inter Orationum exempla refert, præclarè, pag. ibi 646. disserentem: *Motus Invidiæ*, inquit, *non eum lædunt, cui invidetur, sed ipsius invidi carnificina sunt.* Præclarius ad rhombum nostrum *pag. 654. Invidos, opinantur nonnulli, solo aspectu nocere, ut bene alioqui habentia corpora & vigore ætatis ad summam pulchritudinem evecta, ab invidis colliquescant. Unde sanè moles tota universim contrahitur, qua perniciosus aliquis fluxus ab illis derivaretur, quo homines marcescerent & corrumperentur. Verùm ego ista relinquo, utpote quæ fabulosa, & ab aniculis in gynacéo conficta esse videntur. Hoc tamen affirmo, cum mali dæmones animos sibi conformes in hominibus repeliunt, tunc suo arbitrio illis abutuntur: inde fit, ut oculis etiam tanquam administris pro suâ voluntate utantur.*

§. 7. Ex dictis etiam patet error, quem colophonis loco è Cœl. Rhodigino *Var. Lect. lib. 2. cap. 6.* notamus, eorum, qui Struthio camelum

lum solo visu ex ovis pullos excludere crediderunt, quòd intueri ea avem viderent, nec incubare iis propter gravitatem posse scirent. Non enim oculis fovet ova, sed observat; calore autem Solis pulli ex ovis in arenâ conditis educuntur, notante ex Alberto & Cardanô Gesnerô *Lib. de Avib. Tit. de Struthioc.* &, quod potiori loco habendum, DEO ipso *Job. 39. v. 17.* his indicante: *Quando Struthio derelinquit ova sua in terra, tu forsitan in pulvere calefacies ea?* Quin & in quovis calore ovorum fieri posse exclusionem, ad oculum monstrat D. Bartholinus *Cent. 3. Hist. ult. & Cent. 6. Hist. 11.*

CAPUT VIII.

Ad rationem II. à Menstruatis specula oculis inquinantibus desumtam respondetur, & locus Aristotelis explicatur. Menstruus sanguis suâ naturâ vitiosus non est. Ratio III. ab Amore petita solvitur. Amor quintuplex. Oculi non sunt in amore duces, ita ut ab ejus, quæ amata erit, radiis ardentibus amans amorem contrahat, id quod aliquot rationibus probatur; sed potius ministrorum officiô funguntur. Plutarchus & Valleriola notantur.

§. 1. RAtio II. pro fascinatione visuali à menstruatis, quæ lucidissima specula inquinare dicuntur, petitur. Verùm 1. admittatur, specula, cùm menstruis supervenientibus mulieres inspiciunt, infici, non tamen ex hoc statim colligere licet, ipsâ visione, quà visio est, hoc fieri, quia etiam concomitanter cum vitiosis è materiali visoriæ facultatis organô emanantibus effluviis fieri potest. Equidem *non solùm visus patitur aliquid ab aere*, ut Aristoteles loquitur, quia species visibiles per aerem delatas oculus recipit: *Sed & facit aliquid & movet*, quia potentia sensitiva speciebus istis informata actum videndi elicit, unde etiam sensitiva potentia non merè passiva Philosophis dicitur: elicit autem spirituum animalium per nervum opticum ad oculos missorũ beneficio. Spiritibus istis motis agitantur & moventur insimul humores & vapores in vasis sanguifluis contenti, exitumque, datâ in porosis circumjacentium partium locis portâ, quærunt & effluunt, præsertim eo ipso menstruorum tempore, quo sanguis ebullit, & vasa turgent, ut habet Aristoteles ipse, cum ait: *Oculi igitur rationabiliter, cum fiunt menstrua,*

menstrua, afficiuntur, sicut & alia pars qualibet corporis. [Ideoque non modò oculi, sed & aliæ partes sic affectæ effluvia subministrant.] *Etenim naturâ existunt pleni venarum. Ideò cum fiunt menstrua propter turbationem & sanguineam ebullitionem nobis quidem, qua in oculis differentia incerta est* [ἡμῖν μὲν ἡ ἐν τοῖς ὄμμασι διαφορὰ ἄδηλος. Incerta nimirum est differentia, an in oculo, in visionis subjecto, an verò ut in corporis parte sit.] *Inest autem. Nam eadem natura seminis & menstruorum. Aer autem movetur ab ipsis* [menstruorum effluviis, quæ non tantum ex oculis, sed & naribus, per os & porosas corporis partes profluunt] *& eum, qui supra specula est, aërem continuum existentem, qualem quendam facit & talem, velut ipse patitur, hic verò speculi superficiem.* Miramur proinde, imò cum Gutierrio miseremur, quòd remissiori medio, qualis est oculus, efficaciorem vim concedant, quàm pulmonis halitui, innumerisque pororum effluviis. Lepidè Vallesius: *Mallem*, inquit, *me aspiciat, qui pestilenti tenetur apparatu, quàm spiritum immittat* i. e. halitum. 2. Admittant alii, & Aristotelem Pliniumque statuere, per radios visivos speculorum fieri conspurcationem, pertinaciter urgeant, nos tamen meliora edoctos habebunt invitos. Sacra quidem nobis est Principum Philosophorum autoritas, sed usque ad aram veritatis. *Cum in speculum*, ait, *menstruatæ inspiciunt, speculi superficies fit* οἷον νεφέλη αἱματώδης, i. e. *ut nubes sanguinea*, id quod intelligendum non modò ratione *productionis*, quòd habitus è menstruatâ egredientes instar nubium in superficie speculi sensim colligantur & uniantur, sed & ratione *coloris*: aliàs vox αἱματώδης redundaret; atque ipse maculam inde speculô novô ortam non facilè abstergi dicit: maculam autem vapor simplex non infert. Verùm & rationi & experientiæ id repugnat. Siquidem, si speculis menstruatarum aspectus infert nebulam sanguineam, & nebula ex halitibus oritur, sudor quoque menstruatarum talis, h. e. sanguineus sit necesse est, quia & ipse sudor nihil aliud notat, quam halituum seu vaporum multitudinem, sed sub hac differentiâ, quòd sudor vapor sit in statu συγκρίσεως; menstruatarum autem halitus, donec ad speculi superficiem colligantur, in statu διακρίσεως. At sudor sanguineus inter raro contingentia, menstruatæ verò inter quotidiana veniunt. Taceo 3. Aristotelem *lib. 3. Hist. Anim. cap. 19.* Pliniumque *Lib. 7. cap. 15. ac Lib. 20. cap. 7.* suppo-

nere, vitiosum esse suâ naturâ illum mulierum sanguinem, mensibusque, ut Plinius loquitur, monstrifica effecta tribui, quæ Asclepiadea familia negat. Et certè nisi de menstruô sanguine præter naturam, vel morbosâ dispositione, vitiosisque humoribus corruptô intelligantur, fide excidunt, eòque magis Theoph. Paracelsus, qui *de Generat. Rer. Natur. Lib. 1. p. m. 262. & de Pestilit. Tract. 2. p. 95. & 105.* adeò venenatum eum exclamat, ut Basiliscum ex eo generari posse scribat. Sed si eâdem, qua pronunciavit, facilitate id probasset, fidem dicta mererent. Suâ naturâ sanguis iste pravus non est, sed bonus, & talis, ex quo mulier conservatur, fœtûs verò in uterô corpus formatur & augetur. Superfluus saltem est, dum fœminæ nondum conceperunt, & propterea, ne oneri sit, evacuatur. Sennertus *Lib. 4. Prax. Med. Part. 1. Sect. 2. cap. 1. & Quæst. 2.* Versamur quotidiè cum menstruatis citra ullam noxam, à quibus tamen, si vera illa essent, neque lapides, neque durissima metalla illæsa esse possent, benè inquit Vallesius *de S. P. pag. 392.* Sanguinem benè valentium muliercularum menstruum florum calendulæ spirare odorem notat Petr. Pachequus apud Riverium *Obs. commun. 30.* At odor ille, qui, ut loquitur Matthiolus, cum gravitate non injucundus est, bonitatis, non pravitatis ast index. Cùm verò in vetulis menstrua supprimuntur, non propterea malignum contrahunt habitum, quia suppressio illa non est vera sanguinis excludendi retentio, sed potius defectus ex ætate & naturæ præscripto ortus, qui nec ipsis nec aliis damnum infert: ut falsum sit, propter hoc vetulas maximè fascinare. Esto etiam, aniculas spiritus pro visione emittere; fieri tamen nequit, ut major in ipsarum, quàm juniorum oculis fascinandi virtus vigeat, quia cùm parum ac diminutè videant, spirituum diminutio & imbecillitas hinc colligitur.

§. 2. Ratio III. ab *Amore* desumta Mars. Ficinum, mortui penè Platonis Æsculapium, ut Politianus illum *Lib. 6. Epist. 11.* appellat, præcipuè habet favitorem, sed minus felicem. Suo autem hîc relinquimus loco *Amorem divinum*, qui in Deo & ipse Deus est. *Angelorum*, qui Angelorum est purissimo divinam Majestatem amore indesinenter venerantium: *intellectualem*, humanæ mentis cum ratione in verum bonum propensionem: *naturalem*, amicum rerum naturalium intelligentiâ & sensu carentium consensum: *animalem* hîc expendimus

qui

qui eſt magna in ſenſu ad rem amatam inclinatio, oculis facem clariſſimam prælucentibus, id quod Græci hoc ſuo proverbio, ἐκ τοῦ ὁρᾷν γίνεται τὸ ἐρᾷν indicarunt.

An neſcis oculi ſunt in amore duces?

canit Propertius *lib. 2. Eleg. pag. mihi 204.* Τοῖς ἔρωσι τὰ ὁρώμενα τὴν ἀρχὴν ἐνδίδωσι καὶ οἷον ὑπήνεμα διὰ τῶν ὀφθαλμῶν τὰ πάθη ταῖς ψυχαῖς εἰσρέοντα. *Amoribus objecta viſa initium & anſam dant, & tanquam ſubventaneos affectus per oculos in animas adjiciunt*, inquit Heliodor. *Lib. 3. Æthiop. p. 146.* Atque Ariſtoteles *Lib. 9. Ethic. cap. 12.* ex viſu amorem & maximè exiſtere & oriri ſcribit. Verùm enim verò ſint oculi in amore duces, vel ξύμβουλοι τοῦ ἐρᾷν, non tamen, uti quidem Ficinus & Valleriola commentantur, eo id venit intelligendum ſenſu, quaſi ejus, quæ amata erit, oculi radios viſorios igneo ſpiritu nitentes abs ſe emittant, emiſſos in eum, qui erit amans, dirigant, directos in ejus cor immittant, idque vulnerent, & amoris incendium in eo commoveant. Siquidem 1. amoris ignis, experientiâ teſte, ſæpè prius in amantis corde accenditur, quàm amabile objectum radios viſivos ad amantis oculos ejaculetur. Regem Davidem in domûs regiæ ſolariô ſtantem Bethſabée filiæ Eliſam lavantis pulchritudo corporis eximia, non oculorum ſplendor in amorem traxit. Oculos enim Regiæ Majeſtatis præſentiam ignorans averſos ſinè dubiô habuit, & ſi ſenſiſſet, illam verita, ſeipſam oculis regis mox ſubtraxiſſet. 2. quia auditione tantùm, & ſic citra radiorum viſivorum poteſtatem quidam amore fuerunt capti. Quandoquidem referente Athenæo *lib. 13.* Chares Mitylenæus *Lib. 10. Hiſtor.* Alexandri prodidit, nonnullis quoſdam amatos fuiſſe nunquam antea conſpectos, quorum ſpecies tantùm in ſomnis obſervata fuiſſet. 3. quia etiam ſtatuas iſto amoris incentivo carentes amorem excitaſſe legimus. Exempla Ælianus *Lib. 19. Var. Hiſtor. cap. 39.* Plinius *Lib. 36. cap. 5. Val.* Maximus *Lib. 8. c. 11.* & Cœl. Rhodiginus *Lib. 13. cap. 13.* recitant. 4. quòd beſtiæ homines amaverint, ut anſer, gallus, delphinus, pavo, elephas apud Athenæum, Plutarchum & Ælianum legere eſt. Homines verò bruta radiis ſuis viſoriis, per eorum oculos in eorundem præcordia & ſanguinem transmiſſi ad amorem ſic invitaſſe quis dicat? 5. quia mutuum radiorum viſivorum commercium ſine amoris periculô, modò more in Turciâ, Perſiâ aliiſque in Oriente populis ſuetô ſplendidæ

Helena-

Helenarum facies velamento tegantur, frequentari potest. Tolle velamentum, & oculos amabili pulchritudinis gratiæ prærogativam aliis in amando concedere partibus mox senties. 6. Si radii ex oculis in alterius oculos transmissi provocarent amorem, obtentâ re amatâ amoris igniculi non extinguerentur, sed majus indies, pluribus aliis de novô receptis, caperent incrementum. Huic autem experientia reclamat. 7. Si ea radiorum visivorum vis esset, ut teli instar cordis intima penetrarent, mutuus semper foret amor, nec ab amata amantes repulsam ferrent unquam. Nam τοῖς ἐρῶσι τὸ ὁρᾶν ἀγαπητότατόν ἐστι, *amore captis intueri est amabilissimum*. Aristoteles *lib. 9. Eth. cap. 12.* Multiplicatis igitur frequentat à visione radiis visoriis, & in amatam ab amante vibratis, amatæ demum præcordia amoris telis multoties sic perculsa non posse non superari, per dictam hypothesin patet. At quoties spes mutui amoris perit, successu caret, καύνιος ἔρως inde dictus? Quot illud Ausonii ingeminant?

Hanc volo, quæ non vult, illam, quæ vult, ego nolo.

Amare & non redamari facit Diabolum murmurare, Proverbium est. Propterea Ἀντέρως olim, ut vel mutuum præstaret amorem, vel amantem etiam amore solveret, orabatur. Fixô in Juditham adspectu oculos vibrarat Holofernes, tantum tamen abfuit, ut amoris telo cor ejus trajiceret, & in suas amatam partes traheret, ut illa affectu prorsus contrariô & animô planè heroicô ense amoris finem barbaro hosti faceret. Uxor Ægyptii Potifari lascivô oculorum fulgore Josephi intima percellere quotidie satagebat, sed hebescebat in animâ timore Dei obdurata radiorum acies, ut frustranea per opaca fuerit intentata interiorum illuminatio. 8. Scitè etiam arguit Casp. à Reies *Quæst. 24. n. 20.* Si substantia aliqua ex corpore pulchrô in aliud transmitteretur, non posset permanentiam habere, quia vel esset aliquid in vaporis formâ, vel radii igniti corpus ad illum amorem accendentes, quæ tandem substantiæ tenuissimæ, vel antequam reciperentur, facilè in medio dissiparentur, quod & receptæ facerent. Sed cùm videamus affectum & desiderium tantopere non solùm permanere, sed vexare, & amantem cruciare, id mille affectiones movere clarum est, quòd concepta pulchri species imaginationi repræsentata continuò cæteras facultates etiam

movet,

movet, ut in illius speciei objectum assidue feratur, illud cogitet, ardenter desideret, atque potiri exoptet.

§. 3. Hoc itaque tritum de Amore Ficini commentum illud Platonicorum de visione, quam radiorum emissione fieri statuunt, supra explosum redolet, ideòque eodem sidere natum & denatum deploret nemo. Idem etiam fatum manet Plutarchum, licèt Gellio *Lib. 4. cap. 11.* Homo in disciplinis gravi autoritate audiat; & Mureto *Variar. Lect. 8. cap. 24.* Autor, quem nemo spernere, ut parum idoneum, possit. Sequentia ille 5. *Sympos. Quæst. 7.* profert: *Mutui formosorum obtutus, & quod per oculos excidit, sive id lumen est, sive fluxus quidam, amatores colliquat, atque perdit dolore voluptati permixto, quem dulcamarum* (γλυκύπικρον) *nominant. Nam neq; tangentes, neq; audientes ita vulnerantur & adficiuntur, ut cùm inspiciunt & inspiciuntur. Adeò enim diditur incendium ab oculis, ut necesse sit, planè ignaros esse amoris, qui medicam naphtam mirantur ignem ex intervallo ad se rapere: cùm formosorum corporum adspectu etiam è longinquo respicientium ignem in animis amore captorum accendant.* Nos oculos in amore non tam ducum dignitate quàm ministrorum officio fungi dicimus. Oblata rerum visibilium & extra advenientium simulacra excipiunt, & Dominæ suæ, nimirum facultati sensitivæ, intus offerunt. Oculi fenestræ sunt, quæ, ut visibilium omnium, ita & præcipuè rerum pulchritudinis lumine & bonitatis gratiâ se commendantium speciebus externis ad interiores domûs partes, & quidem ad sensus internos, inprimis ad imaginationem, transitum concedunt liberrimum. Decora rei visibilis & amabilis species majorem in animô curiosô attentionem suscitat, & admirationem quandam parit: per attentionem firmior fit in imaginatione illius impressio, & sic continua repræsentatio. Imaginativa objectum pulchrum adeòque bonum sic recolens secumque versans, dignius, quod ametur & expetatur, cæteris censet, hinc illud desiderare & ardenter expetere incipit, sibique, ut Plato loquitur, adesse, imò unire cupit. Multiplicatis objecti grati repræsentationibus, multiplicatur desiderium, sicque amor vires acquiret eundo. Ita oculi fiunt in amore duces, non amatæ, sed amantis, non radios ab amata recipiendo, sed speciem amatæ elegantem per oculos amantis ad phantasiam ducendo. Frustra itaque est Valleriola, qui radiorum oculis emissorum potentiam &

qualitates confirmaturus ait : *Nec mirum , tenuem radium oculis emissum tenuissimumq; spiritum tam citò , tam vehementer & perniciosè totum animum inquinare , si quis morbos illos, qui contagione inficiunt, ut pruritum, scabiem, elephantiasin, lippitudinem, pestem, qui vapore noxio, eoq; spiritali emisso inquinant , consideret. Quippe spiritalis ille vapor, quem oculus amantis vehementi motu in amatæ speciem ejaculatur, quum clarus sit, tenuis atq; calidus : qua clarus, oculorum & spirituum claritati rei amatæ maximè congruit ob sympathiam , atq; ob id blanditur & allicit, ut avidè hauriatur. Quia subtilis, celerrimè meat in præcordia, inde facillimè per venas & arterias in universum corpus. Quia calidus vehementer agit & movet (est enim caliditas actuosissima) quamobrem vehementer agens sanguinem inficit simili labe, quâ ipse infectus est, h.e. insano fruendi amore. Qua verò spiritalis ille vapor à sanguine elaboratissimô genitus, & dulcis quoq; ipse est, sanguinis, unde promanat, naturam referens : ea sanè ratione fit, ut viscera quodammodo foveat & oblectet. Quo fit , ut amantium desiderium & cupiditas mira excitetur, quum amans amatæ corpus appetat, ut commixtione collabi in venas alterutrius spiritus ille dulcis queat.* Hæc Valleriola, cui benè respondet Freitagius *Noct. Medic. cap.* 47. ex hac opinione sequi, omnem amorem fascinatione gigni & propagari: & quamvis concedatur, spiritus ex sanguine genitos cum radiis ocularibus efferri, id tamen fieri in tertiâ distantiâ, neque tam procul, quam radii oculares efferuntur. *Sic scabiosi*, inquit, *& elephantiasi correpti proximos duntaxat inficiunt, aut per contactum mediatum vel immediatum. Nec enim amor potest comparari pesti, uti Valleriola facit. Si enim adeò perniciabile foret contagium , necesse esset maximam amatarum & expetitarum partem continuò radamare, neq; tantum ab amante juvene & æstu ebulliente accenderetur amata puella , sed & qualibet promiscuè & cæteri commilitones congerronesq;. Haberet enim illud contagium vim similem affectum in qualibet & maximè in simili naturâ progenerandi.* Et paulò post: *An spiritus visivi in alienô subjectô non ab animâ , cujus instrumenta erant, amplius directi, continuitate, à qua dependebant, fractâ, tantam habeant vim, non immeritò dubitatur. Deniq; si id fieret, non tamen certi individui amorem procrearent; sed lasciviam duntaxat, uti & reliqua pharmaca venerea, excitarent, commovendo partium spiritus & calorem, cor in assensum rapientem.*

CAPUT

CAPUT IX.

Ratio IV. à virulento Basilisci visu data solvitur. Basiliscus datur. Historia cujusdam Basilisci à circumforaneo quodam huc allati. Impostorum in fingendis Basiliscis fraudes. Basiliscus non visu, sed halitu necat, sicut & alia venenata animalia, quod historiâ confirmatur; item antra & cavernæ nonnullæ. Ad conspectum suæ in speculo imaginis non emoritur. Quintò de Catoblepæ visu idem fertur judicium. A Lupo hominem prævisum raucum fieri falsum. Lupi halitus non est venenatus. De Galbulâ quæ narrantur, fabulosa sunt. Sexto Lippientes non visu, sed effluviis contagiosis afficiunt alios.

§. 1. A *Basiliscô*, serpente virulentissimo Ratio IV. desumta nos non terret. Matthioli, qui *Comm cap. ult. lib. Diosc.* fabulosa cuncta, quæ de Basiliscô fuerunt prodita, existimat, si insisteremus vestigiis, parata esset responsio, sed ne insistamus, sacri codicis, Basilisci mentionem passim facientis, sacra & probata clarissimorum virorum autoritas cogit. Hier. Mercurialis *Lib. 1. de Morb. Venenos. & Venenis c. 21.* se oculatum testem sistit, & seipsum in Thesauris Imperatoris Maximiliani Basilisci cadaver vidisse affirmat. Particularia plura Basiliscum concernentia refert Historia, quam supra indicavimus. Sed veri Basilisci pellem, nescio quibus infarctam, illam fuisse, quam 120. thaleris in Africâ emtam Helvetius quidam, nomine Joh. Baptista Bannardin superiori annô spectandam in hac urbe circumtulit, ego non credo. Icon ejus habetur *in Anno 3. Natur. Curiosor Obs. 128.* Magnitudinem quidem Muris majoris seu Ratti (si caput, alas, & caudam excipiamus) ille non superabat. Dæmonis tamen incarnati prolem bellè referre videbatur: tria in capite habebat cornicula coloris nigri vera, medium inter ea longius, sic verò efficta singula, ut exterius instar ungularum, quas laniones mactatis suibus detrahere norunt, ab interiori ad placitum detrahi & rursus applicari potuerint. At Basiliscum verum vera in capite habere cornicula nemo autorum in suis literarum monumentis consignavit. *Caput habet acutum, & in eo tres eminentias, authore Aetio: quos Galenus apices, Avicenna coronam, Solinus mitrulam al-*

bam, *Plinius candidam maculam*, *diadema referentem*, *Andromachus tres pileos vocat*, annotante Dn. D. Sebizio *Append. Discurs. Med. Philos. de Casu Adolescentis cujusdam*. Ille Warsoviæ repertus cristam coronæ æmulam partim cæruleo colore respersam habuit. Quare Excell. Dn. Kirchmejerus *Disp. Zoolog. de Basilisc. c.* 3. aspidem cristatam eum definivit. Cristatam autem dici ait, non univocè, ut fortè gallus, sed analogicè, quia aliquid coronæ cristæve analogum habet, hinc Regulus dictus. Aut deceptus fuit Helvetius ipse, aut fraudis conscius alios decipere voluit. Magna est hoc tempore impostorum lucro inhiantium copia & versutia, ut nec Oedipi sagacitas, nec Argi oculi dolis deprehendendis semper sufficiant. Vulgi facili ore eminentias quascunque cornua appellantis Basilisci illius fabricator sine dubio deceptus tria cornua vera imposuit. Er hat hören läuten aber nicht zusammen schlagen / ut nostrates loquuntur. Impostores fictitios ac parvos ex Rajâ pisce exsiccatô effingere & efformare Basiliscos ex Aldrovando notat Casp. à Reies *Quæst.* 65. qui ejusmodi plurimos seipsum Antverpiæ in forô piscatoriô suspensos, & in Hispaniâ unum apud Pharmacopolam magno pretiò à circumforaneo emtum & in pyxide tanquam rem rarissimam servatum vidisse, & Pharmacopolæ totum impostorum in hac vafritie componenda artificium se detexisse scribit. Basiliscum etiam commentitium ex Rajâ pisce formatum in forô Florentiæ se vidisse refert Nobiliss. Dn. D. Theod. Schenckius in Lit. ad Dn. D. Sachsium, ut in hujus *Gammarol. pag.* 305. videre est. *Vidi*, inquit Borellus *Cent.* 2. *Obs. Medico-Physic.* 74. *ex mure excoriato & exsiccato basiliscum confectum, ex pisce verò Raja exenteratô, collo oblongatô, & coronâ incisionibus factâ fit draco volans coronatus, qui ab aliis etiam basilisci nomine insignitur.* Ita fictitiâ Basilisci specie hominibus imponi novum non est. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ Basiliscum visu & alios, & seipsum fascinare, atque virulentiam ex oculis suis ad objectum instar ejus, qui lapidem è manu projicit, vibrare, ut Paracelsus *de Peste Lib.* 1. *pag.* 159. loquitur, negamus. Plinius quidem *Lib.* 8. *cap.* 21. Catoblepæ & Basilisci vim esse virulentam eandem scribit. Illius autem tantam esse ait, ut omnes, qui oculos ejus vident, confestim expirent. Sed totum hoc in dubium cordatiores vocant meritò. Ut ut verò hoc admittatur, non tamen ex his Plinii verbis colligere licet ita: Qui oculos Basilisci vident, confestim expirant.

rant. Ergò Basiliscus visu nudo intuentes enecat. Inconsequentia hæc est similis isti. Sagittarius altero oculo intendit metam. Ergo Sagittarius speciebus visibilibus ipsam ferit. Falsum hoc, quia globulo emisso, non visu eam stringit. Ita Basiliscus non radiis visivis, sed venenatissimis effluviis, quæ ex toto exspirant, enecat. *Cui visus est unquam* (Basiliscus) *si solo adspectu necat? quærit* Bodinus *Theatr. Natur. Lib. 3. pag. 300.* Et Vossius *Lib. 4. Idol. cap. 56. Quod si est*, inquit, *eum viderit nemo. Quomodo igitur describi potuit?* Plinium ut excuset, subjicit, & quomodo Basiliscus lædere rectiùs dicatur, insuper exponit: Vulgarem tamen opinionem secutisque aliis ad eam præivit Plinius *Lib. 8. cap. 21. Et sanè longè vero similius est, è longinquô conspici: sed propinquos non visu, verùm halitu suo interimere, vel si visu id fiat, fuerit à spiritu venenosô ex oculis prodeunte: quomodo nocent oculi mulieris menstruo laborantis, saltem sanguine menstruo corruptô.* Hoc est, quod supra diximus, non ex oculis, ut visionis organo, sed ut parte corporis, plus tamen ex oris rictu halituque, ut & corporis poris maligna & corrupta effluvia posse manare. Atque halitu ejus perniciosissimo ita auram corrumpi scribit Solinus *cap. 29.* ut in aere nulla alitum impunè transvolet, infestum spiritu pestilenti. Magnus ille in insulâ Rhodo Draco, quem F. Deodotus de Gozon animô non minus forti, quàm versuto prostravit, magnum loci illius, quem Draco inhabitarat, tractum halitu maligno sic perdidit, ut sine præsenti vitæ periculô per ea loca iter facere nemini fuerit integrum, Erasm. Francisci *dict. Specul. Lib. 1. pag. 1.* Idem etiam ab aliis brutis citra virulentos oculorum radios factitatum legimus. Famosi cujusdam in hospitiô quodam cubiculi, in quo plerique manè mortui fuerant reperti, quòd à venenato bufonis halitu infectum fuisset, mentionem facit Salmuth *Cent. 1. Obs. 59.* proptereaque vitæ genus hospitem mutasse scribit. *Adventat verò miles quidam, & petit hospitio se suscipi. Denegat ille, ac rem aperit, plerosque hospites inopinatò mortuos asserens. Hic verò nihil moratur; instat de hospitio, & id tandem obtinet. Sub noctem cubitum se conferens candelam accensam propè lectum collocat. Non multum post felis in medium pavimenti accurrit, ibique dormit. Sub medium noctis bufo ingens ex angulo quopiam prorepit ad felem, qui illum lambit. Miles*

hæc videns & è lecto repente prosiliens bufonem gladiò interfecit. Ex eò tempore adeo illæ sanæ mansere.

§. 2. Ut verò bruta, ita & antra ac cavernæ halitu pestiferô, quem non hominem ducere, non feras tutum est, lædentes dantur, teste Seneca *Lib. 3. Nat. Quæst. cap. 21. & Lib. 6. cap. 28.* Item putei, cujus tragicum exemplum recitat Excell. Dn. D. Fehr *Collegii Natur. Curios. Argonauta Dignissimus, Fautor, Amicus, Anchor. Sacr. pag. 161.* Plura *Annus 1. Natur. Curios. Obs. 33. in scholiis* recenset exempla.

§. 3. Ad hoc, quod dicunt, Basiliscum, si suam ipsius imaginem videat, emori, pro me respondeat Delrio *Lib. 1. D. M. cap. 3. Q. 4. Quod addunt*, inquit, *si se in aquâ purâ & limpidâ* (vel ut alii sentiunt, atque illa, quam è Pincier Sennertus citat, historia confirmat, in speculo) *conspiciat, ipsummet emori: dicam verbulo, non credo. Nam si spiritus isti ex ejus oculis exirent, ipsi videnti forent connaturales, quare nec interimerent: sin connaturales non sint, prius in oculis inclusi debuerant nocuisse, ab aqua* (vel speculo) *verò eos infici & venenari ridiculum.* Sed Gordonius *Lib. de Febr. Partic. 1. cap. 4.* nodum hunc ita solvit, dicendo, venenum, quod ab illo exhalat, seu spiritus reflexos alterius jam esse naturæ, quemadmodum sanguis, cum è venis semel extractus est. Rationem hanc non contemnendam esse ait Casp. à Reies *Quæst. 65. n. 20.* quia si sanguis, qui respectu spirituum corpus habet crassum & densum, tam facilè alteratur, extraneatur & corrumpitur, celeriùs & promptius hoc in tenuissimis spiritibus contingere posse, veri simile esse ait. Si solutio hæc non satis faciat, mavult dicere cum Fontechâ *Privileg. 10.* & cum Joan. Freitagio *Lib. de Opio, cap. 4.* venenum ipsas bestias venenosas non alere, nec lædere, quòd in particulis quibusdam determinatis contineatur innoxiè, quo fit, ut, si ad alias accedat, maximam noxam efficiat. Verùm & hanc rationem non omninò satisfacere, ostensu, si operæ pretium hîc foret, esset facile. Quid si vel nimiâ irâ vel metu velut præsentiâ sibi inimicorum, qui in speculis multis multiplicati repræsentantur, vel excandescat, vel exhorrescat, sibique fata extremâ irâ vel metu extremo acceleret. Quæcunque sanè hîc causa lateat, certè visione solâ sibi non exitium parare, per ea, quæ tradita sunt, constat.

§. 4. V. *Catoblepæ* oculos qui vident, confestim omnes exspirare

rare ſcribit quidem Plinius, ſed hoc non radiis oculorum viſivis ex oculô emiſſis; ſed violentis ex ejus gutture egredientibus, auramque inficientibus halitibus eſt adſcribendum, quod ex Æliano, cui vacivos jam oculos dabimus, diſcimus. Ita ille *Lib. 7. de Animal. cap. 5. Cùm multiplices & varias Africa procreat beſtias, tum Catablepontem ſic nuncupatum parere exiſtimatur. Is tauro ſimilis ſpectatur, magis tamen truculentus, terribilisq; aſpectu. Alta ei & denſa ſunt ſupercilia, oculi non perinde quidem magni, ut bubuli, ſubjiciuntur, ſanguine ſuffuſi. Non directè, ſed ad terram verſus intuetur, unde & nomen ei factum eſt. A vertice incipiens juba, equinæ ſimilis, per ejus frontem promittitur; & faciem ejus occupans, formidabiliorem eum reddit. Mortiferas depaſcitur herbas, ac ſimul ut taurino aſpectu conſpexit, ſtatim horret, & jubam erigit. Eâ autem in excelſum excitatâ, atq; apertis labris per guttur quiddam vehementer grave & viroſum emittit, ut aër ſupra caput obducatur & inficiatur: animalia autem appropinquantia, quæ hoc cælum hauriunt, graviter affligantur, & vocis uſum amittant, in lethalesq; convulſiones incidant. Quod & homini accidere dicunt.* Alexander Myndius quidem apud Athenæum *lib. 15. cap. 15.* & reſpirationem & viſionem conjungit, ſcribens: *Nomades, qui ſunt in Lybia, animal Gorgonem appellant, ubi gignitur etiam Catoblepa.* Et paulò pôſt: *dicunt comam id habere, quæ ex fronte ad oculos demittatur: quam ubi concutiens ob gravitatem vix tandem aſpexerit, illum perimit, qui ab eo viſus fuerit. Non ex ſpiritu quidem, ſed ab exhalatione, quæ fit, oculorum naturali, citoq; mortuum facit.*

§. 5. Verùm ex hoc locô nondum ſatis conſtat, Catoblepam oculis, quatenus viſionis ſunt inſtrumenta, interimere. οὐ τῷ πνεύματι, ἀλλὰ τῇ γιγνομένῃ ἀπὸ τῶν ὀμμάτων φύσεως φθορᾷ, καὶ νεκρὸν ποιεῖ, inquit Athenæus, quod de oculô, ut corporis parte, æquè intelligi poteſt. Nec mirum, quia hoc animal κάτω βλέπει, ad terram verſus ſemper deſpectat, (unde etiam ei nomen) comamque ad oculos demiſſam, & faciem occupantem gravem habet, fit, ut egreſſi ex ore & oculis (illinc copioſiores, hinc pauciores) halitus in coma denſa colligantur, quos animalibus appropinquans intuiturum, concutiendo comam copioſiùs ſpargit, ſicque graviùs affligit, quòd cùm viſionem mox ſequatur, eidem, qui halitibus collectis erat adſcribendus, effectus adſcribitur. Halitus iidem per auram liberiorem

riorem sparsi, quia disperguntur, eminus stantes minus lædunt. Sic procul à Jove procul à fulmine. Gesnerus equidem *Lib. de Quadrup. Vivip. Tit. de Catoblepâ* dicit, in Athenæi verbis: Ἔχειν δὲ λέγουσιν αὐτὸ τοιαύτην ἀναπνοὴν, vocem ultimam, ἀναπνοὴν latiùs hîc patere & ex hoc constare ait, quòd spiritus sive halitus, & oculi, ut opposita, postea subjiciantur. Sed vocem ἀναπνοὴ propriè hîc capi, allegata Æliani verba docent, neque oppositionis rationem obstare antè dicta probant.

§. 6. A *Lupo* hominem prævisum raucum fieri, quin etiam obmutescere, commentum est, Philosophorum ore, quia ratione & experientiâ destituitur, indignum. Raucedo fit à membranâ laryngem & asperam arteriam investiente p. n. affectâ, exasperatâ, & inæquali redditâ. Sed quæ ratio probabit radiorum lupi visivorum potestatem tantam, ut hominis dorsum vel latus transire, faucibus inæqualitatem inducere, aut principium nervorum, vel vocalia instrumenta, ut sermonis usus pereat, lædere queant? Experientia etiam deest, contrariâ autem fretus Scaliger *Exerc. 344. Sect. 1.* gerras istas deridet meritò. *Cur*, inquit, *visis lupis homines obmutescunt? Quia in illius oculis vis. Quid si ejus oculos non vidi? Num ejus oculi dorsum penetrant & occiput ad linguam? Utinam tot ferulis castigarentur mendaciorum assertores isti, quot à lupis visi sumus nos sine jacturâ vocis. Nam ter in venationibus scio me à lupô conspectum: semel ab uno inter virgulta latitante: iterum ex montis supercilio: tertiò cum puellum rapuisset. Ex cannabinâ segete jam admodum adultâ caput identidem promoverat ad speculam. Tum quidam ex æqualibus puelli dixit: O ingentem canem! Ego ab illo cum sociis visi sumus, ille à nostrûm nemine. Tantum abest, ut nos obmutuerimus, ut magnis clamoribus primò perterritum compulerimus ad fugam: mox insecuti prædam, licet sine vitâ, abstulerimus.* Vid. quoque Camerarium *Horar. Subcisiv. Cent. 1. cap. 23.* Itaque non est, ut causa venenatis luporum halitibus adscribatur, siquidem & hoc, ut jam dicta confirmant, experientiæ suffragio destituitur. Neque etiam venenatus est luporum halitus, quia talis in lupo non datur: siquidem absque contagionis periculo lupis quis adesse, eos tractare atque educare potest: & si daretur, non solùm vocem tolleret, sed & reliquas corporis partes afficeret. Præterea non tam facilè loquendi facultas sine necessario remedio rediret: quas & plures rationes confert Senguerdus *Exercit. Physic. 34.*

fic. 34. ut propterea cum venatoribus frustra venetur Delrio, cui non vana videtur ratio venatorum, nempe lupum, si prior hominem videat, se ad vindictam recolligere, & sic noxium quendam illi, ne clamare queat, vaporem quasi insufflare, qui cùm venenatus sit, potest raucedinem adferre: cum verò se ab homine jam deprehensum videt, ac visum fuisse, metuere ac fugam meditantem de hoc vapore emittendo non cogitare. Mantis eandem, ut antecedentia bruta, fidei classem occupat. Gutierrius *Dub. 6. num. 13.* ex frigidis & adstringentibus terrestribusque vaporibus à respiratione lupi expiratis vocis raucedinem contingere dicit, gutture ac vocis instrumentis illis exasperatis halitibus. Fidem ei haberem, si cum rustico & lupô, quos sequens historia à Gasp. Schotto *Physic. Curios. lib. 8. cap. 48.* allata habet, aliquandiu vixisset, idque compertum tulisset. *Paucos ante annos, non procul hinc, rusticus opulentus lupum habebat, qui cum canibus caulas defendebat, & lupos invasores strenuè arcebat. Abiit die quodam rusticus cum reliquis canibus rus, relicto solo lupo ad caulæ custodiam. Irruit interim lupus alius, & repente quatuor aut quinque strangulavit primo impetu oves, antequam à lupô domesticô compesceretur. Victus tandem ab hoc fuit atque occisus, & ovium cadaveribus tectus. Rusticus ut domum reversus videt oves occisas in cumulum conjectas & prope cubantem lupum, ratus ab ipso occisas exoneratô sclopetô trajecit eum glande plumbeâ. Deprehensô dein errore adeò doluit, ut diceret, maluisse se dimidium gregem perdere, quàm fidelissimum lupum.* Hæc Schottus. Stante ratione ista rusticum ejusque domesticos omnes, ut & vicinos ac advenas ex lupi domestici vaporibus semper præsentibus raucam contraxisse vocem dicendum erit. Mirum si causam indagavit ille, cur lupi præsentiam sustinuerit, mortemque adeò doluerit.

§. 7. *Charadrius* seu Galbala, à qua V. ratio desumitur, peregrina, ut ait Gesnerus, Germaniæ avis est, adeòque ad experientiæ fidem, quam alii in dubium vocant, aditus nostratibus negatur. Si hoc verum, visu nimirum avem hanc sibi morbum, ægro sanitatem afferre, Delrio ad occultam aliquam similitudinem ac sympathiam morbi & aviculæ, non ad ejus visionem, quæ alterationis rem perficientis est occasio, referendum esse censet. Casp. à Reies l. c. dicit, licet hoc in medicorum scriptis sæpè occurrat, tamen fabulosum esse, quicquid Æ-

lianus & Albertus M. asserant, vel saltem ad aliquam sympathiam referendum vel antipathiam. Nos ipsi de fide & experientia, si unquam fuit, dubitamus. Vereor, si unquam hoc observatum, ne effectus planè per accidens fuerit, & in ordine ad causam per se, sed abditam, concomitanter se habuerit. Una hirundo non facit ver, nec unum exemplum experientiæ punctum meretur. Si verò pluribus exemplis historiæ hujus naturalis fides constat, par sanè fuisset, ut diligentiori circumstantiarum enumeratione rem miram obsignando propriam fidem veteres liberassent. Secretam istam sub velamine factam avis venditionem non moramur; sicut fabulas speciosô circumstantiarum apparatu non raro à facetis indui non miramur. Tantum si ab ave istâ exspectandum beneficium, næ Galbalam solam Pharmacopolium nutriens sufficientissimô ad icterum remediô esset instructum. Certè ut Deusingius *de superstitios. Morb. Orig. & Cur. §. 13.* pulchrè disserit, qui intuetur aliquod objectum, non ex intuitu simpliciter vel morbum contrahit, vel sanitatem adipiscitur. Revera namque species intentionalis, quæ visione oculo obtingit, non magis intuenti aliquam mutationem infert, quàm objectum quodvis speculo appositum repræsentando sui speciem in speculo immutat ipsum speculum. Placet ergò, quam Vir Magnus D. Conringius *Hermet. Medic. Lib. 1. cap. 11. p. m. 108.* fert, sententia: *Similiter*, ait, *vel vanum est, vel magicum, quod apud eundem Heliodorum ex sacris Ægyptiorum libris memorat Calasiris de curatione icteri per avem charadrium. Neq; enim nisi ab Ægyptiorum fontibus hoc manans, ad alios deinde, ut Ælianum, Plutarchum, Epiphanium, Philem, Suidam est derivatum.* Tob. Tandlerus equidem *Orat. de Imaginat.* naturalem illius rationem à phantasiâ petit, quòd nim. ob frequentem avis illius intuitum phantasia concitata bilem propter similitudinem & sympathiam moveat, & ad corporis ambitum eliciat, quæ postea propter motum subtilior & tenuior reddita citiùs dissipatur ac resolvitur. Verùm an phantasia, licet inferiores sibi servientes potentias suscitet, bilem loco movere, & in circulationis viam transferre queat, nos valdè dubitamus: neque si ejusdem coloris res alia phantasiæ diu fuit oblata, bilem sic ab ea motam & remotam fuisse experientia comprobavit. Nullus itaque, qui vel aspicit vel aspicitur, sanitatis emolumentum aut detrimentum, ex aspectu nudo refert, ut

proinde

proinde deridendus ſit R. David Kimchi , qui *part. II. Milchol libr. radd.* hæc, quæ ex eo D. Saubertus *Diſſert. de Serpente æneo Helmſtad. 1671. habitâ* citat, ſcribere non veretur : *Scripſit Dn. Parens meus f. m. ex ſententiâ doctorum medicorum* (ſed quorum?) *hominem, ſi eum mordeat ſerpens, atq; ille adſpiciat æs, repente mori. Proinde dicit Deus Moſi, fac tibi ſerpentem æneum, & omnis, qui morſus fuerit, viſô illo vivet. Contrario ſcil. modo naturæ hujus ſeculi, quo majus inde evaderet miraculum.* Sanè ſpecies ex ære manans, & ad oculos ejus, qui à ſerpente eſt demorſus, delata, veneni vim augere nequit; cùm purè intentionalis ſit, realis minimè. Iſraelitas autem ab ignitis ſerpentibus (ab effectu ita dictis, quod oris ſufflantis ardore incenderint aerem, vel venenum cauſticæ & pyroticæ naturæ morſu intulerint) demorſos erectum in deſerto æneum ſerpentem intuentes miraculosè reconvaluiſſe largimur, remediumque hoc fuit ſupernaturale : neque enim viſu, ſed Dei verbo, cui obtemperarunt, priſtinam recuperaruut ſanitatem. Caſtra Iſraelitarum tria milliaria tam in longitudine quàm in latitudine cùm occuparint, phyſicæ virtutis commercium inter rem viſam & videntem, qui extrema caſtra tenuit, in eâ diſtantiâ vigere non potuit. *Objicis:* Si nullum ex aſpectu rei cujusque vel emolumentum vel nocumentum habetur, cur infantes variolis & morbillis laborantes rubris involvere tegumentis, ſæpiusque oculis illorum res puniceas objicere jubent Practici? ℞. non colorem eo, in caſu, per ſe quicquam facere, ſiquidem intentionalis cujusque coloris qualitas transmiſſa nihil oculis infert & communicat (ſi inferret, infinitis alterationibus oculi ob continuam realis virtutis receptionem eſſent obnoxii) ſed per accidens, motâ ita per receptam ſpeciem imaginatione, & per hanc ſanguinis ad cutem maſsâ non nihil uberiùs: quanquam illa imaginationis vis ἄῤῥητος ſit & inexplicabilis, atque accuratè & exquiſitè non ſciamus, quomodo res rubro colore infectæ variolas & morbillos , ut appareant temporiùs, promoveant, fatente etiam Dn. D. Sebizio *Diſput. de Variol. & Morbill. 6. quæſt. 11.*

§. 8. VI. *Lippientes* quoque Marſ. Ficini favore , ut faſcinum hoc probetur, in ſcenam producuntur. Hi enim ejus judiciô ſunt, qui cum radio viſuali vaporem ſpiritualem , in alterius oculum transfundunt. Verùm ut Sennertus l. c. benè diſſerit, *nemo eum, qui hoc modo*

lippitudinem contrahit, fascinatum esse dicit, cùm vitia ista non per visum quatenus talis, sed per contagiosum effluvium fiat. Adnata tunica & præcipuè glandula in majori oculi canthô in Lippitudine laborat, effluente & quasi destillante per vasa tenuia rarefactô tenui calidoque sero, quod moram quandam ibi trahens è calore præternaturali putredinem contrahit, idemque ex parte resolvitur, & in minima per auram dispersum abit. Effluvia illa putrida ab oculô adstantis & læsos intuentis suscepta similem in dispositis seu oculis naturâ humidioribus & imbecillioribus dispositionem imprimunt. Quærenti: cur effluvia alia putrida lippitudinem non inferunt? dicimus putredinem à parte specificâ specificam rationem sæpe referre, propter quam effluvia inde manantia putrida, non quasvis, sed certas, similitudinis ratione affines partes afficiunt. Sic putridum scabiosæ cutis serum cutem, putridus phthisici pulmo pulmonem, putrida intestinorum dysenteria laborantium excrementa intestina afficiunt. Idem in lippitudine per contagium contractâ contingit, ubi insuper phantasia insolitam oculi laborantis formam intuens suscitatur, portamque effluviis affluentibus aperit, concitatis ad oculum spiritibus tunicas ejusdem rarefacientibus.

CAPUT X.

Experientia (III.) *examinatur, & fallaciam causæ sæpe subesse, ostenditur. Ut subitaneus lapsus, ita & morbus subitaneus varias ob causas evenire potest. Ad exempla Idelphonsi respondetur. Quid de sene illo Hetrusco sentiendum, traditur. Zeileri exemplum ponderatur. In scrutiniô experimentorum ratio non negligenda.*

§. 1. POst Rationum momenta (III.) *Experientiam*, quam consulunt, spectabimus. Sed vereor, ne fallacia causæ in Medicinâ frequens, hîc quoque sæpè committatur. Nulla certè est sequela: Hic homo, qui pancraticè hactenus vixit, postquam ab hac vetulâ, vel isto, ex vulgi opinione fascinandi virtute præditô fuit conspectus, desubitò in morbum incidit. Ergò visio fuit causa morbi. An quia Luna hactenus serena & conspicua, postquam Ptolemæus eam conspexit, in deliquium incidit, & eclipsin passa est, visio ipsa deliquii fuit causa? Americanis

ricanis sic imponas, non Europæis. Eadem autem collectionis ratio est in utroque: Hic homo, qui dextrè hactenus ambulavit, postquam à Conradô fuit conspectus, desubitò in plano solô, cujus exempla prostant, lapsus aut apoplexiâ vel epilepsiâ correptus est. Ergo visio fuit causa lapsûs aut apoplexiæ vel epilepsiæ; nisi monstretur, ab ipsa visione necessario lapsum, aut apoplexiam, vel epilepsiam fuisse secutam. Ut subitaneus lapsus vel ob vertiginem, vel ob animi deliquium, vel ob pedum ad clavum allisionem, vel ob nervi motui inservientis propter subitaneum humorum affluxum debilitatem, vel ob viam lubricam, vel aliam causam fieri potest: Sic quoque morbus subitaneus, & sæpe lethalis varias ob causas nascitur, vel ob prohibitam sanguinis circulationem, unde syncope, cardiaca: vel ob latentis veneni subitò in actum erumpentis ἐνέργειαν: vel ob apparatus morbosi putridi, qui hactenus quievit, jam per motum nimium suscitationē: vel ob occursum auræ seu malignæ, spiritus vitales prosternentis, seu frigidæ, cutis transpirationem prohibentis (quo de vide sis Panarolum *Pentecost. 3. Obs. Medic. 7.*) vel ob materiæ vitiosæ ad partem principalem in sanguinis viâ subitam μετάστασιν seu translationem: vel ob denegatum spirituum animalium influxum: vel ob gravem catarrhorum ad pulmones confluxum: vel ob frustum rupti pulmonis suffocationem inferentis (cujus exemplum tradit Annus 1. *Natur. Curios. Obs. 41.*) vel ob ruptam venam in cordis ventriculô (quo de singularem habet Poterius *Cent. 3. cap. 60.* historiam) vel ruptam prope cor venam cavam, aut ob polypum cordis, transitum sanguinis retardanrem (ut habet Bartholinus *Anno 1. Natur. Curios. Obs. 101.*) vel ob pulmonum siccitatem (cujus exemplum rarum idem Bartholinus *Cent. 1. Hist. Anatom. 45.* tradit) vel à vapore ignis carbonarii in cubiculô calce recens incrustato (cujus varia ex variis tradit exempla Piccartus *Decad. 7. cap. 7.*) vel ob excedentem spirituum in venere resolutionem (quo de Marcellus Donatus *Lib. 4. Hist. Medic. Mirab.* videatur) vel ob sanguinis à latente fermentô excitatam fermentationem; vel ob antipathiam præsente objectô à naturâ inimico, seu ut alii loquuntur, ob fascinationem naturalem, vel ob causas alias oritur. Deinde Fascinandi virtus, qua quis præditus dicitur, de Fascino vel vulgari, vel naturali intelligitur. Si prius, tali fascinandi virtute præditum

ullum reperiri negatur : Si posterius, à præsenti forô, ubi de fascinatione visuali agitur, erit arcenda.

§. 2. Fallaciam itaque causæ commisit Joh. Idelphonsus, quando, ut fascinum probatum iret, pertinaces morbos probatissimis remediis juxta methodum medendi adhibitis non cedentes tandem vetularum suffumigiis, & Psalmistarum orationibus, ac afflatibus cedere, scripsit. Atque hoc probationis medium etiamnum in vulgo sæpissimè auditur ; quod tamen doctè & nervosè Gutierrius *Dub. 7. c. 2.* refutat, cujus verba recitare malo, quàm meis sententiam ipsius exponere. Hæc autem distinctioni, quam præmittit morbi in acutum & chronicum, subjungit : *Constat ex his, chronicos morbos quadragesimo die, tanquam primô brevissimô decretoriô solvi posse, velut longiores sexagesimô, longiores adhuc octogesimô, centesimô, centesimô vigesimô primô, ad anni dimidium, ad integrum annum, ad plures, ad senectutem deniq; , ut ex Hippocrate & Galeno notabam. Omnium ratio esto, quia materia morbifica crassa substantia, lenta, renitentis conditionis rebellis brevi à naturâ superari, concoqui, sequestrari, expelli nequit. Accedit his frequentiùs instrumenti naturæ debilitas, aut impotentia, caloris inquam naturalis, adest frequentissimè alicujus viscerum grandis aliqua intemperantia in primis, vel potius in secundis qualitatibus ; impedit nonnunquam ipsorum ægrotantium, in sex rebus non naturalibus intemperantia, nolentium præceptis Medicis stare, sed malunt impatientes regularum medicarum naturæ morbum relinquere, in quo, nisi in aliis plurimis errarent, error major non adesset, sed neq; his solùm intendunt, sed vulgi novitate ac credulitate ducti prædicti ægroti ad imponentes vetulas, ad senes impostores ad rusticos, ad ignaros confugiunt, & non pauci quo tempore jamjam natura humorem superante, intemperiem corrigente, morbi solutionem parat, tunc verò salus restituta, non potenti naturæ, sed vetulæ suffumiganti attribuitur, seni apocrypho datur, qui tamen non semel, sed millies suis emplastris naturam impedientibus, suis suffumigiis ipsam alterantibus non solùm deteriori damno, sed & subitâ morte ægros cruciarunt. Sed Diabolum isthæc suadere semper credidi, ipse quippe morbi chronici solutionem jamjam instantem cognoscit, & ad eas superstitiones homines convertit, quo ipsis assentiant, & sacri spiritus præceptum non auscultent Ecclesiastic. 38. Hæc ille.* Quibus si nostra ante dicta jungantur, fallacia

lacia causæ magis elucescit. Calculum quoque merentur, quæ idem Gutierrius ad exemplum primum & secundum reponit: *Vallesius*, inquit, *pag. 147. cordatè aliquando dixit: mirabilia audiuntur multa, videntur pauca. Neq; mihi vitio duretur, si illorum eventuum testimonium optarem, cum Joh. Idelphonsus ex aliis nobis illas dederit historias, in quibus utriq; credendis facilè decipi possumus. At demus comiter casus illorũ hominum marmoreas columnas visu solò confringentium, non credam id virtute naturali factum; unde nam illud probari potuit: non divinâ, ut evidens apparet. Ergò si tale accidit, dæmonis operâ accidit. Sic contigisse dabo alterius Equitis Valentini historiam, qua ratione compellar credere distantem horum hominum visionem, marmoream, opulentamq; fabricam naturaliter comminuere posse? præcipue cùm actio sit immanens.* Quæ de lapide Gagate moventur, quòd puerorum collis suspensus in opinatè sæpe frangatur, parum roboris habere ait, propriâ experientiâ confirmatus in filio suo brachiis à puella quadam suscepto, & nihil boni vel mali pòst experto. Gagatis autem fracturam vel ab ejus vetustate, vel siccitate, vel imprudenti artificis operatione arcessendam esse existimat, quòd rimula forsan in gagate cum crucis formâ ei imprimeretur, temporis tractu increverit, & in partes subitò lapidem reduxerit, sicut terreis corporibus intensâ in eis siccitate per naturam accidere observamus.

§. 3. In tertio exemplo Mulierculam vi fascinandi præditam, cum juvenem convalescentem aspiceret, in cibi fastidium & alia ferè lethalia illicò eum præcipitasse admittamus, sed conspectûs quà talis efficaciâ fuisse factum, quis nudè prolatum admittat? Morbo juvenis aut semel, aut toties, quoties vetula eum adspexit, fuit affectus. Si prius, planè per accidens visus, per se autem causa in juvene nondum sanitatis ἀκμὴν obtinente, latens aut singularis inter utrumque intercedens antipathia morbum invexit. Si posterius, non juvenem solum, sed cæteros etiam homines affecerit: Si cæteros etiam homines, aut saltem juniores, non juvenis solus exempli miri loco fuisset adductus. Si autem promiscuè omnibus vel pluribus noxia fuit ejus præsentia, putredinosâ sine dubio cacochymiâ, quæ ultimæ ætati non infrequens, laboravit, & halitibus è corpore profusis, quæ attigit, vicina, infantium præsertim ac mulierum tenera corpora, infecit. Ad hanc contagiosæ dispositionis

nis

nis classem in quarto exemplo Sacerdotem illum, qui gravi ex morbo convalescens approximantes infecit, etiam referimus. Per hoc autem non fascinum vulgare, quod in quæstione est, sed naturale confirmatum eunt. Hetruscus ille senex apud Vidam, si non effluviis maximâ malignitate præditis, Dæmonis tamen sine dubio ex pacto cooperantis ope stragem dedit, id quod Sennertus, Jordanus & alii censent. Obtutus certè solus, quà talis, dare nequit.

§. 4. Ad ultimum, quod Zeilerus subministrat, exemplum dicimus, non satis ibi patere, an fascinatio visu, an voce facta intelligatur. Adhæc grave est, de rebus absentibus vel præsentibus, quarum totus circumstantiarum omnium apparatus non constat, ferre judicium, cùm una circumstantia latens vel patens rem totam vel implicet vel explicet. Illa Gubernatoris uxor aut mirâ, seu proprii, seu alterius genii sagacitate lubricam Nobilis sanitatem lapsui vicinam è vultûs colore dubiô cognovit: aut ipsa suspecta fuit, & ut nostrates molli ore loquuntur: Sie hat mehr gekönnt als Brod essen. Radios enim solius matronæ visuales (si vel maximè dari concedatur) inter verba multa, quæ convivæ fecerunt, inter halitus, quos dapes fuderunt, inter auræ motus, quos hospites & ministri concitarunt, inter radios visivos præsentium omnium varios, incolumes ad solius Nobilis oculos, ejusdemque præcordia & sanguineam massam perrexisse, totique corpori alterationem induxisse quis credat? Confer suprà Caput 5. §. 3.

§. 5. Sunt, qui, ut fascinum vulgare felicius profligatum eant, dubiam infantium valetudinem terrori ex adspectu vetularum adscribunt, quarum rationi plenum ego nunquam assensum præbere potui. Terror si ullus ex istarum aspectu incutitur, levior est, quàm ut sanitatis periculum statim inferat. Terror panicus, (à Pane Gentilium Deastro) Ciceroni concutiens dictus non tanta mox sanitati virorum in phantasia malum instans exactiùs evolventium incommoda parit, quanta infanti putatitius ex aspectu vetularum terror inferre creditur. Metum quidem admitto, sed terror metûs est excessus, qui si subitaneus est & nimius, mortifer meritò audit. Sed vetularum faciem, turpem licèt, metûs parere excessum, mihi non fit verisimile.

§. 6. Proinde in scrutiniô similium experimentorum Ratio non negligenda, imò eidem plus tribuendum, quàm sensibus, qui in actionibus

bus & effectibus, quorum causæ plures sunt & obscuræ, sæpè iis, quæ cum effectu accidentaliter conjunguntur, inhærent, & sic decepti ipsi decipiunt. A singularibus quidem experientia inchoatur, & in sensualibus per externos sensus singularia percipimus, sed ut in universale cognoscendi principium ad scientiam producendam experientia excrescat, sufficiens rerum perceptio requiritur. An verò sufficienter in investigationis viâ perceptio & cognitio sensualis sit facta, rationis est dijudicare, & si quæ concurrunt, quæ ob sublimitatem, vel exilitatem, sensus apprehendere non potuerunt, eadem producere, & sic experientiæ veritatem eruere. Eleganter & verè Excell. Dn. Weigelius Professor Jenæ celeberrimus, *Analys. Aristotelico-Euclid. Sect. 2. cap. 10. §. 3. Quoniam externi sensus & imaginatio facilè falli possunt, ut ipsi nos quasi reflexione factâ experimur: ita nisi sæpius aut ita circumspectè instituatur perceptio, ut nihil desiderari posse recta ratio dictitet, nulla erit experientia.* Et paulo post: *Unde ratio, licèt ipsa principaliter rei percepta certitudinem non attingat, perceptionem tamen dirigit, ne falsum pro vero, dubium pro certo assumatur.*

§. 7. Cecidit ergò Hercules ille, cujus clavâ contradicentium robur enervatum sperarunt Fascini cultores, obturataque est radiorum visivorum scaturigo; ut proinde cæcutiant, qui vulgi Fascinum visuale quæsitum eunt. Visu enim Fascinationem non fieri, per ea, quæ non malignô & invidô, sed veritatis cupidissimo oculô vidimus, constat. Qui se fascinatum per ea sentit, agnitâ vocis improprietate, veritatis proprietatem agnoscat, & per has errorum tenebras proximo imponere, ac Diabolo, qui, quem in iis ad superstitiones varias, tandemque ad æterni ignis fascinum trahat, quærit, gratificari desinat. Est visio perceptio vitalis specierum visibilium, in retina tunica depictarum. Proinde nihil planè ex oculo, ut visûs organo, quod lædere seu fascinare queat, egreditur. Quæ verò ex oculo, ut materiali visus instrumento egrediuntur, non radii sunt, sed effluvia tenuia, dissipabilia, pauca: quorum longè majorem, &, si maligna illa sunt, efficaciorem, magisque metuendam copiam pulmones in exspiratione, corporisque pori in transpiratione disseminant atque propagant. Partes corporis fascinantis omnes, pupillis exceptis, si exactissimè munire daretur, nullum, crede, tibi à virulentissimi hominis obtutu metuendum foret periculum; pupillis

verò clausis & tegumentorum mole pressis, te nihilominus ab eo, quem visu verè fascinare existimâras, læsum iri certò persuasum habeas. Quod qua ratione fieri queat, sequentia docebunt. Miramur proinde Autores, qui malevolo vetularum aspectu infantes fascinari ajunt, partes dictas præterire, & solis oculis inhærere, quos tandem non visione ipsâ, sed effluviis ex oculis manantibus fascinare dicunt; sic, ut primùm ex forti apprehensione alicujus vetulæ in malitia induratæ cordis & spirituum fiat immutatio, quæ ad oculos deinceps proveniens eos inficiat; oculus infectus vicinum aerem, aer autem infectus tenerum infantis corpus inficiat. Plures enim in corpore vias dari effluviis, ostendimus. Obsignamus hanc sectionem verbis, quæ fecit Radulfus Ardentius *Sermon.17.* citante M. J. Weizio *Tractat. Philosoph. Theolog. cap. 9. num. 4. Cavete*, inquit, *ab illis fratres, qui divinationibus, obviationibus & auguriis intendunt, cùm lex ista prohibeat, dicens: Non auspicemini, neq; auguriis intendatis; cavete quoque ab illis, qui dicunt, quosdam oculis urentibus alios fascinare; FASCINUM enim NIHIL EST.*

SECTIO II.
FASCINATIONIS VOCALIS EXAMEN SISTIT.

CAPUT I.

De Vocis, Soni & Verborum formatione ac naturâ. Vox unde dicatur? Vocis instrumenta quæ? Verbum unde dicatur? Verba vel sunt significantia, vel non significantia, & hæc vel simpliciter, vel secundum quid talia. Ἐφέσια γράμματα *quid? Deinde verba vel bona sunt, vel mala: vel clarâ voce pronunciantur, vel obmurmurantur, vel scribuntur; vel in enunciatione, vel extra eam spectantur: in iis occurrunt materiale & formale. Verba Hominis de se non habent virtutem* ἐνεργητικὴν, *bene autem ratione alterius, sive sit causa supernaturalis, sive naturalis, sive Ars. Verba habent virtutem moralem.*

§. 1. CLaudimus ergò securi oculos, non fascini metu, sed ordinis observantiâ, & os aperimus, non ut contradicentes incantemus, sed

ſed veritatis vim in confutandis probationum momentis, quibus vocale faſcinum, ſeu ore per vocem & verba faſcinationem fieri poſſe, probant, decantemus. Ut autem quæ verborum ſipario teguntur, ſuperſtitionum monſtra feliciùs explicari queant, mentis acie illud primò omnium erit reſecandum, h. e.

§. 2. *Vocis, Soni & Verborum formatio ac natura* indaganda & verbis exprimenda. Verba enim retia ſunt, quæ inter varia alia Stygius auceps mortalibus vel auri fame preſſis, vel voluptatum illecebras quærentibus, aut morborum impatientibus ponit, &, ne fraudes pateant, virides ſæpe nominum ſacrorum frondes obducit, ut, cum velut in viridario

mollia ſecura traducunt otia gentes,

illaqueare incautos queat. Tantam verba in vulgi auribus tum virium, tum ſimplicitatis nomine inveniunt gratiam, ut gratiam amittat, qui Satanæ colluſionem & fraudem abeſſe negat. Altiùs ergò in hoc faſcinationis negotiô, verborum etiam virtute famosô, omnia, quæ faſcinationem vocalem ſpectant, erunt repetenda & evolvenda.

§. 3. Vocem, quæ Græcis φωνὴ dicitur, à φάω loquor, German. Stimme à ϛόμα os, quia vox ſonus ex ore eſt, non homini tantùm, ſed & animalibus dedit natura plurimis, variis varias, affectuum variorum indices. Τῶν ᾗ ὀρνίθων ἔνιοι πολύφωνοι. *At pleraq; avium vocem copiosè emittunt*, inquit Ariſtotel. *Lib. 2. de Part. Anim. cap. 17.* Siquidem philomela garrit, hirundo trinſat, corvus crocitat, ciconia gloterat, ſicut plurium aliarum, ut & quadrupedum, diſcrimina vocum canit Autor Philomelæ apud Ovidium. Sed inarticulata eſt brutorum vox, hominis verò articulata. Quas per aſſuefactionem & artem aves nonnullæ edunt, articulatæ voces dictis derogant nihil.

§. 4. Multa autem formandæ voci inſerviunt inſtrumenta, pulmo, thorax, aſpera arteria, larynx cum glottide, epiglottis, fauces, gurgulio, palatum, lingua, dentes, labia: è quibus poſteriora quinque ad dearticulatæ vocis rationem, priora verò ad vocem ſimpliciter formandam faciunt. Aer in pulmones inſpiratus ex iisdem, compreſſis muſculis intercoſtalibus, exprimitur; ex his pulſus per aſperam arteriam ad laryngis rimulam, cui, ne aer totus ſine percuſſione proſiliat, epiglottis incumbit, impellitur, & pro varietate percuſſionum ad voces va-

riandas ipse quasi variatur. Lingua autem aerem per asperæ arteriæ cavitatem in oris amplitudinem vehementiùs impulsum variè frangit, ac inservientibus labiis pro verborum varietate distribuit ac dispescit. De his instrumentis sic loquitur Lactantius *lib. de Irâ Dei cap. 10.* apud Vossium *de Idol. lib. 3. pag. mihi 481. Lingua intus conclusa vocem motibus suis in verba discernit, & est Interpres animi; nec tamen sola potest per se loquendi munus implere, nisi acumen suum palato illiserit: nisi adjuta vel offensione dentium, vel compressione labiorum. Dentes tamen plus conferunt ad loquendum. Nam & infantes non ante incipiunt fari, quàm dentes habuerint; & Senes amissis dentibus ita balbutiunt, ut ad infantiam revoluti denuò esse videantur.*

§. 5. Itaque *Vox humana* est sonus ab homine ope instrumentorum vocis formationi inservientium editus. *Sonus* est qualitas audibilis ex aeris à collisis corporibus attriti fractione ortus. *Verbum* quasi verberatum appellatur, quoniam scilicet oratio fieri non possit, nisi aere verberato, ut loquitur P. Consentius *de Verbo*: seu quoniam in prolatione verbi aer verberatur, *Grammatica Gissens. pag. 160.* ubi etiam varia Vocis Verbum acceptio exponitur, ex quibus ea hîc locum tenet, qua loquelam sive sermonem significat, ut in illo Poetæ:

Verba puellarum foliis leviora caducis.

Id, quod aerem verberat, Lingua est, corpusculum molle, ut se contrahendo, dilatando, producendo, & retrahendo variare & articulare vocem queat: proptereaque & variis etiam coagmentatum est particulis, præter carnem sibi propriam membranâ, frænô, musculis, venis, arteriis, nervis, ligamentô constans. Articulata vox seu verba (significantia) conceptuum sunt, conceptus rerum. Res enim concipimus, conceptus verbis exprimimus, ut res, conceptus, verba, pulchrô cohæreant ordine.

§. 6. Verba autem, quod (1) notamus, sunt vel *significantia & nota*, ut Deus, homo, cœlum, aer, &c. vel non significantia & ignota, ut Q. Sereni Abracadabra: item Pargemon, Buslas, Dabi, Heber, Hax, &c. Huc spectant ἐφέσια γράμματα, *Ephesia litera*, ab Ephesiis Magiæ characteristicæ cultoribus dictæ, quæ fuerunt verba obscura, ænigmatibus simillima, neutiquam cohærentia, descripta in pedibus, zonâ & coronâ Dianæ, quibus, ut in omni negotio victores evaderent, isti fuerunt usi, Erasm. Roterdam. *Adagior. pag. 751.* ubi etiam ex Suidâ refert, in Olym-

piis

piis Milesium quempiam cum Ephesiô palæstra commissum, nihil potuisse in conflictu, quòd is Ephesius in talo Ephesias haberet literas. Quod simulac animadversum esset, ademptis literis Ephesium, qui jam trigintâ defatigârat, succubuisse. Fuit autem Ephesus omnium quidem clarissima, sed magicarum artium mater fœcundissima. Et curiosas artes h. e. juxta Commentatores, magicas ibi viguisse *Actor. 19.* legimus. Libri, quibus inscriptæ erant istæ artes, quosque conversi à Paulo Græci Ephesi habitantes exusserunt, magnæ fuerunt æstimationis. Supputatis enim pretiis illorum repererunt pecuniæ quinque millia, h. e. quinque millia denariorum, ut rectè vetus transtulit interpres, non nummûm, ut Erasmus vertit interpres. Lossius *Annot. in Act. Apost.* ad istum locum.

§. 7. Est autem verbum *non significans* tale vel *simpliciter & in se*, qualia cujusvis intellectus propriô Marte facilè potest fingere, quæ cadavera vocari possunt, cùm vitæ, quam significatio tribuit, sint experta; vel *alteri*, quod quidem v. g. in regno Satanæ & Magorum ex eorum instituto & pactô valet, suamque habet significationem, quæ tamen, quia institutum latet, alteri non patet, propterea que obscurum & non significans verbum dicitur. At obscura ac peregrina verba ex aliorum pactô efficacem etiam habere significationem suo damno expertus est curiosus ille Corn. Agrippæ Lovanii commensalis. Agrippa enim aliquando peregrè abiens uxori, quam postea repudiavit, claves Musei sui, additâ prohibitione, ne quem ingredi sineret, tradidit. Inconsultus adolescens impetratâ à muliere, quam importunâ & instanti petitione defatigarat, licentiâ Museum ingreditur, & libellum conjurationum, in quem inciderat, legit: en illi pulsatio ad januam, turbatur: sed pergit legere; pulsat iterum nescio quis, & nihil respondente rudi harum rerum juvene dæmon ingreditur; quærit, cur vocatus? quid fieri jubeat? isti metus vocem intercludit, fauces dæmon. Martin. Delrio D. M. *Lib. 2. Quæst. 29. Sect. 1.* Majolus *Tom. I. Colloq. 3. pag. 175.*

§. 8. (2.) Verba vel *bona* sunt, ut nomen Jehova, Jesu, Patris, Filii, Spiritûs S. Angelorum bonorum, Pater noster, Ave Maria &c. vel *mala*, ut Cacodæmon, infernus &c. item obscœna verba: quæ tamen in se mala non sunt, mala autem fiunt, ad sensum malum collata: vel

quia in oratione sacramentum seu tessara sunt Dæmonis ex tacitô pactô ad ea præstanda, quæ potestate humanâ sunt majora, concurrentis. Huc etiam spectant imprecationes, execrationes & devotoria carmina, ut Lipsius vocat.

§. 9 (3.) Verba vel *clarâ voce pronunciantur*, aut saltem *obmurmurantur*, cùm, ut *Esaias 29. v. 3.* loquitur, *de humô loquentium mussitantur: Humiliaberis*, inquit Propheta, *& erit quasi Pythonis de terrâ vox tua, & de humo eloquium tuum mussitabit.* Ad quæ verba Corn. à Lapide hæc annotat: *Erit vox tua quasi Pythonis i. e. exilis & lugubris, qualis est Spirituum & umbrarum, quas Python., i. e. necromanticus evocat ab inferis, & facit loqui sub terrâ, vel ex ventre hominis, aut animalis (qua proinde & ipsæ Pythones vocantur.) Harum enim vox est gracilis, flebilis, hiulca, confusa, gemebunda.* Sic de umbra Remi canit Ovidius *5. Fastor.*

Umbra cruenta Remi visa est assistere lecto,
Atque hæc exiguo murmure verba loqui.

Vel verba *charta pergamena, pani, amygdalis, metallis aut rebus aliis inscribuntur.* Incantatorum verba submissâ voce pronunciata susurri, susurri Zoroastræi dicuntur, à Zoroastre Indorum Bactrianorum Rege, qui Nini tempore in Perside primus superstitionis magicæ secundum Plinium fuit inventor, quem Cham Noe filium à patre maledictum fuisse, nonnulli putant.

§. 10. (4.) Verbum atque nomen, sive terminus simplex sit, sive complexus, spectatur vel *in enunciatione* vel *extra enunciationem.* Nominibus utroque modô spectatis virtutem tribuit Corn. Agrippa *Lib. 1. Occult. Philos. cap. 71.* majorem tamen in orationibus complexis propter virtutem in eis contentam, quæ ut ait, maximam vim imprimendi, immutandi, ligandi & stabiliendi habet.

§. 11. (5.) Præterea in verbis duo occurrere notamus: *materiale*, quod in pronunciatis sonus, in scripturis figura & color: & *formale*, quod est significatio in verbis quidem significativis (non significativa verborum monstra esse diximus) cujus ratione sunt signa exhibentia conceptus mentis, quæ de rebus per ea significatis nos docent.

§. 12. De verbis seu significantia sint, seu non significantia; seu bona, seu mala, seu simplicia sint, seu complexa, in oratione vel extra cam,

eam, sive ore pronuncientur, sive scribantur; sive spectentur ratione formalis aut materialis, aut utriusque, quæritur: *An verba habeant vim fascinandi seu lædendi?* Nos negamus, quia nullum hominis verbum de se habet vim ἐνεργητικὴν & virtutem quid efficiendi, quare etiam nullius verba fascinandi.

§. 13. Dico 1. *Hominis*; quia DEI Patris Christi θεανθρώπου & Spiritus S. verbum efficacissimum esse per fidem constat, & quidem sumtum, *non materialiter* pro literis, characteribus & apicibus nudis chartæ aut membranæ in scriptis, quibus verbum salutis effingitur & signatur; vel pro sono & vocibus externis in aere formatis transeuntibus & evanescentibus, quippe quæ ὀχήματα sunt seu vehicula potius ad auditorum aures & corda istud deferentia, quàm ipsum verbum DEI: sed *formaliter*, pro conceptu & sensu divino verbis & literis in vocibus & scriptione in prædicatione expresso & exhibito. Hic conceptus & sensus divinus, hoc verbum efficax est ad producendum realiter effectus spirituales & efficiendum salutaria ἀποτελέσματα, scil. conversionem, regenerationem & sanctificationem. Dico 2. *De se*, quia per aliud, per causam vel supernaturalem in alio corpore, vel naturalem, videlicet per imaginationem in eo corpore, cujus est, motam, vel per venena & alia, item per artem verba quid efficere possunt.

§. 14. *Causa supernaturalis* Deus est & Angeli tum boni, tum mali. Sic verbis Eliæ Prophetæ ignis victimam & milites comburens, cœlitus fuit provocatus *1. Reg. 18. & 2. Reg. 1.* Verbis in nomine Jesu prolatis varia Apostoli ediderunt miracula, ipso scilicet Jesu per verba ad miracula in doctrinæ Christianæ confirmationem solicitato efficacissimè ista operante, *Acta Apostolorum* passim. Verbis Propheta Esaias fuit celebris, sed Angelus labra ejus calculo ignito de altari tracto attrectarat. *Esa 6.* Sic & alii Dei viri efficacissimâ verborũ virtute insignes insignia fecerunt miracula, sed, ut ore Augustini *lib. 10. de C.D. c. 9.* loquar, *ea fiebant simplici fide atq; fiducia pietatis, non incantationibus, & carminibus nefariæ curiositatis arte compositis, quam vel magicam, vel detestabiliori nomine goëtiam, vel honorabiliori theurgiam vocant.* Verbis Sacerdotes hodie etiam potentes impœnitentium corda mortificant, pœnitentiũ vivificant. Sed Spiritûs S. efficaciâ per verba legis & Evangelii sunt potentes. Siquidem lex accusat, terret, iram ac damnationem operatur. *Rom. 4.*

Rom. 4. Evangelium verò est potentia DEI ad salutem omni credenti i. e. illa res, qua DEUS in cordibus credentium est efficax, eaque ad æternæ beatitudinis gloriam regenerat. *Rom. 2.* Verba Sacerdotum in Sacrô Baptismô regenerationem, in sacrâ cœnâ corpus & sanguinem Christi, in locô confessionis ad pœnitentes facta, peccatorum remissionē promovent. Sed ad mandatum suum facta propter promissionem verba rata esse jubet Deus omnipotens. Ista quidē Christianis Judæi, efficaciam in verbis & nominibus laboriosè venantes, objiciunt, quibus tamen B. Lutherus *Tom. 8. Jenens. pag. 123.* masculè respondet, quem audire juvat, præsertim cùm jam dum non desint, qui iisdem verborum potestatem confirmari, mihi materiam hanc tractanti opposuerunt. Ita ille: Hie sagen sie (die Jüden) thut ihr Christen doch selbst also / sprecht Wörter über das Wasser / so muß es Tauff seyn / die alle Sünde wasche / und neugeborne Menschen mache. Item / Brod und Wein macht ihr zu Leib und Blut mit Worten. Item / ihr legt die Hand dem Sünder aufs Haupt und macht ihn mit Worten von Sünden los / ꝛc. Kürtzlich zu überlauffen / sagen wir Christen also / daß Wasser nichts denn Wasser ist / Wort nichts / denn ledige blosse Buchstaben sind / thun und helffen über ihr Natur nichts / viel weniger würcken sie Göttliche Werck in uns. Denn Wasser und Buchstaben machen keine Tauffe / ꝛc. Aber weil GOTT geboten und befohlen hat / daß wir sollen unser Hand und Zungen hinzu thun / und das Wasser über den Täuffling giessen mit den Worten oder Buchstaben / die Er befohlen hat / dazu verheissen und uns versichert aufs aller gewisseste / daß Er selbst mit seiner Göttlichen Gnad und Krafft dabey seyn will / und solches Wort selbst thun. Hie greiffest du / daß wir Christen dem Wasser und Buchstaben keine Göttliche Krafft geben / auch nicht sagen / daß unser Thun sey / sondern bekennen / daß es GOttes allein sey und bleibe / der solches will solcher Weise / die Ihm gefallen hat / nemlich durchs Wasser und Wort oder Buchstaben / erzeigen und an uns beweisen. Das heissen nicht ledige Buchstaben / oder blos Wasser / das die Kuh saufft / sondern darinn GOtt sich verbindet / daß Er an uns / und durch uns / als sein Werckzeug seine Gnad und Krafft wolle üben.

§. 15. Fatalia etiam habentur nomina, non quòd nomina ipsa necessitatem inferant, sed quia fatalitas, ut ita loquar, Theologica seu divina subest, Deo ipso tum nominum impositionem, tum harmoniam nomi-

nominum cum eventu, seu dirigente (vid. infra *c. 17. §. 8.*) seu permittente. Ita Peucerus *Lib. 5. Chronic. p. 30. Gregorius IX. nullo odii erga Imperatorem, nullo machinationis genere inferior majoribus, præter adjumenta vesanæ ambitionis & nefandæ malitiæ nomen etiam ad Pontificatum attulit fatale Ecclesiæ & imperio Romano. A Gregoriis enim, Quintô excepto, illata sunt præcipua & Ecclesiæ Christi & Imperio detrimenta, inde usq; à Gregorio Magno.* Qui verò verbis ipsis fatalem influentiam tribuunt, & hinc ex metu nomina mutant, pietatis sensum in superstitionem mutant.

§. 16. Joan. Saresberiensis *Lib. 1. Policratici cap. 13.* referente Vossio *Lib. 3. Idolol. cap. 9.* quando fulminat, cogitare jubet illa verba: *A signis cœli ne metueritis, quæ timent gentes: quia ego vobiscum Dominus Deus vester.* Addit verò: *Hæc verba inter tonandum vel audita vel dicta, scribuntur à quibusdam noxam fulminis amovisse.* Sed rectè subjungit Vossius, ea superstitiosè non esse capienda. *Nulla enim*, inquit, *vis per se verbis inest, sed efficacia omnis à precibus dependet, & fiduciâ in Deum, quæ istis verbis à Numinis metuentibus indicatur.* Verbis Magos & Sagas Dæmone cooperante multa patrare posse, nemo ibit inficias, & uberiùs *Lib. 3. part. 2. cap. 2.* patebit.

§. 17. *Causa naturalis* etiam subesse & latere potest, cujus virtutem, quæ in actu verbis celebri occurrit, verbis ipsis incauti deinceps pleno ore adjudicant. Ita quod imaginationi est adscribendum, ad verborum virtutem sæpenumero referunt indocti. Verbis gratiæ vel iræ à Rege vel Principe factis, aut salutis spem facientibus à Medico ægrotanti datis, vel rationum pondere gravibus eloquentissimô ore prolatis, aut ad harmonicum sonum artificiosissimè accommodatis imaginationem, & huic subservientes facultates inferiores, ac animi pathemata occasionaliter ita moveri, ut totum sæpè corpus ad sanitatem, ad morbum, vel etiam ad mortem mutetur, pluribus dicetur *Lib. 2.* Sic per incantatoris verba sola, confidente animo suscepta, plurimos sublevari, testatur Autor *Libelli de Incantat.* qui est inter Galeno adscriptos, hisce: *Quando mens humana rem amat aliquam, licèt naturaliter non juvativam, sibi eam prodesse certificat, ex solâ autem mentis intentione corpus res illa juvat. Verbi gratia: Si quis incantationem sibi prodesse confidat, qualiscunq; sit, eum tamen juvat.* Sic venena ver-

bis quandoque jungi, quorum vim superstitionis alumni verbis ipsis adscribunt *Lib. 3.* videbimus.

§. 18. *Arti* nonnunquam tribuendum, quod verbis peragi credunt simpliciores. Cùm Telephium seritur eo die, qui est cognominis patienti, aut natalitio, aut saltem cum admurmuratione certarum vocum nominisque proprii herniosi, num sanat hernias? Ita est persuasum populo. Et perficitur aliquando, sed abstinentiâ magis & ligaturâ, inquit Libavius *Lib. de Univ. & Orig. Rer. pag. 349.* Sequens in pullo expertum se vidisse scribit Cardanus *loc. cit. pag. 1079.* *Scribunt*, inquit, *hæc verba*: Gibel got gabel / *imponuntque rostro avis, inde stylo præacuto perforant illi caput rectà in medio, exilitque pullus & vivit, maximè in æstate. Causa hujus est, quòd pulli caput cerebrumque bifariam est osse divisum, os verò ipsum in medio duplicatum stylus penetrat, qua facilè potest, & ob id illasô cerebrô vivit. Existimat autem vulgus harum rerum imperitum, vim eam verbis inesse. Sed si vis est in verbis, cur non perforato capite hædi aut hominis aut canis idem contingit? vel si transversim perforetur pulli caput? Ratio omnium est magistra.* Hæc Cardanus, qui *pag. 1082.* aliud suggerit hujus farinæ exemplum.

§. 19. Diximus 3. vim ἐνεργητικὴν h. e. verba de se nullam habent virtutem *naturalem*, & actione reali nihil efficiunt, neque influxum physicum præstant. Concedimus autem virtutem *moralem*, scilicet significandi, qua movent per influxum saltem moralem phantasiam seu imaginationem alterius, quæ, ubi res per verba significatas cognovit, pro re natâ potentias naturales sic vel sic excitat & movet, quibus motis humores in corpore diversimodè moventur, atque sic alterius verba in corpus hujus, cujus phantasiam illa suscitarant, realiter non influunt, licèt in genere morum ita se habeat is, qui verba dixit, ut ipsi propter verba effectus imputetur. Cùm autem causa moralis etiam causa sit & Philosophis dicatur, ac his ipsis explicatu sit difficile, qua ratione fieri possit, ut nempe causa effectûs dicatur, quæ causalitate reali ad ejus productionem non concurrit, fatente D. Dn. Slevogt *Disput. de causa Moral. §. 16.* mirum non est, si vulgus, qui causas distinguere nescit, in reddendâ causâ physicâ, si ea sit obscura, cœcô impetu ad moralem ruat, eamque pro physicâ acceptet, atque sic etiam verbis

bis

bis adscribat effectum, qui alii agenti erat attribuendus. Verba autem non significantia, simpliciter dicta, nullam planè habent vim nec naturalem, nec moralem. Quæ verò respectivè ita dicuntur, vim etiam habere possunt moralem, & quidem ex pactô aliis occultô, ut patet exemplô §. 7. propositô.

CAPUT II.

Verba (ut & sonum) nullam habere virtutem naturalem rationibus probatur, quia 1. omnes, qui eadem verba pronunciarent, idem efficerent. 2. verba, quoad materiale, sonus sunt, adeòq; accidens: nullum autem accidens est principium principale productivum accidentis. 3. ex aere diverberatô facta mox pereunt. 4. sunt signa pura. 5. verba unius rei varia nec unam nec plures possident virtutes. 6. arbitraria sunt. 7. non habent vim vel supernaturalem, vel artificialem, vel naturalem. 8. non sunt agentia quod vel quo. 9. nec eadem repetita graviùs afficiunt. 10. non possunt conjungi cum patiente 11. non agunt in diversi generis contraria. 12. non habent ob varias continuationes vires varias. 13. ad quantitatem spectant, cujus nulla vis, 14 incantatio, quæ verbis fit, legibus divinis & humanis non interdiceretur, si naturalis esset verborum potestas.

§. I. VErba (ut & sonum) nulla planè naturali virtute, nec in specie ad fascinum inferendum pollere, sequentibus rationibus probatur. I. quia sequeretur, omnes, qui verba ista pronunciarent, etiam aves domi edoctas, v. g. Psittacum vel picam loquentem, pari afficiendi adeòque & fascinandi virtute pollere. Positâ enim causa naturali, quia non ex arbitrio agit, non potest non poni effectus naturalis, v. g. ignis, cujuscunq; manu tractetur, quodcunq; etiam brutum eo utatur, semper & ubique calorem, & dato ustibili, incendium parit. Ita *si esset in ipsis verbis insita potestas, quisquis ea & quacunq; modo, loco, & tempore pronunciaret, voti compos fieret*, uti bene arguit Th. Erastus *de Lamiis pag. 14.* Sed experientia huic refragatur. Proferat Petrus vel Conradus eadem, quibus laudator Titius Sempronii infantem fascinasse creditur, & in Pauli vel alterius cujuscunque infantis corpus, quod propter teneritu-

dinem ad fascinum recipiendum semper est capax, fundat verba; nullâ tamen fascini labe infantem inficiet unquam.

§. 2. II. Quia verba quoad materiale sonus sunt, sonus qualitas, adeoque accidens. *Nunquam autem accidens est principium principale productivum accidentis*, *sed semper instrumentale*, ut ait Fonseca *lib. 5. Metaph. cap. 2. Quæst. 2. pag. 6.* Soni quidem vehementioris, præsertim inopinatò è bombardarum & tormentorum bellicorum explosione, tubarum clangore, campanarum pulsu, tonitrui fragore oborti magna vel ad terrendum, vel ad surditatem inferendam vis est; verùm non sonus, quà talis, hoc facit, sed id fit, quatenus vel spiritus ob aerem sibi improportionatum per aures ad cerebrum importunè penetrantem nimis violentam patiuntur illisionem & dissipationem: vel quatenus auris tympanum ob impulsum aeris violentum divellitur ac disrumpitur: vel quatenus imaginatio ex sono magno malum fugiendum concipit, affectus suscitat, humores movet, & corpus alterat. Unde corporis immutationem per accidens sonus parit, notante etiam Verulamio *Sylv. Sylvar. Experim. 98.* *Nihil*, inquit, *efficiunt* (species visibiles & audibiles) *ut opus post se relinquant*, *sed meræ sunt energiæ. Operationes enim earum in speculis & locis echo gignentibus, nihil in hisce corporibus mutant: verùm eadem est actio cum primariâ, sed repercussa, quantum ad fenestrarum motum ex concussione; aut rarefactionem aeris ex ingruente grandium sonorum vi, & calorem ex vitris comburentibus, potius sunt talia, quæ concomitantur species audibiles visibilesq;, quàm eorum effecta.* Verba scripta autem mortuum quid sunt, actionisque expertia, nec sive clausi sint, sive aperti incantatorum libri de se admiranda, qualia incantatores jactant, edere effecta possunt, neque edidisse quis observavit unquam. Sed nec ab atramento, charta, lapidibus, metallis, cui sunt inscripta, verba fiunt activa.

§. 3. III. Quia sonus & verba ex aere diverberato facta in aere mox pereunt. *Sonus est adjunctum evanescens multiplicabile per divisibilem aerem.* D. Libavio *loc. cit. pag. 16.* Ergò & ipsa efficiendi, adeoque & fascinandi virtus, si quæ adesse putatur, insimul perit; quia sine dubio vis fascinandi à sono & verbis in conservari dependet. Sublatô ergò eo, à quo virtus conservari debet, tollitur etiam virtus ipsa. Si dixeris, vocis quidem sonum perire, sed materiam, quæ aer est, à pulmone

ne qualitate fascinatrice infici; aerem autem illum non perire. Resp. Frustrà itaque verba urgeri, quia jam non vox, quà vox, sed aer à pulmonibus infectus & per vocem expressus fascinat. Deinde aer exspiratus extra vocis formationem etiam fascinum inferret, tantò quidem majus, quantò uberius effunderetur. Sic autem contagium fieret, quod ad fascinum naturale referunt Autores. De cuculo refert Plinius *lib. 30. cap. 10.* quo quis locô primò audiat alitem illam, si dexter pes circumscribatur, ac vestigium id effodiatur, non gigni pulices, ubicunque spargatur. Sed quis sanæ rationis homini persuadeat, cuculi vocem rostro elisam evanidamque protinus terræ, quæ ab auditore premitur, imprimere virtutem, ne, ubicunque sparsa fuerit, pulices generentur? An cum sonô fit virtutis propagatio, ut ad aures, ita & ad terram, pede non obstante? quodnam ad virtutis productionem confert pes symbolum, si reliqua extra pedem terra virtutis non fit particeps? quam pes dexter præ sinistrô habet prærogativam? cur non vis similis terram loco, quo quis secundâ, tertiâ, quartâ vice alitem audit, invadit? an qui forsan præterlapsus est aures, sonus primus nihil, sed ille tantùm, quem aures primò percipiunt, suam habet efficaciam? Ergone efficacia simul ab auditu? aut à numeri principio, quod animus attentus ponit? Talis in uno hoc soni exemplo superstitiosorum rituum est cohæsio, ut crassum absurdorum funiculum inde trahant prudentiorum manus. Sed seponemus, qui verborum dignitatem obscurare videntur, superstitiosos ritus: ista tamen in se spectata vim nullam naturâ obtinere probatur porro ex hoc:

§. 4. IV. Quia verba sunt signa pura. Signa autem pura ratione efficientiæ nihil commercii habent cum eis, cujus sunt signa. Signa pura sunt, quia modò signant animi conceptus, qui ipsi sunt signa rerum, quas animo concipimus. Signant autem, prout nempe inter eos, quorum consuetudo mutua est, circa res nominibus designandas constitutum fuerit. Sicut variâ digitorum moticatione, sed ad significandum res certas certâ, quæ oculis percipitur, sua animi sensa nonnulli aperiunt & signant: ita variâ partium vocis formationi inservientium agitatione, sed ad significandum, quod mente conceptum est, certâ, quæ auribus percipitur, mutua fit animorum apertio & conceptuum in animo latentium significatio. *Hoc solùm interest,* ait Vallesius *de S. P. p. 57. quòd*

lingua accommodatissima est omnium corporis nostri partium, ad significandum, quod mente conceptum est, ob illam mirabilem mobilitatem, & quia in ipsa via spiritus, positâ ejus diverberatione, sonitus edit multiplices, auditui hominis etiam eminus occurrentes. Itaque est hæc particula paratissima ac maximè idonea, cui homines demandent munus innuendi invicem, quæ mente conceperint, quia nulla tot tamque varias motiunculas subire potest, eaq; sola voces effingit multiplices, unde & aspectabiles & audibiles nascuntur differentiæ. Elementum calidissimum, quod ignis vocatur, qui animo concipit, conceptum hunc expressurus signo vocali, seu voce ista ignis utitur, quæ præter significandi potestatem, quam vox seu ut scripta, seu pronunciata exercet, sive in oratione, sive simpliciter enuncietur, efficiendi virtutem naturalem nullam obtinet, nec calorem vel incendium parit millies etiam dicta, sive Hebraico idiomate אֵשׁ, sive Græco πῦρ, sive Latinô Ignis, sive Germanico Feur / sive alio aliis nationibus proprio, uti nec aqua illius extinctionem. Sic & interjectiones Grammaticis ita dictæ soni rudes sunt & inconditi, qui præter hoc, quòd certum animi affectum significant, v. g. *Io!* lætantis; *Phy*, fastidientis; *ah! heu!* dolentis; *ha ha!* ridentis, nullam edunt virtutem naturalem, nec affectum similem in animo auscultantis de se, nisi forsan per accidens, phantasiâ in animo compatibili motâ, ut *Io!* in Democriti; *Heu!* in Heracliti animo, pariunt. Significatio verborum omnis est moralis tantùm denominatio ex actu præteritô moraliter perseverans, præter quam nullus ad effectum realem producendum in iis probari potest influxus.

§. 5. V. Si verba habent vim & virtutem naturalem, sequitur verba unius & ejusdem rei varia aut varias virtutes, aut unam possidere. Si *unam*, quæro, unde illa virtutis unitas? *Non à re:* res enim in sonum ordine inverso non agit, & cùm soni sint diversissimi, ad eandem vim recipiendam non erunt apti: nec sono communicatur subjectum, à quo virtus in conservari dependeat: & si fascinandi virtus à re communicaretur, res ipsa, à qua laudis materia ad fascinum inferendum sumitur, pravâ qualitate esset imprægnata. *Non ab homine*, ejusque vel animâ vel corpore. *Non ab anima*, aut ejus *voluntate*, quia illa, ut spiritus, fascinandi qualitate, quæ alterativa est, & in spiritus non cadit, caret: hæc autem illius facultas ab istâ pariter est immunis, verbis verò

per

per consuetudinem receptis edocta utitur. *Non à corpore* ejusque *temperamento* vel *vocis organo.* Non ab isto, quia gentium diversarum, ætatum & sexûs utriusque temperamenta & qualitates, adeoque etiam virtutes, quæ in verba ore prolata derivari creduntur, variant & eædem esse nequeunt. Organum quidem ad aeris fractionem, & vocis formationem ac pronunciationem è variis, & ratione figuræ, substantiæ, sitûs & usûs distinctis partibus constat. Unde & Hebræis literæ pronunciationis ratione aliæ *gutturales* dicuntur, quia spiritum motâ linguæ radice edunt, & sunt hæ quatuor, אהחע *Ahachah* : aliæ *labiales*, quæ per compressa labia prorumpunt, totidem בומף *Bumaph* dictæ : aliæ *linguales*, quia lingua extima palatum feriendo eas profert, & sunt quinque דשלנת Dathlænæth: aliæ *dentales*, quæ, cùm ad dentes vel gingivas edensulorum linguæ extremitas aerem collidit, sibilant; וסצרש *Saſtzerasch* : aliæ palatinæ, quæ aere mediæ linguæ motu ad palatum repercusso formantur, גיכק *Gickak*. מ & נ adjuvantur naribus. Verùm figura & situs partium nihil virtutis realis conferunt, quia illa è terminatione quantitatis, materiæ, qualitatis omnis suâ naturâ expertis, sobole oritur : hic autem dispositionem & respectum partium ad locum infert, qui physicam qualitatem non infert. Substantiæ ratione licèt in iisdem notetur discrimen, cùm v. g. dentes ossa sint, lingua caro musculosa, adeòque ratione tum primarum tum secundarum qualitatum differant, nihil tamen voci, dum formatur, conferunt, aliàs semper & omni voci fieret virtutis communicatio, quòd nemo deprehendit. Neque id fieri potest, quia vox in se est nuda aeris à variis oris partibus attriti fractio, adeòque de se ad recipiendam qualitatem inepta. Ideòque si ulla ab organi partibus fit infectio, non vox quà talis, seu verbum vocale, sed aer, qui è pulmonibus assurgens à variis oris partibus movetur, inficitur. Inficitur autem æquè extra vocis formationem, quàm in ejus productione. Sed sic infectus aer spectat ad fascinum naturale. Quicquid verò aeri adscribitur, malè voci, verbo, vel nominibus ore prolatis tribuitur. Varia ejusdem rei nomina *varias non* acquirunt *vires* à re quæ unica est, nec ab alio quodam, ut ex dictis colligere est.

§. 6. VI. Quia verba arbitraria sunt, & ex placito κατὰ συνθήκην, *ex instituto*, ut ait Aristoteles *Lib. de Interpret. cap. 4.* imponuntur, nec

nominis

nominis impositio, quia denominatio est extrinsecus rebus adveniens, rei naturæ semper conformis esse potest. Imò nullam linguam, vel sermonem homini naturalem esse, si cum Camerario *Oper. subcisiv. Cent. 3. cap. 70. & 71.* & M. Augusto Pfeiffero *Introduct. in Orient. Dissert. 1. Quæst. 4.* dixero, ex hoc arbitraria rerum appellatio satis confirmari, efficax verò & nativa verborum virtus destrui potest. *Si sermonis vel locutionis consideretur materia, quæ est vox articulata in pulmonis cannâ, & à vocali arteriâ pullulans, locutio hominis quidem naturalis, sed ut homo hac vel illa loquatur linguâ, id humanæ arti & industriæ tribuendum.* Hæc Camerarius. Et si naturâ verba significarent, non tanta linguarum varietas, sed ut omnibus hominibus una eademque est natura, ita & omnibus una lingua esset. Neque unum verbum diversa apud diversas nationes significaret, quale est vox *Amen*, quàm solam hîc exempli loco è Vossii *Lib. 1. Idol. cap. 8.* adducere placet: *E Latinis*, ait, *hac utitur Arnobius in Septimo, cui idem est ac amentum*; ut dicitur momen, momentum; fulmen fulmentum; limen limentum; monumen monumentum, *aliaq́ue.* Est verò amen *sive* amentum *id, quo hasta aut jaculum vincitur, ut mitti possit; unde in vett. glossis etiam exponitur* ἅμμα τῶν ἀκοντίων, *&* ἀμμαλόγχης. *Sed* Græcis ἀμὴν est εἶδος πλακοῦντος, *ut interpretatur Hesychius. At quantò aliud est Hebræum* Amen, *quo liber quisq́ue Psalmorum terminatur, ut Psal. XLI. & alibi, quo item crebrò in Evangelio utitur Christus, quodq́ue in Ecclesiâ primitiva populus respondebat post recitatas preces, ut videre est 1. Cor. XIV. Hoc* Amen, *idem valet ac* γένοιτο, ut LXX. reddunt: *vel ut alii*, firmetur, stabiliatur; ab radice אמן aman, i. e. verax ac fidelis fuit.

§. 7. VII. Verba habent vim vel naturalem, vel artificialem, vel supernaturalem. *Non naturalem*, ut ex dictis patet. Non artificialem. Nam quis illa verba docuit? Non homo alius, inquit Scaliger *Exerc. 349.* Nam quis illum? Non cœlestis intelligentia. Nam quis eam facere audeat autorem fascini? Ergò malus dæmon, non ut hominem faceret potentiorem, sed ut ipsum deciperet credulitate. Non *supernaturalem*, quia Deum verba ipsa operandi virtute donasse, vel se donaturum promisisse ostendi nequit. *Neq́ue Angelos* seu bonos seu malos verba ad suscipiendam & deferendam virtutem efficacem posse apta reddere, per lumen seu gratiæ seu naturæ constat. Ergò verba

nullâ

nullâ gaudent potestate. Si verò vim quandam ostendere videntur, non ex se, sed per accidens planè à superiori & occultiori agente, quod *Dæmon* est, eam concomitanter quasi tenent; *non* ab Angelis bonis habent, qui ea, ad quæ supremum agens se per promissiones non obstrinxit, quæque non præcipit, nec curant nec adornant.

§. 8. VIII. Quicquid agit, agit vel *ut agens quod*, vel *ut agens quo*. Verbum autem neutro modo agit. *Non priori*, quia eo modo agunt solæ substantiæ primæ sive singulares: unde vulgò dicunt: actiones esse suppositorum, non quòd solorum istæ sint suppositorum (nam & anima in statu separationis agit, quæ tamen suppositum non est) sed quòd actiones, quæ à suppositis proveniunt, ipsi supposito, tanquam principio *agenti quod* deferri propriè debeant. Verba autem substantiarum classe prorsus sunt exemta. *Non posteriori*, quia agens ut quo est iterum vel *principale*, ut est forma in composito; ut sunt accidentia. Principale agens iterum substantia est, cujus dignitatem verba non capiunt. Instrumentale autem dependenter agit à principali. Quod autem in λόγῳ προφορικῷ & sermone vel sonô ad objectum delato sit agens principale, à quo agentis instrumentalis ad objectum pertingentis, & in eo agentis virtus dependeat, &, donec actionis, quæ in instanti non fit, terminum absolvat, conservetur, à nullo hactenus demonstrari potuit unquam.

§. 9. IX. Si verba ipsa, quà talia, & ut sonus sunt dearticulatus, habent vim efficiendi, adeòque etiam pro fascinantis placitô fascinandi, sequitur verba fascinantia eadem sæpius repetita graviùs afficere, & loca, in quibus ista formantur, non uni saltem, sed & omnibus præsentibus fieri magis infesta, præsertim etiam, ubi echo polyphona verba eadem sexies, octies, decies & frequentius reddit, qualis illa olim Romæ apud portam Capenam fuit, ubi Boissardus Virgilianum illud primum Æneidos distinctè repeti octies integrum, audivit, & postea confusè aliquoties. Qualitate enim physicâ multiplicatâ augetur & intenditur virtus & actio ipsa. Sed sive homo eadem in unô loco fascinantia verba sæpissimè faciat, sive echo multiplicata reddat, non tamen ob id loca ista præsentibus majus periculum creare, periculum facienti patebit.

§. 10. X. In confesso etiam est, in omni actione naturali agens

cum patiente quadantenus conjungi: quod si planè non fit, pro naturali illam non haberi, cùm in ea aliquid fiat, quod sphæram activitatis naturalam transcendat. Lingua autem verba activa fabricans usque adeò nonnunquam à patiente, seu fascinator à fascinando distat, ut reapse, quod agens & patiens uniat, utque agens in hoc, non in illud subjectum citra impedimentum agat, non detur. *Quæ voces naturaliter per passus 100. exaudiri possunt, easdem beneficiô Magiæ* (Cabalisticæ) *exaudiri posse per 100. milliaria Germanica* satis audacter scribit Paracelsus *Philos. Sagac. Lib. 1. pag. 71.* At agens, quod vocem qualitate physicâ præditam per tot milliaria ad aures alterius deferat & conjungat, non nominat, nec vocum efficaciam salvam sic traduci posse probat. Itaque qua facilitate Paracelsus dixit, eâdem commentum istud nos rejicimus.

§. 11. XI. Alii sic quoque arguunt: Actio & passio est inter contraria, & omnis effectus ex contrariis est contrarius, teste Aristotele. Hæc verò cùm in eodem genere ponantur, non possunt in diversi generis contraria agere, quare quemadmodum calor in saporem, sapor in odorem vel sonum, sonus in figuram non operatur, ita neque verba, nec figuræ in subjectum aliud, vel in morbum quidpiam efficient, quia nihil agit ultra speciem. *Excipis* cum verborum Patronis concedendo, actionem & passionem esse contraria, tum ratione terminorum, tum ratione sui & in sensu composito; atque sic calidum agere in frigidum, non in saporem. Sapor enim & frigus sub diverso genere continentur: nihilominus posse aliquid tum ratione sui, tum ratione alterius, quòd conjungitur, in aliud diversimodè consideratum diversis modis agere. Sic odor odoratus organum afficit, nihilo tamen minus acriores exhalationes, quas res odoræ fundunt, possunt etiam idem odoratus organum quoad tactum afficere, & nasum exulcerare. Ita & verba afficiunt quidem auditum, sed id, quod verbis jungitur, non modò aurem, ut auditûs organum, sed etiam ut corporis partem, & per eam totum corpus afficere possunt. Verùm ita verba non de se, sed ratione alterius, quod verbis jungitur, & concomitanter adest, habebunt agendi facultatem, ideòque non verbis ipsis, sed alteri virtus erit activa adscribenda. Aliud autem est verbum, & aliud, quod verbo accedit, nec de eo est dubium. Verbis enim supersti-

tiosis,

tiosis, Ephesiis & spurcis Dæmonem se sociare & cooperari posse, extra dubitationis aleam ponimus. De eo autem est disceptatio: An verba de se, ut sunt verba, citra alterius connubium possint aliquid realiter efficere? Si naturale quid, potestate gaudens verbis combinari dixeris, multis denuò te difficultatibus, quas proposuimus, implicabis. Ecquid est illud, quod verbis jungitur? ubi & quando jungitur? nihil sanè, si ad fascinum naturale vel magicum declinare nolis, quod sanæ rationi sit congruum, nominari potest.

§. 12. XII. Cùm infinitæ ferè dari possint literarum pro verborum formatione combinationes & figurarum delineationes, ergò ne infinita erit verborum & figurarum virtus? Quid literis ante conjunctionem virtute carentibus inter componendum vim tribuit, ut post compositionem istam plenam habeant? Quid figuris, quæ, antequam plenè absolvuntur, potestatem non habent, sensim inter delineandum virtutem tribuit, & ubi figura plenè delineata, sufficienter mox imprægnat? Per artificium anagrammaticum varias vox una quandoque gignit voces significativas, an ergò variis vox ista imprægnata erit facultatibus? an voces per anagramma editæ vocis originalis virtutem pariter in se continent? an verò vocum per anagrammatismum natarum virtus antea potentiâ in vocis originalis uterô latitavit, & jam ore vel manu edita in actum mox deducitur? cumque ex eodem nomine contraria provenire videamus, quæ propterea formis vel typis typographicis Taubmannus comparavit, dum canit:

Queis hominem laudant Elementis, carpere possunt,
Et culpæ & laudis Nomina semen habent.
Æmula chalcographis opera est ea prorsus: eodem
Dedecus atq; decus, qui struere ære solent.

An contrariarum virtutum mater fœcunda est Nomen idem?

§. 13. XIII. Cùm successivè fiat syllabarum verborumque pronunciatio, & ad quantitatem Orationem, quæ ex syllabis & verbis constat, Philosophi referant, quantitatis verò nulla sit efficacia, patet hinc nec verbis eo respectu virtutem esse tribuendam. Cùm autem verbum polysyllabum non totum, sed syllabatim pronuncietur, & syllaba quævis virtute totius sine dubio careat, quid quæso in trisyllabi pronunciatione, cùm ultima syllaba profertur, virtutem adjicit? An priores

res syllabæ ante tertiæ pronunciationem ore elapsæ beneficiô tertiæ virtutem recipiunt? an si suspensio dimidiæ vocis fiat, semi virtutis alicubi sit retentio, & totius adjectâ syllabâ ultimâ demum completio? Sit litera A initialis, ea cum pronunciatur, ad quamcunque secuturam syllabam procul dubio est indifferens, ut oriri inde possit vox aqua, ala, anas, Adam, vel alia. Sed qualem & unde syllaba ultima mox accipiat virtutem, quæ non ad ultimam modò syllabam, sed ad literam initialem sit referenda, nemo indicare potest. Idem de Hebraicis verbis, quibus majorem Cabalistæ virtutem efficiendi tribuunt, esto judicium.

§. 14. XIV. Si insita esset verbis virtus & potestas efficax, non incantationem simpliciter omnem, vel ad minus istam, quæ verbis solis peragitur, & sacræ & humanæ leges interdixissent. Neque enim earum rerum, quæ vi naturali pollent, usus de se est illicitus, sed si Certarum circumstantiarum ratione fiat abusus, temerarius & prohibitus censetur. Legibus autem & divinis & humanis omnem incantationem interdici, infra ostendetur *cap. 4. §. 10.*

§. 15. Ita verborum robur verborum robore, emissâ (quod dici solet) omni voce, destruximus, h. e. verbis ore prolatis nullam inesse efficiendi, adeòque nec fascinandi virtutem realem, aliquot rationibus demonstravimus. Earum nonnullæ etiam verbi cujusque charactere sive Hebraico, sive quocunque alio scripti, efficaciæ destruendæ accommodari possunt, quo de tamen inferiùs.

CAPUT III.

Vocis Incantatio natalis & varia acceptio. Excantatio apud Josephum quid? Ἐπωδὸς quid? Ἐπῳδὴ unde? Carmen maleficum. Incantatoris & malefici secundùm Hieronymum differentia. Hebræis ut dicatur incantator. Talmudicis incantatio vel magna est vel parva. Synonyma vocis, Incantator, tam græca, quàm latina. Incantatio quomodo definienda. Vox Germanica Beschwerung *voce Incantatio est latior. Adjuratio quid? Ejus & Incantationis objectum. De voce* ἐξορκισμός. *Adjurationis &*

Incan-

Incantationis differentia. Adjurationis effectus est à Deo : Incantationis non à Deo, nec Angelis bonis, sed à Diabolô.

§. 1. INcantatio, quæ verbis fit, præprimis urgetur. Proinde, antequam ad S. Scripturæ loca & reliqua, quæ pro Fascinatione vocali adducuntur, respondeamus, de Incantatione, cujus non tantum opposita Scripturæ loca, sed & alii profani Autores crebram faciunt mentionem, agemus, ejusque ventilationi, ut latentem hac in herba anguem faciliùs protrahamus, & laudatæ in verbis efficaciæ nullitatem detegamus, aliquanto diutiùs incumbemus.

§. 2. Vox *Incantatio*, *incantamentum* ab *incantando* seu *cantando* videtur derivari. *Incantare* propriè quidem in loco cantare significat, ut apud Apulejum *lib. 8.* videre est. *Passerem*, inquit, *incantantem sepiculæ consectatur arripere.* Sed & insuper veneficiis afficere & quidem frequentiùs notat: Sicut & verbum *excantare.* Apud Josephum tamen *Antiquit. Judaic. lib. 6. cap. 9.* hoc verbum sine dubio ratione suæ originis venit explicandum, quando de Saule scribit: *Nullam aliam opem inveniebant Medici, quàm si quis peritus excantator adhiberetur.* Et paulò post: *Quoties à Dæmone agitaretur, unicum erat in excantatione remedium.* Neque enim, ut famosius significatum accipiamus, Davidis, qui Deo fuit gratissimus, sanctitas admittit.

§. 3. Græcis dicitur Incantatio ἐπῳδὴ ab ἐπάδειν, *accinere, præcinere adcantare, admurmurare, cantu prosequi*, item *carmine obligare.* Apud Homerum ὀδ. τ. ἐπαοιδὴ Jonicâ dialecto res est antiqua & miranda. Ἐπῳδὸς veteribus *excantator*, *incantator*, qui fruges excantasset, quique malum & maleficum, i. e. magicum carmen incantasset. Alias significationes tradit Langius *lib. 1. Epist. 33.* siquidem secundùm Galenum in fine Operis *de Utilit. Part.* Ἐπῳδὸς hymnum etiam notat, quo heroum & Deorum præconia ante altaria in sacrificiis decantabantur, ac lyricorum poetarum στροφὴ & ἀντιστροφὴ dicebantur, & epodium carmen, quo dimidii versus integris jambicis subjiciebantur. Epodos quoque Hesychio & Suidæ mulier dicitur, quæ pueris fascinatis carmine medetur.

§. 4. *Carmen* autem *maleficum* non tantùm longam cantationem, verùm etiam uno, duobusve solùm verbis contentam imprecatio-

nem veteres appellasse notat Th. Erastus *de Lamiis pag. 17.* imò cereas imagines, characteres & res simili curiositate confectas carmina vocasse dicit, quòd plerumque aut verborum mussitatione, aut superstitiosâ quadam observatione, à qua vires novas adipisci creduntur, apparentur. *Incanto* verò oritur à verbo *canto*, pro quo cano, i.e. sonum modulor, frequentiùs dicitur. At cantare etiam magicam operationem exercere significat. Hinc Virgilius *Eclog. 8.*

Frigidus in prato cantando rumpitur anguis.

Et Propertius *lib. 4. Eleg. 4.* carmina magica *magicæ cantamina musæ* appellat. Res cantatæ dicuntur pro incantatis. *Canere* verò, annotante Martinio *in Lexic.* inter alia est divinare, divina loqui. Et hoc, ait, Magos sibi arrogare, unde & divinos Latinis vocari *fatidicos*, & Apulejo magos *divinipotentes*, tanquam potentes in divinis, qui Deos velut in potestate habeant. Idem tamen ex eo potius dici autumat, quod certô cantu aut conceptô carmine, & magicis susurris sive ad consecrandum, sive ad exsecrandum uterentur, quo sibi Deos, h. e. Dæmonas obligarent, & certas res obnecterent ad effectus supra communem naturam producendum. Hieronymus *Comment. in Daniel. cap. 11.* inter Incantatores & Maleficos hanc ponit differentiam: *Quos*, inquit, *nos Ariolos, cæteri* ἐπαοιδοὺς *interpretati sunt, i. e. incantatores. Ergò videntur mihi incantatores esse, qui verbis rem peragunt, Malefici qui sanguine utuntur & victimis, & sæpè contingunt corpora mortuorum.* Paulò aliter Augustinus *Lib. de Natur. Dæmon.* hæc proponit. Eidem quidem *Incantatores* dicuntur, qui artem verbis peragunt, sed *Arioli* sunt, qui circa aras Idolorum nefarias preces emittunt, & funesta sacrificia offerunt.

§. 5. Hebræis incantator dicitur חֹבֵר à Rad. חָבַר *sociatus, consociatus, conjunctus fuit.* Rationem ex Dionys. Vossio suprà *pag. 3.* dedimus. In specie autem, notante Buxtorfio *in Lexic.* dicitur de eo, qui adjurando & incantando serpentes aut alia noxia animalia consociat, ut ipsorum operâ sine noxâ utatur. Unde incantans redditur. Incantatio ista parva est. Talmudici enim, autore eodem, duplicem faciunt incantationem, *magnam*, quâ magna animalia, *parvam*, quâ reptilia, serpentes, scorpii incantando consociantur. Plato *lib. 2. de Republ.* incantatores ἀγύρτας καὶ μάντεις nominat. Autori *Libelli de Morbo Sacro*, qui

qui Hippocrati adscribitur, μάγοι, ἀγύρται, ἀλαζόνες dicuntur. Atque hinc antiquam esse incantandi rationem colligimus. Ἀρχαία ἐστιν ἡ διὰ τῆς ἐπαοιδῆς θεραπεία. *Antiqua est, quæ per incantamenta fit, curatio*, ait Etymologus. Ἐδόκουν γὰρ οἱ ἀρχαῖοι, ταῖς ἐπωδαῖς ἴασιν καὶ θεραπείαν εὑρίσκειν, inquit Pindari interpres. *Arbitrati sunt veteres, carminibus curam invenire.*

§. 6. Latina Incantatorum & Incantatricum si expetis Synonyma, damus hæc: *Exorcistæ, Præstigiatores, Haruspices, Venefici, Lamiæ, Sagæ ac Striges, Necromantici.* Doctores enim quocunque modo maleficium tractantes, promiscuè & indifferenter Magos, Lamias, Striges, Sortilegos, Mathematicos, Incantatores & Incantatrices, Veratrices, & Præstigiatrices appellitant, ait Celeberrimus JCtus Bened. Carpzovius *Rer. Criminal. Part. 1. Quæst. 48. num. 9.* Germanis Incantatio dicitur eine Beschwerung / incantare beschweren / bannen / Incantator, ein Beschwerer / ein Teuffelsbanner.

§. 7. Incantationem D. Henr. Nicolai *Exercit. 9. de Magic. Action. pag. 182.* definit, quòd sit actus magicus, quo vel Scripturæ abusu, vel blasphemis à Satanâ haustis verbis, vel characteribus, rebus, aut ceremoniis adhibitis animalibus noxa infertur, Magô ex pacto cum Dæmone, quod habet, operante. Sed hæc definitio non est adæquata, partim, quia suo definito est angustior: nam vel in incantatione non semper Scripturæ Sacræ vel blasphema verba, sed quandoque alia, eaque bona, ut in aliquibus benedictionis actibus, adhibentur. 2. Non semper noxam animalibus incantator infert, sed quandoque, præprimis vi, metuve adactus, vel muneribus invitatus, sanitatem per incantationem ablatam, per eandem restituit. 3. Incantationis objectum non animal solum est, sed animata omnia, ut & inanimata: partim quia alia ratione definitô latior occurrit. Nam quia incantatio verbis, ut vidimus, peragitur, si per res, characteres & ceremonias in silentio, ut sæpè fit, actus quidam superstitiosus peragitur, ad incantationem, salvô hæreditariæ derivationis jure ille referri nequit. Operatio quidem magica est, sed incantatio non est. Hac illa latiùs patet.

§. 8. Nos specialem vocis, *Incantatio*, significationem, qua Dn. D. Carpzovio *loc. cit. num. 3.* incantator est, qui solâ potentiâ carminis vel adhibitis ceremoniis certis aliisve rebus quid efficere conatur, attendentes,

dentes, Incantationem describemus ita: *Incantatio est actus magicus, quo per verba certâ lege dicta vel scripta, alia rebus qualitas induci & effectus produci putatur, Mago actum inchoante, Satanâ ex pacto, quod cum illo habet, si effectus sequitur, ita perficiente.* *Genus* est *actus*, quia de incantatione & aliis in specie actibus tanquam latius in quid prædicatur. Incantatio autem est *actus*, quia esse suum in fieri seu operatione aliqua transeunte, non constantem aut durabilem essentiam, qualis substantiis, qualitatibus &c. competit, habet. Ubi autem fieri more actionum omnium prætereuntium & transeuntium est exactum, etiam ejus esse desinit. Per vocem *Magicus*, ut & per sequentia vocabula exprimitur incantationis differentia. Magicus est autem actus, quia à Magiæ (sumtâ in malam partem per receptum usum voce) cultoribus quidem adornatur, sed à Diabolo perficitur, & effectu, si vult, & (Deo non repugnante) potest, coronatur. *Diabolus* est *causa principalis*; *instrumentalis Magus*, seu homo nefariæ huic arti deditus, sive verba, quibus utitur, magica esse sciat, sive per ignorantiam ea adhibeat, nesciens, illa superstitiosa esse & à Dæmone instituta. *Materiæ* rationem verba habent, quibus tamen sæpiùs junguntur characteres, ceremoniæ, ritus & res variæ, tam naturales, quàm artificiales, ut herbæ, radices, lapides, serpentes, & demortuorum partes, specula, annuli, cereæ imagines, &c. *Formalis* ratio in verborum certâ lege, quam Magister infernalis suos vel ipse, vel per alios edocuit, factâ pronunciatione vel scriptione consistit. *Objectum*, quod incantatur, res sunt, tam inanimatæ, quàm animatæ, tam spirituales, quàm corporeæ. *Finis*, ut alia rebus qualitas seu bona, seu mala inducatur, & intentus effectus producatur, qui tamen nec viribus naturæ, nec artificis solertiæ, nec virtuti supernaturali in promissione Dei fundatæ adscribi potest, v. g. Magnates & Judices dementare ita, ut non possint non parti, injustam licèt causam foventi, favere: fugitivos ligare ita, ut certos terrarum limites transgredi nequeant: Vatiniani & mutui odii semina in pectora conjugum disseminare: absentibus varia inferre mala, vel illata ab iis auferre &c. effecta sunt, quæ artem & naturam superant, nullumque ratione efficientiæ talis à verbis sperandæ in Scripturæ librô habent fundamentum. Realis quidem est effectus, sed causæ spuriæ speciosè intervenientis respectu apparens, si ad suam causam genuinam refertur, verus. Si autem verba incantatoria effectus naturæ

naturæ & artis potestatem non superans, ut venenatio, sequitur, non verbis, sed naturalibus, quæ junguntur, ut ibi venenum, est adscribendus.

§. 9. Vox Germanica Beschwerung / voce Incantatio est latior. Siquidem Adjuratio etiam Germanis eo nomine venit. Aliud autem est adjuratio, aliud incantatio. Abraham adjurat servum, *Gen. 29. v. 3.* Caiphas adjurat Christum, *Matth. 26. v. 63.* Diabolus adjurat Christum, ne se torqueat, *Marc. 5. v. 7.* Adjuratio tamen illa non fuit incantatio. Papicolæ adjurant spectra, quo de multa Thyræus præprimis tradit *de Loc. Infect. part. 2. cap. 53. pag. 177.* Item Casp. Schottus *Physic. Curios. lib. 2. cap. 36.* spectrorum tamen adjurationem pro incantatione non habent. *Adjuratio* est obligatio alicujus quasi juramentô facta ad dicendum, an aliquid fecerit, nec ne, vel ut aliquid faciat vel omittat, Balduinus *lib. 3. Cas. Conscient. cap. 5.* *Objectum* ejus *homines* sunt & *Intelligentia:* (secundùm Pontificios etiam animæ damnatorum, imò creaturæ quæcunque irrationales, ut pluviæ, fulmina, tempestates, venti, aqua, sal, campanæ, butyrum, oleum, morbi, atque inter eos pestis &c.) illud allata ex sacris & plura hîc occurrentia exempla testantur: hoc res Apostolorum gestæ, qui Dæmones adjurando obstrinxerunt, ut ab homine, in quem imperium obtinerent, discederent. Diabolus etiam à Strigibus sub Draconis volantis comparens figurâ, se adjurari patitur hac adjurationis formulâ apud Keckermannum *System. Phys. lib. 6. cap 4.*

Ich beschwere dich Alff/ Alff/
Der du Augen hast wie ein Kalff/
Ein Rucken wie ein Deig-Trog/
Weiß mir deines Herrn Hoff.

Incantationis autem objectum latius est, & creaturas alias, imò creatorem ipsum, ut §. seq. videbimus, respicit. Adjuratio Græcis ἐξορκισμὸς ab ἐξορκίζω, ὁρκίζω, *adjuro, sacramento seu jurejurando adigo, religione jurisjurandi obstringo*, ab ὅρκος *jusjurandum* venit. Nomen Græcum ἐξορκισμὸς civitate Latinâ donatum *Exorcismus* audit, qui quidem donum ejiciendi dæmones ab obsessis in primitiva Ecclesia olim usitatum notat, hodiè verò κατ' ἐξοχὴν ritum Ecclesiasticum in Sacramento initiationis illum, quo Satanas adjuratur, & gravi obtestatione ab infante baptizan-

dô, quem per peccatum originis spiritualiter occupat, cedere, & Christo Salvatori locum relinquere jubetur.

§. 10. Et Adjuratio & Incantatio verbis quidem fiunt, sed dispari utraque ratione. In *Adjuratione* aliquid per juramentum imperamus, Deumque insuper, si secus eveniat, vindicem invocamus. In *Incantatione* sacrorum Dei nominum, & oraculorum, vel blasphemarum vocum pronunciatione, vel certorum characterum delineatione alia seu bona seu mala qualitas sub certâ loci, temporis, personarum, vel aliarum circumstantiarum conditione ut conferatur, laborant. Ergò qui adjurationem effectus deinde sequitur, non verbis ipsis, quà talia sunt, sed Deo judici & vindici justissimo, ardentissimis precibus ad retribuendum solicitato, sunt adscribenda. Incantationem verò qui sequitur effectus, pariter non verbis ipsis, quorum efficaciam inter non entia venire ostendimus, sed vel Deo ejusque Ministris bonis, vel Satanæ erit adscribendus. *Non Deo:* quem quidem fucum jam olim, teste Platone, incantatores facere non erubuerunt. Ita illa: Πείθουσιν ὡς ἔςι παρὰ σφίσι δύναμις ἐκ θεῶν ποριζομένη, θυσίαις τε καὶ ἐπωδαῖς ἀκεῖσθαι μεθ' ἡδονῶν τε καὶ ἑορτῶν: καὶ ἐάν τι ἐχθρὸν πημῦναι ἐθέλῃ μετὰ σμικρῶν δαπανῶν ὁμοίως δίκαιον ἀδίκῳ. Βλάψει ἐπαγωγαῖς τισὶ καὶ καταδέσμοις τοὺς θεοὺς, ὥς φασι, πειθόντες ὑπηρετῶν. *Persuadent penes se esse potestatem à Diis profectam, quâ sacrificiis & carminibus quibusdam injustè ab ipsis aut majoribus eorum facta expiandi cum voluptate ac diebus festis: & inimico, siquidem ulcisci velint, justo pariter & injusto, minimo sumto nocendi. Quippe illecebris & ligaturis quibusdam Diis se persuadere posse, ut eos habeant obsequentes.* Sed fucus est. Nam incantatoria verba limites, quibus divinam Majestatem adstringere piaculum est, ratione temporis, modi, loci & aliarum circumstantiarum præscribunt. Itaque cùm contra divini numinis placitum & mandatum ea fiant, caveamus, qui sequi ista videtur, effectum Deo tribuere. Id autem satis constat, & verbis insuper è *Theatr. Diabol. Part. 1. pag. 162. f. b.* petitis, illustramus: **Die Beschwerung ist dem Gebet gantz ungleich. Denn sie bittet nicht demütiglich / sondern gebeut trotziglich / und will ihrer Anforderung kurtzum gewehrt seyn / es sey dem / welcher beschworen wird / lieb oder leid / und geschicht auf dreyerley Weis. Die ersten Beschwerer unterstehen GOtt (welches fürwar schrecklich lautet) zu bannen / daß er für Schaden be-**

hüte

hüte und Schaden zufüge nach ihrem Gefallen. Denn es sind die meisten/ welche auf Wort so viel geben/ in der Meinung/ daß GOtt an ihre Wort gebunden sey. Wenn sie dem Kindlein Agnus Dei, und S. Johannis Evangelium an die Hälse hängen/ meinen sie stracks/ GOtt werde und müsse nun (verzeihe mirs O GOTT/ daß ich so rede) die Kindlein vor Seuchen und andern Unfall bewahren. Und welche Segens-Brieff bey sich tragen/ lassen sich düncken/ es könne ihnen nicht fehlen/ GOTT behüte sie nun für allem Ubel/ und verleihe ihnen in allen Sachen Glück um solches Briefs willen. Hieher gehören auch die Ablaß-Briefe und Gebete der Münche/ damit sie GOTT beschweren wollen/ damit Er die Sünde verzeihe nach ihren Gefallen ꝛc. *Non Angelis bonis*, quia & ipsi in DEI placitô acquiescunt, & incantatoris petito, nolente Deo, assurgere nesciunt. Ergo Diaboli colludentis vel simulantis fraudibus, Deo permittente, quicquid verbis peragi putatur, contingit. Neque enim aliud agens præter nominata, Deum, Angelos & Naturam, nominari potest. Dæmon ex arbitriô & pactô verba ac characteres, quasi in se habeant vim, & ceremonias, tanquam signa sint mystica, vult adhiberi, atque ad eorum præsentiam, quæ Magus desiderat, operatur; superstitiosis etiam mediis cedere se simulat, quibus tamen fucatè præsens est, ut homines magis decipiantur, rerumque superstitiosarum virtutem admirentur. *Autor fascini* (& incantamenti) *est malus Dæmon, non ut hominem faciat potentiorem, sed ut ipsum deciperet credulitate, atque socium haberet tum impietatis, tum æterni exilii. Ipse igitur agit Dæmon: Stultus ille ac vecors putat suis se vocibus agere:* ita pulchrè Scaliger *Exerc. 349.*

CAPUT IX.

Cur cantandi vox ad flagitia magica denotanda sit traducta? Incantationum modi varii; continent maledictiones vel benedictiones. Necromantica incantamenta variis ritibus fiunt. Voci incantatoriæ scripta etiam junguntur & characteres. Pontificiorum Exorcismi magicis incantationibus sunt affines. Quid in Exorcismô baptismali Evangelicorum verbis, imperativô modô factis indicetur? Saniores Ethnici nullam verbis inesse virtutem intellexerunt. Seneca & Plinius conciliantur. Incantationes

nes legibus & divinis & humanis sunt interdictæ. Constantinus imperator, qui incantationibus favisse videtur, vindicatur.

§. 1. CUr autem *cantandi vox ad magica flagitia denotanda sit traducta*, non malè suspicatur Martinius *loc. cit.* Cùm enim multos & animi & corporis morbos Musicâ sanari viderent Veteres, facilè deinceps in istam superstitionem delabi, & carminibus verbisque vim attribuere incauti potuerunt; sicut perpetuum Diabolo studium est, abuti Dei creaturis, & ejus ordinationes, ascitis improbis modis & illicitis finibus affictis, corrumpere & pervertere. Id quod Peucerus *l. c.* clariùs ob oculos posuit. Hominibus nimirum persuadere laborat Dæmon, ut credant, mirâ verborum efficaciâ fieri posse, quemadmodum ad Dei dicentis vocem mundus hic provenit & extitit: & si verbis æquè se illa posse homines experiantur, quæ Deus ipse præstitit, despiciant, aut certè minus mirentur opera naturæ, & autorem naturæ curent levius, neu denique amplius his in naturâ mediis propositis utantur.

§. 2. Ista Martinii sententia confirmatur Macrobii verbis *Lib. 2. in Somn. Scipion. cap. 3.* ubi de Musicâ sic ait: *Corporum quoque morbis medetur: nam hinc est, quod ægris remedia præstantes præcinere dicuntur.* Scipio Gentilis *Append. Notar. ad Apolog. Apul. pag. 511.* hîc ad τὸ *præstantes* vocem *mulieres* vel *anus*, quam ob similitudinem vocis præcedentis præstantes Autori excidisse putat, addere non dubitat, quòd res hæc tota anicularum olim hodièque sit in Italia & alibi. Sic & Tibullus *Lib. 1. Eleg. 5.*

Ille ego, quum tristi morbo defessa jaceres,
Te dicor votis eripuisse meis.
Ipseque ter circum lustravi sulfure puro,
Carmine cum magicô præcinuisset anus.

§. 3. Incantationum *modi* varii sunt, & diversi admodum omnibus seculis extiterunt, quorum unus alio crebrior hoc vel illo tempore fuit, atque hisce vel aliis locis celebrior, notante Wierô *Lib. 1. cap. 7. §. 7. & §. 4. Immensus*, inquit, *est harum fallacium actionum & rerum numerus, quas latere præstat.* Harum tamen formulas varias Corn. Agrippa, Malleus Maleficorum, & alii tradunt. Istæ pro finis à Mago intenti

intenti varietate vel *maledictiones* & imprecationes continent, quales à Baalamo Balac Rex Moabitarum petiit *Num. 22.* vel *benedictiones* in res aut personas, quibus beneficia, aut maleficia intentant. Fiunt autem per modum deprecationis, exprobrationis, vel imperii, seu compulsionis, quo v. g. Deus, Angeli, Satanas, & res naturales compelluntur. *Deus* quidem & *Angeli*, ut, quod incantator expetit, præstent. Vid. cap. præced. §. 10. *Satanas*, ut vel recedat, vel ad incantatoris nutum agat. *Res*, ut supra *Sect. 2. cap. 2. §. 5.* è Trallianô incantatoriam herbæ sacræ adjurationem dedimus. Fiunt insuper cum vel sine rituum & ceremoniarum apparatu, ut adeò ratione objectorum, finium, circumstantiarum & pro mirâ incantantium phantasiâ mirè ab incantatore infernali agitatâ formulæ varient.

§. 4. Necromantia, quâ ψυχαγωγοὶ & ψυχοπομπαῖοι animarum seu manium eductores circa loca νεκυομαντεῖα & ψυχοπομπαῖα dicta consistentes incantamentis mortuos revocare, ex iisque futura indagare student, variis ritibus peragitur, quorum magnum numerum in illo Lucani *Lib. 6.* ubi de Erichtho animam militis Romani demortui excitante agit, & in Horatii *Sat. 8.* versibus deprehendere licet. Tiresias apud Senecam in *Oedipo* Lajum evocans præter sacrificium solâ usus fuit incantatione. An verò Pythonissa, fatidica in Endor mulier, ad Saulis instantiam *1. Sam. cap. 28.* per incantationes Samuelem Prophetam, seu rectiùs Dæmonem larvatum & subdititium in Samuelis formâ sistens incantamentis solis fuerit usa, an verò certos iis ritus junxerit, ex sacris non constat. Curationum morborum, quæ per benedictiones seu potius incantationes hodienum fiunt, quasdam ritus varios, quasdam nullos habere admixtos, inferius patebit.

§. 5. Fiunt autem incantationes quandoque verbis solis ore prolatis, aliquando simul scripta cum variô characterum rituumque apparatu junguntur. Turcæ servos Christianos fugitivos ita incantant & retrahunt: *Nomen servi in schedulâ scriptum suspenditur in tabernaculô vel domiciliô servi: deinde diris verbis & devotionibus illius caput impetunt. Deinde fit vi dæmoniacâ, ut fugiens putet sibi in itinere vel leones vel dracones incurrere, vel mare vel flumina contra se exundare, vel omnia tenebris nigrescere, iisque terriculis repulsus ad herum redit*, Robertus *in Goclen. Heautontimor. Sect. 17. §. 10.*

§. 6. Incantationibus magicis affines quoque sunt superstitiosæ Pontificiorum lustrationes, consecrationes & exorcismi, variis ceremoniarum lenociniis turgidi, qui quidem pietatis speciem præ se ferre videntur, sed, quia mandatô, institutione & promissione divinâ destituuntur, verbisque fiunt sacris, ad quæ Spiritus S. nullo modo intendit, reipsa inania manent rerum simulacra, & vera Magiæ indirectæ exemplaria. Nam, ut cum D. Meisnero *Part. 2. Phil. Sobr. cap. Quæst. 1.* loquamur, *considera duntaxat multiformes Papalium exorcisationes & adjurationes, considera olei, salis, aquæ, panis, herbarum & aliarum creaturarum consecrationes; quid hæ aliud sunt, quàm magicæ quædam incantationes? Fingunt enim per solam mentionem nominis divini & recitationem sacrorum verborum, ut Orationis Dominicæ, Psalmorum, Evangelii Johannis &c. brutis istis rebus vires priores eximi, novasque indi, sanctitatem illis quandam, simul & δύναμιν conferri, morbos tum corporales tum spirituales sanandi & Diabolum expellendi, i. e. nudis verbis & quidem malitiosè depravatis vim agendi practicam adscribunt. Perpende insuper transubstantiationis portentum, & ibi magicam verbis vim attribui manifestè videbis. Quam primùm enim à sacrificulô recitata fuerint verba institutoria: Hoc est corpus meum, eo ipso vi verborum recitatorum panis substantiam abire, & in gloriosum corpus Christi mutari asserunt, ideoque sacrificulum creatorem creatoris blasphemo ore nuncupant.* Hæc ille. Vid. quoque Balduinus *Cas. Conscient. lib. 3. cap. 3. Cas. 9.* Peucerus *de Divinat. Tit. de* Ἐπῳδοῖς. Dn. D. Danhauer. Scheid- und Absage-Brieff. *Part. 2. pag. 263.* Catechismus-Milch. *pag. 439.* Godelmannus *de Magis lib. 1. cap. 6. pag. 55.* Wierus *de Curat. Læs. Malefic. pag. m. 417.* Ex Calvinianis Voetius *Dispp. Select. part. 3. pag. 1150.* fusiùs hoc argumentum persequitur. Legatur etiam Lavaterus *de Spectris part. 3. cap. 10.* Deusingius *de Superstitios. Morb. Orig. & Curat.* §. 41. 46. Fr. Torreblanca quidem *lib. 2. Dæmonol. cap. 49. in Append. num. 10.* Exorcismos preces & orationes ad Deum esse scribit, atque hanc in rem Augustinum *lib. 22. de C. D. cap. 8.* allegat. Verùm 1. & Magi suas adjurationes ac conjurationes orationis titulo exornant & jactant. 2. Augustinus loco citato nullam exorcismi mentionem facit, sed aliquot miraculosarum curationum exempla tradit. 3. An exorcismi, ut tales, Orationis indolem ferant, Theologis examinandum relinquimus. Certè adjurationem

onem à precatione distinguere ac removere Th. Aquinatem, & adjurationem Diaboli aut exorcizationem aquæ, olei, &c. non esse Dei invocationem, loco citato *pag. 27.* ostendit Voetius.

§. 7. E Magiæ lutô Pontificii quidem se evolvere nimium quantum laborant, sed quo sidere, vide sis apud Voetium *loc. cit. p. 601. & 1163.* ubi novem eorundem exceptiones, quibus incusationem istam diluere conantur, accuratè resolvit, & sic in idem Magiæ, saltem indirectæ, lutum eos iterum præcipitat. Idem *Desper. Caus. Papat. lib. 1. Sect. 4.* de consecrationum Papalium Symbolizatione cum Magorum carminibus & fascinô pluribus agit, ac Zoroastræis illis susurris, quibus Dardanarii & Saccularii Vejovis Romani, panis, vini, aquæ, salis, olei & similium creaturarum metamorphoses & incantationes peragunt, jure (ringente licet ejus Antagonistâ Janseniô perturbato) fascinum adscribi posse demonstrat. Dn. D. Gerhardus quoque *Tom. de Eccles. in fol. pag. 421.* Magiam in Papatu multiplicem regnare præsertim, 1. divinatricem, 2. præstigiatricem, 3. operatricem, solidè probat.

§. 8. Nec est, ut quis forsan nobis verba Exorcismi baptismalis imperativo modo in Ecclesiis Evangelicis facta opponat. Ea enim efficaciam de se nullam, seu usum non effectivum, sed significativum habere, nostrates ultrò fatentur. B. Chemnitium, cujus verba elegantissima *Max. Rev.* Dn. D. Calovius *Disp. de Exorcismo Anno 1661. Witteb. habitâ* §. *11.* allegat, pro me citabo: *Verbum Dei,* inquit, *pellit Satanam, non quando in collo suspensum gestatur, sed quando justo zelô docetur, attentâ aure excipitur, & fideli corde conservatur. Atq; hoc innuere voluerunt Sancti Patres in primitiva Ecclesia, quando sacræ baptismatis actioni Exorcismum addiderunt, non quasi verbis illis Exorcismi peculiarem aliquam* ἐνέργειαν, *vim & efficaciam attribuerent, sed ut ipsius baptismi & ministerii spiritus virtutem considerandam proponerent, atque subindicarent, tum fortem hunc armatum ligari, Luc. 11, 22. Principem hujus mundi emitti foràs, Joh. 12, 13. Spolia ejus à matrefamilias Ecclesiâ distribui, Psal. 63, 13. repudiari veterem hospitem & spurcum porcum Christi, abrenunciari omnibus ipsius operibus, & communioni cum ipsô, adeoq; virtute spiritus divini eripi infantem de potestate tenebrarum, & transferri in regnum dilecti Filii DEI &c. Hæc pia sunt, nec possunt per calumniam exagitari.*

§. 9. Sa-

§. 9. Saniores etiam Ethnici nullam verbis inesse virtutem deprehenderunt. Aristoteles *lib. 8. Histor. Anim. cap. 24.* figmenta mulicrcularum & carminis incantamenta conjungit, quasi ad unam classem referenda. Galenum, quicquid est talium μαγγανείων *imposturarum*, ut falsas, καὶ οὐδένα λόγον ἰατρικὸν ἔχουσας *& nullam rationem artis Medicæ habentes*, omnesque τῶν περιάπτων seu *amuletorum* ληρώδεις μεταμορφώσεις *nugatorias transformationes* repudiasse advertit Majolus *Tom. 2. Colloq. 3. pag. 194.* Idem Galenus *libr. 6. de Simpl. Medic. Facult. Præfat.* de Pamphilo veteri Botanico scribit hæc: *Verùm is ad fabulas versus aniles est, simulq; præstigiaturas quasdam deliras Ægyptias, junctis nonnullis incantationibus, quas cùm herbas colligunt, admurmurant.* Quamvis verò Galenus alibi, *lib.* quem inscripsit περὶ τῆς καθ' Ὅμηρον ἰατρικῆς πραγματείας, *Tractatio Medica de iis, quæ in Homero occurrunt*, referente Alexandro Tralliano *lib. 9 cap. 4.* dicat, se ab iis, quæ evidenter apparent, fuisse persuasum, incantationibus, quibus aliquo temporis spatio nullam adhibuerat fidem, vim inesse, quòd viderit ossa gutturi infixa incantatione statim expui, & à scorpio percussos adjumentum percipere: Galeno tamen Trallianum incantationibus addictum, ut Principem Medicinæ opinionis suæ socium habere videretur, istud per librum supposititium affinxisse censemus. Seneca etiam *lib. 4. Nat. Quæst. cap. 7.* antiquitatem illam deridet, & rudem appellat, quæ credidit & attrahi imbres cantibus & repelli: *Quorum*, inquit, *nihil posse fieri tam palam est, ut hujus causa nullius Philosophi Schola introeunda sit.* Rosinus autem *Antiquit. Roman. lib. 8. cap. 6.* Senecæ dicit contradicere Plinium, qui *lib. 28. cap. 2. & lib. 30. cap. 1.* & alibi multis probet exemplis, maximam vim habere incantationes, idque quotidianam experientiam testari ait. Verùm cum Senecâ Plinius in gratiam redire potest facilè, si Senecam cantus & verba nuda, seu incantationem vulgarem, Plinium autem incantationem magicam respexisse dicatur. Dæmonis enim ope Magos, permittente Deo, admirandos edere effectus, qui hujus causa Theologorum & Philosophorum Scholas introire velit, compertum feret. Conciliationi huic nostræ suffragium quoddam conciliabimus è Pauli Zacchiæ *lib. 2. Tit. 2. Quæst. 13. num. 7.* ubi hæc habet: *Qui incantationes negant, loquuntur de incantationibus simplicibus ac nudis verbis factis, nullâ interveniente Dæmonis operâ aut interventu. Verba enim quædam aut voces, aut etiam*

iam scripta, aut alia quævis his non dissimilia vim aliquam habere, ridiculum est. Quod si interdum quid virtutis talia habere comperiantur, id vel ex accidenti casu evenit, vel omninò ex Dæmonis tacitô vel expressô consensu, vel siquidem minima sint, ex ipsa imaginatione dependentiam habent. Vid. quoque Pincier. *libr. 2. Parerg. cap. 43. pag. 296.*

§. 10. Quantò magis Christianis Incantatio omnis sit βδέλυγμα, *res abominanda*, cùm non humanæ tantùm, sed & divinæ leges severè istam interdicant. Id quod jam, ut verbis, quæ *cap. 2. §. 14.* fecimus, fidem faciamus, ostendemus. Legibus *divinis* interdicitur incantatio, & quidem *Deut. 18. v. 11.* Non reperiatur in te חֹבֵר חָבֶר *incantans incantatione*, i. e. utens incantatione, incantator. Esaias *cap. 47. vers. 9.* Babylonis excidium vaticinans inter causas futuri excidii incantationis studium insimul refert. *Venient*, inquit, *tibi duo hac subitò in die una, sterilitas & viduitas, propter multitudinem maleficiorum tuorum, & propter duritiam* (fortitudinem) חֲבָרַיִךְ *incantationum tuarum.* Et *vers. 12. Sta cum incantatoribus tuis*, *Paralip. 2. cap. 33. v. 6.* Manasses, quòd Magos & incantatores secum habuerit, reprehenditur. *Humanæ* leges ab iis etiam, qui extra Ecclesiæ sinum vixerunt, ad sanæ rationis normam latæ incantationes prohibent. Plato, Sapientiæ Antistes (ita Plinius eum *l. 7. c. 30.* appellat) *lib. 11. de Leg. Si quis*, inquit, *vinculis, aut illectamentis, vel incantationibus* (ἤ τισιν ἐπῳδαῖς) *aut ejusmodi quibuscunque veneficiis nocenti similis judicatus fuerit; si vates sit, aut prodigiorum consultus, morte plectitor: sin earum artium expers veneficium fecisse pronunciatum sit, & de hoc quoque consilium judicum, quâ pœna vel mulctâ afficiendus sit, censeto.* Ammian. Marcellinus *de Aulâ Constantii* hæc memoratu digna *lib. 16. pag. mihi 105.* refert: *Si quis super accentu soricis vel occursu mustelæ, vel similis signi gratia consuluisset quenquam peritum, aut anile incantamentum ad leniendum adhibuisset dolorem, quod medicinæ quoque admittit autoritas, reus unde non poterat opinari delatus, raptusque in judicium pœnaliter interibat.* Et *lib. 29. pag. 612. Anum quandam simplicem intervallatis febribus mederi leni carmine consuetam, occidit ut noxiam. Quod hac pestiferâ, sceleratâque doctrinâ fructus alieni in alias terras transferri prohibentur, nonne in duodecim Tabulis, id est, Romanorum antiquissimis legibus Cicero commemorat esse conscriptum, & ei, qui hoc*

fecerit, supplicium constitutum? Verba sunt Augustini *lib. 8. de C. D. c. 19.* Isti nimirum propter incredundas, ut Apulejus loquitur (h. e. secundùm Scip. Gentilem *pag. 242.* admirabiles, & quæ vix creduntur, nisi quis ipse viderit) frugum illecebras, seu magicam frugum incantationem, leges tulerunt, crimenque illud prohibuerunt: Quamvis Conr. Rittershusius in XII. Tabb. Leges pag. 63. ex verbis Legis Decemviralis hæc tantum superesse fragmenta scribat: QUI MALUM CARMEN INCANTASSIT: QUI FRUGES INCANTASSIT. Item: NE ALIENAM SEGETEM PELLEXERIS. Videantur, quæ ex Patribus, Conciliis & Constitutionibus variis Wierus *de Præstig. Dæmon. lib. 3. cap. 16.* Joh. Filesacus *de Idolol. Magic. pag. 43. & 70.* & Freitagius *Noct. Med. cap. 30.* & alii allegant. His aurea, quæ aureo ore Chrysostomus *de Fato Serm. 7.* fundit, subjicimus. *Potiones à medicis propinatas sumendas esse ait, nec curiosè inquirendum, quales ea sint, imò uti sanitati conducentes habendas esse: at si sint veneficorum, magorum, vel excantantium, non solum esse exquirendum, quales sint, verùm etiam, & vocem esse fugiendam, utpote lethiferam.*

§. 11. Constantinus M. *Cod. lib. 9. Tit. 18. l. 4.* ubi eorum scientiam puniendam & severissimis meritò legibus vindicandam esse sancit, qui magicis accincti artibus, aut contra salutem hominum moliti, aut pudicos animos ad libidinem deflexisse deteguntur; subjungit quidem hæc: *Nullis verò criminationibus implicanda sunt remedia humanis quæsita corporibus, aut in agrestibus locis innocenter adhibita suffragia, ne maturis vindemiis metuerentur imbres, aut ventis grandinisq; lapidatione quaterentur: quibus non cujusque salus aut æstimatio læderetur, sed quorum proficerent actus, ne divina munera & labores hominum sternerentur.* Quibus sanè verbis Imperator incantationes salutis causa dictas haud obscurè permittere videtur. Sed posterius hoc constitutionis illius Constantinianæ membrum inter nævos illos, quibus etiamnum Romanam Jurisprudentiam Justiniani auctoritate promulgatam scatere quidam volunt, referendum esse, non immeritò prudentiores censent, & inter eos Dn Nicol. Henelius ab Hennenfeld JC. eximius *Otii Vratislav. cap. 31. pag. 251.* cui mirum non videtur hac in parte paganorum superstitionibus indulsisse Constantinum, quòd ipse iisdem, jam Christianus etiam, ipsemet Baronio, in historia Ecclesiastica attestante, deditus

deditus fuerit. Brunnemannus quoque JCtus in Academia Viadrino-Brandeburgicâ famigeratissimus *Comm. in istum Codic. pag. 820.* postremam istam Constitutionem piis improbari scribit, testesque adducit Cujacium *lib. 27. Observ. 17.* & Carpzov. *Part. 4. Constit. 2. Defin. 7.* ideoque à Leone *Novell. 65.* refutatam, & jure Canonico *caus. 16. Quæst. 2.* aliquot canonibus reprobatam scribit. Idem tamen doctè advertit & subjungit, *non improbabiliter dici, Imperatorem Christianissimum hic non de incantamentis, sed de Lustrationibus agrorum, quæ cum publicè decantatis Litaniis fiebant*, Novell. 123. cap. 32. *esse intelligendum & de Processibus solennibus.* Atque ita laudatissimus Imperator vindicatur & ab incantationis crimine liberatur.

CAPUT V.

Autoritas sacra pro Fascinatione vocali allata examinatur. Locus Psalm. 58. explicatur: sive Fascinatio ibi propriè sive impropriè sumatur, non obstat. Satanæ fraude serpentes veneno exuuntur. Incantatio quoque apparenter fieri potest. Locus Jerem 8. exponitur. Per Regulos ibi hostium crudelitas, qui flecti nequeant, indicatur. Verba execratoria juxta zelotypiæ leges prolata suam à Deo acceperunt vim & virtutem.

§. 1. His ita de Incantatione præmissis, facilis jam est dubiorum sequentium solutio. I. *Autoritas S. Scripturæ* objicitur, quæ *Psalm. 58.* Serpentes ad incantantes vocem aures obturare, & Regulis non esse incantationem, *Jerem. 8.* dicit. Nam 1. Vox, *Incantatio*, à Regio Psalte aut propriè aut impropriè sumitur. Si *impropriè*, & κατὰ μεταφορὰν venit intelligenda, quòd sic agat aspis, quasi contemnat carmen, planeque ad illud obsurduerit, verborum efficacia per hunc locum evinci nequit. Sententia enim Psaltæ fuerit ea, *Tantum esse suorum hostium furorem, ut non magis possit mitigari, quàm moveatur aspis incantantis carmine. Nam æquè surdos esse hostes suos, ac surda est aspis ad tale hominis carmen*, Vossius *Idolol. lib. 1. cap. 8. pag. mihi 34.* Sic quoque Dn. D. Fridlibius *Theol. Exeg. in h. l.* pro incantationibus ea nequicquam valere, imò contra eas dici probat. Vid. insuper Dn. D. Gejerus *Comm. in h. l.* Si *propriè*, exponendum venit, incantatorum verba aut quate-

nus talia & de se habere vim, aut quatenus sunt incantatorum, h. e. Magorum verba. *Prius*, quod in quæstione est, negamus. Ipse quoque Plinius *lib.28. cap.2.* hos deridet, dicens: *Figlinarum opera multi rumpi credunt tali modo: non pauci etiam serpentes ipsas incantari: & hunc unum illis esse intellectum, contrahiq; Marsorum cantu, etiam in nocturna quiete.* *Posterius* autem concedimus, & dicimus cum D. Salomon. Gesnero *Comment. in Psal. eund. pag. 468.* vocibus & characteribus Magorum eam vim minimè esse: Diabolum autem permissu DEI, aut seminibus & causis in natura latentibus, quæ nobis incognitæ sunt, aut etiam suis viribus id facilè præstare posse, ut serpentes suo veneno exuantur. Quid si apparenter istam incantationem fieri dicamus? Camerarius enim *Horar. Subcisiv. Cent. 2. cap. 38.* ex Melanchthone notat in Africa serpentes, in quibus Diabolus habitat, adhuc hodiè circumferri, quibus saltantibus putant purgari domos, sic ut nulli serpentes intrent aut inficiant ædes. Agendi modum tradit ibidem. Ita Satan, ut in verborum suorum virtute Magi superbiant, serpentes, prout mox in Hexaemero, Parentes primos fallendi gratia in Paradisô argutè fecit, Dei permissu subit, & inibi latens verbis Magorum incantantium se accommodat, & ad votum eorum agit, ut, quod Satanæ erat imputandum, verbis ipsis adscribant Magi: prout olim etiam Magi, referente Plutarcho *in Symposiac.* Ephesiis recitatis nominibus Dæmones ejecerunt, Satanâ nimirum se ejici simulante, cùm ex pacto Magis ultrò cederet. *Brutum animal Aspis est, quod incantationes non intelligit. Satan verò sese conjungere solet, qui voces & verba percipit. Hic in perniciem hominum suos habet lusus, ut veneficos agnoscere, verba intelligere, ipsasq; adeò aures obturare dicatur serpens ipse.* Sperlingius *Zoolog. Physic. Posthum. lib. 6. cap. 3. Axiom. 1.*

§. 2. In isto verò Jeremiæ locô Prophetam per quandam similitudinem hostium virulentiam, cui nihil obstiturum sit, intelligi notat Dn. D. Hülsemannus *Comment. Posthum. in Prophet. Jerem.* Chaldæi hostes fuere, qui reguli instar solo penè aspectu, hinnitu & voce exanimarent, unde Chaldæus vertit: *populos occidentes, sicut serpentes regulos, quibus non est incantatio, & occident vos.* Ad verba hæc: *Quibus non est incantatio*, commentatur Corn. à Lapide ita: *Qui ita barbari sunt & crudeles, ut nullis precibus ad misericordiam flecti possint.* Quibus Gregorii

gorii 44. *Moral.* 5. verba ſubjungit dicentis: *Immittam vobis ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio, ac ſi diceret, qui à vobis excuti exhortatione prædicantium, quaſi incantantium ſermone non valeant.* Ex vulgi ergò opinione loquitur Propheta, ſed ita, ut ad illius mentem ſerpentes quidem voce incantari concedat, regulos autem incantari neget, eâque ſimilitudine immanem hoſtium furorem delineet & exaggeret. Aliàs negari nequit, ſi minores ſerpentes magicis incantamentis DEI permiſſu poſſunt dementari, regulos etiam eodem permittente à Satanâ, qui agente naturali quocunque eſt potentior, poſſe incantari. Ex dictis jam patet, licet verbis incantatoris ſerpentes incantari Scriptura aſſerat, non tamen ex hoc conſtare, Scripturam vel incantatoriam artem approbare, vel naturalem verborum virtutem confirmare. Habet enim hîc locum regula Auguſtini *ſuper Pſalm.* 57. *Non undecunque datur ſimilitudo à Scripturis, laudatur ipſa res. Dat enim ſimilitudinem de iniquo diſpenſatore, Luc.* 16. *de colonis, qui occiderunt filium herilem, Matth.* 21. Confer Freudium in Gewiſſens-Fragen von Zauberey und Zauberern/ *Quæſt.* 124.

§. 3. Fruſtra 3. pro Faſcinatione vocali ex *Num.* 5. opponitur zelotypia, infauſta formoſæ matris proles. Iſta nimius amor eſt, quem veteres tanquam feram prius expellere, quàm dentes ac ungues producat, ſuaſerunt. Ungues ac dentes ſunt ſuſpicio & zelotypia, conjugii, quod pacatum eſſe decet, felicitatem ex improviſo ſæpè per affectuum perturbationem tollens, ut Hiſtoriarum momumenta teſtantur. Sub zelotypiæ tyrannide Hiſpani, Itali, Turcæ, Perſæ, atque alii Orientalium regionum populi magis, minus verò, imò rarò Septentrionales cum iſtorum admiratione vivunt. Populus quoque Iſraeliticus jam olim frequentiſſimè hoc vitio laboravit, cui propterea, ne animorum in conjugio ſerenô ſerenitas periret, & candor conjugalis labefactaretur, DEUS peculiares zelotypiæ leges præcepit, ut, ſi quis uxorem de adulteriô haberet ſuſpectam, ad tabernaculi oſtium eam adduceret. Sacerdos autem diras execrationes cum certis ceremoniis non modo pronunciavit, ſed & in libello conſcriptas, aquâ amariſſimâ delevit, aquas verò ipſas bibendas delatæ mulieri dedit, & ex ipſius hauſtu ſalubri vel noxio innocentiam vel delictum deprehendit. Verùm nec verba execratoria, tum ore pronunciata, tum manu ſcripta, & in aquas per lotionem

tionem congesta; nec aquæ amarissimæ de se istam habuerunt nocendi facultatem, sed quicquid habuerunt efficacitatis, à Deo omnipotente, cordium & rerum scrutatore verissimô, fuit illatum. Ad DEI institutum & mandatum Sacerdos rem naturalem adduxit, & verba pronunciavit; rei verò naturali addidit ordinem supernaturalem verus zelotes, & ex pacto verbis veritatis manifestandæ gratiâ pondus inesse voluit. Absque eo si fuisset, in nocentes & innocentes aquæ, ut rei purè naturalis, æqua, nulla verò verborum pronunciatorum in nocentes fuisset potestas. Itaque non naturæ, sed Dei opus & miraculum id fuit, quo, ut Brentius *Comm. in Numer. cap. 5. pag. 927.* loquitur, *DEUS testificatus est primùm, se huic populo præsentem esse, & rempubl. eorum gubernare. Deinde se punire malos, & benefacere bonis, ut etiamsi malus effugiat testimonium humanum, non tamen effugiat testimonium divinum.*

CAPUT VI.

Autoritas profanorum virorum hoc in loco est vana. Lumine revelationis divinæ destituti sua & sæpè mira dogmata communicarunt Barbari Græcis. Græcis Barbari qui? Doctrinæ gratiâ in Ægyptum Græci profecti sunt, unde Magiæ semina retulerunt, quod scripta eorum testantur. Græci semper pueri. Magiæ præbuit fomentum Medicina præsertim Ægyptiorum. Hi quoque à Diis suis, h. e. à Dæmonibus pellibus incubantes per somnia remedia capiebant. De incubandi verbo & ritu etiam adhuc hodie in Italia durante. Qualitatum occultarum & cœlestis influxus nomine multa magica sunt contecta, præsertim apud vulgum Ægyptiacum, qui Sacerdotum suorum placita constanter credere tenebatur.

§. 1. A Sacris ad profana itidem tendimus, Autoritatem profanorum virorum nobis oppositam visuri. Sed & hanc vanam esse, i. e. in arduô veritatis negotiô, animæque salutem concernente punctô veterum Philosophorum & Poetarum autoritatem parvi constare dicimus, cùm dogmatum ex peculiari Dei revelatione ortorum notitiâ destituti, propriis ingenii viribus freti, & occultis Dæmonum machinis seducti, faventibus iisdem facilè in errorum devia abierint Philosophi

Barbari.

Barbari. Apud hos enim Philosophiam per gentes passim resplendentem viguisse, & postremò ad Græcos venisse, Clementi Alexandrino *Lib. 1. Strom. cap. 7.* (taceo Tatiani Assyrii ad Græcos sermonem) credere malo, quàm Diogeni Laertio, qui, ut contrarium firmet, omnem movet lapidem. Eusebius pariter *Lib. 9. Præp. c. 3.* doctrinam Philosophiamque, nec non primarias quasque disciplinas, momentaque artis disserendi graviora à Barbaris Græcos corrogasse tradit. Barbari autem Græcis erant gentes omnes, quæ diverso ab illis sermone utebantur, ideò dictæ, quòd insuavis & velut vitiosa earum omnium esset pronunciatio. Isti, per quos Philosophia resplenduit, fuerunt Chaldæi, Persæ, Assyrii, Scythæ, Indi, Itali, Galli, præcipuè Ægyptii, qui, quod annotat ὁ πάνυ Conringius *Hermet. Medicin. Lib. 1. cap. 14.* ad omnis generis sapientiam, quo tempore alibi terrarum spissa erat ignorantia, animum appulerunt, imò in nonnullis glaciem fregerunt, & viam aliis, præcipuè Græcis, munierunt. Cujus gratia Græcorum Philosophi exiliis veriùs, quàm peregrinationibus susceptis in Ægyptum navigarunt. Eudoxus cum Platone eò profectus est, & ambo cum Sacerdotibus annos tredecim sunt versati, quod Straboni *Lib. 17.* proditum. *Thales nullo Præceptore usus est, nisi quòd Ægyptiis Sacerdotibus eò profectus familiariter adhæsit*, inquit Laertius *in Ejus Vitâ.* Ægyptiorum prudentiâ institutus fuit Pythagoras, Ammiano Marcellino *Lib. 22.* teste. Idem & Democritus Persidis, Arabiæ, Æthiopiæ, Ægyptique Magos adierunt, Plinius *Lib. 25. cap. 2.* Pamphilium ad præstigias & incantationes versum Galenus loco supra *cap. 4. §. 9. citato* reprehendit. Eundem adeòque Ægyptios spectant & illa Galeni: *Quis adeò miser est, ut prætermissis scriptis Dioscoridis, Nigri, Heraclidis, Cratera & aliorum innumerorum, qui in arte ipsa consenuerunt, libros Grammaticos scribentes, incantationes, transformationes & decanorum, dæmoniorumque herbas sacras perferat.*

§. 2. Jam Mosis ævô Magiam in universum coluerunt Ægyptii sacrisque annumerarunt artibus, iidemque Magi illi fuerunt, quorum primam memoriam sacræ literæ sistunt. Schiagia Arabs Historicus apud Kircherum *in Oedip. T. 2. p. 11.* *Ægyptii*, inquit, *post diluvium in variis scientiis, præcipuè incantationum, Magiæ præstigiatricis. & Chimiæ edocti fuerunt imaginesque eorum ad influxum stellarum facta hucusque reperiun-*

periuntur. Eorum Deos portenta vocat Minucius Felix, ut & Juvenalis *Satyr. 15.* ad Volusium Bithynicum, Amicum suum scripta, quam ita exorditur:

Quis nescit Volusi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? --- ---

Eâ ergo ratione tradita sibi in Ægypto Magiæ variarumque superstitionum semina, ac, quod Herodotus *Lib. 2.* apertè dicit, Deorum ferè omnium nomina Græcos domum reportasse, credulitatis calore fovisse, ac in alias deinceps gentes, in Romanos maximè propagasse, in dubium vocavit nemo: licet, quod à Barbaris Græci acceperunt, nonnihil fecisse meliora, Platoni in Epinomide assentiamur dicenti: τίπερ ἂν Ἕλληνες βαρβάρων παραλάβωσι, κάλλιον τῦτο εἰς τέλος ἀπεργάζονται: non tamen, quòd optimum, veram divinorum & his adversorum, quæ innumera sunt, notitiam assecuti sunt Græci. Inde Ægyptiacas vanitates eorum scripta non rarô perpluere observarunt prudentiores, præsertim nostro seculô vir πολυμαθέστατος & antiquitatis Sacerdos vigilantissimus Dn. D. Conringius in dictô *de Hermet. Medicinâ* scriptô eruditissimô, Platonis de Deo, dæmonibus, angelis & humanis animabus totam Philosophiam Ægyptum sapere advertit, atque *Hermetem*, *Orpheum*, *Onomacritum*, *Musæum*, *Democritum*, *Pythagoram*, & *Empedoclem*, Magiæ fuisse studiosissimos argumentis non levibus ex antiquorum monumentis petitis evincit vir laudatus: *Homerum* magni fecisse artes Magicas ex Odyssea liquere, & *Hesiodum* vel Magum fuisse, vel certè talem esse finxisse, ex ejus Theogoniâ, ubi de primô suo cum Musis commercio canit, deducit, tandemque subjicit: *In universum antiquissimis Græcorum Poetarum singularis quædam cum dæmonibus familiaritas intercessit. Certè tales in vulgus se se voluisse censeri, ipsorum carmina non loquuntur, sed clamant. Omnem verò illam Magiam ex Ægypto primùm advenisse, argumento est, quod ab Orpheo maximè hæc Poetica cœperit: quem Pausanias Ægypto fuisse ortum perhibet, apud alios constans est fama, inde omnem suam disciplinam advexisse.* Psellus *Lib. de Dæmon.* scribit, Magiam visam esse Græcis facultatem quandam potestatis plurimæ compotem, atque adeò extremam esse Sacerdotii portionem.

§. 3. Si Soloni & Universæ Græcorum nationi Sacerdos quidam Ægyptius, cujus ille auditor fuit, semper pueritiam exprobravit his, quæ

Justinus

Justinus Martyr citat verbis : Ὦ Σόλων, Σόλων, Ἕλληνες παῖδές ἐστὲ ἀεὶ, γέρων δὲ Ἕλλην οὐκ ἐστιν. quam historiam Plato in Timæo quoque refert; nec nobis in confirmandis & probandis superstitionibus ac magicis deliramentis eorum autoritas sit sacra; præsertim, quia nullius seriæ aut utilis rei curam Græci susceperunt, sed circa ludicra & nugatoria semper occupati fuerunt; quæ ratio inter sex media comparationis Græcorum cum pueris à Chrysostomo *Homil. 4. in 1. ad Corinth.* exposita, & à Conr. Rittershusio *Sacrar. Lection. Lib. 3. cap. 23.* relata prima est. Tertia eidem est, quod ab ore Græcorum defluentia verba vana & inania atque impura semper sint. Ergò nec nobis Græcorum dicta parem oraculis authoritatem suadere possunt. His subjungimus Lud. Vivis illa *ad Augustini Lib. 4. de C. D. cap. 6. verba : Græci scriptores, sive luxuriâ styli: sive quò res patriæ essent admirabiliores : sive quo magis operibus suis lectorem suum oblectarent, tenerentque: sive gentis vitio, multa sunt in historiâ mentiti. Latini, qui res Græcas tractarunt, cùm necesse haberent eos sequi, etiam multa falsa pro veris asseruerunt, ut Trogus & Curtius Ruffus.*

§. 4. Eò lætior autem fuit seminum magicarum fallaciarum proventus, quò latiorem & pinguiorem ea invenerunt campum, qui Medicina est, quæ à mundi origine Ægyptiaci populi, & in eo Regum præcipuè & Sacerdotum curâ fuit exculta, ut Medicinam etiam à se repertam voluerint, teste Plinio *Lib. 7. cap. 56.* & Gryllus in Plutarchi *de Ratione Brutorum Dialogo* testatur, τοὺς μὲν Αἰγυπτίους πάντας ἰατροὺς ἀκούομεν εἶναι. *Audimus Ægyptios omnes esse Medicos* , adeò ut Herodoti ætate penè singulorum morborum Medici fuerint, non plurium. *Atque è Medicinâ primùm natam Magiam specie salutari irrepsisse, velut altiorem sanctioremque, quam Medicinam, nemo dubitat*, ait Plinius *Lib. 30. cap. 1.* ita *blandissimis* (verba sunt ejusdem) *desideratissimisque promissis addidisse vires religionis, ad quas maximè etiamnum caligat humanum genus.*

§. 5. Religio fuit paganis in morbis, quorum curam mortalibus hominibus commendamus , Deos negligere, cum omnis illa, quam sanandis Dii rogati denominant, curandi methodus nulli dubitationis vel frustrationis injuriæ, qua humanæ curæ sæpe sunt infames, sit exposita, sed propter occultum Deorum influxum magis apposita. Inter cæteros Diis valetudinis recuperandæ gratia supplicandi ritus iste

per somnium fuit celebris , præsertim apud eos, qui Medicis destituebantur, quod de Lacedæmoniis refert Ælianus *lib. 12. Variar. Histor. c. 50.* Nimirum in Sacellis pellibus incubantes noctu somnum , & in somno Deorum suorum, qui ipsi Dæmones fuerunt, consilia vel remedia contra morbos per somnia capiebant ægri, vel qui ægrorum vices obibant, alii; quam incubationem ἐγκοίμησιν Græci dixerunt. Substernebant autem δέρμα sive *pellem*, unde dermire, pro quo deinceps dormire dictum. Hoc nomine Isidis, Ori, Serapidis, & præprimis Æsculapii fana magnæ olim fuerunt æstimationis. Tibullus *lib. 3. Eleg. 3.*

Nunc Dea nunc succurre mihi, nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

De naufragorum quidem suspensis in ejus fanô tabellis hos versus alii interpretantur, quòd navigii fuerit præses: sed & ad Medicum officium insimul Poetam allusisse dicimus , ejus olim in nummis repertâ effigie moniti , quæ in sinistra herbam habuit, dextrâ navigium. Hinc est, quod Quartilla tertianæ medicinam à Priapô somno petiit apud T. Petronium *Arbitr. Satyr. lib. 1.* Ejus incubandi ritus in Fauni templo etiam Virgilius *2. Æneid.* mentionem facit, ubi Servius ita: *Incubare dicuntur propriè hi, qui dormiunt ad accipienda responsa. Unde est, ille incubat Jovi, i. e. dormit in Capitolio, ut responsum possit accipere.* Latè verò eam incubandi consuetudinem patuisse Vossius *Idolol. libr. 3. cap. 36.* ex eo colligit, quòd & prope mare Caspium in Anariacæ Urbe nomine Ναβάρκη, monstraretur μαντεῖον ἐγκοιμωμένων, oraculum incubantium, ut est apud Strabonem *in 11.* Ac durasse ait apud Romanos incubandi morem temporibus etiam Gratiani ac Theodosii Impp. indicat Prudentius in Hamartigenia. Ita simplicioribus & credulis gentilibus spiritus maligni divinam aliquam speciem mentiti, ac pro Diis bonis sese in somniis ostentantes imposuerunt, & sibi amplius eos per modum curandi supernaturalem devinxerunt. Superiori etiam seculo adhuc in Italia incubandi morem durasse, Vir prælaudatus D. Conringius *Exercit. de Incubat. in fanis Deorum Medicinæ causa olim fact.* §. 27. è Georgii Fabricii *Commentario ad Poetas* refert, qui se Patavii, ait, vidisse adolescentes & puellas rusticanas in cœnobio D. Antonii certâ nocte incubare, *Nec mirum* (subjicit ille) *hic eos imitatos fuisse gentiles : siquidem sanctorum apud Pontificios post* ἀποθέωσιν *cultus illi paganorum dæmonolatriæ*

tam

tam geminus germanus est , ut nec ovum ovo, nec lac lacti similius esse ferè possit.

§. 6. Accedit his magnum qualitatum occultarum nomen, quo Dæmon, hujusque ministri illius præstigiis capti δαιμονίαν & grandia superstitionum magicarum monstra texerunt, quasi vires rerum variarum admirandæ ex ipsius naturæ sinu, modò tamen occultò , omniumque sensuum sagacitatem transcendente dimanarent, quarum cùm plurima extra controversiam passim exempla prostent, faciliores inde fuerunt in admittendis, sub specioso hoc apparatu, latentibus superstitionum ineptiis simpliciores. Vel cœli, quod Deorum domicilium & divinarum virtutum promptuarium audit, nomen auditum, suo in istorum corda influxu quasi occulto fidei indubiæ fixam paravit sedem, præsertim quia Ægyptiorum Sacerdotes credi voluerunt, à Decanis siderum τοῦ ζωδιακοῦ magni nominis & potestatis Diis triginta sex, præsidibus partium corporis humani, quas totidem esse statuerunt, eorundem sanitatem ac morbos induci, & quem morbum Decanus quisque fecisset , ejus in partis suæ curationem invocati potestate rursus eundem curari per herbas sibi sacratas, in quibus certè occultam cœlitùs datam virtutem agnoverunt. Platonici Ducem suum, Platonem in Timæo secuti peculiare cuilibet rerum speciei astrum tribuunt, adeò ut quælibet herba, quodlibet metallum certæ speciei sit sympatheticum, & mutua habeant qualitatum occultarum commercia: prout & Paracelsus *lib. 1. Phil. Sagac. cap. 4.* figuras certas fabricari posse , quibus cœlum vires non certè elementares, sed his nobiliores & humano generi sublimiores imprimat, superiori seculo docuit. Ille qualitatum numerus in foro religionis tantum crevit, quantum Sacerdotum de non convellendis religiosæ doctrinæ capitibus, tanquam ab ipsis numinibus profectis , persuasio crevit. Nam περὶ θεῶν μηδὲν θαυμαστὸν ἀπίστει, μὴ δὲ περὶ θείων δογμάτων, de diis nimirum, atque adeò de placitis divinis *nihil ita admirandum dici, quod non constanter debeat credi*, Pythagoras etiam suis inculcavit. Ex quo factum, ut, cùm contra ea, quæ tradita erant , ne hiscere quidem ulli fuerit integrum, multorum vanitas & latiùs serperet, & altiùs radices ageret , simpliciores verò sibi in eorum perceptione nimis placerent , & plura indies, licèt à ratione essent aliena, modò à religionis opinione non essent, arriperent ; id quod illud ἀθανασίας φάρμακον ab Iside inventum , apud

Diodor. Siculum *lib. 1. cap. 25.* celebratum; illud Ægyptiorum Νηπενθὲς Telemacho propinatum apud Homerum *Odyss. δ.* Cynocephia herba divina & contra omnia veneficia, Ægyptiis Osyrites dicta, apud Plinium *lib. 30. cap. 2.* & plura apud alios produnt.

CAPUT VII.

Poetarum, præsertim Græcorum, ut & Historicorum Græcorum autoritas vilis est pretii. Aristoteles verborum vim non tradidit; neque Hippocrates, Galenus & Plinius eam agnoverunt. Goetia publicè quibusdam in locis proposita. Salutatores verbis curasse falsum est: impostores sunt & fraudulenti. Per verbi divini abusum via Satanæ sternitur ad perficiendum curationis opus.

§. 1. HÆc, quæ jam adduximus, prolixiori calamo exposuimus, ut appareat, tantum Medicorum, Philosophorum & Poetarum veterum autoritati in re æterni periculi plenissimâ non esse tribuendum, quantum pertinacioris ingenii capita eâdem fascinata, ut & alios fascinent, tribuere satagunt. A Poetis, præsertim Græcis, ut & Historicis Græcis, quibus Quinctilianus *libr. 2. cap. 2.* plerumque poeticæ similem esse licentiam scribit, veritatem nemo exigit. Mendax Græcia, ut Poeta Juvenalis *Satyr. 10.* loquitur, nihil non in historia fuit ausa, & in cæteris ductum Ægyptiorum, qui ipsi vanitatibus erant impliciti, si non semper, maximam tamen partem secuti, alios in errorum societatem traxerunt, eò quidem faciliùs, quò longius & isti à sana veræ religionis doctrinâ aberrarunt, quoque in sua numina devotiores fuerunt. Non defuerunt tamen sequentibus temporibus inter Græcos Sapientes, qui Ægyptiorum tum vanitatem, tum impietatem perspexerunt, sibique ab istis porrò imponi noluerunt, quod præsertim post Aristotelis tempora factum.

§. 2. Neque in vasto hoc eruditionis mari, in quo saniores philosophi plerique navigarunt, Aristotelem intelligo, quod pro se vel pro fascino verborum patroni allegare queant, quicquam reperitur: nec si naturalis verborum ἐνέργεια daretur, neglexisset Magnus Philosophus, quia ex eo esset genere, ut propter qualitatum verbis propriarum distinctionem

ctionem & originem, ad quam investigandam omni ope laboravit, non fuisset non ab eo adducendum. Melius etiam è pagô fulgentissima artis Medicæ sidera & coriphæos, Hippocratem & Galenum, utrumque superstitioni minus obnoxium, sensisse, supra ostendimus. Plinius *libr. 28. cap. 2.* quod inscribit: *An sit in medendo verborum aliqua vis?* plurima quidem affert exempla, quibus admiranda multa verborum potestate & carminum virtute effecta visum: sed ejusdem capitis initium & finis produnt, non omninò in eam Plinium ivisse sententiam, vel saltem titubasse. Ita orditur caput: *Ex homine remediorum primum maxima quæstionis & semper incerta est, valeantne aliquid verba & incantamenta carminum. Quod si verum est, homini acceptum ferri oportere conveniet. Sed viritim sapientissimi cujusq; respuit fides.* Ita caput claudit: *Carmina quædam extant contra grandines, contraq; morborum genera, contraq; ambusta, quædam etiam experta: Sed prodendo obstat ingens verecundia in tanta animorum varietate, quapropter de his, ut libitum cuique fuerit, opinetur.* Homo sanè prudens, ut de Plinio Polyd. Virgilius *lib. 1. de Prodig. pag. mihi 21.* loquitur, non putavit sic à veritate recedendum, ut se auctore in posterum tempus ejus vanæ observationis cura alios tangeret. Princeps Nero, eodem Plinio autore *lib. 30. c. 2.* ætate suâ vanam falsamque comperit artem incantatoriam.

§. 3. Mirum proinde, nec immeritò, cordatioribus, Ecclesiæ illum Doctorem Origenem cum Platonicis recentioribus, Pico & Ficino nonnihil hîc succubuisse, quod & supra notatum, Agrippam item, Pomponatium & Paracelsum, horumque asseclas (de quibus ut & Cabalistis inferiùs) saltatorium in isto verborum campô orbem, invitâ Ratione, complaudentibus Magis, versasse. Nec satis mirari possumus cum Vossio *Idolol. lib. 1. cap. 8. in fine*, qui ex Joh. Laurent. Ananiæ *Theol. Tabern. 3. de Natur. Dæmon.* id refert, tantam fuisse superioribus seculis cœcitatem atque inscitiam, ut Salmanticæ & illa Magia, quam dicunt θεουργίαν, & altera, quam γοητείαν nominant, scholis publicis doceretur. Goetia autem, ut habet Augustinus *lib. 10. de C. D. cap. 9.* incantationem notat, carminibusque nefariæ curiositatis arte compositis utitur, & licèt, ut idem habet, honorabiliore nomine, quod Theurgia est, quidam utantur, quasi velint ista discernere, & illicitis artibus deditos alios damnabiles, quos maleficos vulgus appellat, & ad Goetiam pertinere putat; alios lau-

 dabiles,

dabiles, quibus Theurgia deputatur, vocent, utrosque tamen ritibus fallacibus dæmonum sub nominibus Angelorum obstrictos esse D. Pater scribit. Nec Salmanticæ saltem, sed & Toleti, & Hispali avorum memoriâ palam Goetica fuit proposita. Iisdem sterquiliniis Cracoviensis & Basiliensis Scholæ (in quarum altera Faustus Cundlingensis magiam didicit, altera Paracelsum cathedrâ & doctorum cœtu dignum judicavit) fuerunt contaminatæ, Hier. Jordanus *lib. de Eo, quod est in Morbis divinum, cap. 54.* Venales autem etiamnum hodie prostare, & impunè legi Joh. Trithemii, Abbatis Spanheimensis Necromanticam Steganographiam, & Corn. Agrippæ Libros de occultâ Philos. pia orthodoxæ Ecclesiæ membra dolent meritò.

§. 4. Verba itaque, sive ad carminum similitudinem composita, sive hujus expertia, quæcunque etiam sint, de se sola, citra alterius agentis concursum, propria & insita virtute dæmones elicere, ventos pellere, naves figere, segetes perdere, serpentes domare, arma obtundere, morbos curare, senectam levare, amorem conciliare & infinita alia etiam contra naturam præstare tam falsum, quàm quod falsissimum. Valeant ergo *Empsalmistæ*, Ensalmatores, Salmatores, Saludadores, Salutatores illi, ut Hispanis vocantur, qui in forô, & præcipuè ruralium hominum concionibus frequentes, se Psalmorum recitatione, verbis sacris dolores mitigare, ab omni rabie & veneno liberare morbisque mederi posse jactant, idque à Dei gratiâ gratis se habere gloriantur; quos tamen Delrio *Lib. 1. Disquis. Magic. cap. 3. Quæst. 4. p. m. 24.* ita differre ait, ut Ensalmatores sint, qui se sanare vi orationis conceptis verbis pronunciatæ dicunt: Saludadores, qui vi salivæ & halitus, quem ægro inspirant, curant: quamvis aliis promiscuè dicantur, & quidem propterea Antonio de Torquemada Hexaem 1. quia Salutem h. e. sanitatem, & vitam procurant. Itali S. Catharinæ alumnos propter ejus vestigia, quia scapulis impressa gestare dicuntur; Belgæ autem filios Parasceves dicunt, quòd eo die nati sint. Gasp. à Reies *Quæst. 24. n. 10.* tam altè hanc vulgi mentibus fixam esse dementiam ait, ut demorsi à cane rabidô præter salutatorum benedictionem attactû & afflatum, nullam aliam plagæ curationem quærant. Verùm nullius morbi vim oratione, seu verbis dictô modô, citra pactum latens, Salutatorem infringere posse, constanter asserimus, freti ratione & experientia.

rientia. *Rationum* pondera partim ex dictis, partim ex dicendis legi possunt abundè. Expendantur insuper ea, quæ Episcopus Iprensis Simonius circa quandam Salutatorum formulam orationis notavit, argumenta, infra post Amuletorum examem adducenda. *Experientia* persuasionis vanitatem, fraudulentorum calliditatem, & curationis nullitatem prodit. Gasp. à Reies enim se unum vidisse refert, qui hac medelâ confisus post duos menses in subitum aquæ timorem devenit, citòque extinctus est. Lepidam quoque ibi historiam subjungit idem his verbis: *Cùm aliquando carcere detentos quosdam amicos inviserem, forsan ibi incarceratus tenebatur unus, qui dominicâ illa appropinquante ergastuli custodem rogabat, ut se foris exire permitteret, quòd ita pecuniam, quam illi dare oportebat, facilè acquirere posset, suis in frequenti hominum cœtu benedictionibus utens, quo factum est, ut amici hoc audientes ab illo sciscitari cœperint, undenam habuerit notitiam, se tali ac tanta præditum esse virtute? Quibus respondit, se à propriâ matre hoc accepisse; rursus interrogatus, unde mater hoc agnoscere potuisset? dicebat, quod, dum puer esset, & cum matre ad ostium domûs sederet, rabiosus canis à pueris insecutus fortè præteriret, tunc illi matrem audacissimè dixisse ut obviam cani rabido exiret, ac in illum expueret, ac exsufflaret: quod cum audacter fecisset, protinus demortuum cecidisse canem. Sed cùm postremò illi instarent, & mera omnia mendacia videri dicerent, cùm mater nullâ ratione aut certitudine ducta illud facere potuisset, ut ultrò rabido cani filium objiceret, cùm nullam talis illius virtutis notitiam ante habuisset, tandem convictus respondit: Domini, vos verum dicitis, sed cum opificium nullum habeam, unde victum acquirere possim, me facilè ex alterius consiliô huic technæ accommodavi, sicq; multorum inscitiam deludens victum quæro, & otiosè agens, singulo die festô, quo reliquum septimanæ optimè degam, sine labore lucror & fruor. Hæc fuit hominis confessio, qui ex alterius consilio dolosam fallendi artem profiteri se fassus est, quod similiter & alios facere dicere non erubuit.* Hactenus ille.

§. 5. In malam igitur rem abeant impostores illi & verbales Medici, quos meritò G. Schottus *Thaumaturg. Phys. p. 489.* cum Cirvetto, Gutierrio & Bravo Petrificato, quorum hic bonam Salutatorum partem (cur non omnes?) genus hominum flagitiosissimum esse dicit, damnat.

Delrio

Delrio quidem Salutatores non in universum approbari, sed nec distinctè & in universum damnari posse scribit, quod nunquam abbrevietur manus Domini, ne hanc gratiam, quibus vult, largiatur. Sed ratio à posse ad esse pro illis collecta exigui est valoris. Potentiæ identitas non infert voluntatis identitatem specialemque divinæ gratiæ concessionem. Imò Victoriæ & Veracrucio Delrio ipse non credit, hominibus pessimis hoc donum à Deo attribui. Nulli autem dubitamus, per istum verbi divini abusum, illicitas technas & pravam lucri cupiditatem viam Diabolo, ut in aliis, quod suo loco ostendemus, sic & hic sterni, ut Deo à flagitiosorum istorum cordibus recedente & mala permittente, verbis se jungat, & curationem absolvat, Ita simpliciores, quia latentem dæmonis operationem ignorant, verbis, cùm aliud agens non pateat, tribuunt, quod Spiritui maliguo erat tribuendum, & hic decepti hoc malarum artium stadium superstitiosi eò frequentiùs & lætiùs decurrunt, quò speciosiùs Dei nomine apparet.

CAPUT VIII.

De Incantationibus Salomonis, variorum judicia. Tralliani superstitiosum ad Colicam remedium. Carmina posse cœlo deducere Lunam error est, quem gentiles etiamnum in Africa & utraq; India errant : sed Astrologia hunc rejicit, eundemq; jam olim Ethnici deprehenderunt. Carminibus solis & nudis Circe nihil effecit.

§. I. PEr hoc, quòd *Incantationes Salomon*, Sapientissimus Israelitarum Rex composuisse dicatur, naturalis verborum potestas & efficiendi virtus nondum evincitur, Nec tamem magicæ artis peritissimum eum fuisse cum Josepho dicam: quamvis Langius *lib. Epist. 34.* distinctione hîc utatur, & divinæ sapientiæ antistitem non fallaci Magiæ, quæ invocatione malorum dæmonum. eorum præstigiis homines perstringit, & cruentis sacrificiis, verbis conjuratoriis dæmones in colloquium allicit, quam Goetiam vocant, sed alterius, quæ sacratior, Theurgia Græcis dicta, per sacrosancta nomina & precationes angelorum, & bonorum spirituum est imploratio, addictum fuisse, eique Deum

Deum virtutem & artem contra Dæmonem, ad utilitatem hominum, quæ eorum morbos mitigaret, præstitisse ex Josepho scribat. *Unde*, inquit, *dæmoniorum, qui humana obsidebant, morbis affligebant, exorcismi inventio Salomoni accepta refertur.* Goetiam autem non ignorasse, sed eo nomine Salomonem & Mosen didicisse censet, ut illius impietatem redarguere posset. Verùm si incantationibus morbos Salomon, ut Josephus tradit, profligavit, ab implicitô Magiæ nefariæ pacto absolvi nequit: neque bonos Angelos implorare eum decuit; ut propterea Salomon, Augustini sententiâ (*vid. cap. præced. §. 3.*) rejectô Theurgiæ pallio, ritibus fallacibus dæmonum sub nominibus Angelorum obstrictus nihilominus compareat, dubiumque remaneat, annon apparenter saltem conjurationis Salomonis cantico dæmoniorum proscriptio illa facta fuerit, ut non verborum potestate, sed suâ voluntate, quo magis in superstitione incantans alios confirmaret, Dæmon recesserit. Istam autem contra Dæmonem artem Scriptura tacet, quæ eam inter dona ejus non recenset. *1. Reg. 4. 29. 30.* notante etiam D. Dorscheo *Disp. de Satan. Obsessione Sect. poster.* §. 54. Joan de Pineda *de Rebus Salomonis Lib. 3. cap. 29. pag. 158. num. 6.* scribit, D. Thomam & Victoriam sentire, potuisse quidem certam quandam & piam formulam ejiciendi dæmones institui à Salomone, sancto adhuc, quam Deus peculiari suâ auctoritate ad Dæmones fugandos confirmarit, in quâ nihil magicum, nihil ex amicitiâ & fœdere cum Dæmone. At à Salomone Idololatrâ & Magicæ artis postea studiosô si unquam conscripti traditive exorcismi, hos oportet Magicos fuisse, & nullâ divinâ aut Angelicâ virtute fultos ad abigendos dæmones: sed tantùm pacto impio & nefariâ magicâ. Verùm quodcunque ex his duobus statuatur, verbis tamen incantatoriis superius agens, ibi Deum, hîc verò Dæmonem efficaciam supra propriam verborum conditionem dedisse, fatendum erit: quanquam si Josepho fides, scribenti, eam artem, quæ adversus Dæmones est efficax, Salomonem divinitus consecutum ad utilitatem & medelam hominum, alterum dilemmatis membrum cadat. Si enim divinitùs accepit, incantationes magicas in pacto cum dæmone positas suspicetur nemo: nisi forsan quis asserat, etiam Josepho hîc, quoad artis illius originem, quam à Deo communiter arcessere Magi solent, fuisse impositum. Pinedæ Josephi locus, & meritò, est suspectus, potiusque

Z Magiam

Magiam damnatam, quàm pietatem redolere scribit, ac statuit, nullos à Salomone adhuc sanctô & piô institutos fuisse exorcismos, contra quàm alii, quos citat, senserunt. Origenes, qui suo etiamnum tempore Salomonis librum de Exorcismis, sive Dæmonibus per adjurationes fugandis superfuisse ait *Homil. 35. in Matth.* illis exorcismis Judaicam levitatem inesse indicat. Delrio *lib. 1. Disq. Mag. cap. 3. pag. mihi 8.* ea, quæ Josephus de morbis à Salomone incantatione curatis retulit, vel falsa esse, vel in illud referenda tempus, ait, quo se Idololatriæ & omni superstitioni immerserat. Eidem tamen *lib. 2. Quæst. 30. Sect. 2.* eorum magis placet sententia, qui dicunt, Salomonem tempore, quo Deo adhæsit, instituisse exorcismos. Vossius *Idolol. lib. 5. cap. ult.* supposititium illum librum fuisse censet. Ejusdem sententiæ est Adm. Rev. Dn. Chemnitius b. r. *Disput. de Salute Regis Salomonis Jenæ 1661.* habitâ, ubi approbat sententiam Joh. Henr. Hottingeri, Prof. Tiguri, qui *in Thesaur. Philol. pag. 502.* *Salomonem hac in re excusat, & maleferiatos quosdam agyrtas sapientis hujus Regis autoritate nefariè abusos esse ait, dum, quicquid habuerint malarum artium, Salomonis nomine commendarint.* Addit Hottingerus: *Piget hoc locô referre, quæ ex veterum Hebræorum & Arabum scriptis hanc in rem citari possent.* Horum judiciô nos quoque stamus. Eleazari radicem infrà *lib. 3.* spectabimus.

§. 2. Qui Familias in Africa reperiri, quæ laudatione solâ arbores & infantes perdant, Plinio ex Isigono & Nymphodoro referenti credunt, per dicta, & quæ suprà *Part. 2. Sect. 1. cap. 2. §. 4.* sunt tradita, credere desinant. Alexandri Tralliani autoritatem idem ipsum remedium, quod ex eo adducitur, totum superstitiosum, vanum & magicum, minuit. Medicus hic non multò post Juliani Imperatoris tempora clarissimus, relictâ patria Tralle, civitate Lydiâ liberalissimorum studiorum copiâ olim celebri, cunctas Græciæ partes, Italiam item, Galliam & Hispaniam peragrando varias sine dubiô in itinere magicarum curationum ineptias collegit, ex quibus & hoc est, quod ad colicum dolorem commendat: *Annulum ferreum accipito, ac circulum in ipso octangulum efficito cum hac inscriptione:* φεῦγε, φεῦγε ἰὸ χολὴ, ἡ κορύδαλος ἐζήτει, hoc est, *Fuge, fuge, heu bilis alauda quærebat. Figuram autem certam, Herculem nimirum erectum, suffocantem leonem insculpere, & ista in annuli caput scribere jubet.* Simplex sit, qui admotâ sanæ rationis face in divinorum nominum abusu,

usu, & illa herbæ sacræ adjuratione per nomina sacra facta ibi, & hic in verborum ac figuræ delineatione, vel nullitatem, vel ob occultum agens detestandam vanitatem non intelligat. Naturali potestate, ut ostensum, cùm verba careant, quid opus istà in illo Tralliani antipodagrico adjuratione? Si verò effectus verbum suâ naturâ impotens sequitur, potentis & latentis in isto actu dæmonis ad superstitiosos actus promtè concurrentis præsentiam agnoscere & execrare.

§. 3. Carmina posse cœlo deducere Lunam grande falsum est, ex ignorantiæ fraudisque abysso in simpliciorum pectora deductum. Sosiphanes *in Meleagro*:

Μάγοις ἐπῳδαῖς πᾶσα Θεσσαλὶς κόρη
(Πάντες λέγουσιν ὡς) σαθαιρεῖ. Καὶ γὰρ ἂν
Ψευδὴς Σελήνης αἰθέρος καταίβασις.

Magicis carminibus quævis Thessala puella
(Omnes uti dicunt) abolet. Sed hoc mendacium
Quod Luna ex æthere labatur.

citante Æliâ Schedio *de DIS German. pag. 169.* Lunaris deliquii ratio cùm adhuc esset incognita, magorum carminibus & incantationibus Lunam cœlô deduci, detractamque eò adigi credebant, ut in herbas despumaret, & vires pro magicis operationibus effunderet. Hinc Lucanus *lib. 6.*

Et patitur cantu tantos depressa labores,
Donec suppositas propior despumet in herbas.

Idque eò vulgò creditu fuit faciliùs, quò minùs in Eclipsis Lunaris causas inquirere datum fuit ulli. Nam, quod Plutarcho *in Nicia* debemus narranti, *non ferebant eo tempore eos, qui naturam rerum, & cœlestia sublimiaque explicare profitebantur, tanquam qui divinum Numen in absurdas causas efficaciasque, nullum certum finem propositum habentes, & affectiones necessitate constrictas discerperent.* Qui primus, ut idem ante ista tradit, apertissimè & liberrimè ausus est περὶ σελήνης καταυγασμῶν καὶ σκιᾶς, *de Luna illuminatione & obumbratione*, scripto edere rationem, is Anaxagoras fuit, non vetustus ipse. Quanquam hoc ipso priores alii Philosophi Lunaris deliquii causas dederint, ut apud Plinium *lib. 2. cap. 12.* videre est. Ne autem magica carmina exaudiret, vimque pateretur Luna, *crepitu dissono auxiliabantur*, sic idem Plinius *lib. 1. cap. 11.* Quo de

Livius etiam *libr. 26. Campanorum imbellem multitudinem cum æris crepitu, qualis in defectu Lunæ silenti nocte fieri solet, clamorem edidisse.*

L. Seneca *in Hippolyto Act. 2.*

Et nuper rubuit, nullaq; lucidis
Nubes sordidior vultibus obstitit.
At nos solliciti lumine turbido
Tractam Thessalicis carminibus rati
Tinnitus dedimus.

Ovidius *lib. 7. Metam.*

Te quoq; Luna traho, quamvis Temesæa labores
Æra tuos minuant.

Tibullus *lib. 1. Eleg.*

Cantus & è curru Lunam deducere tentat:
Et faceret, si non æra repulsa sonent.

§. 4. Atque istam olim inter gentes omnes receptam opinionem adhuc hodie foveri à Gentilibus in Africa & utraque Indiâ agnosci ait Mart. Schoockius *Physic. Cœlest. Disput. 11. §. 2.* ex æris tinnitu & stentoreo clamore, quibus superstitiosi existimant succurri Lunæ, eamque quasi subduci manibus raptoris aut alterius sideris vim imprimentis. Sed deliramentorum istorum vanitatem deprehendunt, quicunque vel primis digitis Astronomiæ sacra tangunt. *Quippe manifestum est* (verba sunt Plinii *lib. 2. cap. 10.*) *Solem interventu Lunæ occultari ac vices reddi, eosdem Solis radios Luna interpositu suo auferente terræ, terraq; Lunæ. Hac subeunte repentinas obduci tenebras, rursumq; illius umbra sidus hebetari.* Ovidius ipse magicas illas artes alicubi deridet cum canit:

Fallitur, Æmoniæ si quis mala pabula terræ
Et magicas artes posse juvare putat.

Sic & Propertius:

At vos, deductæ quibus est fallacia Lunæ,
Et labor in magicis sacra piare focis.
En agedum dominæ mentem convertite nostræ:
Et facite, illa meo palleat ore magis.
Tunc ego crediderim vobis & sidera & amnes
Posse Cytæis ducere carminibus.

§. 5. Jam

§. 5. Jam olim etiam Hippocrates noster *lib. de Morb. sacr. pag. mihi 366.* eorum temeritatem reprehendit, qui se scire profitebantur expiamentis, carminibus & incantationibus, adeoque potestate humanâ Solem, Lunamque obscurare, tempestates, tranquillitatem, pluvias, siccos æstus inducere, mare terrasque perturbare, & multa his similia. *Si hoc esset possibile, tum*, inquit Senex ille, *Divinitatis potentia ab humanâ voluntate superaretur, & in servitutem esset redacta.* Apulejus Madaurensis Philosophus Platonicus (qui Magiæ fuit addictus & de Magicis artibus accusatus, teste Augustino *lib. 10. de C. D. cap. 19.* & quidem apud Claudium Maximum Africæ præfectum, Ludov. Vive ibidem annotante, à Sicinio Æmiliano, ut in ejus vita habetur) ipse opinionis illius pravitatem deridet. *Næ*, inquit, *istud mendacium tam verum est, quàm si quis velit dicere, Magico susurramine amnes agiles reverti, mare pigrum colligari, ventos inanimes exspirare, solem inhiberi, Lunam despumari, stellas evelli, diem tolli, noctem teneri.* Confer Johann. Pincier *lib. 2. Parerg. cap. 37.*

§. 6. Carminibus Circen Ulyssis socios in varias animantium formas mutasse, carmina anguem rumpere, sylvas & saxa movere, mulcere feras, flumina sistere, volucres vagas retinere, & quæ alia è Poetarum fontibus hausta proferuntur opera naturæ vires excedentia, nisi ad sublimiorem quandam occultè concurrentem & ista operantem causam referas, nullam planè merentur fidem, nec, ut mereantur, ratio admittit, quia carmina & verba de se & sola spectata ne atomum quidem mutare vel transferre valent. Quæ verò in sublimioris causæ, h. e. Dæmonis & huic inservientium Magorum efficiendi potestate sint, vel esse putentur, Liber 3. indicabit.

CAPUT IX.

Thessalæ voces. Thyestêæ preces, Thessalica mulier. Romani tutelares Deos carmine evocare superstitiosè & frustra laborarunt. Th. Paracelsus se magum esse verbis suis seipsum prodit, produntq; viri docti. Rationes ejus solvuntur. Verbis Osii &c. serpentes incantari negatur. Crocodili, tauri, serpentes & alia

cùm incantantur, non verbis ipsis, sed Dæmonis concurrentis operâ hoc patratur.

§. 1. UT & reliquis *Sect. 2. cap. 1. §. 6. & seqq.* adductis occurramus, Thessalas voces & Thyesteas preces verba incantatoria esse admittimus, sed Dæmonis, non innatâ virtute efficacia. In Thessaliâ enim magiæ studium quàm maximè floruisse satis liquet ex Apuleii Asino & Plinio *lib. 30. cap. 1.* qui Magiam ad Thessalos usque propagatam diu ab ea gente cognomen obtinuisse scribit. Unde θεσσαλικὴ γυνὴ i. e. *Thessalica mulier* in veneficas malarumque artium peritas dici solitum, ut habet Erasmus *Adagior. pag. 618.* Statius Papinianus *lib. 6. Thebaid.*

Sic cadit, attonitis quoties evellitur astris,
Solis opaca soror, procul auxiliantia gentes
Æra crepant, frustraque timent, ac Thessala victrix
Ridet anhelantes audito carmine bigas.

Per Thessalam mulierem magam, incantatricem & sagam intelligit, qualis erat Philænis illa apud Martialem *lib. 9. Epigr. 30.*

Quæ nunc Thessalico lunam deducere rhombo

Sciet! Salmuth *ad Panciroll. de Reb. Deperd. Lib. 2. Tit. 9.* Vid. quoque *Paralipomena* Dempsteri *ad Rosini Antiquit. Rom. 2. cap. 7.* Horatius Epodon suam 5. inscribit: *In Canidiam* (mutatô nomine pro Gratidiâ Canidiam ponens) *Veneficam*, ejusque maleficium necromanticum ibi enarrat. Sed quid ista Satanæ afflatu turgida ad simplicia & nuda quæ spectamus, verba? Thyesteæ preces inferiùs inter imprecationes nobis veniant.

§. 2. *Tutelares Deos carmine evocasse Romanos* hostium urbem obsidentes si vel maximè concedamus, quid hoc pariter ad institutum nostrum? Roma turbida, ut eam Persius *Satyr. 1.* vocat, h. e. explicante Des. Erasmo *ipsi Romani confusi judicii, & ex animi libidine cuncta judicantes* in Deorum cultu cùm fuerint superstitiosissimi, & plus quàm Cimmeriis tenebris occulto divinæ providentiæ judicio immersi, doleamus istorū vicem, & in probationis argumenrum eorum facta stygio carbone notanda trahere nos, per Dei gratiam meliora edocti, caveamus. Cœci in religionis viâ, non qua pergendum erat, sed qua pergere duce Dæmone poterant, ad singulares Deos, ad Vestalem focum, ad lapidē Capitolinum

linum & innumeras damnatæ religionis partes deviarunt. An imprudentes (imitaturus istorum ineptias jocabor) adeò Galli fuerunt, qui non prius tutelares Capitolii Deos carmine evocarunt, quàm silentio noctis ad arcem adscenderent? Forsan isto tempore abfuerunt, aut præsentium nomina Galli ignorarunt, vel Jupiter cum Minerva & Junone dormiens vices anseri Junoni sacro vigili commisit, qui munere suo strenuè defunctus clangore hostes prodidit. Sed relegamus vestigia.

§. 3. *Theophrastum Paracelsum* natione Helvetio-Germanum superiori seculo natum, & quadragesimo septimo ætatis suæ anno denatum, verbis & characteribus nimium fuisse addictum, satis & ad nauseam, fateor, apparet eundem evolventibus. Ut autem ex unguibus Leonem æstimes, en Ungues! *Lib. 5. de Morb. Invisib.* ait, *Deum arte hac Diabolum donasse, & valdè peritum in luce naturæ posuisse, hanc autem ipsi eripi posse. Artem usurpandam, Diabolum relinquendum esse. Ideo nos in hoc mundo versari, ut minor à majore discat, atque ita usum artis, qualis in se est, transgressionem legis sive peccatum non esse.* Item: *Hoc nobis persuasissimum debet esse, Deum condidisse Medicinam, nobisq; ob oculos considerandam posuisse. Ideoq; si per characteres nobis aliquid boni contingit, eodem cum plantis loco habendos esse: imò etiamsi Diaboli forent, tamen habendum esse quasi pyxides ex pharmacopolio. Si Diabolus verbum pro herba accipit, sit nobis instar herbæ. Verba sunt illius* (Diaboli) *species, characteres illius composita & syrupi.* Item, *Libro de Caduco* nihil referre scribit, *Deus an Diabolus, Angeli vel immundi spiritus agro opem ferant, modò morbus persanetur*, abusus illo Zachariæ Deo pleni *Luc. 1. Salutem ex inimicis nostris & de manu omnium, qui oderunt nos. Lib. de Pestilit. Tr. 2.* consulit Medico, *ut discat Magiam, & affines illi artes, Pyromantiam, Chiromantiam, Hydromantiam: nam & Johannem Evangelistam, Mosen, Aaronem, Eliam, Henoch, Davidem, Salomonem, Danielem, Baruch, Jeremiam, Hesechielem, & omnes Prophetas Magos fuisse.* Mitto alia, quæ os blasphemum in hanc sententiam dixit, innumera, & Lectorem remitto ad doctissima Thomæ Erasti in Paracelsum scripta, Sennert. *de Cons. & Diss. c. 3.* Conringium *de Hermet. Medic. lib. 2. cap. 4. & 12.* Joh. Freitagium *Noct. Med. cap. 22. & seqq.* qui ejus vitam, doctrinam & mores certissimis

tissimis testimoniis innitentes prolixè descripserunt, & ex ἀξιοπιστοτάτοις multa adduxerunt, ostendentia eum incantationibus suis & Magicis morborum exorcismis, quibus fuit usus, abundè se Magicæ sodalitatis membrum non infimum fuisse, probasse. *Ignoscant nobis veritatis studiosi, si talem esse putemus Theophrastum, qualem in libris suis se exhibuit. Sagarum & maleficorum incantamenta si rejicit Theophrastus, non ideò à magicâ est absolvendus. Sunt enim multi, qui ejusmodi magiam apertè Diabolicam rejiciant & damnent, at qui interim alio subtiliore prætextu eandem artem colant & profiteantur, veluti cum sutor damnat alterius crassum & inconditum artificium, ipse subtilius suens. Sagarum modum rejicit, at non magiam, seu diabolomaniam: Diaboli vocem vitat, Spiritum ipsum allicit.* Ita Dn. D. Libavius *Lib. de Cruentat. Cadav. pag. 265.*

§. 4. Quæ cùm ita sint, an tanti jam in confirmandâ verborum virtute ille Dæmoniacæ Magiæ cultor nobis sit, ut ad fidei tribunal, quod sibi soli ausu temerario vendicat, confugere, ejusque autoritate niti velim us, an solidæ & veræ doctrinæ aliquid ab homine Magô exspectabimus? Haud negaverim, posse dæmonem inspirare nonnihil etiam veræ scientiæ. At profectò (ut viri laudati Dn. D. Conringii verba nostra faciamus) *hactenus compertum non est, dæmonis auxilio quenquam ita sapuisse, ut non simul in quamplurimos sit errores deductus, patre mendaciorum unam veritatem proditam mille mendaciis compensante.* Characterum efficaciam nos ad verba non scripta & amuleta delapsi infra pressiùs examinabimus. Jam quod in oppositâ thesi solvendum restat, tangimus.

§. 5. Cantharidum & Alcedinis exempla, à quibus pro verborum efficaciâ argumentum Paracelsus petit, nimis laxam parant consequentiam, multis ad illius tenorem formandis instantiis convenientem. Inanimata, velut cantharides & alcedines mortuæ viribus non sunt destitutæ. Ergò nec verba viribus destitui erit arguendum. Repono: Ergò etiam imagines in speculo, figura in quanto, & species à phantasia formatæ efficiendi virtutem obtinent, quia ab istis eadem ad hoc sibi argumentandi aperta est via. Sed quæ virtus illa? nulla. Præterea immanis hîc à substantiis ad accidentia fit saltus, cùm tamen utrisque idem efficientiæ privilegium à natura non sit concessum. Substan-

ſtantiæ agunt propriâ virtute, accidentia verò virtute ſubſtantiæ, quæcunque ea ſit, in mortuis decedente ſpecificâ formâ ſuperſtes. Sed in verbis, quatenus talia ſunt, ſubſtantia, à qua vis verborum ad alia tranſiens dependeat, non habetur. Nec cantharides, ut inanimatæ & mortuæ dictam habent virtutem, ſed quatenus in his mortuis, quæ etiamnum mixtæ ſunt conſtitutionis, principium ex certo mixtionis gradu ad tempus perſiſtente ortum, vel, ut alii volunt, forma ſubordinata habetur. Tali autem principio verba deſtituuntur. Ad hoc, quod de Alcedine narrat Paracelſus, unô verbo reſpondet Nobiliſſ. Dn. D. Rolfinck *Chim. in Artis Formam Redact. Lib. 5. Sect. 14. cap. 1. Fabuloſa ſunt, quæ de Alcedine refert.* Neque tamen ſi experientiæ ſcuto ſatis hoc eſſet munitum, inde, ut oſtendimus, ſubſidium pro verbis foret expectandum.

§. 6. Tribus illis vocibus, *Oſii*, *Oſia*, *Oſii*, Græcis, quæ græcâ fide i. e. falſò adducuntur (quæ enim Græciæ Schola iſtas docuit?) ſerpentes incantari poſſe, ore ſcilicet Paracelſico, credam, ore autem candido & ſuperſtitionis puro ſi admurmurentur iſta, mitiores reddi ſerpentes, nullus mihi, perſuadebit unquam, neque, ut periculum faciam, ullus me adducet metuentem vitæ periculum, quod juvenis ille apud Amatum Luſitanum *Cent. 3. Curat. 14.* fallaci verborum naturali poteſtate temerè fretus, incurrit. *Veris fine*, inquit, *properante jam æſtate duo Juvenes Anconam civitatem proficiſcebantur, quorum alter cum ab itinere mejendii gratiâ divertiſſet, viperam propè arboris cavernam offendit, magnô tamen applauſu, ſed infelici ſucceſſu. Contendebat autem is altero cùm ſocio, ſe viperam manu absq; offenſâ aliqua capturum, gloriabaturq; nonnullis verbis murmuratis, ſerpentes omnes tanquam ſtupore affectas ſibi obedire. Alter verò hunc deridebat. Demum ad ſponſiones res devenit. Sed vipera plus juſtò audax, truculenta, immota ſemper manſit. Demum cùm is manum porrexiſſet, ut illam caperet, illa rabidô & venenosô furore percita elevato collo, ipſum in manus digitô momordit, qui cum ſic morſus doleret, citiſſimè ori digitum admovit, fortè ut ſanguinem dentibus compreſſo digitô ſugeret, non verò ut mortem ſibi adſciſceret, brevi autem infelix hic ſuâ culpâ mortuus fuit, neq; medica auxilia quicquam juverunt.* Nonnullos quidem prolata è Paracelſo verba iſta jactare ipſe ego audivi, ſed qui experimentum fecerit,

neminem. Nec si experientia periculum sine superstitionum apparatu facienti respondeat, dæmonis commercium abesse propterea negatum ibo: naturale principium in his & similibus abesse affirmatum jam ante sæpe ivimus & deinceps ibimus. Magi ipsi multas actiones, & benedictiones suas mulierculæ per superstitiosarum rerum absentiam legitimare, sed repugnantibus conscientiosis & doctis frustra laborant *Vid Lib. 1. Part. 1. Sect. 2. cap. 5. §. 1.*

§. 7. Crocodilos, Tauros & animalia plura incantari posse, nos ultrò admittimus; sed ob fraudem, quâ primi parentes à serpente decepti sunt, *frequentius serpentum, quàm aliarum ferarum incantationes & majorem illorum cum Dæmonibus familiaritatem DEUS permittit*, quæ pia est Augustini, in qua Delrio acquiescit, conjectura. Verùm cùm magica sit omnis incantatio, totumque Dæmonis ad incantationem advolantis opus, nihil itidem pro naturali verborum virtute evincitur. *Salzburgi incantator jactabat, se omnes in viciniâ ad miliare serpentes posse in unam perducere foveam, & interimere. Quod cùm tentaret, tandem antiquus & ingens proserpit serpens. Quem cum carmine in foveam compellere niteretur, ille exiliens incantatorem velut cingulum amplectitur, trahitque in foveam & enecat*, referente Wiero *Lib. 2. p. m. 107.* Si carminis potestate serpentes in foveam compelli potuerunt, etiam in ingentem illum, si naturalis esset, carminis vis se exeruisset. At non carminis, sed Dæmonis ipsius illa fuit, limites Dei permissione actui incantatorio certos ponentis & in Magum annosum serpentem (nisi forsan hic ipse Dæmon fuerit) concitantis. Idem Autor *lib. 5. p. m. 366.* formulam quandam, qua incantatores serpentes conjurant, tradit. *Adjuro te serpens hac horâ, per quinque sacra vulnera, ut hoc loco consistas, nec movearis, tam certò, quàm Deum ex virgine purâ natum esse constat.* ✠. *Exorcizo te serpens in nomine Patris, Filii & Spiritus S.* ✠. *Impero tibi serpens per Dominam nostram Divam Mariam, ut mihi obsequaris, quemadmodum cera igni, & ignis aquæ, ut nec mihi, nec ulli Christiano noceas tam certò &c. &c.* Speciosa hæc, & quia sacris nominibus est conspicua, pia primo intuitu simplicioribus, qui latentem, ut dicitur, in hac herbâ anguem (infernalem) non sentiunt, formula videtur, quæ tamen impietatis est plena, id quod demonstrandi

in ra-

in rationum pro Fascinô vocali allatarum, ad quas jam tendimus, solutionibus uberior subministrabitur occasio.

CAPUT X.

Transitus ad Rationum Solutionem fit. Ratio I. à verbali morborum curatione sumta est lapis offensionis. Cur fusiùs ea examinetur. Verbis non fieri curationes ostenditur. Deum Satanas ut Simia in curando æmulatur, & quidem triplici modo. 1. Occultô modo. 2. Verbo. 3. Verbis & rebus. Sæpe etiam ad rerum absurdarum usum citra verborum additamentum concurrit. Per somnia etiam remedia suggerit. Rete & verborum & rerum absurdarum quibus ponat? Mendax ipse cum sit; cur vera quandoque dicat. Omnia exemplis illustrantur.

§. 1. AUtoritate omni missâ II. *Rationes*, quibus Fascinatio vocalis probatur, ponderabimus. *Prima* à *verbali verborum curatione* sumitur, quam cum ad votum sæpissimè peragi plebeiæ animæ experiantur, ideò exinde etiam ad fascinationis vocalis possibilitatem concludunt. Lapis id est offensionis, ad quem etiam in Christianismi stadiô pedes cum æternâ animæ ruina multi, sæpe etiam docti, & quorum præcordia Titan de meliore luto finxit, offendunt, &, quod deplorandum, periculosum lapsum prævidere nequeunt, neque prævidendi evitandique rationem expetunt, præclarè & piè se rem gessisse arbitrantes, modò illum curandi modum per animum à superstitionum ineptiis, à pravâ malorum verborum spurcitie & explicitô cum Satanâ commerciô alienissimum, divino verò nomini addictissimum, sanctè excusent, & præter verba, seu sola, seu naturalibus juncta, aliud, quod vel minimam infernalis concursus suspicionem suggerere queat, nec occurrere, nec se expetere fateantur. Sacra horum protestatio, aliorum verò contraria assertio vulgi

— *animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc.*

ut, ubi pedem figant, multorum capita nesciant. Nonnulli phantasiæ suæ errantis ductum pressiùs secuti eos, qui magicarum fraudum illecebras subesse liberè produnt, injuriarum fulminibus plectunt, denteque malignô proscindunt. Alii verò, licet sanis rectiùs sentientium rationibus

bus permoti ad meliorem frugem se receperint, ne errorem fateri cogantur, in medio eam per verba curandi rationem, quasi rationis scrutinium transcendere videatur, relinquunt, vel ita simulant. Operæ igitur pretium fore existimamus, his aliquantò diutiùs immorari, & propter materiæ cum fascinatione vocali affinitatem, verbalium Medicorum hoc tempore pluralitatem, errorisque ipsius gravitatem primam rationem fusiùs excutere, ut, quantum isti tribuendum sit, apertiùs constet, eoque superstitionis magicæ vincula, quibus simplicitatis speciem ferentibus infernales potestates incautos fallunt & capiunt, feliciùs tollantur.

§. 2. Quærimus 1. unde constet, verba medendi morbis obtinere facultatem? Ex eo sine dubio dicent, quia in curatione morborum per verba facta nullum, cui agendi & medendi virtutem tribuas, agens occurrit, vel sensu percipitur. Sensu verò percipimus, solis verbis peragi curationes multas. At iis, quæ sensibus sunt exposita, contravenire pertinacis est. Doctorum verò experimenta infirmare, temerarii. Verùm lubricô ratio hæc nititur fundamentô, quasi in investigationis causarum viâ sensûs solius fide semper sit standum, & collectio negativè facta simpliciter valeat: Sensus præter verba nihil insuper percipiunt. E. præter verba nihil omninò adest. Simpliciter ita semper argumentari non esse licitum, sana ratio dictitat, & edicit, obtusiores esse sensus, quàm ut ad omnes causas, quarum multæ à sensibus vel ob sublimitatem vel exilitatem longissimè absunt, capere queant, Confer *Sect. 1. cap. 10.* §. *6.* Quid fiet de curationibus divinis illis, in quibus præter verba nullum pariter sensus agens aliud percipiunt? an omnis medendi potestas verbis nudis similiter tribuenda, influxus verò Dei specialis negandus? blasphemum! Quid de actionibus magicis, ubi v. g. præter unguenti in furca illitionem, quod Strigoportium promovere creditur, sensus aliud agens nullum percipiunt? an dæmonis concursus propterea negandus? Impium! 2. Negamus, per verba fieri curationes. Tria sunt agentia. DEUS, Angeli & Natura. Nihil hîc agere naturam, seu naturali potestate verba carere, supra dedimus demonstratum: nihil Deum, pariter ostendimus: nihil Angelos bonos, ibidem quoque probavimus. Reliqui ergò sunt Angeli mali, seu Dæmones.

§. 3. Quid verò? inquis, quid ad me illi? Nihil mihi cum Dæmonibus

nibus & horum mancipiis commercii fuit, nec erit unquam. Totô pectore execranda eorum opera detestor, & quantò magis magisque cogito, damno. Verba pura, eaque bona (mala malis relinquo) puro & bono animô curationis ergò dum cogitatè recito, omnia animi sensa ad hæc & cœlestis Archiatri gratiam tantum, velut in solitâ aliorum medicamentorum ad corpus applicatione, non ad infernalem impostorem reflecto, ut proinde, quo nomine ad Dæmonis concursum curatio referri queat, mirer. Verùm mirari desines, atque istud magicæ curationis velamentum credulitatis pretiô ubique venale nullius pretii & momenti esse advertes, si mecum solerter recolueris. 1. Magnum esse Diabolorum ubique numerum, quorum omnium idem studium, nominis scilicet verbique divini profanatio, & humani generis pernicies. 2. In magno pariter veneficos ubique esse numerô, qui & ipsi nihil non, quod ad profanandum & nocendum facit, moliuntur, imò ad hoc coguntur. 3. Infensissimum Dei & humani generis hostem nunquam dormitare, & omnia, quæ saluti nostræ obsunt, operari modò apertè, modò tectè, semper autem malitiosè & versutè. 4. Hostem hunc Dei Simiam esse, & fucatâ æmulatione Dei opera semper expressisse. 5. Pactum cum Dæmone esse vel expressum vel tacitum: quæ omnia *in Appendice lib. 3.* fusiùs proponentur. His benè expensis, nullus dubitabo, quin mecum sis affirmaturus, simiam istam etiam miraculosam morborum curationem à Deo factam tum per se, tum per sua mancipia in horum salutem (apparenter, sed in perniciem verè) æmulari, atque mancipia per tesseras magicas, quæ verba sunt & characteres, ob pactum cum Diabolo expressè initum ad Domini infernalis votum istam etiam imitari, & obvios quosque ad superstitionis, imò si tutò id facere liceat, ad apertæ Magiæ societatem allicere; simpliciores verò fraudisque latentis ignaros superstitiosam per easdem tesseras curandi rationem imitantes pactum, propterea cum Satana tacitum habere.

§. 4. Deus miraculosè sæpe morbos curavit, vel *modo occulto*, sine verborum pronunciatione, rerumque externarum apparatu: vel *solo verbô*, seu suo, seu sanctorum suorum ore pronunciatô: vel *verbo, cui rem quandam naturalem junxit*, quæ tamen ad sanitatem producendam nullam in se habuit potentiam. 1. *Occultô modô* Abimelech & uxorem ejus orante Abrahamo sanavit Deus. *Genes. 20. v. 17.* Philistæos,

stæos, postquam arcam Dei muneribus refertam remiserunt, plagis Deos liberavit. *1. Sam. 6.* Sed 2. *solo verbo* Dei filius sanavit leprosum *Matth. 8. v. 3.* cœcum *Marc. 10. v. 32. Luc. 18. v. 42.* Sanctus Apostolus Petrus virtute à Deo divinâ sibi communicatâ curavit solo verbo, *Actor. 3. v. 6. cap. 9. v. 34. cap. 14. v. 9.* 3. *Per verbum & rem quandam externam,* quæ symboli duntaxat loco esset, ipsa verò nihil vel parum potuit efficere, & quidem Ezechiam lethaliter decumbentem Deus per Prophetam admotô super ulcus cataplasmate ex massâ caricarum miraculosè curat *2. Reg. 20. v. 7.* Caricæ ad ulceris sanationem de se & naturaliter contulerunt nihil. Ulcus enim, quà ulcus, seu partis decisio & separatio unitionem & agglutinationem requrit: sed caricæ discutiunt, emolliunt, & ad suppurationem faciunt, teste Galeno *lib. 8. Simpl.* & Dioscoride *lib. 1. cap. 45.* nisi quis inflammationis gratiâ in ulcere maligno Cataplasma ex carne caricarum cum farinâ hordei, ut materia per id naturaliter resolveretur, aut cum farinâ tritici, ut suppuratione factâ febris & reliqua symptomata mitigarentur, admotum fuisse dixerit. Hoc tamen non obstante, ratio curationis nihilominus manet miraculosa. Tantam enim, quod etiam agnoscit Vallesius *Sacr. Philos. cap. 39.* caricæ virtutem non habent, ut, qui usque ad mortem ægrotabat, die tertia posset sanus in templum adscendere, ut Ezechiæ evenit, nisi Deus peculiari auxilio & solitò majori ejus vim auxisset. Naaman leprosum DEUS per aquam Jordanis, in qua ut septies se lavaret, Elisæus jusserat, sanat *4. Reg. 5.* Septenâ quidem illâ lotione per aquam Jordanis factâ cutis immundities nonnihil elui, at non mali radix naturaliter tolli potuit. Naturaliter enim illius curatio, siquidem fuerit *ἐν τῷ γεγονέναι* h. e. *absolutus & consummatus*, est impossibilis: sin adhuc *ἐν τῷ γίνεσθαι in fieri*, nimirum incipiens ac in principio, difficilis, dubia & laboriosa admodum, ut docet Dn. D. Sebizius *Specul. Medicin. Pract. Tom. 2. cap. 3.* Naaman verò cancro hoc universali, uti Medicis lepra dicitur, longo jam tempore laboraverat. Confer. Vallesium *loc. cit. cap. 38.* Dei Filius surdum quendam in auriculas ejus digitos suos mittendo, sputoque emisso ejus linguam tangendo, ac mox Ephata dicendo sanavit. *Marc. 7. v. 33.* Media quidem & gestus Christus hîc adhibuit, sed tantum pro libertate, non de necessitate. *Potuisset enim hominem*

minem etiam absq; istis circumstantiis uno verbo, sicut ante hac sæpe fecerat, restituere, ait Conr. Theodoricus *Analys. Logic. Evangel. Domi-minic. XII. post Trinit.* Adhibuit, ut significaret, carnem suam per unionem personalem miracula faciendi potestatem obtinere, ut explicant Biblia Vinariensia. Ea autem virtute hominis cujusque caro à natura caret. Cuidam à primâ infantiâ, adeoque ex utero cœco visum restituit expuendo in terram, formandoque ex sputô lutum, quod super oculos cœci illevit, postmodum in piscinam Siloæ mittendo, ut inunctum lutum aquarum aspersione denuò ablueret. *Joh. 9. v. 2.* Sed nec lutum, nec aqua naturalem nativam cœcitatem tollendi virtutem obtinuerunt. Cur autem salivâ & lutô oculum cœci tetigerit Dominus, vid. ap. D. Ægid. Hunnium. *Comment. in Joh. cap. 9.* & Ursinum *Analect. Sacror. Volum. 2. Lib. 3.*

§. 5. Satan quoque hos miraculosos Dei curandi modos execrandâ κακοζηλίᾳ æmulatur. I. *Occulto modô* curat. Cùm enim Deus ubique & præcipuè in loco sibi sacro exauditionem omnibus calamitatū atq; ita etiam morborum onere pressis promiserit, auxilium rogantibus cœlitus tulerit, spiritus superbus in fanis publico adorationis cultu à gentilibus mactatus, ægrotantibus pariter, ut venerationis suæ gloria cresceret, auxiliatrices manus tacitè porrexit. Neque enim, quòd Deum verum ignorarent, alii quàm Diis suis, quorum ultra 30000. fuerunt (omnes autem Dii gentium dæmonia. *Psal. 96. v. 5.* & quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, *Cor. 10. v. 20.*) πρᾶγμα ἱερὸν καὶ θεῶν παίδευμα, uti ἰατρικὴν Lucianus vocavit, acceptum ferre potuerunt pagani. Romæ Minervæ Medicæ, cujus Epitheton ὑγεία fanum fuit. De istâ autem Cicero *lib. 2. de Divin. Si*, inquit, *sine Medico Medicinam dabit Minerva, Musæ scribendi legendi cæterarumq; artium scientiam somniantibus non dabunt*? Scientia licet Medica hîc intelligatur, Deiturientem tamen spiritum ubique, ubi homines ei supplicarunt, sine Medico sæpe medicinam seu auxilium dedisse quis ambigat? Sed potest ne Satan curare & salvare, quum non sit Deus? *Potest*, respondet Wolf. Musculus *in Theatr. Diabol. p. 148.* ubi contra Pontificiæ pravitatis sectatores sanctorum miracula crepantes disputat, *si permittit Deus apud eos, quos Tyrannidi suæ objectos habet: quorum oculos ita fascinavit, ut putent se esse veros veri Dei cultores, atq; ab ipso vero Deo juvari. Tam enim spi-*

ritus

ritus ille malignus male audit, *ut cognitus nequaquam invocaretur. Præstringit ergò mentes infidelium*, *quibus dominatur*, *ut nihil putent se minus implorare, quàm Diabolum*, *& à nemine minus curari*, *quàm à Diabolô.* Quidni curare queat, cùm non tantum interiora hominis, eorumque constitutionem, sive naturalis, sive præternaturalis ea sit, optimè exploratam habeat, sed ad omnium qualitatum in naturæ campo reconditarum ac morbis contrariarum notitiam, modumque activa passivis applicandi teneat? Saludadores, improbum hominum in Hispaniâ genus, solo tactu aut afflatu curare supra diximus. At nec tactu aut afflatu virtutem sanandi naturaliter eos habere, supra quoque evictum dedimus: cumque nec Dei, nec Angeli boni virtute cura perficiatur, Dæmonis concurrentis influxu eam absolvi statuendum. Adhæc Spiritus malus per motum localem, removendo & parte affectâ deturbando causam mobilem, ut sunt spiritus & humores alterationum magnarum causæ, affectum & effectum tollere potest, accedente præsertim virtute medicamentorum naturali. Quæ verò hanc ejus facultatem eludunt, ut sunt partes putridæ & sphacelo corruptæ, eas, qua tales, pristino vigori reddere & à privatione ad habitum reducere nequit. Nam ut non nemo benè dixit: **Wie kein verständiger Gärtner eine teige Birn wieder gut kan machen: Also kan weder die Natur / und deren Diener der Artzt / noch der Teuffel ein gantz verdorbenes Gliedmas wieder zu recht bringen.** *Fictitios morbos ab iis* (Dæmonibus) *immitti inde perspicuum, ut pari curatione hominum mentes in sui cultum & admirationem excitent*, *ait* Joh. Filesacus Theologus Parisiensis *de Idol. magic. cap. 24.* At non fictitios tantum sed & veros morbos ab iis immitti, & curari posse, nos asserimus.

§. 6. 2. *Verbis solis.* Ut Dæmonis mancipia Dominum suum paria cum Deo facere posse, verbisq; potentem esse omninò credant, ipse verba ad morbum & inferendum & auferendum sola quandoq; facit, & facere suos decet. Sed cùm tam potens sit cœlestis Numinis verbum, ut dictum factum mox existat; nam Dei vox non est γραμματικὴ, sed πραγματικὴ: sic & infernale Numen tam potens suum verbum esse suis persuadet, ut, quæ velit, ad dictum existere censeant. Cùm verò vera sint Dei opera ab infinitâ ejus virtute profecta, Dæmon, ut vera mentiatur, vel præstigiis utitur, vel naturæ, quam inscio Magorum grege clam

clam disponit, auxilium, quantum licet, substituit. Der Teuffel ist so plump nicht / er weiß seinem Betrug einen Schein zu geben / aber wer Acht darauf gibt / der höret ihn gehen. Der Schalck wills GOTT nach thun. Gleich wie GOtt durch das Wort Himmel und Erden erschaffen / Christus offt mit einem einigen Wort Wunder gethan / also will der schwartze Tausendkünstler auch ein solcher GOTT sein / und dafür gehalten werden / inquit Dn. D. Danhauerus in der Catechismus-Milch *Part. 1. Concion. 33. pag. 440.*

§. 7. 3. *Verbis*, præter ceremonias, ritus & gestus varios, pariter *res jungit Satan*, quæ tamen quandoque symbola saltem sunt, nullamque ad sanandum de se habent virtutem, saltem ut sub rerum naturalium apparatu feliciùs capiat, quos verbis nudis allicere nequit. Exemplum dabimus verbi & dicti, & scripti. Antiquitas credidit, verbascum cum suâ radice tusum, vino aspersum, folioque involutum & in cinere calefactum, strumisque impositum eas abigere, si hoc fecisset virgo jejuno, & manu tangens supino dixisset: *Negat Apollo pestem posse crescere, quam nuda virgo restinguat.* Atque ter hîc despuendum putavit, Wierus *de Curat. Læs. Malefic. cap. 8.* Magicam hanc esse curam, quis non videt? Verbasci folia licèt digerendi & discutiendi potestate polleant, radix tamen foliorum virtutem obtundit, quia acerba est, & fluxionibus commoda, ut è Galeno loquitur Hoffmannus de *Medicam. Offic. lib. 2. cap. 233.* adeòque adstringit, & medicamentum est impertinens. Sed latet anguis in verbis. Verba (cætera non tangam) herbæ virtutem augere ut homines crederent, sine dubiô medicamenti autor intendit, sed eo ipso superstitionis augmentum paratum ad Idololatriam medium quæsivit infernalis Apollo, Ἀπόλλων ab ὄλλω *perdo*, jure dicendus, propterea sanitatem sub isto remedio eò lubentius operatur, quò proniores ad absurda media animos invenit. Inde vafer spiritus etiam ad media naturalia, omni etiam verborum pompâ destituta, sed ob inefficaciam absurda, modò ista confidentissimè usurpentur, concurrit, ut mox audiemus.

§. 8. Alterum, verbi scripti exemplum, hoc esto. Matthiolus *Comm. in lib. 6. Dioscor. cap. 40.* Senem quendam Eremitam in agrô Romanô à feris ictos ipsis absentibus ægris hoc modo sanasse refert. Is, cum quendam à serpente demorsum nunciaretur, nuncium interrogabat,

rogabat, an medicamentum icti locô ebibere vellet: quodsi id se facturum respondebat, jubebat ille, ut dextrum pedem calceo denudatum solo sisteret, & cultellô totius pedis vestigio lineam circumducebat: deinde jubebat pedem auferri, & intra spatium lineæ signatæ cultelli cuspide hæc verba inscribebat: CARO CARUZE, SANUM REDUCE REPUTA SANUM, EMANUEL PARACLETUS: mox terram eodem gladiô abradebat: ita ut omnes abolerentur characteres: abrasum pulverem fictili quodam parvo aqua pleno excipiebat, ibique tantisper dimittebat, donec terra subsideret: demum nuncii interula aquam percolabat, & cruce signatam illi bibendam præbebat. *Sed certè mirum est*, inquit Matthiolus, *quòd eadem horâ ictus sanabatur, qua nuncius potionem illam sumpserat, ut mihi planè compertum est, & omnibus illius regionis incolis. Hæc est curatio in virulentos ictus, qua utebatur ille Eremita: qui mihi sæpius dixit, hoc esse majus secretum, efficaciusque remedium, quàm habeant ii, qui suam originem in Divi Pauli familiam falsò referunt.* En superstitiosum & magicum simplicis Eremitæ remedium! simplex imò amens sit, qui per istas vanitates circa terram & aquam observatas absenti ægro, quem serpens intoxicavit, sanitatem naturaliter restitui posse sibi persuadet. Naturalis cura agentis in morbi causam præsentiam medicamenti & applicationem requirit, quæ hîc abest, neque, ut Sympathetica, per ulla effluvia excusari potest. Nuncius non imprimit terræ vim alexipharmacam: aliàs omnis homo, quia nuncium quilibet agere potest (nunciandi officium ipsum nullam qualitatem aliunde accipit, nisi moralem) eâ esset præditus, & si imprimeret, quid opus esset eandem cum aquâ resorbere? Verba partim quidem usitata sed & partim barbara, partim Priscianum vellicantia, non possunt solum virtute, cum eâ careant, imprægnare. Terræ abrasio, characterum obliteratio gladio facta, terræ in aquam infusio, aquæ per nuncii interulam percolatio, crucisque formatio actus sunt, de se nihil virtutis obtinentes vel conferentes. Sic quoque characteres, gladius & interula artificialia sunt, quæ, ut talia, efficaciâ destituuntur. Si autem materiæ ea tribuitur, frustra itidem in ea virtutem, âbsenti conferendam, alexipharmacam quæri ista examinaturis patebit. Tandem si vel maximè omnia ista absurda concedantur, quid emolumenti nuncius absenti ægro, inter quos contactus nec virtualis nec corporalis viget,

get, conferet? Non corporalis hîc datur, ut patet: nec virtualis, quia brevius est illud horæ spatium, quo cura peragitur, quam ut alexipharmaca virtus ab assumtis sanguini debitè communicari & actuari queat. Neque effluvia vim sanandi habentia à corpore sanô unquam ad distans manasse experientia comprobavit, neque si manant, ut distans corpus subeant, determinari possunt: & si subeunt, minorum sunt virium, quàm ut venenum præsens vincere queant. An verò miraculo ac Dei potentiæ extraordinariæ adscribendus fuerit effectus sanationis, an occultâ aliquâ virtute ab Angelo bono productus, an à Dæmone, G. Schottus *Mag. Univers. Part. 4. Lib. 5. cap. 2.* sine cognitione status & ratione vivendi illius Eremitæ determinare non audet. Sed nos & rationis & pietatis eclipsin in Eremitâ, qualis qualis etiam fuerit, agnoscimus. Extraordinariam & miraculosam sanandi rationem sibi nemo hodie ob defectum vel specialis promissionis vel revelationis arrogare debet, nec in istâ propter vanarum observantiarum ubertatem, quæ Deo & Angelis bonis abominabilis, Apostolis autem usualis nunquam fuit, talis conjici potest. Reliquum ergo est, ut dicamus, totum illud curationis negotium, quo occupatus fuit Eremita, Magicum fuisse. Si nervosa Suarezii *lib. 2. de superstit. cap. 15. n. 9 fol. 353.* Schottus legisset, non titubasset. Ita ille: *Quando effectus, qui per hanc artem promittitur, supra vires est creatarum causarum, certum est, talem artem esse diabolicam & magicam deceptionem. Probatur, quia media, quæ ad tales effectus adhibentur, non possunt esse causæ ex se habentes virtutem ad illos, quia media sunt actiones humanæ, vel applicationes rerum naturalium, effectus autem sunt longè superiores: ergo adhibentur ut signa, ad quorum præsentiam aliquis alius operetur: sed ille non est Deus, nec sanctus Angelus: tum quia Deus nunquam talia signa instituit, tum quia in eis nihil est, quod Deum deceat, nec quod pietatem promoveat. Est ergò Dæmon, à quo non verè, sed per præstigia fit talis effectus.*

§. 9. Nonnunquam rebus absurdis solis, quibus superstitiosi sine verborum additamento utuntur, præsens est malus genius, & per eas etiam, ut superstitiosos sibi devinciat, devinctos verò certius retineat, operatur. Ita Plato morbô comprehensus à Sacerdotibus marinâ curatione fuit absolutus, teste Laertio *lib. 3. in Vitâ Platon.* quæ curatio

ratio Magica fuit. *Non enim*, ut annotat Excell. Dn. D. Conringius *lib. 1. Herm. Medic. cap. 11. aquæ illius magna vis est naturalis ad morbos curandos, usus verò ejus inter Magos & Idololatras olim frequens ad purgationes & expiationes omnes. Isthuc proinde pertinet ille Platonis versiculus:* θάλασσα κλύζει πάντα τῶν ἀνθρώπων κακά. *Omninò*, ait Idem, *magica fuit curatio elephantiasis per sanguinem humanum. Qua de re Plinius: Ægypti peculiare hoc malum, & cùm in reges incidisset, populis funebre; quippe in balneis solia temperabantur humano sanguine ad Medicinam eam.* Ita infernalis simia ad baptismum & cœnam S. ubi vitia animæ tolluntur, respiciens, aquâ & sanguine vitia corporis curari, suos docuit. Annon huc referendum est istud ad ariduram membrorum remedium, quod aliis usitatum refert Sam. Hafenrefferus *Nosodoch lib. 3. cap. 2.* cujus hæc sunt verba: *Magno mysterio in ariduris tollendis quidem Geneross. stemmatis Vir die proximo Novilunium antecedente & consequente in pane vel cum hostiâ consecratâ offerebat pediculos capitis num. 15. hoc tribus mensibus continuando.*

§. 10. DEO *per somnia* cum hominibus agendi ratio fuit familiaris, tam in V. Testamento, quàm sub initium Novi testamenti, quæq; immisit Deus, varia & inter ea δημόσια fuerunt publicum rerum statum concernentia. Diabolus etiam varia & inter ea ἴδια privatum suorum v. g. ægrotantium statum concernentia sæpius immisit somnia, quando pellibus in fanis incubuerunt, quòd supra etiam *cap. 6.* §. 5. attigimus. Ita narrat de Vespasianô Tacitus *lib. 4. Histor. cap. 81.* & Suetonius *in Vitâ Vespasian.* quendam è plebe Alexandrinâ monitu Serapidis eum rogasse, ut oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento, quo facto reluxisse statim cœco diem. Imitari nim. voluit solitâ κακοζηλίᾳ Christum, quem sputo medicinam fecisse §. 4. vidimus. Sic mulier cœca tempore Adriani in somniô edocta, ut Imperatoris oscularetur genua, visum ex hoc remedio recepit, teste Æl. Spartiano *in Vitâ Adrian.* Aspasia tumore in mentô teterrimô laborans apud Ælianum *lib. 12. cap. 1.* somnum tristis capit, cum somno columba accessit & in mulierem mutata jussit rosea serta Veneris, quæ jam aruerint, contrita tuberi imponere: quæ cùm executa fuisset, tuber evanuit, rursusque inter omnes socias puellas recepta speciosissimæ Deæ beneficio pulchritudine formosissima fuit. Quo de ex Melanchthone Camerar.

loc.

loc. cit. Cent. 3. cap. 43. **hiemit hat der Teuffel auch ein sonderliches wollen anrichten** / & ut confirmaret Idololatriam, & ut præberet occasionem illis tantis peccatis, quæ fuerunt in incestis libidinibus. **Solche Ding kan der Teuffel wol thun.** Potest esse, quod Diabolus fuerit causa illius scabiei in facie. **Daß er den Einsprung gemacht hab / und hernach wieder hinweg genommen**; sicut sæpe fit, ut mulieres veneficæ tale quiddam faciant, **zaubern einem Kohlen oder sonst etwas in ein Glied / und darnach können sie es wieder hinweg nehmen / wenn sie wollen / das kan der Teuffel wol thun.**

§. 11. Tabulas quatuor in Æsculapii templô Romæ inventas, quas Mercurialis *lib. 1. de Arte Gymnasticâ cap. 1.* & ex hoc Lotichius *Comment. in T. Petr. Arbitr. l. 1.* adducit, quæque ibi habentur, morborum remedia si inspicimus, non nisi symboli loco ista pariter fuisse, vim ipsam suppeditantibus Dæmonibus, fatendum erit. Tabulæ quatuor saltem latinè hîc legi merentur.

I. *Hisce diebus Cajo cuidam cæco oraculum reddidit, veniret ad sacrum altare, deinde à parte dextrâ veniret ad lævam, & poneret quinque digitos super altare; & elevaret manum, & poneret super proprios oculos, & rectè vidit populo præsente & gratulante, quòd grandia miracula fierent sub Imperatore nostro Antonino.*

II. *Lucio affecto lateris dolore, & desperato à cunctis hominibus oraculum reddidit Deus, veniret, & ex arâ tolleret cinerem, & unà cum vinô commisceret, & poneret supra latus: & convaluit, & publicè gratias egit Deo, & populus congratulatus est illi.*

III. *Sanguinem revomenti Juliano, desperato ab omnibus hominibus, ex oraculo respondit Deus, veniret, & ex arâ caperet nucleos pini, & comederet unà cum melle per tres dies, & convaluit, & vivens publicè gratias egit præsente populo.*

IV. *Valerio Apro, militi cæco, oraculum reddidit Deus, veniret & acciperet sanguinem ex gallo albo, admiscens mel, & collyrium conficeret, & tribus diebus uteretur supra oculos; & vidit, & venit, & publicè gratias egit Deo.*

Quæ enim in his ad sanitatem recuperandam commendantur remedia, illorum nullum ad curandos valuit, & affectibus tollendis ἀντιπάθεια sunt,

ſunt, ne de ſuperſtitioſô in tabula primâ ritu dicam. Non tamen negamus, remedia Dæmonem nonnunquam ſuggerere virtute naturali morbos ſanantia; uti per inſomnia ariſtolochiam indicavit ad morſus ſerpentum, teſte Cicerone *lib. 1. de Divinat.* cynorrhodon ad morſum canis, ut tradit Plinius *lib. 8. cap. 41.* lutum Ægyptiacum pingue ad varia mala, ut habet Galenus *lib. 9. de Simpl. Medic. Facult. c. 3.*

§. 12. Rete autem & Verborum & rerum abſurdarum, hoc limatioris, illud obtuſionis ingenii hominibus, utrumque ad ſuperſtitionem pronis & veræ religionis ſacra oſcitanter curantibus promiſcuè ponit ἀλάςωρ ille perfidus, & cùm eorum primus ſit autor, ſibi de hominum remedia à Dæmone primùm tradita, in uſum trahentium curâ, quæ taciti cultûs & venerationis vim habet, gratulatur, & ad abſurdorum, velut teſſeræ ſuæ applicationem effective, ſed latenter, ne detectô per orthodoxos odioſi autoris nomine fraus pateat, concurrit, actusque ſperatô à ſuperſtitioſis effectu coronat, nec, niſi potentiſſimâ Dei manu impeditus, coronare deſiſtit, eo fine, ut latentis in verbis & rebus abſurdis poteſtatis perſuaſionem in ſimplicioribus confirmet. *Nec proinde mirum*, (verba ſunt Conringii *de Incub. §. 46.*) *ſi corpori infirmo interdum ſubvenit, ut eò liberiùs in animam deinde & corpus graſſari poſſit. Hoc enim ipſi familiare; neq; ab illo fraudum architecto alia exſpectanda ſunt remedia, quàm quæ morbis ipſis graviora. Ita cum peſtilentiæ Romæ mederetur, fecit id inſtitutione ludorum ſcenicorum, ut hac obſcœnitate publicè introductâ plures lucrari poſſet animas*, vide Auguſtinum *de Civit. Dei lib. 1. cap. 32.* Neque inde ab initio ad præſens usque ſpes Dæmonem fefellit, cùm ſemper reperti fuerint, qui vim ſingularem verbis & rebus abſurdis virtutes tribuerunt, prout nonnulli ex verbo FIAT *Geneſ. 1.* fecerunt Dei filium, ut loquitur Dn. D. Libavius *de Univ. & Orig. Rer. lib. 1.* quaſi Deus per verbum omnia illa condiderit, cum tamen *id* FIAT, ut ait idem, *non fuerit enunciatum humanum & ſenſibile, ſed voluntatis divinæ expreſſio, energia & actus à Deo prodiens ad creandum faciendumq; eſſe id, quod antea non erat.* Sic Lamiæ Unguenti ſui ex infantis occiſi pinguedine, adipe canis, felis &c. confecti, quo corporis membra illinunt, virtute per aera ſe deferri & volatiles fieri credunt, cùm tamen ea ad transferendum vis non ullius rei, nec naturalis, nec artificialis, adeòque nec unguenti, ſed

Dæmo-

Dæmonis ſit, ſe ipſis inſciis vel ejus præſentiam non advertentibus ſupponentis & de loco in locum eas transportantis. Eam quidem vim unguenti eſſe ſuis Dæmon perſuadet, ſed ideò, ut majori ſtudio infantium plurium mortem accelerent clientes, propterea promptus ex pactô factâ inunctione ad transportandum mox adeſt, & decantati unguenti vires ipſe complet. Utrobique & verborum & rerum abſurdarum potentiam, quam primus ex pacto ſuis ſignificavit, ſartam tectam occultâ operatione ſervare laborat, apud eos etiam, experientiâ teſte, qui primi pacti minimè ſunt conſcii, modò dubii ſint animi, nec iſta contemtui habeant, (contemtu enim & fide verâ Diabolicorum mediorum vis infringitur) ne ſcilicet vel fidei datæ negligens, vel ad efficiendum impotens videatur ſpiritus ſuperbus : aut ut per admiranda verborum rerumque opera plures ad ſua caſtra alliciat , & novos Magiæ candidatos acquirat ; omnes verò plus juſtò ſuperſtitioſis mediis tribuentes in eorum uſu autorem primum colere , eidemque velificari pergant ; aut ſi ipſius medii Dæmon non ſit autor, autor tamen operationis illicitæ in medio à ſuperſtitioſis quæſitæ lubens fit , quod inferiùs exemplis confirmabimus.

§. 13. Mendax quidem & homicida ab origine rerum Diabolus eſt , qui in veritate non ſtetit , *Joh. 8. v. 44.* attamen & vera dicere poteſt. Eja quid tibi nobiſcum eſt Jeſu Nazarene? veniſti ad perdendum nos; ſcio tu quis ſis; Sanctus ille Dei, exclamat voce magnâ ſpiritus Dæmonis immundi, *Luc. 4. v. 34. & 41.* dicunt Dæmonia : *Tu es Chriſtus ille filius Dei.* Chriſtus autem increpans non ſinebat ea loqui, quod ſciebant, eum eſſe Chriſtum. Ubi Athanaſius: *Dæmonis*, inquit, *ſermonem complebat Chriſtus , ne ſimul cum veritate etiam ſuam iniquitatem promulgaret, ut nos etiam aſſuefaciat , ne talia curemus, etiamſi vera loqui videatur.* Thulis Ægypti Rex ſucceſſibus fortunæ elatus Serapidis oraculum adiit, & re divinâ factâ interrogavit : *Quis unquam Regum tam fuerit potens ante ipſum , aut quis poſt futurus eſſet.* Reſponſum eſt:

Hic primùm Deus eſt, Verbumq; & Spiritus almus.
Hæc tria conjuncta in unum coeunt. Hujus potentia eſt æterna. Tu verò citò te proripe hinc, mortalis, incertam agens vitam. Egreſſus templo paulò poſt à ſuis occiſus eſt in Afrorum regione, Henr. Urſinus *Acerr. Philol.*

Philol. pag. 10. ex Suida. Pythonissa quædam à Lazaro Bonamico, Patavino Professore interrogata, quem Virgilianorum versuum censeret optimum, respondit: *Discite Justitiam moniti & non temnere Divos.* Peucerus *Comm. de Divinat. Gener. p. m. 49.* Omittimus plura veritatis specimina ab ipso edita, verasque ac pias oraculis mixtas sententias. Vera autem dicit historicè, coactè, vel potius ad suspectam reddendam veritatem, quàm promovendam. *Ludit Diabolus*, ut Peucerus l. c. piè disserit, *veritatis declaratione & confessione, tantum eo fine, ut alliciat ad se imperitos, & talibus vel parænesibus, quæ continent præcepta necessaria in vitâ, vel præmonitionibus secuturarum pœnarum sibi arctiùs obstringat ac devinciat.* Servat quandoque suis fidem, ut fidem eorum salvificam certiùs prosternat; morem etiam gerit, ut sibi morigeros itidem reddat, & in officiô eos retineat; μεταχηματιξεται ἐις ἄγγελον φωτὸς, ut luce veritatis extinctâ in filios tenebrarum eos transformet: æquivoca reddit responsa, ut perfidiæ culpam, mendaciô deprehensô, à se declinet. Oracula varia ambiguitatibus & amphiboliis referta, securioribus data, quorum aliquot exempla collegit Balduinus *Cas. Consc. lib. 2. cap. 2. in fine*, id satis confirmant. Vid. quoque Dn. Mich. Freudii Bericht von Zauberey und Zauberern *Quæst. 82. n. 3.* verè & piè disserit. Der Teuffel machts wie mancher / der bisweilen mit Fleiß einen andern ein Spiel oder zwey gewinnen läst / auf daß / wenn er ihm damit aufgeholffen hat / desto eifferiger daran zu setzen / er ihm hernacher alles abgewinne. Also machts der Teuffel auch / der sagt auch offt die Warheit / damit er Credit bekomme / und die Leut ihm auch hernach glauben mögen / wann er Lügen redet / sie dadurch zu betriegen und zu verführem. Ist also sein Warsagen auf nichts anders angesehen / als die Menschen damit zu fangen / und sie in die höchste Gefahr hie zeitlich und dort ewiglich zu stürtzen. Quandoque autem à supremo numine ad veritatis confessionem cogitur. Sic Dæmon puellam illam Silesiacam obsidens veritatem horum dictorum; *Venite ad me omnes &c. Sic Deus dilexit mundum &c. Sanguis JEsu CHristi &c.* item Dei omnipotentiam ut agnoscat & fateatur, se à superiori cogi, his: Ich muß wol / der droben befihlt es / M. Tobiæ Seilero Pastori apertè fassus est, referente eodem *Dæmonom.* seu *Relationis Historic. pag. 21. & 37.*

§. 14. Pro-

§. 14. Proinde malignus ſpiritus, verborum curationis gratiâ pronunciatorum apparentem virtutem virtute propriâ nunquam non ſervat, ſaltem ut ſervare fidem, & veritatem ſectari apud ſuos credatur. Servat autem ex pactô, verbisque certo ritu, quem ipſe primus Autor præſcripſit, pronunciatis, velut vocatus ad propriam teſſeram advolat, & curationis negotium, quod verbis adſcribitur, ipſe abſolvit. Abſolvit ipſe, ut homines tali ſuperſtitione imbutos, & in falſam legitimæ curationis opinionem adductos, ad graviora ſeducat, & fines eos, quos jam ante indicavimus, obtineat. Non ſemper Dæmon mentitur, ſemper tamen nocere cupit.

§. 15. Ut igitur in compendium dicendorum ſummam cogamus, ſuperſtitioſum per verba curandi modum, cùm, ut abundè diximus & probavimus, nec ad Deum, nec ad naturam, nec ad Angelos bonos ſit referendus, malis ſeu Dæmonibus unicè adſcribendum eſſe, è dictis colligit quivis: cumque modum Dæmones, quorum numerus eſt innumerus, per ſagas in magnô ubique numerô latitantes, ex infenſiſſimô erga Deum & homines odiô in ſocietatibus quà paganis, qua Chriſtianis propagare nunquam non laborant, cumque inimicus ille ſit doloſâ æmulatione inductus, & tum facilitatis, tum ſimplicitatis ab omni impietate alienæ ſpeciem primâ fronte gerat, apparente ea ſpecie multi attrahuntur, & per illius uſum ſocietatem cum Satana, ſi non explicitè, tamen implicite, pangunt.

CAPUT XI.

Verbalis curationis exempla varia tam Veterum, quàm Recentiorum & Noſtratium exanimantur. Lunæ vis medica hac occaſione conſideratur. Diabolum etiam rebus & verbis abſurdis, quorum autor ex pacto non eſt, præſentem eſſe, & quæſitum in iis effectum occultè largiri exemplis declaratur.

§. 1. GEneralibus hisce præmiſſis ad ſpecialia tandem tendimus, & jam omnes, quarum Plinius *lib. 28. cap. 2.* mentionem facit, curationes per verba ab Ulyſſe, Theophraſto, Catone, Varrone & aliis peractas, & quas noſtra etiam ætas jactat, magicas eſſe & ſuperſtitioſas, vi dictorum audacter pronunciamus.

§. 2. *Sanguinis è vulnere profluvium* non carmina inhibent, sed medicamenta adstringente & congelante qualitate prædita. Eâ autem verba carent. *Ischiadicos* non verba sanant, sed medicamenta humorem serosum, acrem, dolores inferentem tollendi vel mulcendi virtute prædita. Eam autem carmina non obtinent. *Luxatis membris* carmen non auxiliatur, sed vis quædam manus vel organi cujusdam requiritur, ut in locum suum naturalem os luxatum reponatur. Carmina autem tali vi destituuntur; ut proinde Polyd. Virgilius *lib. de Prodig. 1. pag. mihi 21.* non immeritò miretur, Catonem virum tam sapientem duxisse animo, cantionem verbis nihil significantibus compositam valere aliquid ad movendum Deum. Audiemus Catonem ipsum. Sic ait ille: *Luxum si quod est, ut excantes, hac ratione sanum fiet. Arundinem prende tibi viridem pedes quatuor aut quinque longam, mediam diffinde, & duo homines teneant ad coxendices. Incipe cantare in alio S. F. motas Donatos, Daries, Dardaries, Astaries: dic unà pariter usque dum coeant. Ferro insuper jactato, ubi coierint, & alteram altera tetigerit, id manu prende dextra, sinistra pracide. Ad luxum aut fracturam alliga: & sanum fiet. Et tamen quotidie cantato in alio S. F. vel luxato. Vel hoc modo: Haut haut haut ista pista, si stagis, turgis ardannebon damaustra.* Hæc ille. De coxendicis luxatione Catonem loqui patet. Coxendix autem os Ischium est, ossis innominati pars inferior & interior, cum qua femur per veram diarthrosin cartilaginis & ligamentorum variorum ope connectitur. Quare coxendix cum non sit contigua, sed continua, ossis innominati pars, luxari nequit. Itaque luxationem sine dubio femoris, quod capite suo coxendicis sinui committitur, Cato intellexit. Femur verò luxatur in partem anteriorem & posteriorem, exteriorem & interiorem. Variis luxationis modis varii repositionis modi manuum operâ perficiendi debentur. Reposito in suum locum femori, ut in suo loco ad curationis finem contineatur, diffissa arundo accommodari & ligari debet. Si jam nudâ arundinis applicatione & verborum pronunciatione luxatam partem quamcunque restitui Cato credit, fallitur & fallit, cùm sine prævia extensione solis verbis, licèt arundo applicetur, pars sanari nequeat; neque cujusvis partis conditio arundinis applicationem admittat. Si verò ad solam femoris luxationem respicit, & necessarios operandi modos subintellectos cupit, etiam absque cantione naturali

modo

modo fieri posse curationem censemus. Bartholinus *Paralyt. Nov. Test. 3.* existimat, Catonem ludicris non assuetum ad decipiendum vulgus, dum luxata membra reponeret, verba saltatoria, ex se nullius pretii, operationi junxisse & protulisse. Quamvis nec hoc Virum gravem, Senatorem inter primos & Censorium Virum decuerit, nisi forsan imaginationis ægri suscitandæ gratiâ semel atque iterum eum fecisse dicere velimus. Non erat itaque, ut pro Catone Cardanus *lib. 16. de Rer. Var. cap. 92.* postquam illum luxata curandi modum Catonianum exposuisset, subjungeret: *Hic protinus ambitiosus Peripateticus statim insurget, audacterq; negabit ridebitq;. Et hæc summa sapientia nostrorum temporum: facile est negare quidvis, ut sapiens habearis. Non est hoc dignum laude, sed maximâ vituperatione. Laude dignum est Catonis sententiam (quam nisi expertus esset, scripsisse non putarim) diligenter expendere.* Non enim remedii veritas ex effectûs sensibus quomodocunque apparentis, præsentiâ est æstimanda: aliàs magica & superstitiosa varia, quæ suo non destituuntur effectu, laudis referrent inculpatæ præmium; sed ex ratione, cujus est inquirere, an inter id, quod causam esse censemus, & inter effectum verus ac necessarius detur respectus, & per illius influxum effectus talis in suo esse constituatur. At verò inter verba & id, quòd à verbis fieri creditur, respectum illum propter influxum intercedere, nemo adhuc probavit.

§. 3. *Podagram* non carmina sanant, sed medicamenta humores serosos, salsos & acres continui solutionem procreantes tollentia, vel saltem mitigantia. Ea autem vis verbis non inest. Voce *Duo*, vel ut alii habent, *Bud* solâ scorpionum ictus naturaliter cohiberi quis credat? Retardationem quandam ictus ad vocis cum impetu quodam factæ pronunciationem, quæ phantasiæ ipsorum forsan ob antipatheticam vim consternationem quandam inferat, non autem omnimodam cohibitionem, concessero. Magicum est illud Cardani *ad sanguinis profluvium* remedium, cujus farinæ Martis filii formulas plures inter arcana servant. An fides, an verba profuerint, se nescire ait ibi Cardanus ipse. Ast nec fides, nec verba, sed Dæmonem blasphemis invitatum verbis, quorum ipse sine dubio autor fuit, auxilium tulisse dixero. Blasphemum est & impium dicere, Christum in ara crucis fecisse, ut sanguis maneret. *Tale enim impendium sanguinis requirebatur, quod vitam ipsam in sanguine consi-*

stentem tolleret, *cujus effusionem mors ipsa Testatoris sequeretur*, *Ebr. 9. 15. seqq. confer Luc. 24. 26. Matth. 3. 15. Prorsus copiosa* (inquit Bernhardus) *apud Deum redemptio: quia non gutta, sed unda sanguinis per omnes partes corporis emanavit*, verba sunt Adm. Rev. Dn. D. Joh. Meisneri *Disp. Theol. de Sanguine Christi* §. *19*.

§. 4. *Epilepticos*, si versiculi illi vulgati, *Gaspar fert myrrham &c.* in aurem insusurrentur, resurgere, Bartholinus *loc. cit.* & *Paralyt. 3. N. T. pag. 173.* affirmat. Verùm non verbis, sed solo halitu oris in aurem immisso experimentum succedere expertum esse Cl. Walæum, notat ibidem. *Memini*, inquit præterea, *illum* (Walæum) *maximâ vi in sinistram aurem Epileptica puella inflavisse, nulloq́ prolato verbo, imò ne sono quidem agram dictum factum excitasse. A flatibus verò ortam Epilepsiam halitus calidus discutere potuit. In aliis simile tentavi, sed irrito conatu.* Posse tamen & verba certo rhythmo inclusa simile quid sine superstitione ulla præstare existimat. Quò sine dubio illud à Fontecha semel forsan observatum (pluries eum notasse dubitamus) referendum: quamvis si in ipso ternario numero virtus quæratur, superstitione hoc non careat: nec devotionem per se virtutem rei naturalis augere posse, sine rationis abusu credi potest. De antiphthisico primo mox.

§. 5. Quid monstri Nostrates hîc alant, ibi ex infinitis pauca tantùm ex verbali pharetrâ adduximus, quæ sub incudem curiosiùs pariter revocabimus. In genere autem de iisdem quoque pronunciamus, ea omnia superstitiosa esse & magica, id quod signa, quibus cognosci potest, quod aliquid superstitiosum sit, intuenti patebit. Ea dabimus infra *Part. 2. Sect. 3. cap. 4.* Amens proinde sit, qui illud ad Phthisin remedium à vetulâ commendatum propriâ, non alienâ virtute conferre statuat. Felicior certè prioribus esset hæc ætas nostra, quæ, si naturalis esset cura ista, sibi de gratô & probatô remedio isto posset gratulari. Gratulari sibi possent de medicinâ novâ Londinenses, quos inflammationi & exulcerationi pulmonum obnoxios reddit aer, fuliginibus, saleque volatili acri è carbonibus fossilibus quotidie ibi accensis refertissimus, ut Illustriss. Dn. Comes Digbæus *in Orat. de Pulv. Sympathet.* disserit. Sed cùm magica sint deliramenta ista, de invento isto malo hominumq́ue eo utentium infelicitate potius dolebimus. Neque ad imaginationis potenter excitatæ virtutem hîc confugere licet, cùm ea quidem humorum alteratio-

terationem, non autem parti continui solutione laboranti consolidationem inferre queat, siquidem Phthisis est pulmonum à materiâ acri erodente cum febre lentâ, tussi, sputoque cruento & purulento exulceratio, qua sensim corpus consumitur & extenuatur, Jonston *Idea Medicin. lib. 9. cap. 5.* Pulmonum exulcerationi & mundificationi, febri & tussi nec aquæ frigidæ potus, nec verba eo tenore & ritu superstitioso pronunciata, neque imaginatio naturaliter medentur. Neque transplantare potest Titius verbis suis Pauli affectum pulmonalem, cùm, si ulla transplantatio locum habeat, ab ægrotante pars, quæcunque ea sit, desumi soleat, ut ea mediante illâ perficiatur, quod hîc non contingit. Puerilis est illa malo facta Phthisici querela: insanus ab ave arborem supervolitante morbi susceptionem expectet. Diabolus Medicus est, qui ex pacto propter verba illa à se primô autore profecta sagarum ope ad leves & vanos homines propagata, & cum abusu divini nominis, in quo ipsi est beneplacitum, pronunciata occultô modo juvat, si non verè, tamen palliativè, ut Medici loquuntur, vel mendaciter, ægris persuadendo, ac si verâ phthisi laborent, qui tamen, quod Sennerti judicio sano debemus, ex eo malè habent, quia thorax saltem afficitur, aut catarrhus & pituita in pulmonibus in similem puri substantiam illæsis pulmonibus est mutata, qua demum tussi suspicienter rejectâ natura sanitatem spontè sua citra spurium verborum auxilium recuperat.

§. 6. *Ganglium* Autori *Definition. Medic.* est nervi præter naturam convolutio, seu nodus, qui in unum corpus coaluit. *Verruca* Paulo *lib. 6. cap. 87.* est eminentia cutis parva, callosa, rotunda, crassa. Vitia hæc vel chirurgiâ vel continuatô medicamentorum efficacium usu tolluntur. At verba illa post tergum duorum uni equo insidentium & discedentium dicta, licet tribus enuncientur vicibus, mox tamen ore elapsa pereunt. An verba festinô gradu ad avolantes equites properant, vim ab istis efficacissimam referunt, & relatam laboranti cuti reddunt? Quid pereunte voce virtutem suscipit & defert? Si non referunt, quid opus succlamatione, eâque trinâ? Nolo superstitiosum & magicum hoc remedium, absurditatis vitio, ultro comparente, premere. Eadem verba secundum dictas circumstantias prolata collo strumoso mederi credunt stultè superstitiosi, referente Prætorio in der Weiber Philosophy *Canon. 95. Struma* est scirrhosus glandularum tumor. Galenus *14. Meth.*

Med. cap. 11. *Gibbositas* est luxatio vertebrarum spinæ dorsi vel extra vel intrò, vel ad alterum latus facta, Sennertus *lib. 2. Pr. Med. Part. 2. c. 21.* Utriusque cura per media naturalia facta Medica est & licita, sed quæ per verba fit, magica est & illicita.

§. 7. *Lunæ* autem in istorum curatione nihil tribuere nolim. *Luna enim fœmineum ac molle sidus, atq; nocturnum solvere humorem, & trahere, non auferre*, ait Plinius *lib. 2. Nat. Hist. c. 111.* quod Plutarchus *lib. 3. Sympos. Quæst. 10.* firmat, dicens: ἡ ὑγρότης ὑπὸ τῆς Σελήνης διαχεομένη βαρύνει τὰ σώματα, *humor à Lunâ diffusus aggravat corpora*, non quòd humorem in hæc inferiora Luna fundat, & advehat; per tot enim milliarium millia, fieri humoris diffusionem ratio non admittit; sed qui eum resolvat & discutiat, sicut & Dioscorides per verbum διαχεῖν ad φύματα applicatum resolutionem eorum ac discussionem intelligit. Experientia hoc firmat Illustr. Digbæus *loc. cit.* ubi refert, lotis per aliquot tempus in pollubrô argenteô splendidô, in quo neque aquam, neque quicquam aliud præter reflexos Lunæ radios conspicere licet, manibus, eas deinceps planè humectatas deprehendi, atque hoc remedium præsens esse ad verrucas manuum, nattas, similesque excrescentias eradicandas utut in maximô numerô existant, modo sæpiùs hæc cura reiteretur, subdit. Nostratibus idem quoque est notissimum. Gibbosis & verrucosis salutem ex Luna quærentes illius radiis partem affectam nudam opponunt, & diligenter fricant. Sic enim humor ligamenta spinalis medullæ occupans & laxiora reddens, qui gibbositatem (talem à tali causâ ortam, non hæreditariam, quæ incurabilis est, hîc intelligimus) produxit, à radiis resolvitur, obstetricante calore partis insito, qui per frictionem suscitatus resolutum propellit. Resolvunt radiis lunares *non calore*, quem à refractis Solis radiis Luna recipit, neque enim ad nos ille deferri potest, cùm nec radiorum Solis in terrâ refractorum calor ad mediam acris regionem deferatur: *nec frigore*, quia frigus constringit; constrictio autem resolutioni obest, licet frigefaciendi facultate Lunæ radios præditos esse non negem, cùm id experimentum, quòd Steph. Spleissius apud Joh. Jacobum Wepferum *de Apoplex. p. 260.* fecit, liquidò constet: Sed occultô influxu, quia crescens Luna etiam radiis suis corpus humanum non tangens, sanguinis ebullitionem & resolutionem efficit. Quantò magis ergò adjuta à calore partis internô

per

per frictionem suscitato eandem purgato cœlô per radios quasi præsens efficiet, Hecate, ita non immeritò ab ἑκὰς *longè*, quia in longè dissita operetur, vel ab ἑκατὸν, quòd innumeras habeat vires, Luna dicta? Helmontius *Tr. de Formar. Ortu num. 55.* frigiditati effectum adscribit. *Si quis*, inquit, *Verrucas, Melicerides, Nattas, similesq; excrescentias, collecto in conum Lunæ lumine per vitrum superradiet, donec frigus intrò senserint, facilè deinceps suâ sponte evanescent. Nec mirum id, quippe ejusmodi defectus crescenti auscultant Lunæ. Hinc etiam ejus decremento facilius peritura.* Nos nostræ, quam jam dedimus, inhæremus causæ. Hæc verrucarum & gibborum sublatio licita est, *uti planè illicita & impia, quam Sagæ & aliæ vetulæ fatidicæ usurpare solent, dum obiter saltem ter ad radios Lunæ verrucas manu leviter fricant, & verba quædam admurmurant, aliasq; ceremonias superstitiosas adjungunt*, differimus cum Excell. Dn. D. Straussio *in Epist. ad Comit. Digbæum.* Anum quandam non absimili modô gibbosos se curare posse, jactitasse refert Idem. *Decerpit*, inquit, *radiante Lunâ folium hederæ arborescentis, ægriq; penitus denudati & in genua provoluti gibbum ter folio illo hederæ fricat, atq; inter fricandum precatiunculam quandam admurmurat.* Ita Dæmon rerum naturalium usum superstitionibus conspurcat, suique in his cultum quærit. Graviter etiam in superstitiosum verrucas & strumas curandi modum invehitur cordatus Theologus Saubertus *in suâ Postillâ p. 260.* inquiens: **Ein Aberglaub ists / wenn etliche den Kropf oder Uberbein zu vertreiben den Mondschein ansprechen und sagen: Ach lieber Mond steht mir mein Kropf wol an / so laß ihn stahn / steht er mir übel an / so laß ihn vergahn / das zehl ich mir zur Buß / in Namen GOttes ꝛc. O Thor! was zehlst du im Namen GOttes / da es eigentlich ins Teuffels Namen gezehlet / und gesagt wird.**

§. 8. Operculi caput die Veneris fortunâ repertum, vel aquam eodem die in cippô quodam inventam propter verba quædam in actu curationis pronunciata plus aliis ad verrucas conferre vana superstitio est, qua illi etiam implicantur, qui eodem die manuum pedumque ungues præscindere, dentium dolorem sopire, & plura ab isto & aliis diebus efficaciter oriri credunt. Non enim tempus propriè ens est, sed modus ac circumstantia entis, proinde nullam de se habet activitatem, neque eam verba obtinere demonstravimus. Temporis autem illius

per

per superstitiosam observationem fit abusus, Dæmone ita instigante & cooperante, ut ad corporalem sanationem homines attentiores, quàm ad spiritualem à Salvatore eo die factam fiant. *Bubo* inflammatio glandularum est in inguinibus. At ea nec crinali verriculo, nec verbis istis absurdis vel millies prolatis curatur. Magica cura tota est, ab absurditatum patre, qui Dæmon est, tradita. Ejusdem census remedia in vulgi circo plura occurrunt. Hæc autem, quæ in medium produximus, satis quid de aliis ejusdem farinæ medicamentis verbalibus sit judicandum, curioso Lectori indicant. Borellus *Cent. 1. Obs. 19.* hanc verbalis curæ recitat historiam: *Pauper quidam Vir, d' Orban, apud Alligenses, multis scatens pediculis in capite, tandem ulcera subsecuta sunt, in quibus vermes multi nati sunt, qui sub cute latitantes, nescio quibus viis per aurem egrediebantur cum maximo fœtore & ægri incommodô. Multis frustra tentatis remediis, tandem à rustico unica nocte curatus fuit, eo procul ab illo distante, & quasi pulvere Sympatheticô, idq; modo sequenti peregit. Ivit juxta Ebuli plantam ante Solis ortum, quam inclinavit, subq; lapide posuit, dicens vernacule: Incarcero te, herba bona, donec vermes cadere feceris, quos N. habet in capite vel aure &c. Et statim omnes sponte exiverunt, licet milliaribus duobus ab illo distarent operante. Eodem modô si vermes sint in quodam animalis cujuscunq; ulcere, illud nominando & describendo, locumq; ulceris dicendo, statim etiam cadebant. Sic alter rusticus verbis equorum tormina è longinquo sanabat subitò.* Hæc Borellus, qui aliquid Diabolici in his curis, seu pacti impliciti cum Dæmone subesse non malè opinatur. Criminis sane hujus rei sunt omnes, qui his & similibus ad morborum curationem utuntur remediis, quæ nec in Scripturæ, nec in Naturæ libro fundamentum habent, quin imò, quæ naturæ à naturæ autore maximô ordinatæ vires excedunt, ipsique adeò naturæ adversantur. Proinde isti omnes ab ipso Deo, ordinariè per naturam operante, ad eversorem juris humani, monstrorumque artificem, ut Plinius vocat, declinant, & collatum per superstitiosa remedia ejusdem auxilium decantando colunt. Hujus census exempla adducit & eludit etiam Filesacus *de Idolol. Mag. pag. 28. Si quis die aliquo cùm radiosus sol superat ex mari, &c. ter pronunciet, Vemon, res maritalis, prius maleficio funerata, reviviscet. Quis non rideat istud, si qua mulier parturitionem & perdifficilem & periculosam*

losam patiatur, adhibitis nonnullis, ubi illi in aurem recitata fuerint verba hæc: Su Camis dur, illicò & facillimè pariet. Quis linguæ Gallicæ peritus non advertit, hæc Picardica dialecto pronunciata idem significare, quod Res hæc mihi in mora est. Et tamen impostores illi & malefici inepte & insulsè scribunt ac dispungunt, ut quasi verba arcana & mysteria suo more concinnent, iisq́; technis simpliciores ludificentur. Hæc ille.

§ 9. Impostor autem ille non modò variis ad hunc cultum technis & mediis à se ostensis, sed ad obtinendum istum mediis etiam illis, quorum autor ipse non est, quæque nullam ad efficiendum virtutem obtinent, modò superstitiosa sint, eoque nomine Deo adversa, adest, persuasioni hominum se accommodat, & tacitè, quasi ab iisdem mediis vires dependeant, omne operationis punctum ipse absolvit, id quod, quia *in fine* §. *12. cap. præced.* promisimus, jam historiis confirmabimus, quas è Dn. Prætorii *Lib. cit. Canon. 57.* transumere & idiomate latino donare placet. Confessionarius quidam è muliere famosâ, an saga sit, sciscitaturus, multis eam in confessionis loco versutè circumvenit, & pertentat quæstionibus, & ex istis hac: an morbum hunc vel illum depellere possit? Negantem urget hic: Si herbis vel unguentis curare nescis, verbis forsan, vel cruce, vel contactu & similibus id poteris præstare. Sed nullius horum sibi consciam esse, continuò illa regerit. Pastor verò in reponendo multus, alicujus sine dubio esse consciam, instat, ut saltem semel, velut temporis fallendi gratia quid tenter, atque se, quasi id præstet, simulet, manus utcunque in crucis formam aliquoties vel tribus vicibus imponat, & submissa quid loquatur voce. Si non faceret adjumento, non tamen usque adeò fore nocumento. Hilfft es denn ja nicht / je so schadete es auch nicht sonderlich. Verùm tentaminis sic continuati scopo Pastor excidit, nihilque rescivit, siquidem à Magiæ crimine reverà immunem mulier vitam egerat. Sed ecce! Ex quo dispersi de ægris sermones ad mulieris sic tentatæ deinceps aures pervenerunt, ex commiseratione ad se ægrotos adduci curavit, spe curationis, in quam obvios erexerat, factâ, Præsentibus manus in crucis formam conjunctas imposuit, & hæc admurmuravit verba: Hilfft es nicht / so schads nicht. Per hæc ægri pristinam recuperarunt valetudinem. Hac medendi methodô tamdiu mulier reformata uti perrexit, donec rumoris eam Magiæ incusantis fieret materia, eoque nomine

Judicum eam citantium objectum. De rebus ita peractis interrogata prono ore omnia fatetur, & Magistrum, suum Confessionarium, à quo in ædibus sacris sic fuisset edocta, nominat. Mulier absolvitur. Sacerdos verò non sinè famæ jactura in carcerem conjicitur. Sed postquam suam verâ rei gesta enarratioňe innocentiam exposuit, liberationem impetrat. Idem Autor & hoc refert. Professori cuidam Wittebergensi superstitiosa ad febres remedia pro cathedrâ referenti Studiosus ad discursus ferè medium adveniens vacivas præbet aures, omniaque velut probata & approbata (discursus enim principium neglexerat) accipit. Quid fit? Quoties hic febri, qua sæpius laboravit, corripitur, unum atque alterum è remediis, quæ perceperat, in usum trahit cum subitaneo auxilio. Eadem & alios docet, & à Professore suo se didicisse ait. Curationis superstitiosæ fama ambulans ad Professoris aures tandem pervenit, qui istam admiratus Studiosum vocatum melioribus instruit. Ex eo autem remediorum nullum contulit, quia sanioribus Studiosus jam informatus fidem istis non adhibuit. Adeò veterator ille de hominum confidentiâ in superstitiosis ut partu suo, & quasi in seipso posita, & de cultu tacito sibi gratulatur, propterea que effectum ipse, quantumvis hominibus insciis, efficaciter operatur: confidentiâ autem seu fide Diabolicâ de putatitiâ istiusmodi mediorum efficaciâ per sanam rationem, veram fidem & contemtum cessante, ipse quoque operari cessat. Quidam tardioris ingenii & memoriæ spiritum sibi familiarem à familiari Amico è nundinis afferri petit. Sed hic captam ex aere muscam majorem, vitroque parvo inclusam fallendi gratia obtulit. Ille de remedii bonitate post aliquot dies velut per jocum ab amico rogatus, ad votum omnia spiritum suggerere respondet, ipso nimirum spiritu infernali verè familiari facto. Adeo auceps animarum maledictus superstitiosis, Deique mandata & Naturæ theatrum perfrictâ fronte transgredienribus gratificari gestit, ut religioni Magicæ sensim assuescant. Affinia isti sunt sequentia. Italus quidam se spiritum familiarem desiderare Venetiis in hospitio verbis prodit. Circumforaneus mensæ assidens post prandium araneam magnam in fœnili captam vitroque inclusam pretio magno Italo vendit. Quid fit? Dæmon araneam subit, & petito hominis impii adsurgit, quia fiduciam Deo debitam in Diabolum reposuerat. G. P. Harsdörffer *part. 2.* deß

grossen

grossen Schauplatzes jämmerlicher Mord-Geschichte / *Hist. 45. n. 3.* Philander von Sittenwald *in Expert. Ruperto pag. 642.* Cum duobus Nobilibus Venetias tendens, horum alteri duodecim coronatos ab amico vidit dari, ad spiritum familiarem in Italiâ, ubi spiritus isti venales habentur, emendum & referendum. Confeceramus nos, inquit, & iter & coronatos, & tamen spiritum quendam referre tenebamur. Quid consilii? Nobilis in reditu haud procul Parisiis formicam parvam nigram cum aliquot granis scatulâ incudit, & pro spiritu tradit, atque ut fucus major esset, addidit, spiritum hunc in munditie servandum, singulis Veneris diebus super aurum & argentum ei inambulandum esse &c. Et quia nobis fraus omnis constabat, ex eo plus vice simplici quæsivimus, an suo spiritus fungeretur officio? Sed non sine admiratione rem ita se habere recognovimus, hoc intra nos cogitantes, non, ut multis malignus hospes invitetur, opus esse, sed ipsummet, ut se insinuet, quærere. Similis farinæ exemplum tradit Schottus *Phys. curios. lib. 1. cap. 37.* Hæc autem ideò adduximus, ut incauta juventus Cacodæmonis gratificandi promptitudinem, seducendi desiderium, & perdendi ardorem legat, & propterea superstitiosa, illicita & vana, quibus Dæmon se immiscere gestit, cavere, ordinaria verò media quærere discat.

CAPUT XII.

Autor à verbali curâ verborum curatores dehortatur. Qui magica sacris verbis jungunt, Commodo Antonino sunt similes. Tractatio materiæ præsentis non ad forum Theologorum, sed Physicorum pertinet: nihilominus autoritate gravissimorum Theologorum probatur, Magis esse annumerandos, qui per verba certa curant, aut alia mira efficere videntur. Historia mulieris verbis solis morbos curantis ad lapides damnatæ. Causæ malorum nostrorum ex Senecâ.

§. I. QUapropter à verbali ac characteristicâ Philosophiâ ac Medicinâ Vobis, qui Deo O. M. propter Filii sui meritum reconciliati estis, cavete:

---- *fugite hinc, latet anguis in herbâ.*

infernalis, æmulus DEI hostis Satan, qui saluti vestræ sic insidiatur. Ut omnipotente suo verbô Universum hoc creavit Deus, & ut Dei Filius homo factus, hujusque virtute Prophetæ ac Apostoli verbis varios morbos curarunt & miracula fecerunt: ita infernalis Deus, ut divinitatis veræ opinionem in suis excitet, mira quoque æmulo studio per incantationes ac artes præstigiatrices audet, suaque virtute societatis suæ membra similia præstare, & ad Magorum collegium alios sic invitare posse inculcat. Igitur certa iisdem verba & incantationum formulas dictat, certos characteres, figuras, ac signa tradit, certas res, licet ad effectum producendum ineptas monstrat; quæ verba si vel pronuncient, vel chartis inscribant, colloque appendant, aut si rebus, utut absurdis, arte tamen & lege convenientе collectis juxta suum præscriptum utantur, vim novam & admirandam in eas res, quarum gratia verba & res istæ usurpantur, exsilire, miseris mortalibus persuadet. Caveant & vitent hos Dæmonis laqueos, quibus major animæ quàm corporis est cura, ut omnibus esse debet. Legant & relegant illud Cypriani *libr. 1. Epist. 5.* *Vitate linguam Diaboli venenatam, qui ab initio mundi fallax semper & mendax, mentitur ut fallat, blanditur, ut noceat, bona promittit, ut malum tribuat, vitam pollicetur, ut perimat, pacem pollicetur, ne perveniri possit ad pacem, salutem promittit, ne, cui promittit, ad salutem veniat.* Desinant multitudinis capita hoc insusurrare & Medicorum aures vellere: Gleichwol hilffts. Quid impedit, quò minus, qui eò usque procedunt, illud ingeminent:

Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.

Item:

— *si nulla valet medicina repellere pestem,*
Dardaniæ veniant artes.

atque sic cum Paracelso ajant: *Si Dei deficit auxilium, diaboli succedat.* Sed propterea prudentiorum calculô meritò hic & cum eo verbalium natio vapulat. Siquidem error dolore quidem dignus est, sed si cum pertinaciâ conjunctus, ut impietas, execratione. Certè, qui superstitiosa & magica naturalibus vel solis, vel simul etiam verbis sacris jungunt, Commodo Antonino sunt similes, quem sæpè pretiosissimis cibis humana stercora miscuisse, nec abstinuisse, gustu aliis, ut putabat, irrisis, refert Æl. Lampridius *in Vita Ejus*, imò majori iidem spurcitiei vitio se

reddunt

reddunt exosos Deo, Angelis & piis hominibus, cùm non corpus, sed animam ipsam ad imaginem Dei conditam fœtidô Magiæ cœnô conspurcent, cujus fœtore anima, nisi lachrymarum è contriti cordis penetralibus manantium aqua, & pretioso Salvatoris sanguine purgetur, velut suffocata, æternâ tandem morte occumbit.

§. 2. Illud autem à quibusdam per tradita impressam Magiæ notam ægrè ferentibus dictum quis ferat? Non ista conventio & accusatio, quia animæ sanitatem concernit, ad forum medicum, in quo corporis morbi curantur, sed ad aliud spectat. Neque enim Medicus ut Medicus, sed ut Philosophus naturalis, qualem Medicum esse decet, istam, qua & nos hactenus occupati fuimus, sibi considerationem vendicat. *Agunt de Magiâ Theologi, Jureconsulti, Medici, Philosophi. Et hos inter Pneumatici, Physici, Mathematici, Politici. Nos suum cuiq; tribuimus, & nostrum etiam tribuendum nobis censemus. Aut enim Magia Naturæ proles spuria, aut germana est. Quicquid sit, Physici submittenda censuræ. Hic enim quid Naturæ ferant vires, quid ferre recusent, pandere satagit.* Cl. Sperlingius *lib. 2. Instit. Phys. cap. 4.* An verba naturalem efficiendi potestatem obtineant, non alterius, sed Physici est decernere, & qui alio in foro verborum virtutem inquirunt, sub personâ Physici id agunt. Medium enim, à quo tanquam principio ratio unionis terminorum pendet, non ex Theologiâ, sed Physicâ in probatione desumitur.

§. 3. Teneræ, fateor, multorum aures offenduntur, quoties morborum curationes ad hominis bonum per verba factas Magiæ & pacti cum Dæmone, licet impliciti, accusari audiunt. Verùm anilibus verborum ineptiis non dicam Philosophorum sed Theologorum aures iidem magis offendunt. Non gravabor Theologorum quorundam excellentissimorum, quæ habitu Physici induti fecerunt, verba adducere, ne falce meâ solâ messem hanc metere videar: nec, vitio licèt mihi vertatur, me aliorum vitulis longiùs arasse, movebor, modò obtinuero, ut, qui Magiâ implicitâ sunt impliciti, superstitiosi verborum basiatores à credulitatis periculô retrahantur, fidem in magiam occultam temerè inclinatam dimittant, debitamque, sed gratam luant erroris pœnam, quam Plato *in Critia* dictitat. Quænam illa? Δίκη ὀρθὴ πλημμελοῦντα ἐμμελῆ ποιεῖν.

ποιεῖν. *Debita ejus, qui per ignorantiam negligentiamq; erravit, pœna est, ut sciens & diligens efficiatur.*

§. 4. Ex orthodoxis procedat magnum illud orthodoxæ Ecclesiæ Lumen, Frid. Balduinus, qui *lib. 3. Cas. Conscient. cap. 5. cap. 3.* quærit: *Suntne Magis annumerandi, qui per verba certa morbos curant, aut alia mira efficere videntur?* Post varia hujus argumenti gratiâ in medium producta tandem concludit: *Proinde non dubitamus eos, qui per nuda verba, vel etiam per characteres morbos curare, aut alia mirabilia efficere audent, eos vel inscios cum diabolo colludere, & catalogo Magorum & incantatorum, quos Dominus in lege suâ execratur, accensendos esse.* Admodum Reverend. Dn. D. Geierus *Disquis. Theolog. de Superstit. cap. 7. §. 8.* ait: *Quod si verò reperiri vel adhiberi videris verba ignotum quid significantia, characteres tibi incognitos, circumstantias ad præsens negotium parum facientes, imò sacra etiam nomina vel dicta, minus honorificè vel extra locum saltem tempusq; usurpata; è vestigio conjicias, periculum cujusdam tacitæ, illicitæq; collusionis subesse, proindeq; abstinebis cautissimè. Qui militia non vult implecti invitus, non modò cum militibus non conversabitur, sed ne nummulum ab iis, inscius etiam, reportet, anxiè providebit.* Dn. D. Danhauerus in der Catechismus-Milch *Concion. 13. pag. 186.* Vielmehr aber geschicht solche Collusion und geheime Verstand mit dem bösen Geist mediatè durch gewisse vom Satan selbst an die Hand gegebene Mittel. Denn zu gleicher Weis / wie ein frommer Christ und Kind GOttes / wenn er in Zweiffel stehet / was er in einem und andern Fall fürnehmen und angreiffen soll / rufft er GOtt an im Gebet / braucht ordentliche Mittel: so sagt man alsdenn recht von Ihm / er hats mit GOTT und seinem Raht angefangen / GOtt habs ihm in Sinn gegeben / ob gleich GOtt unmittelbar mit ihm nicht geredet: Also im Gegentheil / wer zweiffelhafftige Sachen zu erfahren solche Weg gehet / und Mittel braucht / die in Gottes Wort und der Natur Krafft nicht stehen / so fragt er den Teuffel zu Raht / und bitt gleichsam denselben zu Gevattern / ob gleich der Teuffel ihm unmittelbar in eigener Gestalt nicht erschienen und mit ihm geredet. Joan. Conrad. Durrius Prof. P. Altorffi laudatissimus, *Enchirid. Theolog. moral. pag. 116.* Magiæ, *inquit*, species duæ solent constitui: una φαρμακεία, altera γοητεία dicitur. Φαρμακεία iterum duas sub se species complectitur. 1. Quando Diaboli instinctu & auxilio, veneno inficiuntur & corrumpuntur homines aut pecora.

2. Quan-

2. Quando certa verba & characteres vel scripturæ, aut alii superstitiosi ritus, ut insufflationes, ligamina & amuleta adhibentur, quæ tamen nullam naturalem ad effectum producendum vim habent. Hujus criminis rei sunt, qui magicis characteribus & verbis, imò etiam certis verbis sacris & precationibus chartæ inscriptis & secum gestatis, aut plumbô certâ notâ signatô à sclopetorum ictibus immunes se præstant. *Item pag. 108.* Duplex est *invocatio Diaboli* aut Dæmonum, alia *expressa & directa*, qua intentio aliquid præcognoscendi aut consequendi immediatè in Dæmonibus terminatur: alia *tacita & indirecta* atque interpretativè talis, cùm quis notitiam aut effectum ex aliquo signo consequi seriò confidit, quod nullam ad hunc finem proportionem vel ordinem seu naturalem seu à Deo institutum habet, nisi ex ordinatione & ope Dæmonum: quam proinde ipso facto aliquis petit: unde Dæmones hoc facto velut rogati se immiscent, & res occultas per ejusmodi signa docent. Vide sis & ea, quæ circa Benedictiones aniles infrà adducemus.

§. 5. Ex Calvinianis adsit Voetius, Theologus sui ordinis Magnus, qui *Tom. 3. Dispp. Select. Theolog. Tit. de Magia pag. 578.* duas ex professo format & solvit quæstiones ad præsens negotium apprimè spectantes. *IX. Quæst. Unde est ergò mediorum illorum efficacia, si non semper, saltem ut plurimùm? Siquidem verba, actiones & res illas aliquid posse docet experientia.* Resp. *Procedit hoc ex arbitrio Diaboli, non ex constanti aliqua mediorum illorum aptitudine. Novit Diabolus simulare, superstitiosis illis mediis præstò esse, tanquam efficacibus cedere, fucatè se subjicere, ut homines fallat. Deus autem hoc permittens punit hominum curiositatem, superbiam, ingratitudinem & infidelitatem, qui ductu verbi & spiritus ejus, suaq; vocatione non contenti, nec acquiescentes in Dei voluntate & providentia, Deum tentant; atque ita immittit illis erroris & diabolicæ illusionis efficaciam. Confer Deut. 13. v. 3. & 2. Thess. 2. v. 10. 11. X. Quæst. Quomodo magiæ accusari possunt, qui omnis pacti cum Diabolo nescii, quiq; cum magis nullum habent commercium, imò contra magiam protestantur?* Resp. *Quia vis & efficacia illa, ad talem effectum producendum non est à materiâ (quæ non est actionis principium) nec à figurâ, seu formâ externâ, sive naturali, sive artificiali, nec est à Deo aut dono miraculorum: ergò in Diabolum reducitur: & quamvis illi dicant,*

se

se hoc minimè directè intendere, aut apertè profiteri, tamen magiâ indirectâ tenentur, non minus ac avari & voluptuarii idololatriâ, quicquid contra protestentur, de sua intentione, aut ignorantiâ, aut ἀπραγμοσύνῃ, *Coloss. 3. v. 6. Ephes. 5. v. 5. Philipp. 3. v. 16. Confer & analogicè huc applica ex declaratione primi & secundi præcepti distinctionem idololatriæ in directam & indirectam, theoreticam & practicam &c.* Gerard. Joan. Vossius Vir vastæ eruditionis & lectionis, ut Voetius *Part. 1. Dispp. pag. 914.* eum appellat, *lib. 1. Idolol. cap. 8. pag. mihi 32.* hæc habet: *Præter quem (apertum Dæmonum cultum) alter est, usque adeò occultus, ut ipsi, qui eum colunt, nesciant: ac propterea vel mortem potius oppetere sint parati, quàm hujusmodi quid profiteri. Tales sunt, qui multa videre agentes alios ex pacto cum Diabolo, quæ ipsi citra pactum, saltem expressum, imitantur; sic quoque respondente eventu: imò & illi, qui ista ab aliis pacti nesciis didicerunt, ac tam miranda fieri putant non vi dæmoniaca, sed naturæ; quippe longè potentioris, quàm vulgò credatur. Huc refero eos, qui res vim humanæ potestatis exsuperantes agunt verbis aut characteribus quibusdam ignotis, quibus fortasse diabolorum nomina & eorum invocationem signavere illi, qui primi iis ex pacto cum dæmone usi sunt.* Et paulò post: *Atque ut nihil ejusmodi foret, quale metuimus; saltem verba etiam cognita, nec in se mala, sacramentum sunt dæmonis ex tacito pacto concurrentis, quoties adhibentur ad ea præstanda, quæ nequit potestas humana.*

§. 6. Anton. Guevaram *p. 1. suar. Epist. ad Doctor. Melgar.* hanc recitare historiam scribit Gutierrius *Dub. 3. num. 4. Cùm Artaxerxis secundi ætate (deperditâ antea Medicinâ per quadringentos quadragintaque annos ab Æsculapii obitu, Autoribus Strabone, Diodoro & Plinio) muliercula quædam in Provincia Achajæ verbis solis varias morborum sortes levaret; propterea ab ejus Provinciæ incolis ad Athenienses relegata fuit, hi verò ad lapides eam damnarunt. Cujus sententiæ ratio illis erat, quia natura Deusque in lapidibus & herbis (& animalium partibus) non verò in verbis morborum remedia reposuere.* Hæc ille. Nostro tempore si omnes illi, qui spreta medendi arte verâ à verbis solis Medicinam petunt, ad lapides essent damnandi, proh! quanta foret hominum strages! Quod eò magis dolendum, quò magis magisque serenissimus Evangelicæ veritatis radius in orbe Christiano resplendet.

Mali

Mali causam quandam (in sexu præsertim sequiore) ex Senecæ *Epist.* 123. discere possumus. *Inter causas*, inquit, *malorum nostrorum est, quod vivimus ad exempla: nec ratione componimur, sed consuetudine abducimur. Quod si pauci facerent, nollemus imitari; cùm plures facere cœperunt, quasi honestius sit, quia frequentius, sequimur: & recti apud nos locum tenet error.* Sed & hoc inter causas malorum, futilisque medicinæ nos insuper referimus, quòd vivimus ad carnis placitum, nec voluntate Dei componimur, sed impatientiâ auxiliique in verbis facilitate abducimur. Si & verba potionis instar amaræ nauseam vel dolorem inferrent, vel magno pretio essent comparanda, nollemus iis uti: jam cùm à verbis ista absint, postponimus animæ quietem corporis securitati, ac ejus pretium pretio corporis, æternumque animæ periculum in lubricô ponimus locô.

CAPUT XIII.

Ratio III. *pro Fascinatione vocali ab imprecationibus & execrationibus disumta discutitur. Thyesteæ preces unde dictæ? Imprecationum effectus non à verbis, sed à Deo pendet, quod nec Ethnicos latuit. Per imprecationes etiam Diabolus immittitur. Wiero id neganti respondetur. Prædicta omnia exemplis confirmantur. Verborum efficacia eorum, qui ad Judicem supremum alios stato tempore, ut sequerentur, provocarunt, & sequaces habuerunt, unde?*

§. I. RAtio *secunda* desumta est ab effectu *imprecationum & execrationum*, quas Græci ἀρὰς vocant: inter quas Thyesteæ preces, quas supra *Part. 1. Sect. 2. cap. 1.* & *Part. 2. Sect. 2. cap. 9.* attigimus, celebres sunt in Poetarum monumentis, dictæ à Thyeste filio Pelopis & Hippodamiæ, qui ad regnum adspirans corrupit uxorem Regis Atrei fratris sui. Quare Atreus irâ æstuans filios ejus trucidavit, & coctos Parenti apposuit, quo de Horatius *de arte Poetic.*

Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus.

Hinc Thyestes gravibus & diris contra Atreum usus est imprecationibus. Verùm effectus, qui imprecationes sequitur, non à verbis, qua talia sunt, sed à superiori agente manat. Das gemeine Gebet und

der gemeine Fluch vermag viel/ Proverbium fuit Majorum nostrorum referente Camerario *Cent. 3. cap. 36.* Nimirum, ut preces, ita & imprecationes suas à Deo capiunt vires; Thyesteæ verò preces, si carmina fuerunt incantatoria, à Deo stygio, vero sic permittente, effectum, si quem habuerunt, acceperunt. Proinde dubium nullum est, verba ex ipsâ animi ferventis mente fusa precum instar ardentissimarum Dei vindicis manum ad effectum patrandum sollicitare: Deum verò acerrimum judicem sic sollicitatum justas, nobisque occultas ob causas sæpe verbis annuere, maximè ut præsentibus divinæ ultionis spectaculis moniti homines malè agere desinant, & ad meliorem frugem se recipiant. Propterea κατάρα δύσφημον καὶ σκυθρωπόν, *execratio tristis res est & mali ominis*, ut ait Plutarchus *Quæst. Rom. 44.* Quæ causa, referente eodem, fuit, ut dira imprecari aliis Sacerdotes per leges non potuerint; laudique datum est Athenis Sacerdoti, qui populo jubente Alcibiadem devovere noluit, votorum se, non detestandi causa Antistitem esse inquiens. Tristem autem imprecationum effectum Deum, non verba ipsa ut talia habere autorem, nec Ethnicos latuit, qui ad Deos suos, non verò his neglectis, ad verba nuda in imprecationis negotiô attenderunt. Hoc Plato *Lib. 11. de Legg.* testari potest, ubi ita scribit: *Oedipus contemptus à filiis ea illis imprecatus est, quæ exaudita effectaq; à Deo apud omnes feruntur.* Bellerophontes cùm nullam gratiam ab Jobate retulisset (quod Amazones ejecisset, & Amisodarum interfecisset) sed ab eo injustissimè tractatus esset, ad mare accessit, & Neptunum precatus est, ut Jobatæ regionem sterilem inutilemque redderet, votisque factis retrò recessit. Fluctus autem elatus terram inundavit, eratque atrox spectaculum, cum sublime mare sequeretur eum, & agros occultaret, Plutarchus *de Virtut. Mulier.* Ad Deos Deasque conversus Demosthenes *Orat. pro Ctesiphont.* sibi, si odio privato adductus, & contentionis studio elatus falsum crimen inferat, omnium rerum bonarum & secundarum fructûs privationem imprecatur. *Virgo quædam, cùm juveni sub hac imprecatione: si alteri quàm tibi nupsero, tunc Diabolus in nuptiis illis me abripiat, datam sponsaliorum fidem violasset, & alteri nupsisset, ipso die nuptiali à dæmone, cùm quo bis saltaverat, per ostium in altum suffertur. Parentibus sponsam altero die quærentibus idem cum sociô suô Dæmon occurrit, vestes & aurum referens, additis verbis:*

bis: Non in has, sed in Sponsam à Deo nobis fuit concessa potestas, Godelmannus *de Lam. lib. 1. cap. 1. n. 8. Princeps quidam cum faveret maleficis, & cum his quandam civitatem in certis negotiis indebitè aggravaret, dum hoc sibi à quodam familiari objiceretur, illi omni timore Dei postposito respondit: Det Deus, ut in hoc loco moriar, si injustè illi à me aggraventur. Ad quæ verba subitaneâ morte etiam expiravit*, Sprengerus *Mall. Maleficar. pag. 381.* Nimirum *testis velox perjuris est Deus Malach. 3. v. 5. Maledictio venit in domum jurantis in nomine meo mendaciter. Zacch. 5. v. 4.*

§. 2. Imò per imprecationes etiam Diabolum ipsum quandoque immitti, annotata à Fernelio, Bodino, Cæsario & aliis exempla confirmant. Cæsarius *lib. 5. cap. 26.* unum recitat de patre imprecante filiæ quinquenni, edenti lac, ut unà cum lacte diabolum voraret; alterum de patre alio imprecante filio; tertium de marito imprecante uxori, ad quas imprecationes Diabolus statim corpora eorum, in quos imprecatio directa erat, invasit. Voetius *Part. 1. Dispp. Select. p. 1023.* ex Bezæ *Concion. 26. in Passion.* exemplum refert sequens: *Scio quandam in Gallia fuisse patrem familias cognitione veritatis donatum, & eandem amplexatum, qui cùm per iracundiam unum ex filiis duobus devovisset, repente à Diabolo filium correptum, quo deinde licet ardentibus & assiduis Ecclesiæ ad Deum precibus ejecto, tamen adolescentem illum vix sanitati redditum, paulò post morte sublatum esse.* Wierus quidem *lib. 4. de Præstig. Dæm. cap. 18.* negat ulli vetulæ, ulli obstetrici (quæ corrupta est, ait, multorum opinio) ullive homini, quantumvis maligno aut scelerato Diaboli mancipio concessum esse, corporibus dæmonas imprecando immittere, cumque non ignoret exempla, atque ipse unum execrandæ imprecationis filiolo in utero adhuc latenti à parente factæ referat, nihil ea obstare dicit, ob peculiarem ingenitamque parentum cum filiis sympathiam, cujus nomine exemplum quandoque horrendum proponere soleat Deus. Verùm illimitate & simpliciter ea si spectentur, suo stare posse talo Wiero ipsimet largimur, & vetulas pro suâ libidine & arbitrio id posse negamus. *Si verò Dei permissio accesserit, non video, quid obstet, quin corporibus hominum immitti possit æquè, ac in corpus Jobi illud excruciandi ab extra potestatem divinitus accepit: ubi quidem nihil damus preculis, aut aliis ceremoniis vetularum; diabolus*

autem sponte submittit se ministris suis, ut eas in superstitione sua confirmet, devotasq́ sibi conservet; Verba sunt Balduini *lib. 3. Cas. Cons. cap. 3. Cas. 2.* Quod autem imprecationes non feriant omnes, divinæ misericordiæ tribuendum est, qui malas hominum voluntates repagulis suis compescit: interdum etiam imprecatio non est ex mala intentione, sed ex subitô affectu iracundiæ, aut ex malâ adsuetudine, vel ex leviatate, quam statim comitatur pœnitentia, quæ effectum remoratur. Propterea autem ipsis imprecationibus non est omnis deroganda efficacia, quæ nimis manifestis in exemplis se prodit, præsertim cum parentes imprecantur liberis, ubi etiam immerita imprecatio non semper caret effectu, non tantum propter peculiarem ingenitamque parentum cum filiis Sympathiam, ut Wierus opinatur, sed quia quarti præcepti observantia primam promissionem habet, transgressio verò primam maledictionem. Unde Siracides *c. 3. 11. benedictio autem patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Ita Dn. Rauppius *Biblioth. Portat. Pract. pag. 445.*

§. 3. Sic & temerarios sermones facili ore ex prava consuetudine citra seriæ imprecationis æstum prolatos effectus pariter sæpe sequitur, non verbis ipsum effectum operantibus, sed Deo oris futilitatem justè, ut alii malam consuetudinem fugere discant, puniente. *Cuidam nihil frequentius in ore hac fuit voce: Ut te paries inclinans obruat exstinguatq́. Atque hic cum sociis à pariete ruinoso graviter & ferè ad internecionem fuit læsus. Sed cum suetam imprecationis formulam deinceps in hanc mutasset: Ut te afflicta senio arbor caduave obruat, occidatq́, inq́ sylvam aliquando idem arborum quarundam cædendarum gratia contendisset, gravem sibi temeritatis pœnam imminere sensit. Parum enim abfuit, quin ab aliqua ex improviso obrueretur*, Otho Melander *Tom. I. Joco-Ser. 599. Quidam*, eodem Autore, *irâ inflammatus has in voces proruere consueverat*: Daß dich aller Bettler Kranckheit ankomme; *cui deinceps non cum uno aliquo morborum genere, sed cum innumerabilibus conflictandum fuit, quibus & miserabiliter interiit.* Alios novit Idem, *qui identidem aliis morbum comitialem sunt imprecati, sed qui & ipsi ad extremum cruciatu summo, illâ ipsa epilepsia enecti extinctiq́ fuerunt.* En! si verbis ipsis insita effectum patrandi virtus fuisset, non propria imprecantis, sed alia, cui imprecatio facta est, seu, quæ imprecationis fuit obje-

objectum, persona effectum sensisset. Quanquam sint, qui, ut fidem sermoni suo faciant, mala verba sibi dicunt, & juramenti locô temerè ac sine necessitate ex prava saltem consuetudine ad rem quamcunque, etiam exigui momenti fundunt. Nonnemini hac in urbe frequens hoc fuit: **Ich will erblinden/** qui cœcus in senectute evasit. Alia vetula crebro ore usurpavit hoc: **Ich will erkrummen und erlahmen/** quæ imprecationis gravitatem deinceps conscientiæ stimulis suscitata deploravit. Mulier quædam primam imprecationis formulam familiarem habens filium peperit oculis orbum. Proinde citatus jam Melander aut penitùs iis formulis abstinere, aut hujusmodi uti suadet, quæ noxiæ & pestiferæ haud sunt, quales sunt, inquit, *ut te anas obterat:* **Daß dich ein Ende zertrette/** aut, *ut te ovis mordeat,* **dat dick ein Schaap biete/** aut *ut te fænum stimulet,* **daß dich das Heu steche:** atque id genus aliis, quibus magni nominis ac illustres præstantesque viri fuerint usi, sicut & Lutherus hanc imprecandi formulam usurpare solitus est: *Ut ne malum in vita habeas unquam,* **daß dich alles Unglück fliehe/** Lutherus *Tom. Witteb. 6. pag. 92.*

§. 4. Verba multorum, qui læsi lædentes ad supremum immortalis Dei incorruptique Judicis tribunal, ut stato tempore sequerentur, provocarunt, pondus habuisse, tragica, fateor, exempla probant. Verùm verba provocantium qua talia ab afflictissimis vel morituris prolata tantarum virium non sunt, ut provocatorum corporibus stato tempore alterationem inferre, & vitæ fontem, jam limpidissimum, desubitò turbare & obturare queant. Nam *mortis judicium à Domino omni carni*, Syracid. *cap. 41. v. 5. Christus mortuis ac viventibus dominatur, Rom. 14. v. 9.* & *Job. 14. v. 5. Numerus mensium hominis apud Deum est, qui constituit terminos ejus, qui præteriri non poterunt.* Caveamus ergò, quod DEI potentiæ debetur, impotentibus impotentis hominis verbis tribuere potestatem animam è corpore post elapsum certi temporis spatium eximendi. *Cœlestis Pater,* verba sunt Drexelii *Tribunal. Christ. lib. 2. cap. 3. Homini, suo Filio, judicandi potestatem, & omne jus gladii commisit, ideò hic judex, qui unicè amat homines, hominibus sæpè obedivit. Et quia non rarò pars graviter læsa partem adversariam & lædentem in jus vocavit, Judex hujus nominis delationi sese attemperans postulatum quoque adversarium comparere jussit, ut in ambos judicio præsentes sententiam diceret.*

CAPUT XIV.

Ratio III. à Musicâ petita examinatur. Musica unde dicta? Hæc inanimata Orpheum movisse Ethicè à quibusdam intelligitur, à nonnullis magicè explicatur, Muri Hierichuntini non sono buccinarum sunt collapsi. Bruta Musica delectantur. Orpheus Magus vel fanaticus. De Arione à Delphino ad litus deportato. De pisce Xiphiâ voce allecto, quæ referuntur, nihil facere pro verborum potestate physicâ ostenditur. An certis verbis piscis ille allectus detineatur, & Græcorum idioma intelligat, investigatur.

§. 1. RAtionem *tertium Musica* sistit. Musica (ab Ægyptiacô nomine *Mos* vel *Mo*, quod *aquam* notat, ex sententiâ Kircheri in *Prodr. Copt.* citante D. Gerhardo *Eccles. Coptic. cap. 2.* dicta, eò quòd Ægyptii primùm ad aquas illas invenerint, uti ex arundine fistulas) omnium disciplinarum antiquissima, aures ad harmoniam, ut Alcinous *de Doctrin. Platon. cap. 7.* loquitur, creatas, animumque delinit quidem, & velut occulto suavique influxu animam sensitivam mirè afficit. Sed Musicâ (1.) *inanimata* & (2.) *bruta*, quod pro verborum facultate opponitur, *Orpheum* (non Thracem Argonautam, sed Poetam, qui Onomacritus dictus Tatiani & Hippiæ filiorum Pisistrati temporibus claruit) Amphiona & Ariona variô citharæ vocisque modulamine affecisse & effecisse, ut saxa se moverent, delinitæ arbores suis se locis exererent, sensificatæ cautes choros agerent, fluvii cursum cohiberent, aves advolarent, leones & tigres properarent, & exarmatæ feritatem ponerent, nisi *Magicè* vel *Ethicè* intelligatur, Physicè certè explicari nequit. Ethicè autem capiendum, quòd suâ Orpheus prudentiâ sylvestres hominum, beluniô prope ritu degentium, mores ad mansuetius vitæ genus, turpemque eorum victum, qui humana caro fuit, ad meliorem ex frugibus compositum, sancitis ad civilem conversationem bonis legibus redegerit. *Amphion* Thebanus vir Musicæ & Citharœdicæ artis peritiâ seu orationis & modulationis suavitate illustris saxa pariter movit, &, quò vellet, duxit, h. e. rusticos & feros homines ad civilis obsequii pellexit

lexit disciplinam, murosque Thebanos, saxis in structuram concurrentibus, condidit.

§. 2. De *Arione* Methymnæo Lesbio, Lyrico & Cytharœdo eximio quæ feruntur, eodem intelligenda veniunt sensu. *Magicè* verò sumunt ista alii, quia Orpheus Ægypto Magiæ sede fuit ortus, eumque ut supra vidimus, Magiæ fuisse studiosissimum, asserere non dubitat Excell. Conringius, ductus Plinii & Pausaniæ autoritate, quorum, hic *lib. 9.* ait: Πιστευόμενος εὑρηκέναι τελετὰς θεῶν, καὶ ἔργων ἀνοσίων καθαρμοὺς, νόσων τε ἰάματα, καὶ τροπὰς μηνιμάτων θείων. Delrio *lib. 4. D. M. cap. 2. Quæst. 2.* & Jordanus *loc. cit. cap. 51.* Orpheum ad fanaticorum classem referunt. Fanatici autem à Dæmonibus sunt afflati, ab abrepticiis vel obsessis solâ vaticinatione differentes. Fabium Paullinum equidem hanc sylvarum & saxorum abstractionem veram fuisse, ex Platonicorum mente disputandi gratiâ contendisse, & per septem modos probasse tradit Delrio *lib. 1. cap. 4. Quæst. 3.* sed & eosdem idem loco citato modos discutit. Itaque vel magicum vel fabulosum hoc est, in Alsino agro Caroniæ fontem fuisse, naturâ tranquillum, sed insonantibus tibiis exultabundum ad harmoniæ modos elevatum, & ultra etiam margines intumescentem: quod in Thoma Fazello rerum Sicularum luculentô scriptore *Decad. 1. l. 1. c. 5.* annotatum reperit & ex eo tradit Jordanus *cap. 66.*

§. 3. Muros Hierichuntinos sonô buccinarum ab Israelitis *Jos. c. 6.* editô succussos ut adeamus, naturali solius soni virtute eos corruisse negamus. Sonus enim vel spiritus è tubâ explosus in omnes latissimi aeris spatii partes dispergitur, & dispersus hebescit, brevique conquiescit. Quò quidem ori ille vicinior, eò fortior: sed quò longiùs progreditur, eò debilior evadit. Itaque si naturalem solida proturbandi vim habet tubarum clangor, in ea primùm, quæ proxima sunt, & in quæ citiùs incurrit, veluti in lanceas, tentoria, imò in commilitones densum agmen constituentes impetum faciet, & ore manibusque deturbabit buccinas, milites verò se mutuò vicino tubarum suarum clangore prosternent. Itaque divinam hîc agnoscimus potentiam. Dato nimirum ad Dei mandatum buccinarũ clangore, subtractoque stationi solo infiniti agentis concursu isti corruerunt, & quidem, ut ex Cajetano rigorem textûs Hebraici rimante Cornelius à Lapide ad istum locum notat, *subter se*, quòd vel in fossam circumcirca, vel majori miraculo sub terram casurus erat mu-

rus,

rus, ut Israelitæ non impedirentur à ruinis muri, sed liberum haberent ingressum circumcirca in civitatem. Simile miraculosi murorum collapsus exemplum notavit Lipsius *Exempl. Politic. libr. 1. cap. 2. Monit. 4.* Roberto enim Galliæ Rege viro demissæ & raræ sanctimoniæ Avallonem urbem obsidente muri spontè corruerunt, ipso interea laudes hymnosque cum sacerdotibus in tabernaculo concinente.

§. 4. *Bruta Musicæ suavitate delectari* non negamus, cùm & aves cantum veluti quadam disciplinâ suæ artis ex insito amore exerceant, & suavi modulatione se mutuò ad cantillandum invitent: imò ex avium imitatione suum Musicam habuisse ortum fidem Chamæleon Ponticus apud Athenæum *lib. 9.* his fecit, & asserit τὴν εὕρεσιν τῆς μουσικῆς τοῖς ἀρχαίοις ἐπινοηθῆναι διὰ τῶν ἐν ταῖς ἐρημίαις ᾀδόντων ὀρνίθων, ὧν κατὰ μίμησιν λαβεῖν στάσιν τὴν μουσικήν. *Musicen ab hominibus priscis inventam, & excogitatam ab avibus iis, quæ in solitudine canunt, atque ad earum imitationem esse institutam musicæ disciplinam.* Sic & Lucretius:

> *At liquidas avium voces imitarier ore*
> *Ante fuit multò, quàm lenia carmina cantu*
> *Concelebrare omnes possent, aureisque juvare.*

Propterea quæ de Delphinis, Elephantibus, Cervis, Equis & aliis animantibus brutis, quòd musicô concentu mirificè delectentur & gaudeant, fuerunt adducta, in dubium vocare nolumus. Delphinum Symphoniæ cantu moveri suis oculis non sine voluptate semetipsum spectasse scribit Schottus *Part. 2. Mag. Univers. lib. 1. cap. 3. Anno 1633.* inquit, *cùm Neapoli in Siciliam navigarem exiguâ scaphâ vectus, & post 6. dierum navigationem prosperam tandem die septimo Messanam urbem in conspectu haberem, cœpi cum sociis Ambrosianum Hymnum, Te Deum laudamus, & Litanias Lauretanas in Deiparæ laudem cantare harmonico concentu, & ecce! agminatim Delphini accurrunt, naviculam circumnatant, in altum exiliunt, comitantur ad longissimum spatium, nec, nisi finito concentu, discedunt.* Sed fabulam, quam celeri admodum & cohibili oratione, vocumque filo tereti & candido scripsit Herodotus super fidicine illo Arione, ut loquitur A. Gellius *lib. 16. cap. 14.* (nimirum Ariona, postquam in mare sese præcipitasset, in Delphini unius carminis Orthii suavitate illecti dorsum desiliisse, salvumque & incolumem ab eo per longa æquorum spatia placidè ad litus Tænarium Laconiæ fuisse deportatum) fabularum loco

loco nos quoque linquimus. Nam, ut tradit Natalis Comes *Mytholog. lib. 8. cap. 14. eadem semper est natura animalium, neq; tamen quisquam ab illis ad hæc usq; tempora servatus narratur à delphinis: & tamen infinitus propè est numerus eorum, qui in mari perierunt: at cum in mare se præcipitasset, magis probabile est, natantem & vestibus sustentatum Arionem à nautis Tænariis fuisse exceptum, & in navi, cui picti fuissent utrinq; in prora delphines, in Tænarum fuisse portatum; ut scriptum reliquit Antimenides in 1. lib. Hist.* A. Gellius *loc. cit. in fine* ait, eam fabulam dicere Lesbios & Corinthios, atque esse fabulæ argumentum, quod simulacra duo ahenea ad Tænarum viserentur, Delphinus vehens & homo insidens.

§. 5. Neque tamen, si fabula non sit, quia dicit Philippus in Ανθολ. *lib. 1. cap. 50.*

---- ού ψεύστης μῦθος Αρειόνιος.

— *Non falsa est fabula Arionia.*

notante Vossio *Idolol. lib. 4. cap. 16.* majus ex hoc robur argumentum, propterea capit. Musica suavitate ut hominis, sic & brutorum aures pro ratione organi auditus & spirituum, in quibus magna est varietas & ad percipiendam modulaminis gratiam diversitas, invitantur & pascuntur; nemo tamen ob id colori, qua tali, realem efficiendi, lædendi & fascinandi potestatem, qualem verbis & sono tribuunt, adscribit.

§. 6. Piscem *Xiphiam* verba percipere, atque allectum se sistere non miramur. *Audire enim eos* (pisces) *palam est, utpote cum plausu congregari feros ad cibum consuetudine in quibusdam vivariis spectatur,* ait Plinius *lib. 10. cap. 70.* Hoc, quod subjungit, cum Doctissimo Vossio *loc. cit. lib. 3. cap. 27.* miramur: *In piscinis Cæsaris genera piscium ad nomen venire quosdam singulos.* Est & Ciceronis, advertente eodem Vossio *l. 2. ad Atticum Epist. 1. Nostri Principes digito se cælum putent attingere, si mulli barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant.* Ac Lucianus de Dea Syria similiter de piscibus, οὗτοι δὲ καὶ ὀνόματα ἔχουσι καὶ ἔρχονται δὲ κεκλημένοι. *Hi & nomina habent, atq; iis vocati adveniunt.* Hæc per naturæ, & quidem phantasiæ ac memoriæ benignitatem, quâ & bruta, attamen diversimodè, gaudent, excusari possunt: non tamen ex hoc ad verborum potestatem & influxum physicum ac realem argumentari li-

 cet,

cet, cùm & canes, vaccæ, porci, aliaque nominibus suis, quibus indigitantur, vocata ex nominationis consuetudine & hinc phantasiæ suscitatione ad capiendum pabulum, tanquam bonum, ad quod naturali instinctu animalia feruntur, quodque nominata & vocata se accepisse memoriæ beneficio norunt, accedant: Quis verò, præter significandi modum, realem verbis influxum propterea adscribat?

§. 7. Xiphiam verò piscem per ista tantum verba, quæ supra adduximus, etiamsi ea nunquam audiverit, Græcorum etiam idioma ab Italico eum distinguere, à se, ut credat, vix quisquam impetrabit. Kircherus per incantamenta & præstigias capturam fieri primùm putavit, sed postea mentem mutavit, & sine ullâ superstitione id fieri dixit, pro fundamento id supponens, sonum sphæricè diffusum & in varia incidentem corpora non omnia movere, sed illa tantum, quæ isti sono sunt proportionata. At ista tantum vocabula, ait, habere hanc vim concitandi spiritum insitum & phantasiam animalis hujus & blandè afficiendi, non alia. Gasp. Schottus verò à Kirchero dissentit, & vim naturalem verbis pro piscis illius capturâ decantatis negat, sed & incantatoria esse, & ex pacto implicito saltem cum Diabolo operari scribit. Verùm quæcunque sententia obtineat, nobis neutiquam obest. *Hæc* naturalem potestatem verbis negat: at eandem & nos negamus. Ista harmonico concentui per verba edito spiritum & phantasiam suaviter demulcendi & invitandi virtutem, quæ naturalis est, tribuit: at eandem nos quoque jam ante asseruimus. Influxum verò à verbis, qua talia sunt, realem & coactivum manare, ac vi quadam sibi insitâ piscem è latebris, ut præsentem se sistat, impellere, probatione, quam nos desideramus, eget.

§. 8. An Piscatores (liceat nobis conjectari) in freto isto frequentes certô musicô cantu & cibo clam injecto ita ad consuetudinem sensim pisces illos trahunt, ut, si placet, dato deinceps ejusdem cantus velut ad cibum distribuendum signo facili eos negotio alliciant & capiant: econtra datâ operâ cum strepitu quodam idioma mutant, & sic ad fugam assuefaciunt, quod deinceps alii fraudis ignari mirantur? Bruta ita ad certum sonum assuefieri posse, præter ovium, anserum, gallinarum & aliorum custodes, ridiculum illud exemplum, quod è Drexelio recitat J. Adam Weberus *Art. Disserend. de qualib. mater. Font. 24. Exempl. 8.* confirmat. *In Helvetia locus est Lucernâ 4. milliaribus distans, ubi Parochus*

rochus habitat, qui rarô naturæ prodigio solet hospites suos inter prandendum oblectare. Pultem transfundit in patinam, & certo statuit loco. Mox signo dato prosilit è cavo hinc musculus, inde prodit è cavea avicula, aliunde cum cane adventat felis: ita quidem, ut nec feli canis, nec muri felis, nec mus aut felis avi quidquam hostile faciat. Summa est inter omnes amicitia, maxima concordia, nulla invidia. Absumto prandio, ad suum unumquodq; animal redit cubile: ita ut avis ipsa sibi ostium caveæ & aperiat & claudat, & mus, quotiescunque nominatim ab hero suo vocatur, de cavea sua procurrat, nec cane oblatrante, nec fele insidiante.

CAPUT XV.

Musicæ vis uberiùs, & quidem quoad Hominem, consideratur. Cur Homo Musicâ delectetur & afficiatur? Variæ variorum sententiæ. Rectiùs à phantasiâ depromitur causa. Sonus inconcinnus mirè sæpè phantasiam, & per hanc corpus afficit, quod historiis illustratur. Agrippa notatur. Phantasiæ & auditûs excellentia in Homine major est. Musicæ instrumentalis, quando vocalis jungitur, vis est major. Græcorum exempla in dubium vocantur. Alexandrum quomodo Musica ad iram commoverit? Musica nostræ ætatis veterum præfertur & contra Pancirollum vindicatur. Modorum Musicorum, quos, sed non omnes, veteres usurparunt, nomina, proprietates &c. recensentur. Historia de Citharœdo apud Ericum Daniæ Regem examinatur. Sirenes Poetarum ad fabulas spectant. Dari autem Sirenes historiis probatur. Quadruplex Sirenum, quarum Poetæ mentionem faciunt, expositio: moralis recensetur.

§. I. (3.) HOminem harmonicas voces & sonos afficere & movere periti Tubicines norunt, nec nos sumus nescii. Sed quî fiat, quòd Homo ita Musicâ delectetur & afficiatur? jam dispiciendum. Hier. Fracastorius *lib. de Sympath. & Antipath. cap. 14. pag. in Theatr. Sympath. auct. 680.* causam hanc dat, quòd sonus integer, quia distinctus, suavior ad aures accedat. Omne autem ordinatum & distinctum delectat: fractus autem, quia indistinctus, suavitate caret. Verùm sonos

 & fra-

& fractos & integros ingratos dari experientia docet. *Scaliger. Exerc. 302. Sect. 2.* causam ex aeris subsultantis cum spiritu cordis unione, & inde orta musculorum ad motum varia dispositione nonnihil generaliter derivat. Thom. Willis sedulus & accuratus Cerebri dissector *Anatom. Cerebr. cap. 17.* specialiùs à peculiari spiritus animalis, & demum pro ratione effectus, vitalis dispositione, & suavitate soni primùm ortâ causam derivat, siquidem harmoniæ modulus cerebrum ac cerebellum & quidem hoc immediatius trajiciat, eò quidem citius, quò mollior hujus sit compages, impressionumque magis capax, & peculiari spiritus schematismô afficiat; quare non modò phantasiam delectatione quadam hinc affici, verùm insuper cordis mœrorem & tristitiam sublevari, imo passiones quasvis turbulentas ex sanguinis æstu & fluctuatione immodicâ in pectore excitatas, sedari sentit. *Quandoquidem,* inquit p. 160. *spiritus animales præcordiorum motui inservientes à Cerebro concepta, influentia huc transmissa, spiritus hosce in ipsô fonte commovendo, eorundem affectuum impetus pectori transferunt: ita melodia auribus introducta, & per hanc provinciam diffusa, quasi benigno afflatu spiritus hujus incolas incantat, eosque à furore avocatos velut ad tripudii numeros & modos componit, adeoque tumultus quosvis & inordinationes inibi excitatas compescit.*

§. 2. Athan. Kircherus *in Arte Magneticâ ac in Musurgiâ*, item G. Schottus in *Magiâ Phonurgicâ*, præmissis experimentis duobus, quæ præterimus, concludunt, sonum per medium unà cum aere diffusum & propagatum penetrare etiam corpora solida, ac multò magis corpora nostra, utpote valdè porosa, ipsumque cor nostrum subire, quod sedes est & officina spirituum: spiritus verò, cùm sint subtilissimus quidam vapor sanguineus & admodum mobilis, facilè à concitato aere sonum deferente concitari, & cum spiritus hujusmodi sint instrumentum animæ, & hæc in operationibus & affectibus suis maximè dependeat à commotione hujusmodi spirituum eamque quasi naturaliter sequatur, pro variâ hujusmodi spirituum concitatione à vario sono, maximè verò ab harmonicô facta, varios in animâ affectus (qui tamen omnes sunt in animæ potestate, quoad voluntarii aut involuntarii rationem) sequi statuunt. Verùm enim verò, cùm & Delphini, ut ex eodem Schotto vidimus, Musicâ delectentur, saltuque gaudium testentur,

tur, an ſonum per aerem & aquam diffuſum corporum illorum poros & inde cor eum impulſu, ut ſpiritus concitentur, ſubire credimus? Hæc fidem meam, fateor, ſuperant. Sanè obturatis auribus licet ſuaviſſimo concentui corpus etiam nudum pro faciliori ſoni receptione exponatur, ſpiritum ullum iri commotum, mihi perſuadebit nullus. Adhæc ſi harmonicus ſonus cum aere corpus poroſum penetrat & concitat, cur nulla vel ſaltem quædam concitationis & agitationis ſpirituum præſente harmonicô concentu in dormientibus obſervantur veſtigia? Si enim naturalis eſt ille effectus, utique factâ etiam in ſomno concitati aeris per poros ſonum deferentis cùm ſpiritibus conjunctione, non poteſt non ſpirituum, adeòque & partium commotio vel ſubſaltatio ſequi. Sed negat ſimilem experientia obſervationem. Inſuper ſi à ſpirituum in corde & partibus commotione per ſonum Muſicum citra Phantaſiæ erectionem facta iſta corporis fieret alteratio, non tanta inde oriretur affectuum, velut iræ, furoris &c. diverſitas. Quamvis enim temperamenta ratione humorum inſigniter varient, niſi tamen præſentis mali è verbis in concentu harmonico factis perceptio fiat, etiamſi cholericum corpus ſit, ad iram tamen ſolo ſono non commovebitur, ſed intra gaudii limites ſubſiſtet. Præterea Muſici inſtrumentales ad operam ſuam in nuptiarum conviviorumque ſolennitatibus præſtandam conducti, quò ſæpius eam locant, eò minus à muſicô concentu, imò tædiô tandem afficiuntur: cùm tamen ſpiritus eorum à vicino ſono nimiùm commoti per iſtud principium, & quia res non voluntaria, ſed naturalis eſt, agiliores, non remiſſiores fieri deberent.

§. 3. Nos ad Phantaſiam primariò hîc reſpicere malumus. Hæc ab illapsâ per auditûs organum cum aere melodiæ ſpecie, ſpiritibus animalibus gratâ ſuſcitatur & vegetatur. Suſcitata concentus muſici ſuavitatem & φυσικὴν ἡδονὴν *naturalem voluptatem*, quàm Ariſtoteles *lib. 8. Polit. cap. 5.* Muſicæ tribuit, cognoſcit, miratur, eâque gaudet ejusque ut boni cogniti poſſeſſionem auricularem appetit: hinc potentias naturales, ut uberior fiat boni cogniti fruitio, in conſenſum trahit, & humores, ſpiritusque pro cognitionis ipſius, ut & temperamentorum varietate, diverſimodè movet. Contra diſcordantes ac inconcinnos ſonos eadem etiam cognoſcit, velut cum cultrô ferrum raditur, vel chorda ad ſtridorem edendum urgetur: ſed tanquam malo quodam offenſa

sa potentias naturales ad fugam impellit, spiritusque ac humores quandoque inordinatiùs movet. Imò licet in se suavis sit concentus, si eum ut sibi inconcinnum phantasia æstimat, corpus tamen ad alterationem usque nonnunquam offenditur. Cujus rei lepidam historiam recitat Scaliger *Exerc. 344. Sect. 6.* de quodam regulo Vascone equite, qui, dum viveret, auditô phormingis sonô (phorminx verò idem instrumentum est cum testudine *Scalig. Exerc. 302. §. 7.*) urinam illicò facere coactus fuit. Huic similem D. Jungius accepit à Dn. Gul. Guil. Managetta *Anno 1. Natur. Curios. Obs. 134.* Causa tamen, cur vesicæ solius, non verò aliarum partium, ut alvi, ventriculi &c. expultrix insimul fuerit commota, latet in abscondito.

§. 4. Sententiam porrò nostram confirmat hoc, quod & pictura rem musico modo exponibilem oculis sistens ritè adhibita intuentis Phantasiam animumque mirificè adficiat, & affectum concitandum promoveat, cujus insigne Ælianus *lib. 2. Var. Hist. cap. 44.* exemplum recitat. Sed ipsos canentium affectus cum cantu in audientes transfundi, quis credat Corn. Agrippæ *lib. 2. Phil. Occult. c. 25.* ita differenti: *Verùm cantus, quàm instrumentalis sonus plus potest, quatenus præter harmonicum concentum ex mentis conceptu ac imperioso phantasia cordisq; affectu proficiscens, simulq; cum aëre fracto & temperato aërium audientis spiritum, qui anima ac corporis vinculum est, motu facilè penetrans, affectum animumq; canentis secum transferens, audientis affectum movet affectu, phantasiam afficit phantasiâ, animum animo, pulsatq; cor & usq; ad penetralia mentis ingreditur, sensim quoq; mores infundit, movet præterea membra atq; sistit, corporisq; humores.* Suscitant quidem voces & harmonici concentus affectus, sed suscipere & deferre nesciunt. Diversos in diversis non rarò eadem cantilena movet affectus, sed varium in canente uno fuisse imperiosæ phantasiæ motum & cordis affectum probari nequit.

§. 5. Phantasiæ itaque in homine excellentiam, insuper auditûs perfectionem, & spirituum animalium copiam ac mobilitatem, cur homo ita Musicâ delectetur, causam esse existimamus. *Phantasia* enim sensus hominis internus facultas est cognoscens ab animâ rationali manans: ea autem sensitiva & vegetativâ animâ est excellentior. *Auditus* in homine & perfectior, quia cum protuberantia annularis in hominis

aure

aure ſtrictiorem, quàm in quadrupedum auribus affinitatẽ cum cerebrô habet, tum nervi auditorii non, ut in brutis, à medullâ oblongatâ, ſed à cerebellô oriuntur? Itaq; audibilis impulſus ad ſenſorium commune citiùs trajicitur. *Spiritus animales* in homine, quia cerebrũ habet maximũ, duplo bovis cerebrum excedens, copioſiores, & quia è ſpiritu ſanguinis humani, qui optimus, vitali producuntur, nobiliores generantur. Schottus demum ipſe fatetur, ſummum in hoc negotiô momentum afferre diſpoſitionem ipſam, audientis ſono & harmoniæ, ipſisq́ue cantilenarum verbis proportionatam. Spiritus autem animales nobiles & mobiles ſoni harmonici & moduli muſici ideâ imbuti phantaſiam excitant, & eadem imprægnati muſculoſas corporis partes largiùs à phantaſiâ vegetâ impulſi ſubeunt, ad motum eas irritant, & ſpiritus vitales in conſortium trahunt. Si enim colorum ideam ſpiritus vitales matris per imaginationem ſuſcipiunt, & cum ſanguine ad infantem in uterô contentum deferunt, quidni & ſoni harmonici ideam animales ſuſcipiant, & ad muſculoſas partes deferant?

§. 6. Magna itaque eſt Muſicæ inſtrumentalis vis & efficacia, major tamen ad affectus cùm placidè ſedandos, tum rapidè excitandos, ſi vocalis jungitur eidem, ita ut materiæ concentu harmonicô exprimendæ certæ certus & proprius accommodetur modus: cujus rei plura Prætorius *Syntagm. Muſic. Tom. 1. Part. 2. Membr. 1. cap. 9.* ex antiquorum monumentis exempla collegit. Siquidem *unà cum melodiâ integra percipiebantur verba*, ait Pancirollus *Rer. Memorab. Part. 1. Tit. 39. de Muſic.* Ita nimirum ſoni harmonici ſuavitate Phantaſia ſuſcitatur, animus erigitur, & ad verba fit attentior, atque ubi eorum pondera ratio penſitavit in affectum, quem moduli & verborum materia intendunt, fit concitatior.

§. 7. Quædam tamen à Græcis forte per exaggerationem, quòd illis ſcriptoribus frequens eſt, dicta eſſe, non immeritò alii ſuſpicantur, ut proinde iis, quæ de Antigenide, Timotheo, Tyrtæo & aliis referuntur, omnem fidem habere nolim. Alexandrum tamen ad iram Muſica commovere potuit ea ratione, ſi fortè verba Tibicini ab alio Muſicæ peritiſſimô patheticè juncta fuerunt & decantata. Verba autem illatæ ab hoſtibus injuriæ memoriam refricuerunt, iisdemq́ue certus & Regis genio congruus modus fuit aptatus. Rex verò temperamenti

ſua

suâ naturâ calidioris inter ferventia pocula injuriæ gravitatem altiùs ad animum revocans, eò faciliùs ad furorem fuit redactus, quò ægriùs injuriam (ut sunt generosæ mentes subtilissimi injuriarum pensiculatores) ferre potuit. Sed Demodocum Citharœdum concentus Musici sonô Clytæmnestram Agamemnonis ad Trojanum bellum profecti uxorem ad continentiam & pudicitiam adeò incitasse, ut Ægisthus non nisi citharœdo è medio sublatô eâ frui potuerit, fabula est Scaligero *Exerc. 302. Sect. 2.*

§. 8. Tantum nostrâ ætate Musica cepit incrementum, teste Musico Excellentissimo Prætorio *Tom. 3. Syntagm. in Dedicat.* ut vix majus sit sperandum, proptereaque dicam inclutus Musicorum senatus jam scribat ICTO Præstantissimo, Guidoni Pancirollo, qui superiori seculo A. 1586. Patavii claruit, & *loc. cit.* liberiori calamo scripsit: *Qua cum* (veteri) *si recens hac nostra* (Musica) *conferatur, barbara omninò meritò habenda: siquidem in hac non nisi voces & clamores absq; verbis audiuntur. Unde aures tantummedo parumper pascit, absq; aliqua intellectus delectatione.* Nostrâ sanè ætate modos verbis artificiosissimè ad stuporem usque accommodarunt clarissima Poeticæ Musicæ lumina Schuzius, Prætorius, Herbstius, Rosenmullerus, Bartallus, Rigatus, Capricornus aliique. Ne tangam duodecim Recentioribus usitatos modos, quos licet forsan cognitos veteres habuerunt, non tamen omnes usurparunt. Modos istos versiculi exhibent sequentes, in quibus exprimitur eorundem

Nomen. Proprietas. Repercussio. Ordo.

1. Dorius *est* hilaris : *Re La sonat : ordine* Primus.
2. *Re Fa* mœstus *amat* Hypodorius: *ipse* Secundus.
3. Austerus Phrygius : *Mi Fa* vult : Tertius *iste.*
4. *Mi La* blandi *sonat* Hypophrygius : *is tibi* Quartus.
5. Lydius *est* asper : *Fa Fa tribuit sibi* Quintus.
6. *Fa Fa* lenis *habet* Hypolydius, *utpote* Sextus.
7. Septimus indignans : *Ut Sol* Mirolydius *edit.*
8. *Ut Fa dat* placans Hypomix : octavus *habendus.*
9. *Re La* suaviter Æolius *canit* : *Ille* Novenus.
10. Tristis Hypoæolius : *Re Fa notat : hic tibi* Denus.
11. *Ut Sol* undecimus jucundus Jonicus *effert.*
12. Flebilis externus *Fa La* Hypojonicus *addit.*

§. 9. Lam-

§. 9. Lamperd. Alardus *de Veter. Music. cap. 12.* Veteribus quinque duntaxat fuisse modos ait, verùm non ignorantiâ multis modis sed studiô & deditâ operâ eos abstinuisse scribit, quòd simplices satis valere ad animum viri honesti confirmandum norint. Allegat etiam Plutarchum, qui *lib. de Music.* hæc prodidit: *Sed & veteres omnes nullius imperiti harmoniæ, tamen usi modò sunt quibusdam: neq; enim ignoratio tantas angustias & paucitatem chordarum peperit apud illos: neque enim inscitiâ factum est, quod Terpander Olympus horumq; sectatorū multitudinem & nervorum varietatem sustulerunt.* Verùm hæc nos non moramur, neque iisdem movemur, quia dies diem docet; propterea curiosa exercitii continuatio artibus perfectionem largitur, remissio verò negat. Peritissimum Dresdæ Musicum Schüzium ad ἀκμὴν suo tempore Musicam pervenisse jactantem, postquam suavissimas Rosenmülleri & aliorum melodias suis deinceps auribus hausit, earum gratia velut fascinatum in hæc verba erupisse: O immer höher steigende Music! ex ore Musici cujusdam non minus clarissimi accepi.

§. 10. Neque tamen præstantissimi ætatis nostræ Musici de omnibus, quæ Veteres Musicæ ope egisse dicuntur, gloriari possunt, neque modo Phrygio ullius rationem adeo quenquam perculisse, ut de sede sua fuerit deturbata, observatum unquam. Hinc quod Erico Daniæ Regi à Citharœdo quodam apud Saxonem Grammaticum evenisse legimus, si contigit, non naturali, sed vi Diabolicâ evenisse, non immeritò censet Doctiss. Kircherus *lib. 9. Musurg. Part. 3. cap. 3.* multasque opinionis suæ adducit conjecturas. Ejusdem sententiæ est Erasmus Francisci in der lustigen Schau-Bühn pag. 34. Mirum certè, si naturali citharæ virtute id contigit, in Citharœdo ipso, cùm sono vicinior ipse vacivas & patentes aures præbuerit, Musicam vim similem affectum furiosum progenerandi non habuisse: cùm tamen naturalia in ejusdem speciei individua æqualiter semper agant.

§. 11. *Sirenes* præternavigare auribus cerâ vacuis tutò possumus, quia ficta sunt luxuriantium ingeniorum soboles, totumque quod de iisdem Poetæ tradunt, fabulosum. Sirenes quidem dari αὐτόπταις negare nobis sit religio. Theodorus Gaza suspensô aliquando ob studia animô maritimum in Græciâ litus inambulans, vidit è mari emitti in litus piscem quendam Nereidum similitudine absolutissimam hominis

faciem referentem usque ad femora, reliquum autem corpus desiisse in anguillæ caudam. Georg. Trapezuntius propriis sæpè prospectavit oculis è mari emergentes ventre tenus pisces, integram humanam formam referentes, crebroque è mari prosilientes apud Majolum *Dier. Canic. Colloq. 9.* Jo. Ludov. Gottfrid. *Histor. Antipod. Part. 1. p. 193.* Sirenem vidit à capite usque ad umbilicum hominem, vultu verò venustissimam virginem, sed ab umbilico deorsum piscem referentem. Th. Bartholinus *Cent. 2. Hist. Anatom. 11.* Sirenis cultro P. Pavii Anatomico Leidæ submissæ facit mentionem. Mitto alios, qui vel sparsim vel ex professo hoc argumentum tractarunt, quorum Catalogum cum variis exhibent *Annus I. Nat. Curios. Obs. 23. in Schol. & in Append. pag. 5.* item M. Joh. Stohrius *Disp. 2.* qua veram Sirenum historiam (primâ Sirenum fabulam exhibuit) Jenæ 1666. habitâ, tradidit. Sed tres fuisse Sirenes superiori corporis parte hominem, inferiori piscem referentes, quarum una voce, altera tibiis, tertia cum citharâ vel lyrâ canere fuerit solita, easque incredibili cantus suavitate auditores in mari navigantes attraxisse, attractos in soporem demersisse, demersos devorasse; easdem præterea Junonis suasu Musas in cantûs certamen provocasse, sed illas victis in Cretâ juxta civitatem Apteram Sirenibus, cùm priùs fuissent alatæ, alas evulsisse, coronas ex illis factas suis imposuisse capitibus, luxuriantium, ut diximus, ingeniorum ridicula sunt soboles, à phantasiâ fertili concepta ac edita, atque à poetarum sequacium in amoris sinu in spem sapientiæ in ea recondendæ solerter foventium curâ educata; uno verbo, Fabula est.

§. 12. Quid verò hac veteres significare voluerint, aliis pensitandum relinquimus. M. Stohrius quadruplicem ejus expositionem tradit, cœlestem, physicam, historicam, & moralem, & hanc tum bonam, qua ad suadelam referuntur Sirenes; tum malam, qua ad perniciosas voluptatis illecebras transferuntur. Moralem Rob. Holcoth *lib. Moralitat. 30. pag. 734.* eleganter etiam exponit, inquiens: *Insula maris est iste mundus, qui undiq; plurimis circumdatur amaritudinibus. Istæ tres Sirenes sunt tria, quæ in mundo sunt, ad peccatum incitantia: scilicet caro, mundus, & Diabolus, princeps mundi, & rector carnis. Tria carmina sunt divitiæ, honores & delitiæ. Cantat enim luxoriosè in Citharâ Caro: cantat suaviter ad voluptates cum lyra mundus: cantat honores*

nores & divitias & excellentias in voce humanâ Diabolus. Et paulò post: *Sed ab istis persuasionibus debes aures tuas obturare cum cerâ, cogitando illud Psalmi: Sicuti fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei &c. Et non saltem debes aures obturare, sed etiam manus ad malum ligare, scilicet ad crucem CHRISTI cogitando &c.*

CAPUT XVI.

Musica Spiritus non afficit. Qualis spiritus Saulem turbarit? An Saul fuerit obsessus? Lutherus Musica dæmonem fugat. De Davidis citharâ Saulem à spiritu maligno agitatum demulcente. Musica animi & corporis affectibus per accidens medetur, neq; hoc semper. Antiquorum cantiones sæpe incantiones fuerunt. De Thalete & Græcis musica pestem mulcentibus. Sonum musicum virtutem ab instrumentis capere negatur. Tarantatos quomodo Musica sublevet. Phantasiam hîc ab ideis veneni Tarantulæ corrumpi dicimus, salvoque aliorum judicio liberè sentimus.

§. 1. (4) S*Piritus* Symphoniacos concentus afficere concedimus, si non directè & per se, tamen indirectè & per accidens. Qui Saulem turbavit, aut juxta verbum בעת terruit, & mœrore ac calamitate affecit spiritus, malus fuit, qui quidem רוח אלהים *Spiritus Dei*, sed ideò dicitur, quia justitiæ Dei fuit minister. *Malus erat per malam voluntatem, & idem Spiritus Domini erat per acceptam justissimam potestatem,* Bernhardus *in 1. Reg. 18.*

§. 2. An verò Saul à spiritu malignô verè fuerit obsessus, nostrum non est determinare, quia messis hæc falci venerandi Dnn. Theologorum Collegii relinquenda. Petr. Thyræus *Part. 3. Dispp. de Dæmoniac.* cum Theodoreto, Gregorio Abulensi, Lyrano & Vallesio, & cum his Kircherus, Schottus & Erasmus Francisci affirmativam tenent. Hanc sententiam ut probabilem laudat etiam Dn. D. Danhauerus in Scheid- und Absag-Brieff *pag. 147.* nihil tamen certi *pag. 149.* vult constituere, ubi his caput concludit: Wiewol ich es nicht aller Dinge bejahen will. Allzeit ists kein blosser Gemüts Affect, Furi, und traurige Melancholey gewest/ sondern der Satan hat ihn leibhafftig angegriffen und gepeiniget/ von aussen

allein/ oder auch von innen ? ist nicht lauter und klar. Ubi etiam allegat Sopranem, qui *in Comment. ad 1. Sam. 16.* hæc notat: *Abulensis, Lyranus & alii clarè affirmant, Saulem verè ab hoc die fuisse energumenum & arreptitium. Quod omninò falsum puto. Vexatum enim tantum existimo à malo dæmone; non qui illum invaserit, & propriè obsederit: Sed qui illi institerit & adhæserit, ut carnifex & Dei tortor: pœnas ab arroganti & superbo Rege exigens contumacis animi. Præcipuè autem illum vexasse, immisso morbo maniaco, quem facile fuit dæmoni excitare; humoribus, unde ille solet existere, perturbatis.* Sopranem secutus Dn. D. Dorscheus *Disput. de Obsessis §. 44.* hanc sententiam roborare ait 1. *Medicorum consilium*, qui Virum psallendi peritum ad tristitiam & insaniam Regis mitigandam requirunt, 1. Sam. 16. v. 16. 2. *Scripturæ silentium*, quæ nuspiam dicit, quòd spiritus malignus in Regem intraverit, sed quòd tantummodò super illum venerit, eumque perturbaverit, quæ omnia exterius efficere potuit. 3. *Retentum imperium:* nam regiâ dignitate non motus est, cùm eam usque ad extremum vitæ halitum retinuerit, multaque gessit, quæ obsesso minimè conveniunt. Quicquid autem hujus rei sit, sive Satan Saulem verè obsederit, sive saltem adhæserit, Citharæ tamen sonus de se Dæmonem, ut fugiat, realiter afficere nequit. Eæ enim rerum sensibilium vires non sunt, ut in spiritus aliquid possint: quo de D. Danhauerus *loc. cit. pag. 193.* Keine natürliche Mittel vermögen den Satan allerdings verjagen: das Nest mögen sie ihm wol etlicher Massen turbiren/ lück und untauglich machen/ daß er nicht/ wie er gerne wolt/ dasselbe mißbrauche/ sondern per accidens zufälliger Weis in seiner völligen Furi zurück halten muß. Denn gleich wie der Satan sein Beginnen nach der Menschen Temperament/ Complexion/ Natur und Humor richtet/ kühlet seinen Mut in der Gall/ oder vergallten Humor/ badet gleichsam in der melancholischen Feuchtigkeit: Zu welchem End er auch deß Monds Zu-oder Abnehmen sihet/ und nach dem der Mond in dem menschlichen Leib die Humores auf oder abziehet/ stellet er auch sein Geschäfft und Werck an rc.

§. 3. Itaque statuendum videtur, si Dæmon Sauli saltem adhæsit, & per vitiosum melancholici succi apparatum in corpore Regem turbavit, citharæ suavitate ad sanam mentem hunc revocasse Davidem, quatenus melodiæ gratiâ, quam experientiâ edoctus Regis sui genio accommodare David noverat, phantasia suscitata gaudium ex eâ concepit, spiritus

tum

tum animales, tum vitales erexit, & ad concitatiorem motum eos & cor ipsum disposuit, ex quo major cordis dilatatio, spirituum expansio, adeoque naturæ corroboratio secuta. Spiritus multiplicati fuliginosos melancholici humoris vapores cerebri membranas lancinantes, ad furorem ejus spiritus commoventes, & cor tristitiâ implentes agitando ac attenuando per insensibilem transpirationem dissiparunt. Sublata ita causa furoris proxima Diaboli balneo, ad sanitatem Rex rediit, Dæmonisque conatus cessavit, donec data ad iram occasione, quæ sub gravi regiminis onere facilè obvia, melancholiâ ad affligendum iterum abuteretur. Plura exhibet Disput. de Cithara Davidica M. J. Gabr. Drechsleri *Lipsiæ An. 70. habita §. 25.*

§. 4. Sed si interius Saulem Dæmon verè possedit, non virtute naturali, repetito nimirum Citharæ pulsu, spiritus malus fuit ejectus, quia tantum abest, ut citharæ concentu offendatur, ut maximè etiam instrumentis Musicis ipse quandoque ludat & auditores eludat, teste aurito non per alios, sed seipso Erasmo Francisci *loc. cit. pag. 34.* Supernaturalem igitur causam etiam accessisse dicimus, non quidem ob Davidis merita, ut Corn. à Lapide Comm. ad istum locum scribit; siquidem & David, licet omnia fecerit, servus tamen inutilis fuit, *Luc. 17. vers. 10.* sed virtute fidei & Spiritus S. per preces ardentes & hymnos, quos citharæ sonô suavissimô adhibere novit. Hoc enim genus non ejicitur, nisi per jejunium & orationem, *Matth. 17. v. 21.* Quamvis, quod Thyræus opponit, servi (qui Medici fuerunt) Regi consuluerunt, ut quæreretur non Vir aliquis sanctus, quem Rex non ferret, sed qui citharam pulsando dolorem, quem Dæmon afferebat, mitigaret. Medici tamen per communia insaniæ signa à Dæmone latente (ut sæpe ita Medicis imponit) sine dubio primùm fuerunt decepti, ut furiosum non obsessum eum judicarent; proptereaque virum scientem cithara psallere quærerent. Sed ex signis naturæ conditionem transcendentibus iidem postea agens aliud naturâ superius adesse deprehenderunt. David verò Deo sic dirigente fuit adductus, ut hic Regni Candidatus tum sui amorem & desiderium sensim Israelitarum pectoribus imprimeret, tum sacri officii, quo esset aliquando functurus primitias, velut anticipando ederet, & venturi Messiæ Satanæ opera destructuri typum, malum spiritum profligando exhiberet.

§. 5. Fugat etiam Musica Dæmonem, & Dæmon fugit Musicam

 eam,

eam, quæ in superbissimi spiritus contemtum canitur, ut fecit B. Lutherus, qui durantibus comitiis Augustanis in arce nostrâ Coburgicâ inter alias tentationes Diabolicas, quum nocte tres faces ardentes in dormitorium suum involare conspexit, exanimatus propemodum fuit, sed refocillatus ad circumstantes dixit: *Venite in contemtum Diaboli canamus*, Alardus *de Veterum Musicâ cap. 21. ex Tom. 6. Jen. Germ.*

§. 6. (5.) In Morbos dominatum Symphoniæ negamus. Multùm quidem ea ad sanitatem confert, animique & corporis adfectibus medetur, sed non per se & quà talis, sed itidem per accidens, quatenus Phantasiam, & hæc spiritus tum animales, tum vitales suscitat, & naturam roborat. *Sonus harmonicus suaviter contemperatus in sensum & appetitum hominis operatur, & sic spiritus animales ciendo ac movendo consequenter ac mediatè per motum alterationis (physicè & immediatè operantis) hominis corpus immutat*, ait Voetius *Tom. 3. pag. 152.* Ita non sonus, sed natura fit morborum medicatrix, propterea ab Hippocrate *6. Epidem.* νόσων ἰατρὸς *morborum medicatricis* titulô insignita. Natura roborata morborum insultibus, quantum potest, se opponit, causamque morbificam consumit & dissipat, id quod etiam jactabundi Panacæarum custodes se intendere ac perficere gloriantur. Non verò semper natura id præstare potest, quia causa morbifica non rarò gravior est & potentior naturâ & arte, ut vix Herculea, nedum lenis musici concentus aura aures ingressa istam movere queat. Joh. Baptista Porta musicam temporibus nostris cultiorem, nobilioremque, priscis verò rudiorem imperfectioremque fuisse fatetur, & tamen nostrâ ætate similes à musicâ operationes non perfici ipse concedit. Ergò aliam mirorum effectuum, quorum catalogum ibi, & Prætorius *loc. cit. cap. 13.* recitat, adfuisse dicendum. Ea verò investigatu erit facilis, si, quæ de *Pythagora in ejus vita* Jamblichus tradit, exactiùs pensitaverimus: Τὰ ψυχικὰ πάθη καὶ τὰ σωματικὰ κατεκήλει δὲ ὁ Πυθαγόρας ῥυθμοῖς καὶ μέλεσι, καὶ ἐπῳδαῖς. *Affectus animi & corporis demulcebat & mansuefaciebat Pythagoras versibus, cantionibus & incantationibus.*

§. 7. Antiquorum scilicet cantiones erant sæpissimè incantationes, seu magicæ operationes, quas aniculæ suscipiebant ægris remedia præcinendo, ut supra diximus. Dæmones verò occultè perficiebant dolores vel mitigando, vel auferendo. Vehementissimus sæpe coxendicis

dicis est dolor, quem tibiarum Phrygiam modorum harmoniam exprimentium cantum respuere, novit quivis, qui, quid dolor sit, novit, quicquid etiam Theophrastus dicat. Levior autem si sit dolor, aliquod musica symbolum conferre potest, quod Dn. D. Rolfinck ibi his indicat: *Decantari amant loca condolentia & sensus molestæ perceptioni intenti ad auscultationem tam dulcis melodiæ invitari. Phrygia autem gravis & sonora locum præcipuè habere censetur modulatio.* Pestis ferociam musicô concentu Thaletem Cretensem sedasse si credimus, Pythii Apollinis oraculo, cujus monitu teste Pausania *in Atticis* à Lacedæmoniis fuit accersitus, pestem fugasse dicamus. At Pythius seu Delphicus Apollo Dæmon fuit, qui è speluncæ cujusdam orificiô in medio templi per tripoda, cui mulier insistebat, responsa consulentibus dedit, vatem afflatus expectantem agitavit, & concussam in furorem vertit. Nos vero non ea, quæ è Dæmonis, sed veritatis tripode sunt dicta, curamus. Quantum ergo Homeri asserto, pestem Græcos musicis concentibus depulisse, sit tribuendum, ex his patet. Si namque id, quod nobis ambiguum, revera factum (mendacem enim Græciam supra vidimus) tacitô dicti jam infernalis agentis concursu id factum fuisse nulli dubitamus, quia ut pestem Deo permittente Dæmon immittit, quo de vid. Kircherum *de Peste Sect. 1. cap. 10. & Sect. 3. p.m. 410.* ita eodem dirigente pestiferum malum aufert idem.

§. 8. Sonum musicum à materia, è qua instrumenta sunt fabricata, virtutem capere dicunt nonnulli. Sed blanda sunt hæc blandè delirantium insomnia, vel suaves jocantium nugæ, aut fallacia incantationum & illusionum magicarum opercula. Unico illo sale, quem D. Rolfinckius unico exemplo adjicit, omnis amarities tollitur: *Tibiæ exinde parata maximè sonora sublevant arthriticos & podagricos*, subjicit: *Si fides habenda jocis.* Operosiùs Vir non minus laboriosus, quàm ingeniosus Kircherus celeberrimus sententiæ hujus absurditatem remonstrat ita: *Quis*, inquit, *ita mediocriter, & extremis, ut ita dicam labris philosophiâ tinctus est, qui hæc nihil prorsus cum Musica affinitatis habere non videt? Si enim hæ res virtutem habent sanativam nonnullorum morborum, certè eam absq; ullo soni subsidio tantum per naturalem applicationem exercere possunt. Præterea sic argumentor: Vel sonus harmonicus præstat hos effectus, vel vis medica insita materia fistulæ, vel utrumque simul. Si prius,*

ergo

ergo superflua erit vis eidem conjuncta. Si secundum, tunc supervacaneus erit sonus ad eum effectum præstandum: si denique tertium, id fiet; vel quia sonus vim illam sanativam defert per modum vehiculi, vel per abditam quandam sympathiam de novo ex utriusque conjunctione resultantem; quorum neutrum admitti potest. Non prius, cùm naturalium rerum virtutes seipsis sufficientem facultatem habeant ad immutanda alterandaque objecta intra suam sphæram constituta, absque ullâ novi vehiculi eam deferentis necessariâ acquisitione. Adde, quòd cùm soni species intentionalis prorsus ad vehendum aliud inepta sit, utpote quæ ad seipsam in longum latumque propagandam aëris vehiculo indigeat; certè dare id, quo ipsa caret, alteri non potest, id est, pro vehiculo se substituere profluvio virium in aliud deferendo. Neque nova hinc resultare potest sympathia, cùm & vis soni, & occulta rei naturalis virtus insita fistulæ essentias habeant multum differentes, neque species intentionalis ullius impressionis capaces sint. Hactenus Kircherus. Reliqua ejusdem non minus ponderosa & prolixa, nos, quia allegata veritatis cupidum satis informant, omittimus.

§. 9. *Tarantati* crucem, fateor, jam figunt. Hos à Tarantula, aranea venenata Phalangii specie, Apuliæ peculiari, morsos, non nisi per Musicam curari experientia dedit confirmatum. Sed, ut & hæc tollatur, pro viribus, salva cujusque, à quo placidè discedemus, autoritate & existimatione tollere laborabimus. Dn. D. Sebizius *Dissert.* περὶ θείου §. *157.* τὸ θεῖον hîc agnoscit, per quod innuit causam aliquam occultam, quæ σύνεσιν ἀνθρωπίνην excedit. Sennertus quoque *lib. 1. Pr. Med. Part. 2. c. 17.* neminem id facilè explicare posse ait, quòd animalculum hoc musicâ delectetur, & huic veneno vis adhuc impressa maneat, ut homo eo infectus auditâ musicâ ad saltandum moveatur. Kircheri *Artis Magnet. lib. 3. Part. 8.* & qui eum sequuntur, Schotti *Mag. Univers. Part. 2. lib. 5. Syntagm. 2.* ac Sam. Hafenrefferi *Nosodoch. lib. 3. cap. 52.* de sententia harmonicus instrumentorum sonus concitat aerem externum, hic internum, & unà spiritus tarantismo laborantis, non tamen quivis, sed qui ἰσότονος est cum spiritibus, sicut non quævis chorda à sono alterius chordæ, sed solum similiter tensa movetur. Spiritus concitati incalescunt & attenuantur, attenuati & ipsum veneni vehiculum, quod est humor acer, mordax & biliosus intimis fibris absconditus, rarefaciunt. Rarefactus

hic

hic & calefactus pruritu quodam seu vellicatione totum musculorum genus afficit: patiens verò hac sibi gratâ non minus, quàm violentâ vellicatione dulciter affectus & vehementer impulsus in saltus prorumpere cogitur.

§. 10. Verùm cùm & alia dentur venena, quæ corpus ingressa, in easdem partes, ut Tarantulæ venenum, se recipiunt, cur non & isti sic affecti musicis modulis curantur? siquidem harmonicus sonus semper juxta illorum autorum supposita, aerem externum concitat, & ad internum pergens etiam spiritus suâ naturâ mobiles erigit: neque dubium esse potest, quin inter tot & varios numeros harmonicos spiritibus hujus, vel istius, vel illius individui tandem proportionatus, qui eos movere queat, reperiri queat; idem tamen effectus, quem Tarantati sentiunt, non sequitur: ut proinde dubium nihilominus remaneat, cur Tarantulæ solius & non alterius animalis veneno infecti spiritus & humores harmonici soni fiant participes, & eodem concitentur? Neque biliosus tantum humor est veneni vehiculum, sed tota sanguinis massa, quando venenum corpori communicatur, æqualiter inficitur, & cum ea venenum circulare iter ingrediens ad omnes partes fertur.

§. 11. Willisius *Patholog. Cerebr. cap. 7.* existimat, venenum à morsu Tarantulæ liquori nervoso inflictum mitius esse, quàm ut spiritus animales penitus extinguere valeat, aut distractos prorsus dissipare, & in explosiones immaniores cogere; sed eos tantum in fugam conjicere, fugatosque hinc inde in spasmos leviores, ac ferè tantum dolorificos, incitare; at verò musicam, blandâ mulcedine suâ spiritus ita dissipatos facilè unà congregare ac mutuò associare: quapropter cùm iidem spiritus ob miasmata virulenta ipsis adhærentia, usque in motus involuntarios & convulsivos apti fuerint, melodia, eos simul allectatos, in tales spasmos disponit ac dirigit, ut serie ac ordine quodam nervorum corpora subeuntes, certis velut in cancellis ac orbitis ferantur, donec tandem veneni particulis penitùs evaporatis atque spirituum furore ac impetu delassato, oestrum illud omninò excusserint. Verùm idem & hîc redit dubium, cur spiritus animales in tali casu, nempe à Tarantulæ venenô in fugam conjecti musicæ mulcedine congregentur, ab alterius autem animalis veneno, etiam mitiori infecti & in fugam pariter compulsi (neque enim omne venenum spiritus animales

mox penitus extinguit) nullum ex ea levamen percipiant? Major cùm ratio spirituum hîc in ordine ad melodiam habeatur, quàm veneni, cur ad citharæ impulsum in similibus casibus spiritus in saltationes & motus compositos non excitantur? cur melodia in similes spasmos spiritus non disponit & dirigit?

§. 12. Nos, si in liberâ Republ. liberè sententiā dicere licet, dicemus, Phantasiam Tarantati ab ideis veneni Tarantulæ corruptam & musico modulamine suscitatā inferioribus facultatibus, præsertim motivæ imperare, & ut secundū ideas motûs determinatrices, morsu à Tarantula impressas agant, incitare, atq; sic iterū musicam non per se, sed per accidens curare. Hoc ut feliciùs demonstretur, altiùs id ipsum erit recolendum. Idea dicitur omne id, quod ejus, cujus idea dicitur, imaginem & formam exprimit; ut imaginem repræsentationis eam dicere liceat. Expressio illa fit, si non semper in totum, non identitatem referendo, sed imaginem saltem repræsentando. Istiusmodi ideas varias natura sistit. A cane rabidô morsi canum more latrant, & obvios quosque morsu impetunt. E spumâ canis rabidi vesti aut linteo inhærente animalcula quædam parvis catellis similia generata fuisse à fide dignis pro comperto & verô sibi relatum ait Sennertus. Quæ confirmant illud Avicennæ, mingi à demorsis à rabidô cane urinam, in qua appareant res carnosæ mirabiles, quasi animalia & canes parvi. Quanquam id in dubium vocet Marcellus Donatus. Felis sanguinem ad Epilepsiam Breslæ bibens, teste Weinrichio, felis induit naturam, imitando ejus vocem, saltum, gestus, muresque in silentiô venando. Quidam lacte caprino nutritus, cum adolevisset, immoderatiùs semper saltavit, caprarumque more petulantiùs arrodere fuit solitus. Ursi cerebro comesto quendam ejus bestiæ naturam induisse annotatum reperimus. Tales actiones speciei uni propriæ, in altera repertæ ideales vocantur, quia ideæ instar, alterius speciei naturam & proprietates repræsentant. Seminales dicuntur, quia istæ proprietates in alterius naturam cum certâ materia, quæ seminis instar à toto (ut sensit Hippocrates) decidit, sunt transplantatæ, & definitô tempore in actum deductæ.

§. 13. Tarantula ideas similes suæ speciei naturam repræsentantes mediante venenô, velut seminiô, in hominem transplantat. Siquidem Tarantula musicâ delectatur; ita & Tarantatus. Tarantula non

quævis

quævis omni, sed certâ & sibi congruâ Musicâ ad saltationes irritatur: ita Tarantatus non quivis omni trahitur Musica, sed ea, qua Tarantula, cujus venenum hausit, gaudet. Tarantulam improportionatus sonus, ne saltet, terret: sic & ægrum, qui ejusdem virus accepit, lædit dissonantia eadem. Tarantulæ venenum æstatis calore viget; hyemis frigore elanguescit: sic Tarantati æstivo tempore laborant, accedente hyemis frigore sanitati sensim restitui videntur, sed nisi radicitùs venenum prius tollatur, quàm anni calor redeat, recidivam incurrunt. Tarantulæ quædam ex arboribus sese deorsum librando fila trahunt: sic Tarantati ab his demorsi ex arboribus aut temonibus se librare gestiunt, multumque ea pandiculatione afficiuntur. Seminium nimirum virulentum corpus ingressum suam indolem non exuit, sed retinet, & cùm activum sit, vires suas invito Archeo seu spiritu magis magisque explicat, & specificum suum characterem, quo venenum hoc ab aliis distinguitur, eidem imprimit, propterea demorsi symptomata cum proprietatibus Tarantulæ conspirant, eundemque in Tarantatis, quem in Tarantulis ipsis, teste Kirchero oculato, præstat, effectum harmonicus sonus producit. Neque sanguini tantum, sed & sensuum interiorum, adeoque & phantasiæ sedi, quod cerebrum est, labem venenum affricat, ut & phantasia tarantulizans secundum animales illas ideas sibi in sanguine & hujus spiritibus objectas agat, & prona oblatô ita objectô gratô, quod est harmonicus musicæ concentus, ideæ receptæ conveniens, facultati locomotivæ imperet, & ad saltus musculosas partes adigat.

§. 14. Itaque mirum non est, iisdem Tarantulam & Tarantatum concentibus ad saltus provocari. Provocatur autem ista, non quovis sonô, sed certo, & quidem eo, qui ad irritandam ejus naturam conveniens: eodem modo, ut mas coturnix (quo simili quidam utuntur) non nisi per vocem *pinidi*, factâ soni per fistulam osseam articulatione invitatur, fœmellam adesse putans. Tarantatus pari ratione non nisi per istum concitatur concentum, quo aranea, cujus venenum possidet, ad saltum fuit proritata. Ut verò aranea non potest non impetum naturalem musicis numeris suscitatum sequi: ita Tarantatus per eandem Musicam irritatus non potest non naturali ejusdem impressionis instinctui obedire, donec frequentibus corporis motibus suscitato calore, ac sudore largissimo venenum altissimè radicatum per patulos corporis poros exturbetur,

betur, atque sic aliena idea deleatur, ac malignitatis specificæ character aboleatur.

CAPUT XVII.

Ratio IV *solvitur. Clamor magnus cum terret, phantasiam auditoris afficit. DEUS tamen quandoque concurrit, quod historia quadam confirmatur. Oratoria, à qua* V. *ratio sumitur, incantatrici arti assimilatur. Ejus vis ad Phantasiam alterius perculsam reducitur, non ad potestatem quandam physicam. Vox una intempestivè prolata magnam quandoq; vim habet, non physicam, sed moralem, id quod exemplo monstratur. Rationis* VI. *fundamentum, quod est ominosa nominis impositio & recitatio, lubricum est, quia votivi nominis impositionem sæpè speratô eventu carere historiæ testantur.*

§ 1. A *Clamore magno* Rationis *quartæ* desumtæ resolutionem ex iis, quæ in confirmatione argumenti secundi contra verborum vim *Part. 2. Sect. 2. cap. 2.* § *2.* supra allati sunt proposita, petat benevolus Lector. Nimirum phantasia ex insolitô desubitô orto clamore hostium multitudinem & animositatem, indeque sibi imminens periculum imaginatur. Sed qui clamoribus istis sunt assueti, animum oborto clamore non abjiciunt; ut benè huc trahi queant illa Senecæ *lib. 6. Nat. Quæst. cap. 1.* verba: *Nobis*, inquit, *ignorantibus verum omnia terribilia sunt, utpote quorum metum raritas auget. Levius accidunt familiaria: ex insolito formido est major.* Speciali tamen & occulto Dei omnipotentis concursu hostibus terrorem clamor aliquando incutit insolitum: quò referimus illud, quod Hedion *Histor. Eccles. Part. 3 lib. 2. cap. 7.* citante Alardo *de Veterum Music. cap. 16. pag. 112.* memorat exemplum: *Cùm Saxones & Pictavi contra Britannos expeditionem fecissent, concionator eorum castrensis Episcopus Germanus in gladiis & aliis armis fiduciam suam non collocavit, sed mandatum ejusmodi evulgavit, ut simul ac ipse Hallelujah canere inciperet, totus exercitus vocem ejus sequeretur, & Hallelujah decantaret. Quod cum factum, tantopere hostes sunt exterriti, ut dicto citius fugam arriperent.*

§. 2. *Oratoriam* flexanimam, seu sermonem ad gratiam instructum,

ctum, à quo *quinta* ratio petitur, melleum esse laqueum, ut Diogenes istam apud Laertium *lib. 6.* vocat, hoc est, verba Oratoris optimi magnam ad Auditorum animos constringendos & velut incantandos vim habere, lubentes asserimus. Plato quoque *in Euthydemo* facultatem oratoriam incantatricis artis partem quandam vocare non dubitat. *Etenim mihi*, inquit, *illi ipsi viri, qui conficiendarum Orationum facultate valent, cum illorum consuetudine utor, mirum in modum sapientes videntur, hacq; adeò illorum ars divina quadam excelsaq; res est. Est enim incantatricis pars quadam* (ὄτι γὰρ τῆς τ̃ ἐπωδῶν τέχνης μόριον) *& qua parum ab illa absit. Incantatorum enim ars in eo versatur, ut viperarum, phalangiorum, scorpionum, aliorumq; serpentum venenatorum furorem compescant atq; sedent. Eorum verò facultas, qui Orationes factitant, in eo est, ut judicum & concionum & catera multitudinis vim adhibitis verbis demulceat placetq;.* Ad blandæ vocis incantamento similis vires allusit etiam Papinius *lib. 2. Sylv.*

Blandis ubinam ora arguta querelis,
Et mixta risu lachryma? penitusq; loquentis
Hyblais vox mixta favis, cui sibila serpens
Poneret, & sava vellent servire noverca.

Nimirum adeò blandam ac melleam vocem Glauciæ pueri innuit, ut non secus ac arcanâ quadam incantationis facultate, qualem Marsi & Psylli in serpentibus alliciendis adhibere solent, instructa, ipsos etiam serpentes potuisset delinire, annotante Gasp. Gevartio *Elect. libr. 3. cap. 10. pag. 138.* ubi simillimam huic locutionem Ennodii *Carm. 2.* advertit.

Eloquio lyncem, tu subdes voce Leonem,
Melle tuo serpens gutturis arma premet.

atque hîc per gutturis arma elegantissimè venenum, per mel verò illud Statii,

Hyblais vox mixta favis,

intelligi benè exponit.

§. 3. Verùm enim verò verba ipsa de se nullam habere vim ingeminamus, sed rationum pondera, quæ verbis insunt, & orationis summo artificio dispositæ & oratorio ore pronunciatæ concinnitas Auditoris animum occulta vi, quæ moralis est, trahunt, ejusque phantasiam,

siam, maximè si prona jam ante fuerit, aptâ verborum catenâ facilè constringunt,& velut incantant,ut ad loquentis vocem imaginatio ipsa verborum gratiâ invitata rebus attendat, easque rationi dijudicandas committat. Atque hoc inde patet, quia in eundem & solum effectum, quem Orator intendit, verborum flumina tendunt, cùm tamen, si singulis vis inesset naturalis, non unus sed varius, variorumque effectuum mixtura & confusio sequeretur. Neque bruta, quæ fascinationis objectum etiam dicuntur, ullo ingenii flumine, licèt disertissimus Romuli nepotum id emittat, afficiuntur, quia nimirum verborum significationem & significationis pondera percipere nequeunt. Solus verò homo ea, &, quæ verbis jungitur, gratiam, humani pectoris duritiem ementate potentem, percipit. Tolle illa oratorum artificia, eademque quæ artificioso ore antea erant data, unisonâ, raucâ vel subsurdâ voce aut puerili ore redde, eundem tamen orationis effectum vel non vel castratum percipies: neque si repetas ista, erit major percipiendus, quia fastidium vox repetita creat, At verò si innata esset vis verbis, per repetitionem major foret sperandus effectus, prout naturalia, quibus qualitas physica est connata, aucta qualitatis augmentum edunt.

§. 4. Nec suum semper Orator, sesquipedalia licet spiret, finem assequitur, sed si radicata sit, & intimis præconcepta opinio inhæreat Auditorum medullis, nullâ quandoque verborum potestate in adversum abripi potest; argumento certo, si naturalis verborum vis esset, eorum augmentum, aucto sic virtutis robore, cùm eodem modo natura in ejusdem speciei individua ut objecta agat, suo fine non iri destitutum. E contra unicum nonnunquam verbum acutissimi instar aculei pectora profundiùs, quàm magnum verborum mare subit & movet, non quidem physicè, sed moraliter, significationis potestatem offerendo. Prout jam Phantasia & ratio ex unius verbi pretio rerum vel bonitatem vel pravitatem apprehendit & æstimat, ita & verbis, ac quæsito per verba postulato locum concedit vel negat. Exempli loco hoc esto: *Postquam Imperator Heraclius cùm Syroe Rege Persarum pacem fecisset, & milites dimittendi solvendiq; essent (inter quos erant multi Arabes, Agareni seu Saraceni) Commissarius Cæsaris poscentibus stipendium suum Saracenis dixit, vix esse tantum pecuniæ in ærario, quantum sufficiat solutioni militum Romanorum & Græcorum: ac proinde se non*

non habere, quod canibus istis Saracenis praberi possit. Quo unicô verbo ita fuerunt exacerbati Saraceni, ut reduces in patriam ab obedientiâ Imperatoris, cui ante hac semper fuerant subjecti & tributarii, descive-rint. Quibus se ducem prabuit Mahomed impostor, & rebelli Saraceno-rum nequitiæ (qua etiamnum orbis Christianus atrociter premitur & di-vexatur) obstetricantem quodammodo manum admovit. J. Adam Weber *l. c. Font. 41. Exempl. 2.*

§. 5. Effectûs tamen gloria non tam Oratori, quàm primo, ut omnium bonorum, ita & eloquentiæ datori, æterni Numinis Spiritui, præsertim in re gloriam ejus concernente, tribuenda quandoque venit. *Affectus bonos in cordibus hominum movendos multum juvat optimus æterni Numinis (cujus unius in animos est imperium) Spiritus: hinc quò familiariorem magisq; propitium hunc pietate habent homines, eò feliciùs movent alios.* Ita Dn. Thilo *Patholog. Orat. cap. 1.*

Ἐκ θεῶν γὰρ μαχαναὶ πα-
σαι βροτέαις ἀρεταῖς
Καὶ σοφοὶ καὶ χερσὶ βια-
ταὶ περίγλωσσοί τ' ἔφυν.

A Diis enim molimina omnia mortalibus virtutibus, & prudentes & manibus fortes, & lingua eximii nascuntur, Pindarus *Od. 1. Pyth.* στροφ. γ. *p. m. 114.*

§. 6. *Ominosa nominis impositio & recitatio* rationis *sexta* fuit fundamentum. Sed & hoc, si quis verborum vim superstruere pergat, ruinosum esse & cariosum, experietur. Ominosa enim boni nominis impositio votiva est, & sperandi boni significativa, non effectiva. Vota autem, non quæ vox patrat, sed animus concipit & sperat, aperiunt. Sic Themisonis Medici nomen, qui magni in arte medica haberi volebant, boni ominis causa olim sumebant, neque tamen Themisones veri omnes fuerunt. Assyrii olim & Persæ nova imperii majestate exornandi cum veteribus privatorum vestibus nomina exuerunt, vel ad prius aliud assumserunt ominis boni gratiâ, vel ut novi nominis memoria ad majora patranda suscitaret, vel dignitatis splendor ex eo evaderet illustrior, uti Codomannus Darii nomen sibi ascivit. In lustrando exercitu deducendaque colonia & delectu militum bona pariter nomina observabant Romani, qualia fuerunt Manius, Prosper, Lætus,

Victor:

Victor: & Græca Ἀριστοτέλης, εὔφρων, θεόφιλος, καλλικῆς, & his similia. Pontificii etiam ad Papalem ſedem evecti, vel religioſam, quam vocant, vitam ingreſſi, polypi & vertumni evadunt, ſuaque nomina mutant: quorum tamen nomini novo ſæpenumero vita non reſpondet. Varia etiamnum in vulgi circô proſtant exempla non pauca, eaque ridicula. Civis quidam cùm omnes ſuos filios Juris conſultos, & quidem eximios evadere optaret, uni nomen impoſuit Bartoli, alteri Baldi, tertio verò quodnam? cùm ſæpè nomen codicis citari in foro audiviſſet, arbitratus, maximum & hoc interpretis nomen eſſe, filium illum tertium Codicem appellavit, quod à Nobili quodam Neapolitano ſibi relatum ſcribit Scipio Gentilis *loc. cit. num. 272.* ubi talia nomina, quæ ſic ſumuntur, votiva vocabula Hieronymo dici notat. Sed quàm ſæpe votiva nomina hominibus impoſita ſperato carent ſucceſſu? Eva filio ſuo primigenito nomen Cain impoſuit, quod annotante Brentio *Comm. in Geneſ. pag. 68.* ſignificat bonam poſſeſſionem, bonum acquiſitum, ſeu divitias, aut theſaurum; ſecundò verò genitum Abel nominavit, quod vanitatem ſignificat, quaſi præ Caino nihil inſigne, nihil memorabile ſit geſturus. Verùm abſurdam nominis impoſitionem, atque illum malitiæ & vanitatis, hunc verò probitatis theſaurum fuiſſe primipara cum maximo animi dolore demum fuit experta. Jeſuitæ ſe exinde ita dici jactant, quòd ſymbolum, regula & ſumma profeſſionis ac vitæ pſorum ſit, JESU VITA, cum tamen regula & ſumma profeſſionis ac vitæ ipſorum ſit: JESUM VITA, quia talis eorum profeſſio audit, quæ non ſolùm Jeſum vitet, perſonam & officium ejus extenuando, ſed & alios Jeſum vitare jubent, dum operibus ſalutem acquiri mordicus defendunt, M. Krumphardus *Diſſert. de Jeſuitar. Appellat. Sect. 1. §. 2.*

§. 6. Brodæus loco ſupra allegato vanam iſtam è votivis vocabulis conceptam opinionem ſalsè & meritò deridet, & ait: *Nemo, ut opinor, eſt adeò fatuus, qui non liberis ſuis honeſta nomina imponere malit, quàm aut dictu turpia, probroſa aut inauſpicata. Credere autem ea vi quadam latente atq; arcanâ homines adipiſci, ridiculum eſt, cùm pro arbitrio ſuo unusquisq; filiis nomen indat, uti bobus & canibus ruſtici. Illud verò ſtultum magis, boni malive quicquam ex his appellationibus evenire ſuſpicari, quippe cùm exempla experimentaq; falſum id eſſe evincant.*

cant. Nicias, ὁ νικηράτε *(nec enim hoc silendum) cujus nuper memini, cum felici illo suo paternoque nomine, amisso exercitu ac pulcherrimâ classe, ab hostibus trucidatus est. Quæ Commodo Imperatore magis importuna atque incommoda belua? Quæ verò inter duos Alexandros, alterum Priami, alterum Philippi filium vitæ factorumque similitudo? Cùm verò innumerabiles Alexandri, Annibales, Cæsares nuncupati sint, (quibus etiamnum nomenclaturis gestiunt Itali) quis tamen ob id horum similis evasit unquam? Nam si res ita se haberet, ad consequendam multarum disciplinarum peritiam hac unâ nominis ratione uti oporteret, ut filios suos Platones, Ptolomæos, Galenos nominarent. Ab incunabulis enim insignes Philosophi Mathematici, Medici abirent, nec tam multis vigiliis opus esset; quæ cùm absurda esse nemo non videat, nihil est, cur aut ex nomine quempiam eruditum, acutum vel hebetem, aut in rebus gerundis felicem, aut è contra in Reipubl. administratione peritum, aut ignarum vel aliquando exstitisse vel futurum credamus.* Hactenus Brodæus. Videatur quoque Scaliger *Exerc. 266.*

§. 7. Zonaram in Michaele & Theodora hoc memorasse invenio: *Agareni vicerant exercitum Imperatoris, cum ipse Imperator vix evasit captivitatis periculum, conservatus à Manuelo ordinum Magistro. Mandatum fuit bellum hoc deinde Petronæ Imperatoris avunculo. Is prioris prælii adversâ fortunâ territus non fuit ausus confligere cum hostibus, antequam monachi cujusdam prædictione de victoriâ confirmaretur. Tunc igitur congressus cum hostibus & victor evasit, & in conflictu Agarenorum ductor cecidit. Ante illam pugnam autem de quodam ex captivis quæsiverat iste ductor, qui vocaretur ille locus, ubi ipse esset castrametatus, & quod nomen præterfluenti amni & toti regioni esset. Cumque captivus ille dixisset, regionem* λαλακάωνα, *& locum castrorum appellari* πτώσαντα, *& præterfluentem* γύρην. *Ille non boni illa nomina, inquit, ominis sunt, in quibus est significatio* ἡ τȣ̃ λαȣ̃ κάκωσις *i. e. populi clades, &* πτῶσις *ruina, &* γύρωσις ἐκ τῶν ἐναντίων *i. e. circumventio hostilis. Hæc Zonara.* Sit ita, ex accidente concurrisse cum ominosô loci nomine cladem ductoris Agarenorum: Non tamen heri nomen fuerat impositum: præterea impositum sequentibus etiam temporibus, quibus præliandi occasiones sine dubio plures ibi obvenerunt, retinuit. Sed

quis propter ominosam loci significationem extemporaneos ejus possessores hostibus terga semper dedisse, affirmare audeat?

§. 8. Divinô quidem consiliô & instinctu fiunt nonnunquam ominosæ nominum impositiones, quæ sunt futurorum indicia & harmoniam cum eventu habent, ut propterea cum Dn. D. Danhauerô miremur *in Abrahamo excelsæ paternitatis, in Jacobo supplantationis; in Israele divinæ victoriæ; in Esavo studiosæ sedulitatis, in Ismaele exauditionis; in Sarâ principatus; in Agare peregrinitatis significationem. Quis non mentione Noæ quietem; Japheti incrementum; Nimrodi rebellionem; Michaelis divinam præstantiam; Môsis emersionem; Josuæ redemptionem designari meminerit?* Non tamen nominis ipsius effectione, sed Numinis divini directione eventus respondit omini. Cæterùm istâ seclusâ vana oritur observantia in anilem superstitionem desinens, sive nondum maturato, sive maturatô fatorum fine observatio fiat, si, ut diximus, à vi nominis ipsius istum arcessere velimus. Ridenda ergò nostrarium quorundam vanitas, qui, cum liberos vivaces non habent (wenn sie kein Kind können aufbringen / ut vulgus loquitur) nominum primorum Parentum, Adami & Evæ, impositione, mortalitatis præmaturæ periculum à prole averti credunt. Sed credulitatis vanitatem experientiæ manifestæ vi evanescere, non semel observatum,

CAPUT XVIII.

Ratio VII. quæ est Cabbalistica nominum interpretatio & Hebrææ linguæ commendatio ventilatur. Ab efficaci ejus significatione ad realem ejus virtutem non licet colligere. Hebrææ linguæ palma ab aliis dubia redditur. Voce Schemhamphoras Christum miracula non fecisse, contra Judæos probat Lutherus. De impositione nominum ab Adamo facta: in ea non semper ad naturam rerum respexit. Vires rerum ad sensus hominis procedere negatur Ficino & Agrippæ. Cur Hebræa nomina Halleluja, Amen, Hosanna, Sabaoth &c. in Ecclesia retineantur? Talmudicis triplex Amen, quibus vires magnas tribuunt. Vox Cabbala explicatur. Verbis Cabbalisticè spectatis nulla inest virtus realis. Christiani hîc judaizantes notantur. Ex nomine יהוה *Judæis opinio Cabbalæ nata. Hanc Pererius nervosè refutat. Judæi illius*

illius , qui oborto aliquoties Coburgi incendio ignem literis Hebraicis restinxit , factum examinatur.

§. 1. *CAbbalistica nominum interpretatio & Hebrææ linguæ commendatio septima* rationis nervus jam venit incidendus. Sit licèt Hebræa lingua omnium antiquissima, dignissima, sit efficax Hebræorum nominum significatio; ab ejusdem tamen dignitate, antiquitate & efficaci significatione ad efficacem & realem ipsarum vocum virtutem legitimam juxta sanæ rationis normam fieri collectionem & processum probabitur nunquam. Moralis significandi virtus in realem non commutatur, neque hanc ista importat, quia totâ naturâ ea differre constat. Realem quidem virtutem multa nomina significant & indicant, sed quod significant & signant, in se non habent, nec à rebus eam suscipere, neque res nominibus communicare possunt. Ut conceptus, cujus verba cujuscunque idiomatis sunt indices, ejus rei, quam concipimus, propter conceptum & imaginationem non accipiunt qualitates: ita nec Hebraica nomina ejus rei, à cujus naturâ sunt formata, propter formationem & repræsentationem accipiunt virtutem realem, nec, quà talia, ejus esse capacia, ratione probavit ullus: Deum verò nominibus ipsis, ut per se efficacia essent, vires infudisse reales, non modò ex sacris id monstrari nequit, sed & propriis id eorum repugnat assertis, quia nomina à rebus virtutem realem obtinere asserunt.

§. 2. Neque extra omne dubium Hebrææ linguæ antiquitas, & quæ hinc deduci videtur ejusdem sanctitas & dignitas, est posita, cùm linguæ & Syræ & Chaldææ cultores dubiam isti palmam reddant. Syram enim linguam vetustissimam esse, sunt qui ex eo probant, quòd origines vocabulorum, *Adam, Cain, Abel, Noe*, linguæ sint Syriacæ propriæ. Chaldææ autem antiquitatis laudem tribuunt alii , qui vocum Mosaicarum origines optimè omnium inde peti , inque Chaldæâ genus hominum conditum esse observarunt. Quanquam instituto nostro, quæcunque etiam pars palmam reportaverit, nihil emolumenti accedat.

§. 3. Nihil emolumenti nominum ab Adamo facta impositio iisdem confert. Appellavit Adamus res nominibus suis, hoc est, propriis & maximè congruentibus, non omnes, sed viventes, sicque nomina in-

didit, quæ proprietates & naturas eorum maximè exprimerent. Nomina autem, quæ proprietates animantium exprimunt, & intellectui notas faciunt (nomen enim quasi notamen, quòd rem per proprias appellationes declaret & notet, dicitur) nudam proprietatum & naturæ significationem, non verò ipsam rei per nomen significatæ naturam & qualitates vehunt, neque eam vehere possunt. Neque in ὀνοματοθεσίᾳ creatus Dei Filius ad animantium naturam semper respexit, sed illis etiam à gestu, ab exteriori corporis figurâ, aut alio accidente nomen imposuit. Fœminam suam אשה *Genes. 2. v. 2.* vocavit, quoniam à Viro erat desumta: hoc autem nomen fœminæ principium, unde fuit orta, non naturam exprimit. Eidem nomen חוה *Genes. 3. v. 20.* imposuit: at hoc est ex חיה vixit, quoniam ipsa futura erat mater omnis viventis. Porcus Hebræis חזיר vocatur à חזר *redire, reverti,* scilicet ad sordes, & volutabra cœni: hoc verò non ipsam porci naturam significat. Homo, quia ex humo est productus, אדם dicitur. Sed in se nomen istud si spectetur, aliæ res eo possunt significari, siquidem & plantæ, & lapides ex humo sive terra sunt productæ. Non itaque, quod Plato voluit persuadere, res nomini semper est similis, neque res semper scit, qui nomina scit: & licet res per nomina percipiantur, & nomina res ipsas significent, non tamen ob id potestatem nomina ratione quadam naturali obtinere colligere licet.

§. 4. Salvatorem nostrum per nomen שמהמפרש *Semhammephoras* miracula fecisse, Judæi scriptô prodiderunt famosô mendaciisque refertissimo, in quod refutandum laborem tam doctum, quàm pium B. Lutherus *Tom. Jenens. 8.* von Schemhamphoras heroicô spiritu plenus insumpsit, ex quo sequentia instituto nostro convenientia accommodatò petere placet. Nun sihe mir die zarten Früchtlein an / die beschnittenen Heiligen. Solche Göttliche Werck und Wunderthaten schreiben sie zu dem Schemhamphoras / das ist / den ledigen / todten / elenden Buchstaben / so im Buch mit Tinten geschrieben / oder auf der Zungen schweben / oder im Hertzen / auch deß Gottlosen getragen werden. Denn der Schemhamphoras sey was er wolle / so sinds und können nicht anders seyn / denn ledige / todte / ohnmächtige Buchstaben / wenns gleich GOttes heilige Schrifft selbst (das desto ärger ist) wäre / davon die Juden viel plaudern / und nichts wissen / was sie plaudern. Was solten Buchstaben vermögen / als Buchstaben aus eigener Krafft / wo nichts

nichts mehr dazu käme? Was helffen sie den Teuffel / Türcken / Jüden und alle Gottlosen / so solcher Buchstaben / auch GOttes Namens ohn unterlaß mißbrauchen / wider das ander Gebot? Ist doch Satan und aller Gottlosen Namen und Werck auch in heilige Buchstaben gefasset. Aber die rasenden Jüden geben dem Schemhamphoras die Göttliche Krafft / als den blossen ledigen Buchstaben ohn alle Verheissung oder Gottes Gebot. Denn sie sprechen allhier / daß auch die Gottlosen und Verführer durch diese Buchstaben viel Wunder und Göttliche Werck thun können. Wo sind sie nun die beschnittenen Heiligen / die sich rühmen wider uns Christen / daß sie allein die sind / so den einigen rechten GOtt ehren / da die verfluchten Hattozrym drey Götter anbeten? Hie geben sie die Göttliche Macht und Ehre den blossen / ledigen / todten Buchstaben im Schemhamphoras so völlig / daß auch die Gottlosen und Verführer wider GOttes Willen und Verbot (in den Zehen Geboten) Göttlicher Majestät eigene Werck thun können.

§. 5. Collectionem Ficini & Agrippæ speciosam quidem, sed vanam, mirantur, quibus vocum & verborum natura constat, omnes. Nominum vim ab ipsis rebus, quarum sunt significativa, manare dicunt. Sed quomodo? *Rerum* vires ab ipsis rebus procedunt ad sensus, ab his ad imaginationem, inde & ad mentem, in qua concipitur quidem primò, deinde per voces & verba exprimitur. Annon hinc aptè colligere licet, verba non in se, sed ab intellectu habere virtutem, eâ autem carere, si ab oscitante vel non intelligente proferantur? Anne sensus, imaginatio & intellectus rerum virtutibus imbuuntur? Utique, id eorum verba clarissimè testantur. Impraegnatus ergò & gravidus semper erit sensus, imaginatio & intellectus variis variarum rerum virtutibus, quia rerum variarum nomina uno tempore intellectus per linguam fundere potest, quæ cùm sint radii rerum vim ab intellectu receptam propagantes, de fontis sui, unde manant, efficaciâ semper testari debent. Assertum grande grandi probatione indigum! Itane caput, quod sensuum, imaginationis & intellectûs est sedes, actu innumeris est imbutum virtutibus & qualitatibus Physicis, ut eas verbis ore prolatis mox communicare queat? Sed quis unquam istam virtutum communicationem & propagationem observavit? Itane intellectus non intelligendo tantum, sed & rerum omnium, quarum formæ sunt activæ, & qualitates fundunt, virtutes recipiendo fit omnia? Itane confusum qualitatum chaos fit cerebrum re-

cipiendo v. g. ab igne virtutem calefaciendi, ab aquâ refrigerandi, à sole illuminandi, à magnete ferrum trahendi, ab araneis venenandi &c! Audax philosophandi (ne dicam delirandi) ratio! Sed si res in intellectum, & hic in nomina influit, cur non omnium verba eandem habent virtutem? Ait Agrippa, verba habere dictam virtutem, non quia à nobis proferuntur, sed quia ex influxu cœlesti & impositione Protoplasti nomine Dei eam acceperunt. Ergò non à rebus in intellectum, & ab hoc in verba, sed ab astris derivatur virtus, *qui tamen non probant* (verba sunt Delrii) *ullâ ratione ac ne traditione quidem: nec posset probari, nisi illorum testimonio, quibus id à dæmonibus foret revelatum: dæmones autem sunt mendacissimi.* De influxu autem cœlesti nos inferius. Ecquam actus ille moralis, quando rebus nomine Dei nomina fuerunt imposita, virtutem naturalem conferre potuit vel debuit, præsertim cùm ex arbitrio, nec omnibus ab ipsâ earundem naturâ, ut ostendimus, nomen fuerit impositum? Cur verba, quæ ex impositione Protoplasti nomine Dei facta, & influxu cœlesti virtutem habent, meo vel tuo, Petri vel Conradi ore prolata eandem potestatem non habent? Respondet Agrippa, *habere dictam virtutem, quoties debitis locis & temporibus, & solemnitate, cum intentione exactâ in materiam dispositam, & à naturâ sua ab illis verbis patibilem, fuerint prolata.* Verùm Agrippa, ut argutè Schottus advertit, agyrtarum & impostorum, secretorum suorum virtutes deprædicantium morem hîc imitatur, qui tot in iis ad effectum deducendis requirunt conditiones & circumstantias, ut curiosi vel ab incepto abstineant, vel si effectum non consequuntur, existiment, se debitas conditiones omnes non observasse. Concludimus hæc nos quoque verbis, quæ habet Delrio *lib. 1. D. M. cap. 4. Quæst. 3.* & ex eo Franc. Torreblanca *Dæmonolog. libr. 1. cap. 13. num. 25.* ac G. à Reies *Quæst. 22. Quicquid Platonici dicunt, nomina sunt hominum arbitratu indita. Nomina quoque nec sunt substantia corporea, aut spirituales, nec sunt accidentia inhærentia subjecto; quare vitam in se habere non possunt: adveniunt quoque seu induuntur rebus, quas significant atque denominant, extrinsecùs planè: quare nec emanantes à rebus radii dicendi. Multa quoque sunt nomina nihil significantia, multa quid aliud à rei natura significantia: quin & ipsa illa, quæ naturam rei significant, (qualia putantur, quæ creaturis Adamus imposuit) hæc nullum potuerunt à naturis*

rerum

rerum influxum recipere: quia res corporea naturaliter nihil efficere possunt in id, quod corporis expers est, ut sunt nomina.

§. 6. *Hebræa nomina*, *Hallelujah*, *Amen*, *Hosanna*, *Sabaoth*, *&c.* Ecclesia retinet, non ob potentem efficiendi virtutem, sed elegantem significandi potestatem, prout & in Germanorum ac Latinorum Ecclesiis quædam non Hebraica tantum, sed & Græca, v. g. κύριε ἐλέησον, ἐπιφάνια &c. retinentur. Emphaticæ significationis radius verborum in aliam linguam translatorum sæpe languescit, & quâ se commendavit animis, gratiæ partem amittit. *Hallelujah* ex duabus vocibus conflata הַלְלוּ־יָהּ significat *laudate Dominum*, vel *eum qui est* ex הִלֵּל laudavit, & יָהּ quod contractum nomen Dei est, & significatione coincidit cum יְהוָה. Verùm altiùs pectora subit vox unica Halleluja, positum in principio, si exhortari auditores animus est, aut in fine, si acclamare volumus, quàm si dicatur, *Laudate Deum* & quia peregrina ac insolita est, languorem auditûs pellit, ac vigorem animi parit: quia nervosa est, gratiam invenit, ac attentiores nos reddit. Vocem *Amen*, Græc. Ἀμὴν, quam ex Hebræo אָמֵן *veritas*, Græci desumserunt, Ecclesiæ Germanorum, usitatum Apostolorum tempore morem, qui *1. Corinth. 15. v. 16.* notatur, imitatæ retinent, non ob efficientiæ potentiam, sed significationis nervosæ elegantiam, quam etiam ex hoc, quia Deus ipse *Deut. 27.* eam docuit, fidentis & assentientis animus legit. Nullam autem voces istæ duæ & aliæ vel millies post quæcunque verba pronunciatæ, ex se edunt effectum, sed omnis, qui vel benedictionem, vel imprecationes voce *Amen* obsignatas sequitur, Deum propter promissiones habet autorem.

§. 7. Ridenda ergo Talmudhicorum vocis Amen pronunciationi, sicque ori plus, quàm vel animo, vel rectiùs supremo judici tribuentium, vana superstitio, quam Theologus & Philologus Excell. Dilherrus *libr. 2. Elect. cap. 20.* ex iisdem proponit: *Quicunque respondet Amen pupillare, ejus liberi erunt pupilli; acceleratum, ejus dies accelerabuntur, vel celeriter transibunt: qui verò protensâ pronunciatione effert Amen, ejus dies & anni prolongabuntur.* *Pupillare* dicitur, quod præcedente benedictione, ceu patre, caret, quando scilicet quis inconsideratè & animo aberrante, non ad præviam Sacerdotis benedictionem vel orationem, sed ad populi murmura respondet *Amen*. *Acceleratum*, quod accele-

accelerate & festinanter effertur, quasi cum א brevissimo, & accentu in ultimo, veluti אָמֵן vel quod ante absolutam Orationem præmaturè respondetur. Habent & tertium *Amputatum*, & est illud, à quo litera Nun in pronunciatione quasi amputatur, ac si quis dicat *Ame!* Verùm præter hoc, quod non vox ipsa naturaliter, sed si effectus sequitur, Deus supernaturali modo agat, non diversam pronunciationem, sed neglectam attentionem & zelum intermissum secum pœnam trahere advertit quivis. Plura, quæ de voce Amen tradunt Hebræi, vide sis apud prælaudatum virum, ubi etiam Augustini *lib. 2. de Doctrin. Christian. cap. 11.* verba adducit, quibus Pater doctissimus, cur verba quædam Ebræa in Ecclesia retineantur, eleganter docet: *Ebraa certè verba*, inquit, *non exposita sæpè invenimus in libris: sicut Amen, Halleluja, & Racha & Osanna, & si qua sunt alia. Quorum partim propter sanctiorem autoritatem, quamvis interpretari potuissent, servata est antiquitas, sicut est Amen, Halleluja, partim verò in aliam linguam transferi non potuisse dicuntur: sicut alia duo, qua posuimus. Sunt enim quadam verba certarum linguarum, qua in usum alterius lingua per interpretationem transire non possunt. Et hoc maximè interjectionibus accidit: qua verba potius motum animi significant, quàm sententia concepta ullam particulam: nam & hac duo talia esse perhibentur. Dicunt enim Racha indignantis esse vocem: Osanna latantis.* De voce Hosanna consulantur insuper D. D. Gerhardus & Dn. Calixtus *in Harmonia Evangelica.*

§. 8. Judæi & Judaizantes hac in parte Christiani Hebraicis literis solis, quòd solæ sint significativæ, inhærent, iisdemque potentem efficiendi virtutem tribuunt. Alii è contra nomina non significantia jam olim commendarunt, & Jamblichus *lib. 2. de Myster. Ægypt.* ex Ægyptiorum Sacerdotum sententia Porphyrio sciscitanti, cur Sacerdotes utantur nominibus nihil significantibus? respondit: omnia ejusmodi nomina significare aliquid apud Deos, & â Diis ipsis vocabula ista ad homines, Ægyptios cumprimis & Assyrios, pervenisse. Quo de plura Cœlius Rhodiginus *Antiq. Lection. lib. 14. cap. 14. p. 606.* Ista pro se Judæi si dixerint, non majorem tamen, quàm Ægyptii fidem, obstantibus semper rationibus, merentur.

§. 10. *Cabbalam* nunc, quam propter virtutem ad miranda pa-

tranda

tranda efficacissimam, ad cœlum usque extollunt, videbimus. Cabbala קַבָּלָה à Chaldaicâ radice קבל quod *accipere* significat, *stricta* significatione notat doctrinam divinam, vivâ voce duntaxat traditam, & oretenus ad posteros transmissam. Eam à R. Jehuda sancto compilatam hyperbolicis mactant laudibus, & θεοπνεύστῳ verbo palmam præripere, blasphemè blaterant Judæi, notante J. Ern. Gerhardo *in de Consens. & Dissens. Relig. Profan. cum Verit. Christ. §. 6.* *Strictissimè* verò si sumitur vox ista, describitur, quòd sit ratio ac methodus tum historica tum dogmatica mysticè & ænigmaticè proposita ex literis vocum, sive simplicium, sive compositarum, supra ac præter sensum literalem investigandi atque explicandi, Voetius *Part. 3. Disp. Select. p. 217.*

§. 11. Verùm admittamus eam esse Hebraicæ linguæ elegantiam, ut non solùm ejus literæ sint significativæ, sed ex literis ratione syllabationis vel numerationis spectatis sensus mystici & historici erui queant: concedamus plurima nomina profundissimarum rerum & magnorum arcanorum esse significativa, quid verò hoc ad institutum præsens? Ergone à significatione literarum, syllabarum, ac verborum per ingenii lusum variè transpositorum & mutatorum ad virtutem eorundem physicam ac realem argumentari licet? sub cujus rationis ductu progressus ille argumentandi manet salvus, &, quod in controversiâ est, locum citra controversiam tenet? quid probat, voces Hebraicas factâ literarum permutatione vim à rerum naturis sortiri, ut in externis subjectis, quorum sunt nomina, aliquid movere possint? Imò

§. 12. Nos invertimus negotium, & dicimus, nullam verbis Hebraicis Cabbalisticè spectatis præter solam moralem inesse virtutem physicam & realem, quia per Cabbalæ species, Gematricam, Notariacam, & Themuram mala & bona, contraria & similia, consona & dissona ex una quandoque voce, faciliùs ex integra oratione & pro re nata quodlibet ex quolibet, & de quolibet pro lubitu investigatoris erui possunt, id quod & ingeniosa Anagrammatistarum opera jam quotidiana testantur. Atqui contrarias & diversas virtutes ex unâ voce, aut una vocum diversarum serie manare nemo dixerit. Actu nominibus eas inesse, neminem fore, qui statuat, censeo. Quid verò est, quod à potentia in actum virtutem in nomine latentem mox deducat, quæ subitò non vicina modò, sed & distantissima objecta in sidereo & sublunari, in cœlesti & infernali

domiciliô occurrentia feriat? Qui enim divinæ Majestatis mysteria in sacris nominibus latentia cognoscit, eum toti naturæ, dum velit, imperare, inque dæmones & Angelos jus habere, ac miracula perficere posse plenis buccis Hebræorum Rabini deblaterant.

§. 13. Verùm recutiti ipsi circa Cabbalam non quidvis cuivis licitum esse, nedum si malum sensum gignat, fatentur, notante Hackspanio *Cabbalæ Judaicæ pag. 285.* Qua sanè confessione verborum potestatem naturalem tacitè infringunt, aut saltem nimium quantum restringunt: ut proinde miremur, Christianos quosdam, Judæorum exemplô, Cabbalæ vanam quoque navare operam; sed & eosdem, quod Judæi referunt, vani conatûs præmium, risum scilicet & opprobrium referre non miramur: prout Georgius Enjedinus Photinianus eos, qui secundam Genes. dictionem בָּרָא ita exponunt, ut singulæ literæ singulas dictiones referant, ultima אָב, *Patrem*; prima בֵּן, *Filium*; media רוּחַ, *Spiritum*, cum risu excipit, addito sarcasmo alio, ut א notet אַתָּה, ac ר designet רֵאשִׁית, & ב initium sit dictionis בְּלִיַּעַל, hoc sensu: *Tu es princeps sceleratorum*, Hackspanius *loc. cit.* Judæis autem illis, qui è nomine, JESUS, blasphemias cabbalisticè exculpunt, meritò benedictionis Cabbala vicissim (atque ita ad hominem saltem opponitur) sicut & Kircherus *Oedip. Tom. 2. Part. 1. Class. 6. c. 7.* omnia mysteria in nomine Jehova explicata, in nomine, JESUS, contineri remonstravit.

§. 14. Jucundæ otiosorum Judæorum speculationes, si rem dignè æstimare velimus, ex ingenii lusu natæ pepererunt ista opinionum portenta. Nomen יהוה, τετραγράμματον à Græcis, quia ex quatuor literis constat, dictum, sublime fuit ac sanctum, imò sanctius ab Hebræis priscis habitum, quàm cætera Dei nomina, quæ partim ab effectis, partim ab attributis sunt facta, & ne quotidiano usu in vanum nomen istud deduceretur, ejus pronunciatio sub pœnâ mortis plebi fuit prohibita. Sacerdos verò summus nonnisi semel in anno, & quidem in templo Hierosolymitano in solenni illa benedictione populi *Numer. 6. v. 24. 25.* nomen illud pronunciare tenebatur. Pro illo autem dixerunt אדני, interdum אלהים, & LXX. illud per κύριος, ac Paraphrastæ Latini per Dominum transtulerunt. Sed dum nomen illud per se & juxta literas suas pronunciari illicitum, effectæ sunt ejus per certas literas & numeratas voces mysticæ expositiones quædam, in quarum scientiâ magnas

latere

latere virtutes, magna inclusa esse miracula, cujus nominis virtute Mosen & Christum miracula fecisse Judæi nugantur, v. Ælias Schedius *de DIS Germanor. pag. 197.* Sed ludant, quibus, ita placet, & ingenii suaviludia fingant; verùm ita pergant, ut intra sanæ rationis cancellos se modestè contineant, nec ad devia absurdarum opinionum aberrent, atq; virgulam Bened. Pererii *lib. 1. de Magia c. 10.* ubi Cabbalisticam doctrinam meritissimè castigat, mereantur. Ita ille:

§. 13. *Adeo inerudita, insulsa & ridicula hæc Cabbalistarum est opinio, ut nihil æquè mirum sit, quàm ulli hominum sanæ mentis aliquandò eam probari & persuaderi potuisse. Sed ita est profectò, sunt ingeniorum similiter, ut hominum monstra quædam & portenta, à quibus ejusmodi opiniònum commenta & deliramenta proficiscùntur. Principio nonne incredibile est, Solem & Lunam, & cætera astra, elementa item & stirpes, cum ratione careant, divinam illam vim, quæ latet in vocibus Hebræis, sentire, eaq; sic affici & permoveri, ut homini pro ejus arbitrio pareant? Sed esto, noverint illam vim, vel omnes res naturales, vel certè animantes, aut homines, num ideo ejusmodi nominum appellatione eas continuò moveri necesse est? Si quis mihi proponeret nomen, totam meam substantiam omnesq; proprietates perfectissimè declarans, num eo nomine appellatus ab illo cogerer, ejus imperio obsequi, & quæcunq; ille vellet, facere? Si recondissitimam illam vim & efficaciam vocum Hebræarum, quam jactant Cabbalistæ, paucissimi hominum intelligunt, nec nisi, qui illâ eâdem sunt antea initiati; quomodo eam agnoscent & sentient bruta, cæteraq; non ratione modò, sed & sensu carentia? Cur tribuunt tantam vim vocibus & characteribus Hebrææ linguæ, quam omnium vetustissimam & primam ferunt, cùm certè constet, alios esse characteres Hebræos qui nunc extant, quàm qui olim fuerunt ante captivitatem Babylonicam? quod D. Hieronymus in Prologo Galeato affirmatè scribit &c. Nec verum est, in linguâ Hebrææ reperiri voces, quæ omnium rerum naturas intimasq; differentias & proprietates exprimant: nec in declarandis rebus uberior est, aut significantior lingua Hebræa, quàm Græca vel Latina; nec ullum est nomen in ullâ linguâ, quod simul alicujus rei & substantiam, & differentias, atq; proprietates, tam genericas, quàm specificas atq; individuales aperit; nec in vocibus Hebræis per se sumtis plura majorave latent mysteria, quàm vel in Græcis vel in Latinis. Legimus*

in Scriptura, quomodo Moses & Aaron per Virgam eis à Deo traditam plurima maximaq́ fecerint prodigia. Legimus Josue retinuisse cursum solis & lunæ cum dixisset: Sol, contra Gabeon ne movearis, & Luna contra vallem Ajalon &c. Narrantur etiam Samuelis, Eliæ, Elisæi, & Danielis miracula. Nec tamen usquam de istis Cabbalisticis mysteriis ulla mentio aut verbum fit. Si tanta est Cabbalisticæ Magiæ vis & potestas, ut cœlis imperet, Solem sistere aut retrocedere cogat, maria dividat, flumina siccet, totamq́ naturam commutet, & sibi ad nutum obedire faciat, cur isti sapientes Cabbalistæ ejus artis peritissimi talia nunquam patrarunt, vel etiam nunc patrare possunt? Certe Philosophi Judæorum, qui sibi hanc sapientiam arrogant, si quid eâ pollerent, ad excutiendum jugum durissimæ servitutis, quo miseri jam mille & quingentis annis oppressi tenentur, uti debuissent. Hæc Pererius.

§. 16. *Judæi* illius, qui obortô aliquoties in hac urbe incendio, literis & verbis Hebraicis januis & pani inscriptis ignem in obsequium trahere conatus est, factum jam examinabimus. Dicimus autem Fascinationem istam Judaicam, seu factum illud fuisse superstitiosum, magicum, scandalosum, & proinde impium ac detestandum.

§. 17. I. *Superstitiosum* est, plus rei cuiquam, quàm credi debet, tribuere, ex eâque commodum, quod naturaliter præstare nequit, sperare. Verba autem cujuscunque idiomatis, quæcunque etiam sint, nullam de se habere virtutem naturalem efficiendi, proinde nec ignem extinguendi, neque ullam à Deo, aut à naturâ, aut ab arte efficaciam obtinere, hactenus demonstravimus. Id quod non tantum de verbis & nominibus ore prolatis, sed & scriptis venit intelligendum. Hæc quatenus scripta sunt, signa saltem & characteres literarii sunt manu depicti, seu lineæ & figuræ ex placito primi scriptoris formatæ, præter significandi potestatem, quæ moralis tantum est, realem nullam obtinentes. Ab arte verò virtutem nullam accipiunt, quia qualitate reali ars ipsa, quæ intellectus habitus est, caret, & proinde talem, quomodocunque in objectum agat, conferre nescit: neque lineæ pictæ ad recipiendum qualitates sunt aptæ. Et quia ista verborum Hebraicorum significandi potestas etiam characteribus aliarum linguarum propriis exprimi potest, patet hinc figuræ & characteri Hebraico de se non competere significandi, multò minus efficiendi potestatem. Ut taceam delineandi

andi literas Hebraicas modum jam eſſe plenum, jam contractum, jam languidum: cum tamen virtus determinata non niſi à determinato debiteque diſpoſito ſubjectô manare queat & debeat. Non tamen intactum relinquam, literas, quæ in uſu ſunt hodiè Judæis, Hebraicas dici mendosè, quum veriùs dicerentur Judaicæ, ut habet Joſ. Scaliger *libr. 3. Epiſt. 242.* Pererium quoque Cabbaliſtis opponere, alios eſſe characteres Hebræos, qui nunc extant, quàm qui olim fuerunt ante captivitatem; jam ante vidimus. Itaque vel majorem vel parem Hebraicæ efficaciam ſcripturam Judaicam modernam habere aſſerendum erit. Sed quomodo & hoc probabunt? Nos neutri virtutem ineſſe hactenus probavimus.

§. 18. 2. *Blaſphemum:* quia primum Vulcani ante portam Judaicam ſurgentis furorem Judæus ſedaturus, januis quibusdam more ſcribendi ſibi propriô, qui ſuperficialis qualis eſt, inſcripſit אגלא, id quod non Angelum ignis ſignificat, einen Feuer-Engel / ut Judæus aliis voluit imponere, ſed nomen DEI eſt, de quo Schindlerus in ſuo Lexico hæc habet: אגלא eſt unum ex nominibus DEI arcanis. אַתָּ גִּבּוֹר לְעוֹלָם אֲדֹנָי *Tu es potens in æternum Domine. Alii dicunt per* א *minus innui unitatem, per* ג *ternarium numerum ſive Trinitatem, per* א' *&* ל' *nomen Dei* אל *quaſi Chriſtianè diceres Deus Trinunus vel Unitrinus.* Hæc Schindlerus. Quæ licet primâ fronte nihil mali fovere videantur, damnanda tamen eſt illa inſcriptio: 1. *Propter latentem in literis anguem*, ab ipſo Judæo illatum. Judæos, ut ſunt Cabbalæ impenſiùs addicti, abbreviaturas, ſeu voces, ac ſententias literis ſignificatas, quas Raſche Theboth vocant, amare nemo non novit. Nullus itaque cum Viro Cl. Dn. M. Kolhanſio, Virô, ſi quis alius, Hebrææ Linguæ Peritiſſimo, meo olim Præceptore, jam Collegâ Honoratiſſimô dubitabo, ex perverſô, quo in Chriſtianos eſt Judæus quivis affectu, in religionis noſtræ odium, literas fuiſſe inſcriptas, eo quidem ſenſu, ut per binas priores literas intelligatur unitas & ternarius numerus, per א 1. & per ג 3, per reliquas particula לא id eſt, non. Hujus literæ transpoſitæ reddunt vocem אֵל h. e. Deus. Itaque literæ hæ אגלא hunc parere poſſunt ſenſum: Unitrinus non eſt Deus. Confirmant Virum Prælaudatum verba, quæ obortô in platea lapidea dicta, incendio ſecundo literis iſtis adjunxit Judæus idem, ſequentia è capite II. Numer. deſumta verba: אֶתְפַּלֵּל מֹשֶׁה אֵל־יְיָ, è qui-

bus simul sumptis hic manare potest sensus : Deus non est triunus. DEUM Mosis interpellabo. Tergiversatio autem fraudulenta est Judæi, nomen אגלא per Angelum ignis explicantis. Ad consequentiam enim si id eo sensu referatur, distortus inde emergit sensus. Neque congrua oritur Oratio, si vel maximè per Notarikon id interpreteris: אַתָּ גִבּוֹר לְעוֹלָם אֲדֹנָי *Tu es potens &c.* Ad aliam verò Cabbalæ speciem, nimirum ad Temuram, (quæ ex vocis aut vocum transpositis literis alias voces format) nemo, ut Judæum excuset, confugere potest. Si enim ita reddas א' ג' אל h. e. Unitrinus est Deus, explicationem hanc negabit Judæus, & negavit idem ille in colloquio, quod cum eo Cl. Professor super hac re habuit. Dubium proinde est nullum, Judæum sensum, quem indicavimus, hunc intendisse; DEUS non est Triunus: DEUM Mosis orabo. Sic Christianorum Deo voluit illudere, quòd non hic, sed Judæorum DEUS auxiliari, ignisque voracitatem sedare queat. Quæ blasphemia est detestanda. Sed positô, non concessò (etiam Judæo pro sensu bonô, quem intenderit, vel millies juranti: nam ut ei, vel non Judæo pro Judæis pugnanti non credam, notissima istius gentis perfidia, nequitia & malitia me cogit) latentem anguem abesse, seu improbum sensum in voce istâ non latere, damnanda tamen est inscriptio 2. *Propter detestandum divini nominis abusum*, qui ipse blasphemiam sapit, saltem indirectam. Nomen suum DEUS in verbo exhibuit, non ut ædium januis ignis extinguendi gratiâ inscribatur, sed cordis penetralibus sacri ignis, qui Spiritus S. est, impetrandi causa imprimatur. Non data sunt nobis oracula, nec ostensa in iis sacra nomina, ut per ea imminentia corporis & fortunæ bonis pericula naturalia, quæ v. g. ignis per accensionem, aqua per suffocationem, terra per oppressionem parit, propellamus, sed ut ex illis clementissimam Dei erga nos voluntatem cognoscamus, ei credamus, æternum animæ periculum per ea avertamus, ex iisque Deum in omni necessitate invocare, adorare, Deo gratias agere, & laudare discamus. In alium verò usum, qui divina oracula & nomina convertunt, in vanum ea sumunt, & cum summa Dei blasphemia in Diaboli sacramenta convertunt.

§. 19. 3. *Magicum.* Si quem enim verba in repellendo flammarum impetu edunt, effectus non verbis ipsis, ut jam ante evicimus, est adscribendus. Ergò vel Deum, vel Angelum bonum, vel Dæmonem

nem concurrere, & verba virtutibus donare, dicendum erit. *Non Deus* concurrit. Deum enim verba inter ſcribendum vel pòſt ſtatim virtutibus donare unde conſtat? *Deum omnipotentem, &, ut Græci dicunt, omnitenentem, quis dubitavit virtutibus verba decorare poſſe? Itaque poteſtas Dei patet, ſed nondum voluntas, quæ ſola rerum cauſa eſt. Omnia enim, quæcunque voluit, Deus fecit in cœlô & in terrâ. Quapropter niſi oſtenderis, Deum voluiſſe hoc, & item alterum verbum tali atque tali virtute pollere, nihil egeris*, ita eleganter Reuchlinus *de Verbo Mirif. lib. 2. cap. 12.* Deum ſanè in verba ſcripta virtutem, repellendis injuriis à naturâ illatis aptam ſe derivaturum promiſiſſe, ex ſacris probationum rivulos nemo, ut id demonſtret, derivare poteſt. Neque id à priori, ut Philoſophi loquuntur, colligi poteſt. Deum autem illud eſſe, in quæſtione eſt: neque à poſteriori ex effectu æſtimare licet, quia permittente Deo ejus ſimiam Diabolum ſæpè divina miracula æmulari, & ſimilibus operibus, agentibus pluribus quoad externa communibus ac originis ratione obſcuris impoſtorem homines fallere novimus, ut proinde haud facilè ſemper ſit, autorem ipſiſſimum ſic inveſtigare. *Non Angeli boni*, quia eos quidem, ut homini inſerviant, divina Majeſtas conſtituit, ſed ut ad placitum hominis per verba adverſam rerum naturalium poteſtatem ſupprimant, Deus Angelos non ordinavit. Divinæ voluntati, quæ naturàlia humanæ genti remedia in periculô à naturalibus rebus oborto conceſſit, Angeli ipſi ſe accommodant, nec extraordinarium agendi modum homines docent, ſed ut ordinariis mediis in pietate & patientiâ utantur, angelicô inſtinctu ſuadent. Diaboli itaque latentis operationi, ſi quis ſequitur, effectus eſt adſcribendus; prout ejusdem concurſu Zingari per verba, characteres, ritusque vanos, quos adhibere norunt, ignem extinguunt & ſuſcitant, inque horreis gramine ac fœnô inſtructiſſimis citra incendii periculum alunt, imò totum in faſciculô ſtramineo qui placuerit, culmum reliquis illæſis comburere norunt. Si Evangelium S. Johannis ad avertendos bombardarum globos collo appenſum, Theologorum conſcientioſiſſimorum de ſententia, magicum eſt remedium, & ſacramentum ſit Diaboli, eidem propter abuſum gratum & ratum: quidni nomen Dei ad avertendum ignis furorem pani ſeu appenſum, ſeu inſcriptum, eodem

cenſu

censu veniat, & magicum audiat, cum eadem utriusque sit ratio? Vid. Freudius *Quæst.* 222.

§. 20. 4. *Scandalosum.* Simpliciorum enim mollia & ad superstitionem prona pectora ad imitandum invitantur, invitati in errore confirmantur, ut, licet verba ipsa virtutem nullam habeant, eam tamen in iis admirentur, & latentem sub verborum rerumque absurdarum larva Dæmonem colant & colere pergant.

§. 21. Quò major verò facti illius est iniquitas, cujus gravitatem etiam Sacerdotes pro suggestu ob superstitiosorum oculos exactè sæpius delinearunt, eò major animum meum capit admiratio, quædam multitudinis capita oborto, dum hæc scribo, etiam in plateâ, quæ Kettschengaß vocatur, in ædibus domicilio matris meæ charissimæ proximis incendiô Judæum eundem, inscio & invitô Magistratu tam Politico quàm Ecclesiastico, ut idem ad Vulcani furorem remedium conferret, invitasse & tantum non coegisse. Judæus sic impulsus tamen itidem, & quidem cum charta, cui verba versus secundi *Numer. cap.* 11. Hebraica in extremitatibus figuræ pentagoni inscripta fuisse fertur, in ignem conjecit, suasores verò in erroris abyssum magis præcipitavit. Magico huic remedio ii, quos in opinionis suæ societatem Judæus traxerat, auxilii summam, Deum & naturam nefariè prætereuntes, tribuerunt. *Hæccine reddes, Domino, popule stulte?* cum divinæ Majestatis Cancellario Mose *Deut.* 32. *v.* 7. pii hîc exclament meritò. Deus est, qui ferventibus multorum precibus & suspiriis solicitatus strenuo civium in extinguendo ignem per medium naturale, quod aqua est, labori benedixit. Nihil confert panis, nihil textus sacer, nihil charta, nihil figura, aut alia superstitiosi furoris deliramenta, quale etiam est mensarum & sedilium appropinquante Vulcano inversio. Quæ omnia ignem in incendiis magnis devorare, ut eorum, præsertim Bibliorum sacrorum jacturam non pauci deinceps deplorent, experientia testatur. Sunt quidem multa, quæ extra unionis statum inefficacia, per unionem operationum vigore fiunt conspicua v. g. materia de se otiosa est, formæ verò unita præclaros edit effectus. Verùm forma de se maximè activa est, quæ cùm intimè materiam totam seipsam communicando, permeavit, ad operationis exercitium eam reddit aptam. Sed nullum horum nec panis nec charta, nec characteres seu literæ scriptæ

de

de se activum est, nec alterum alteri suam essentiam formæ instar communicare, ideòque nec per eorundem unionem qualitas ignem extinguendi efficax oriri potest.

§. 22. Verba rerum, quarum sunt significativa, naturam & qualitates continere, si superstitiosis verborum curatoribus credendum, non dictum, in quo ignis, sed aquæ, fit mentio, pani inscriptum in ignem erit projiciendum, quia qualitas similis simili qualitati addita intensior evadit & majorem parit actionem. Si verò propter sanctissimum nomen suum Deum auxiliarem adesse censes, falsus es. In magnis, ut dixi, Bibliothecarum incendiis vel inundationibus sanctissima Dei nomina non semel, sed frequentissimè inscripta reperiuntur, propterea tamen nec ignis, nec aquarum impetum Deus omnipotens vel promptius aut citius reprimit. Eccur nomen Dei, Homo insipiens! ex corde pio tractum ore pio non frequentas, tuasque preces sancto Dei nomine non ornas? Verba sancta pio corde & ore fusa clementissimus Deus propter fidem, in qua sunt radicata, respicit. Charta verò, panis & characteres fidem nec recipiunt, nec uno vel pluribus, sed ab orationis indole alienis verbis, ut sunt in allegato dicto, exprimunt: superstitionem tuam apprimè exprimunt.

§. 23. Itaque in malam rem seu orcum, qui Christiani veri nomen tueri volunt, abire jubeant Judæos, & eorum complices magica ista & Diabolica ad ignem remedia seu jactantes, seu offerentes. Noli, O Homo! Deo obortis flammis auxilium seu differente seu negante dicterium illud facto ipso confirmare: *Flectere si nequeo* &c. Satius est propitiô Deô jacturam omnium bonorum pati, quàm eodem iratô omnia retinere. Dei gratiâ res parvæ crescunt, sed Dei irâ magnæ dilabuntur. Magicis remediis qui utuntur, non à Deo sed Diabolo petunt auxilium. Qui verò ad alterius, quàm unius Dei auxilium, quod per media naturalia ordinariè confert, confugerunt, turpissimam animi sui diffidentiam, extremam mentis cœcæ aberrationem, pudendam fidei abnegationem, & sceleratissimam divini Numinis præteritionem cum contemtu conjunctam produnt. Sed & hoc produnt, se Patrono suo Diabolo, ut feliciùs damnandorum numerum augeat, strenuè auxiliari. Magiæ enim, si non explicitæ, tamen implicitæ rei fiunt, & per eam quoque ferventem Dei justissimi iram sibi aggravant,

 quicun-

quicunque Magicis remediis, præsertim meliora ab animarum Sacerdotibus edocti, nihilominus gaudent, eadem suadent, non impediunt, cum impedire possunt, eorundem vires jactant & commendant, atque obortis necessitudinis procellis, ad ea, ceu sacram anchoram, confugiunt. Vereor, ne magicô hoc remediô Dei clementia, quâ superstitiosi abutuntur, tandem vertatur in iram, & per eundem, cujus ope restinctio quæritur, per Dæmonem scilicet, ignis voracissimus, (quod Deus clementissimè avertat) immittatur, qui sit inextinguibilis. Imò vereor, ne Judæus ignem Dæmonis concursu (si forsan ejus aliquem Deus ad extinguendum permisit) suo tempore in superstitiosorum pœnam divinô Numine pariter permittente, reddat: prout Magos morbum immissum rursus auferre, & alteri, Deo sic permittente, Dæmone verò id operante, inferre novimus. Verissimum est, quod Dn. D. Müllerus *in Judaismo pag. 54.* scribit: Diese Cabbala (Practica) steckt voller geheimer Künste/ grosser Abgötterey/ Aberglaubens/ Gauckeley und Zauberey / davon Lutherus schreibet Tom. 8. Jen. im Buch von Schemhamphoras fol. 127. Ein Jude steckt so voll Abgötterey und Zauberey/ als neun Küh Haar haben / das ist unzählig / wie der Teuffel ihr Gott voll Lügen ist. Gerson der gelehrte Jud erzehlet in dem itzt angezogenen Ort etliche sonderliche Händel/ die mit dieser Cabbala verrichtet werden. 1. Teuffel beschweren / welches im Talmud erlaubet ist / und bestättiget wird mit vielen Exempeln der Rabbinen/ die solches gethan haben. 2. Etliche gewisse Wort aus der Bibel aufs Brod oder auf ein Ey schreiben/ und ins Feuer werffen/ selbiges zu leschen/ damit es nicht weiter schade. Welche Kunst wol eher an bekandten Orten von etlichen Juden practiciret worden. 3. Mit Worten der Schrifft Wunden beschweren &c. Hæc ille. Laudatissimus quondam Germaniæ Princeps Christophorus Dux Wirtenbergensium, Heros Christianissimus quibusdam suadentibus, ut blasphemos Judæos propter frequentes exactiones & maxima commoda reciperet, respondit egregiè: Wenn diese verfluchte Leute mir wolten Geld vollauf geben/ wolte ich sie doch in meinem Fürstenthum/ weil sie an meinem Bruder und Erlöser JEsu Christo / treulos worden/ und offentliche Zäuberer sind/ nicht leiden. Godelmannus *lib. 1. de Magis c. 6. n. 15.*

§. 24. Sed ecce! Agricola quidam brevi post incendium ultimum fortè fortunâ me conveniens, inter sermones de isto etiam mistos

panem

panem ignis voracitatem sedare, & ne majus augmentum capiat, prohibere, pro certô affirmavit: characteres autem & literas saltem dicis gratia, & ut glaucoma simplicioribus fiat, Judæos inscribere dixit. Commendavit autem panem è recentis secalis farinâ primùm formatum, primumque in furnum, ut pinsatur, immissum. Ego, ut periculum facerem, hujusque testem deinceps oculatum haberem, præsente Viro Cl. Dn. M. Schneidero S. S. Theol. Studios. rerumque Physicarum Cultore Curioso, Amico dilecto, ignem in campo luculentum paravi, cumque in augmento esset, panem juxta illas circumstantias nudius tertius paratum (licet eas superstitiosas esse, non ignorarem: neque enim ordo inter formandum & pinsendum pani primo aliquid confert, quod secundo & tertio negatur: neque oborto incendio iste panum delectus semper haberi potest) injeci. Verùm ignis flammam à pane compesci, ejusque voracitatem sic sedari, minimè vidimus. Increvit ejus vis, ac si nihil in se recepisset, & postquam ad ἀκμὴν pervenit, sensim, combustô lignô, remisit. Pars panis exterior per combustionem nigras, velut in squamas abeuntes, crustas, & brevi fissuram ab humido, quod factâ resolutione majus vi sibi quæsiverat spatium, contraxit. Panis demum totus, si ignem alere placuisset, in cineres fuisset redactus, sed nos oculatâ fide jam contenti, moræque impatientes panem semicrematum extraximus, & interiora valde madida, tum propter antiperistasin, tum propter increscentem exteriorum partium duritiem, quæ evaporationem inhibuit, invenimus. Nec Vulcanus ultimus panem Judæi in semicrematis ædibus totum devoraverat, sed & ille integer, cum suis characteribus adhuc conspicuis sub tegula quadam fuerat repertus, tegulâ ipsâ & aquâ crebris vicibus infusâ incolumitatis beneficium sine dubio conferentibus. Ita in fumum spes omnis, quam Agricola fecerat, abiit. Itaque quantum & huic ad ædium incendium remedio, quod habet Georg. Andr. Böcklerus *Schola milit. modern. pag. 936.* sit tribuendum, conjicere, idque propter idem absurditatis vitium, quo laborat, operâ experientiæ gratia navandâ indignum esse asserere licet: Panem, inquit, secalinum ad nigredinem combustum & pulverisatum cum hypocausti quisquiliis & excrementis è vaginâ cultri excussis mixtum ad linteum nodulum revoca, & in ignem projice. Ita Vulcanum, ne progrediatur, impediri ait: sed subjungit: **Dieses soll offt probiret und gewiß seyn.** Ita

non propria, sed aliorum experientiâ comprobatum esse fatetur, Sed an verba, characteres & alia Diaboli sacramenta, qui suam autori experientiam jactarunt, junxerint, ignotum manet. Quicquid tamen hujus rei sit, sive panis ignis vim superet, sive ab eo superetur, non tamen per hæc verborum efficacia evincitur.

CAPUT XIX.

Ratio ultima à verbo scripto, Amuletis & Characteribus sumta cur fusiùs examinetur. Verbum scriptum non impropriè, sed propriè hîc capitur. Duabus rationibus verbi scripti vis infringitur. Amuleti nomen & divisio. Naturalium Amuletorum varia exempla recensentur: quomodo ista operentur? hæc licita sunt; illicita indicantur. Ludicrorum exempla: sunt illicita: horum virtus, nisi ab imaginatione sit, à potestate magicâ deducitur: jocosa quo sensu admitti queant. Magica quid sint: omnia sunt fugienda.

§. 1. RAtio VIII. & ultima cum verbo scripto ad magnum Amuletorum, Characterum, Imaginum & Sigillorum forum nos jam deducit, ubi aliquandiu commorandum, ut, quis eorum sit valor, cùm specie suâ obvios remorentur, & incautos fascinent ac dementent, curiosiùs examinemus, frustraque sententiæ suæ robur inibi Fascini vulgaris curatores quærere, ostendamus.

§. 2. *Verbum scriptum* hîc non *impropriè* capitur; quo sensu *opus legis cordibus gentilium inscriptum* dicitur *Rom. 2.* Salomon præcepta sua in tabula cordis scribere jubet Prov. 3. 3. *Deus promittit se scripturum legem in corde, Jerem. 31. 33.* hoc est, explicante D. Chemnitio, Spiritus S. per doctrinam Evangelii foris in Ministerio sive voce, sive scripto sonantem efficacia & operatione sua mentem illuminabit, voluntatem & cor regenerabit, ut possimus promissionem de Messia verâ fide & ex corde amplecti: Sed *propriè*, pro verbo legibili, quod ore pronunciari aptum chartæ, ligno, lapidi, metallo, aut alii materiæ (cujus apud veteres varietatem solerter tradit Salmuth *ad Panciroll. lib. 2. Tit. 3.*) scripturam sustinendi idoneæ, inscriptum est, impressum vel insculptum sive stylo, sive calamo, sive instrumento alio id fuerit factum: sicuti Jobus vovet,

ut

ut ſcribantur ſermones ſui, exarentur in libro ſtylo ferreo, aut plumbi laminâ, vel cælo ſculpantur in ſilice, *cap. 19. v. 23.* Sic Deus decem Decalogi, verba in lapideas tabulas conſcripſit, ita ut in adverſa tabularum facie, adeoque in utroque latere aliqua verba fuerint: quo de Celeberr. Theologus D. Joh. Adam Oſiander *Typ. Legis Moral. p. 189.* §. *168.*

§. 3. Scripto autem verbo virtutem, præter moralem, etiam realem ineſſe pariter negamus, idque ex iis, quas contra verbum προφορικὸν adduximus, rationibus elucet, quarum plures etiam verbi ſcripti poteſtati infringendæ accommodari poſſunt. Iisdem duas jam ſuperaddimus: (1) Quod nec mens, nec manus, nec inſtrumentum ſcribentis habet, id nec ſcriptura ſeu verbum ſcriptum habere poteſt. Neque enim aliud præter hæc, à quo verbum ſcriptum vires acquirere queat, indicari poteſt. Scriptura autem eſt ultima mentis expreſſio manufacta. Ergo id manus mediante inſtrumento, dum verba ſcribit, exprimit, quod eſt in mente, & quod in mente non eſt, non exprimit. Sed mens res non habet. Si enim res ipſæ cum verbis conceptis in mente eſſent, monſtroſa evaderet ea corporis pars, quæ mentis eſt ſedes, à rebus, quas concipit, materialibus. Qualitas enim realis non niſi à propriâ formâ fluit. Forma autem ſine ſubjecto adæquato eſſe nequit. Hoc autem in rebus corporeis materiatum eſt. Ergo ſi qualitatem corporis realem mens, dum rem concipit, acquireret, ipſum etiam ſubjectum acquireret, quod abſurdum. Scriptura reſpondet quidem conceptui mentis ſeu notioni, ſed hæc eſt imago ſaltem in mente immediatè concepta, & in re immediatè fundata. Imago autem rei non eſt res ipſa. Cùm ergo imago in mente concepta virtute reali careat, carebunt etiam verba ſcripta, quæ ipſam mentis imaginem ſolidè exprimunt. A manu ipſa autem, vel inſtrumentô ſcribentis in verba derivari virtutem, nemo adhuc aſſerere auſus eſt. Si verò verba ſcripta à rebus vires acquirere dixerint, iisdem, quæ ſupra monſtravimus, abſurditatum retibus ſe implicabunt.

§. 4. Quantitatis nulla eſt efficacia, adeoque nec figuræ, quæ quantitatem terminatam ſequitur. Verbum autem ſcriptum, quid præter ſignificandi virtutem, quæ moralis, aliud niſi figuram certô modo delineatam, quæ ex placito manu ſcriptoris primi ſic formata, aliter, ſi voluiſſet, ab eodem potuiſſet formari, repræſentat? Et ſalvâ verborum

ſignificatione novas literarum figuras fabricari poſſe, Steganographiæ ſacra produnt. Plures rationes ex iis, quæ contra realem vocis ore prolatæ virtutem ſuprà cap. 2. produximus, erui poſſunt. Proinde eximios fabularum conditores, Judæos intelligo, qui figmentis nominum poteſtatem extollere ſatagunt, mittimus. Rabbi Jodam narrant Epiſtolam nominibus ſanctis (ſchemos) exaratam in manum demortui cujusdam tradidiſſe, & ex eo mortuum reſurrexiſſe & circumſpexiſſe: detracta verò epiſtolâ mortuum iterum recubuiſſe, annotante Chriſt. Helvico *Part. 1. Hiſtor. Judaic. 16.* Idem *Hiſtor. 17.* ex eorundem monumentis adducit, eundem R. Jodam ter baculô nomina aliquot ſancta in arena ſcripſiſſe, quæ ubi Elieſer legit, quæcunque Joda novit, deſubitò eum omnia ſciviſſe. Quoties verò ſcriptura fuit obliterata, ſingula memoriâ R. Elieſeris exciderunt. Poſtquam verò quartâ vice juſſu Jodæ arenam linguâ delambit, omnia memoriâ retinuit. Sed hæc recitaſſe eſt refutaſſe. Helmontius Libri, cujus Titulus: *In Verbis Herbis & Lapidibus magna eſt virtus*, iſtâ inſcriptione primâ fronte controverſam verborum poteſtatem vindicaturus videtur: ſed in receſſu nihil, quod punctum illud concernat, haberi, lectori patet. Quia verò Amuleta nonnulla verbô ſcriptô inſignia virtutem à nobis controverſam confirmare putantur, ea jam videbimus.

§. 5. *Amuleta*, vel, ut aliis ſcribere placet, Amoleta, ab amoliendo, Græcis περίαπτα, περιάμματα, φυλακτήρια, & ἀποτρόπαια dicuntur: ſuntque ea, quæ ad arcendas malorum noxas aliqua corporis parte præſertim collo alligantur. Horum, ut & Characterum magna ratione efficientis, materiæ & ſubjecti in quo, formæ ſeu figuræ, finis & circumſtantiarum datur differentia: majoris autem momenti cùm Diviſio ſit, ad eam primariò reſpiciemus.

§. 6. Amuleta nos in Naturalia, Magica & Ludrica diſtinguimus. *Naturalia* ſunt, quæ ex naturæ ſinu deſumta & corpori humano applicata per qualitates ſuas naturales illud afficiunt. Ita Verbena medetur capitis dolori, eâque clam ad nucham ſuppoſitâ ſervum ſuum & alios ad miraculum usque curaſſe tradit Foreſtus *lib. 9. Obſ. 52.* Epilepſiæ ramus Sambuci in ſalice antiqua naſcens, è collo usque ad orificium ventriculi appenſus, medetur, Hartmannus *Pr. Chym. p. m. 69.* & Bartholinus *Cent. 4. Hiſt. 69.* Melancholicis affectibus Crocus ſupra cor

geſtatus,

geſtatus, Borellus *Cent. 2. Obſ. 99.* Dentium proventum facilitat lapillus Cancrorum, Dominicus Leo *Pr. Med. Sect. 1. lib. 7, cap. 10.* Hæmoptyſin bufo transfoſſus, ſole exiſtente in Leone exſiccatus, ſi in manibus teneatur, vel de corpore ſuſpendatur, tollit, Hoffmannus *Meth. Med. libr. 1. cap. 19.* Hydropem bufo ſylveſtris per ventrem ſectus & renibus obligatus, Vierus & Varignana ap. Riverium *in Prax. p. m. 207.* Deciduus infantis umbilicus annulo incluſus & geſtatus, ita ut carnem attingat, à coli inteſtinorumque doloribus liberat, Tandlerus *Orat. de Imaginat.* Lapis aetites certô modô geſtatus ab abortu præſervat, fœtumque retinet vel promovet, D. Bauſchius è variis. *Schediaſm. de lap. Aetit. pag. 41.* A terrore nocturno & inſomniis turbulentis pueros defendunt corallia geſtata, Ganſius *Hiſtor. Corall. cap. 11.* Nephritidi lapis nephriticus ſolatio eſt, Unzerus ex variis *de Nephrit. p. m. 1038.* Febribus intermittentibus Camphora collo ſuſpenſa ſuccurrit, Willis *Diatrib. de Febr. cap. 3.* Ad hæmorrhoidas cœcas, mariſcas & condylomata ſingulariter commendat radicem Telephii in dorſo inter ſcapulas geſtatam Dn. D. Wedelius *Colleg. Natur. Curioſ. Ann. 2. Obſ. 195.*

§. 7. Hæc & ſimilia plura, præſertim è mineralium claſſe petita naturalia amuleta per qualitates ſuas, quibus formas in prima creatione Univerſitatis conditor ornavit, convenienter applicata, ſemper & eodem modo corpus afficiunt, ſive in ſphærâ ſuæ activitatis eorum quædam vi influentiæ, & directivæ, citra omne corporale effluvium agant ut Helmontio *Libr. Poteſtas Medicaminum* inſcripto, n. 61. & Lib. *Ignota Actio Regiminis* n. 19. placet, (quod tamen D. Rolfinckio *Chimia lib. 5. Sect. 14. cap. 1.* diſplicet) ſive per evaporationem & atomos volatiliores effectum edant, nos jam non diſputabimus, de qualitatibus phyſicis, quibus amuleta iſta reverà pollent, tam manifeſtis, quàm occultis, & per experientiam cognitis, poteſtate ſecuri. Non ſanè repugnat, ea & ſimilia penſilia corporibus appoſita, vel ſubſtantiæ quendam modũ occultũ, vel qualitates occultas poſſidere, quibus ſpiritus per corpus quoquoverſum commeantes, ac modò ad circumferentiam, modò ad interiora tendentes afficiant, ſicque & inſiti calidi ſubſtantia nativa afficiatur benignè, atque ad vigorem excitetur, ut vel animo addat alacritatem majorem, vel in cauſam morbificam in corpore deliteſcentem, feliciùs inſurgat; fieri etiam poteſt, ut à quibusdam appenſis, ſive ex mineralibus, ſive ex vegetati-

getativis, sive animalibus deprompta sint, tenuiores quædam atque æthereæ particulæ quæcunque procedant, atque extrorsum effundantur, quæ continuâ illa sui aporrhoiâ seu effluxu in corpus vicinum aut non admodum dissitum, per ejusdem poros se penitiùs insinuent, ac pro habitudine sui in idem agant; quin & fieri posse cum ratione non pugnat, ut ejusmodi pensilia quid forte alliciant ex corporibus ipsis, quod hisce sit noxium, vel corpora fortè ex ipsis alliciant, quod beneficum sibi sit, uti Deusingius *Exam. Pulv. Sympath. pag. 43.* nervosè disserit. Libavius *lib. 4. de Univers. & Origin. Rerum pag. 348.* de iis, quæ simplici impositione vel appensione dicuntur juvare, ita discurrit: *Quædam attractiva virtute halitus perniciosos succosq; evocant nocentes, sive familiaritate, ut scorpius, rubeta, pastinaca &c. Quædam alexipharmacam vim habent, & dum appensa incalescunt, spiritus emittunt, qui vel poris vel anima recepti, juvant. Aliqua roborant naturam & in hostem animant: Quædam spiritus augent, vel disponunt ad benè agendum. Nonnulla calorem nativum roborant, sunt qui putent consuetudine venenorum duratam naturam allapsus venenorum contemnere. Quædam disponunt aliter, ad non patiendum. Nonnulla adversis expirationibus solicitant stimulantq; naturam ad expellendum, quomodo creditur lapis nephriticus ad renes proclivis destinatusq; esse, & in calculos propriè agere.* Eam virtutum in corporis intima transvectionem sanguinis circulatio seculo nostrô apprimè confirmat.

§. 8. Naturalia hæc ut talia & pura, rebusque superstitiosis non corrupta, licita sunt, convenienter usurpata, cùm Deum habeant autorem, inque hominis salutem à naturæ autore fuerint creata, & viribus medicamentosis donata: illicita contra ea sunt, quæ vel alia habent adjuncta, à quibus vires naturales effectui proportionatæ manare nequeunt; vel quæ contra artis methodum imprudenter applicantur. Illorum paradigmata infra dabimus; hujus unicum referemus exemplum ex Hildan. *Obs. 12. Cent. 3.* *Sanguineus quidam hæmorrhagiæ narium à juventute obnoxius, cùm adultior factus imminens aliquod periculum ex crebrâ narium hæmorrhagia sibi metueret, præcautionis gratia amuletô quodam appensô in sui perniciem fuit usus. Apoplexiâ enim ex eo correptus protinus animam Deo reddidit. Post duodecim horas, cùm cadaver sepulturæ jam tradendum esset, sanguis copiosè è naribus*

bus & ore emanavit. Sic Amuletis quibusdam nonnunquam febricitantium paroxysmos malô consiliô quidam inhibent. Causa enim morbi hac methodô non tollitur, sed novo morbo subministratur occasio, teste cum experientiâ ipsâ (quæ & nobis suffragatur) Schorerô *Medicin. Peregrin. p. 100.* ut adeò falcem Medicis relinquendam, quam tractare non didicerunt, malè in alienam messem inferant. Atque hoc non tantum naturalibus sed & magicis mediis, v. g. nummo, lilii vel crucis figuram aut alium characterem referente, perficitur. *Vidi*, inquit Fernelius *l b. 2. de Abdit. Rer. Caus. cap. 16. & febres verbis ac ceremoniis quadamtenus profligari, sed quæ mox similiter, aut multo deteriùs recurrerent.*

§. 9. *Ludicra* sunt, quæ nequiores ad mala insciis commendant, cùm reipsa nihil aliud sint, quàm mera ludibria, nullam ad effectum producendum potestatem habentia: & si effectus quandoque sequitur, per accidens planè ob imaginationem utentis suscitatam, vel dæmonis se vanis velut suis sacris sese immiscentis potestatem accidit. Ludicrum & ridiculum est illud, quod ex Scheunemanno refert Camerarius *Memorab. Medicin. Cent. 7. Obs. 6. Princeps quidam Civitatis Fontani in Pictavia amantissimus defensor, ab obsidione hostis eandem liberaturus & commeatu necessariisq; adjuturus, cùm appropinquaret Dux alter, subitaneo Principis adventu perterritus, quod incoluerat domicilium, derasâ sibi jam mediâ barbâ fugitivus dereliquit, & aliò se properè contulit. Princeps hospitium idem fortuito ingressus, capillosq; humi dissitos conspiciens, cujusnam essent à Nobili quodam Gallo, milite strenuo, itidem propter febrim derelicto, quæsivit, certiorq; eâ de re factus clam colligi, noduloq; byssino insutos de febricitantis collo amuleti loco suspendi, atq; sequens tetrastichon adjungi præcepit:*

Juro febrem quatriduanam
Te per barbam Cyllenianam,
Ut ab hoc corpore repedes,
Ceu me bellante, Dux de Loges.

Convalescens itaque, qui laborabat febre, Nobilis Ducem suum secutus, eum unà cum Gynacéo cœnantem reperit, inexpectatus sanitatem recuperatam Duci commemorat, Condæiq; liberalitatem, quod citra exactionem pecuniarum imperatam dimisisset, medendi insuper ejus studium magnoperè collaudat, nodulumq;, cujus efficaciâ sanitati se redditum arbitrabatur,

tur, in quo quid reconditum erat, inscius ipsemet videndum omnibus exhibet, quem Dux τοῦ θελήμματος experiendi cupidus reclusit, propriosque capillos erubescens reperit. En aliud ! *Quidam ad febricitantem vocatus, insolenter gloriabatur, se certissimum & experientiâ sæpius comprobatum habere contra febrem remedium, atque in fasciculo quodam id ægrotantis collo alligabat. Hic sanitati restitutus illum resectum inspicit, & hosce rhythmos Germanicos reperit:*

Ein Fuchspeltz und ein Mardern Hut
Sind beede für das Kalte gut.

Salmuth *Centur. 3. Observ. 81.* Wierus sequentem recitat historiam: *Ad mulierculam quandam oculorum lippitudine aliquandiu laborantem casu nebulo divertit, qui sanationem oculorum certissimam pollicitus, suspensâ in ipsius collo schedula tam cavit strictè, ne ea auferretur, aut aperiretur, aut legeretur, ut nihil hinc prorsus expectandum juvamenti asseruerit, si aliquo hic modo delinqueretur. Mulier in multam erecta spem confidens à lachrymis se quoque continuit, quibus antea oculorum accrescebat vitium: atque hac ratione paulatim convaluit. Demum ob adeptam sanitatem, schedula negligenter habita decidit, ejusque, cui hactenus unicè fidebat, animadversâ dein jacturâ redeunt lachrymæ, malumque recrudescit. Schedula interim ab alio inventa, reserata & lecta, inscripta Germanicô idiomate hac ajebat fuisse verba:* Der Teuffel kratz dir die Augen aus/ und sch. dir in die Löcher. Tantum temeraria effecerat credulitas. Et rectè Wierus ibi subjungit: *Si horum aliqua fuisset virtus verborum, evulsi periissent oculi, cavitatibus dæmonis excrementis rursus infartis.* Agyrta quidam cuidam quartanâ laboranti amuletum de collo appendit, asseverans, certissimum omnium febrium intermittentium esse remedium, si per dies 9. gestetur, posteaque in profluentem demergatur. Hic sanitati restitutus scire cupiens pentaculi tam efficacis compositionem, apertâ capsula reperit membranulam, cui inscripta erant hæc verba: Fett Fleisch gibt gute Suppen. Alius ad Febres hoc chartæ inscriptum vetulæ cuidam commendavit: Alte/ bestehe dir das höllische Feur/ so vergehet dir das Kalte ꝛc. In his autem & similibus an & quantum imaginationi sit tribuendum, patebit ex Lib. 2. Ludicrum planè fuit & illud, quod nequam chartæ inscriptum cuidam ad pediculorum & pulicum injurias dedit: Ey beisst/ ey beisst ihr Flöh und Läus/ und bringt

an

an Galgen eure Speis. Hîc imaginationis, quæ in externa nullum jus habet, potestas omnis exulat, & effectus ob periapti impotentiam nullus sperandus. Freudius im Bericht von Zauberey und Zauberern *Quæst. 133. n. 34.* refert ex Rud. Gvverb , quendam amuleto chartaceo de collo ad armorum impetum eludendum suspenso fretum ad arma facilè discurrisse, & prælium cum obvio quocunque conseruisse, sed ex improvisô fuisse interfectum : in charta collo postea detractâ hæc legenda occurrisse verba: Weit davon ist gut für Hauen und Stechen. Certè si nullo vulnere arma impetuosa ejus cutem potuerunt ante hæc perstringere (quod quidem ex historia non constat) de Dæmonis sub vanô amuletô colludentis & hominem in securitatis viam seducentis cooperatione dubitet nullus.

§. 10. Ejusmodi igitur amuleta omnia sunt illicita. Nam sicut decet sanctos, non tantum scortatio & omnis immunditia, sed & αἰσχρότης καὶ μωρολογία ἢ εὐτραπελία τὰ οὐκ ἀνήκοντα, *obscœnitas, stultiloquium aut scurrilitas, quæ non conveniunt*, ne nominentur quidem , uti Paulus *Ephes. 5. v. 3. 4.* præcipit. *Omnis sermo vanus qui dicitur , immundo spiritu dictante profertur. Vanum ergo sermonem dicentes non tantum ideò peccamus, quia per illum sermonem aliquem lædimus , sed quia damus locum in nobis agendi, quod volunt, immundis spiritibus*, ait Augustinus *in Specul. Peccator. cap. 7.* Itaque metuendum , ne infamis ludicri infernalis autor in superstitiosis colludendi paratissimus amuletis ejusmodi vanis se immisceat. Godelmannus *lib. 1. cap. 8.* ubi similem (nisi forsan eadem sit) isti, quam è Wiero jam adduximus, recitavit historiam , subjungit: *Hæc Diabolus fecit ideò, ut vetulam in superstitione confirmaret, eamq́; deciperet.* Sanè superstitiosis & vanitatum studiosis paratam , sed occultam operam Dæmonem subministrare exemplis probatum dedimus suprà *cap. 11.* Est enim efficax in filiis incredulitatis, & per deridiculas nugas, quarum putatitias virtutes ipse absolvit, ad superstitiones & his graviora manu quasi ducit. Vetula quædam ex dentibus obnoxiè laborans, periapton anxiè exigebat à quodam Medicinæ studioso. Cumque is, quid ageret, nesciret, quo anus tædia declinaret , conscripsit chartulam, quam implicitam sindoni, collo ejus appendit, mirum , illicò cessit dolor. Hæc deprehensa salutari chartulæ vi, ubivis, ubi in querela dentes erant, hanc admovit non sine successu : cumque tandem in homi-

nem minimè superstitiosum incidisset, ab eo chartulâ explicatâ, hæc lecta sententia: *Diabolus Tibi rumpat collum.* Heurnius *lib. 3. Method. ad Prax. cas. 28.*

§. 11. Fernelius *loc. cit.* miratur, unde inania illa & anilia, quæ superstitiosa vocat, creditas habeant vires. *Neque enim*, inquit, *à temperamento, neque ab aliis manifestis qualitatibus, neque à tota substantia neque à divina vel magica potestate. Ejusmodi sunt scripta, signa, characteres, annuli, qui nec Dei nec spirituum opem implorant. Si nulla superior causa accesserit, quid sola figura, vel character virium possit ad profligandos morbos obtinere? Omnis quippe effectio ex contrariis est, quæ in eodem posita genere partim similia, partim dissimilia sunt. Ut nec calor in saporem, nec sapor in odorem vel sonum, nec sonus in figuram: ita sanè nec verba, nec figuræ, nec characteres in morbos quicquam efficiant. Non solùm autem in iis, quæ trans naturam, verùm etiam in naturalibus plerisq; remediis superstitiones incidunt: ut dum herbis, stirpibus, lapidibus, aut metallis vires attribuuntur, quæ nec ad manifestas qualitates, nec ad totam illorum substantiam accedunt.* Sed nisi imaginationi aliquid in nonnullis attributum velimus, magicam potestatem accedere, admittendum erit, & admittent, quicunque Satanæ promtitudinem homines per vanas tesserarum suarum observantias seducendi, & constitutarum à se nugarum credulitatem profundiùs infigendi studium secum perpenderint.

§. 12. Sanô tamen sensu Amuleta, velut per stratagema Medicum, applicari & admitti posse existimamus tum, quando nimirum æger de successu medicamentorum desperat, vel delicatum ejus palatum illorum usum respuit; quando verba usurpantur honesta, vel res naturales à spurcitie alienæ, licet ad morbum nihil conferant; quando præterea cum adstantium, ne scandalum accipiant, præscitu id fit, additâ monelâ, hoc ipsum ideò fieri, ut ægrotantis phantasia morbi vi sepulta (quæ majorem nonnunquam in ignotis externis, quàm internis notissimis fiduciam ponit, præcipuè si verba effectum certissimum promittentia, & exempla id confirmantia junguntur) novo medicamento suscitetur, suscitata vegetetur, & ad morbum inferiorum facultatum ope debellandum roboretur. Sic quoque stratagemata in melancholicis, quorum phantasia vi morbi seducitur, prudenter semper usurparunt Medici. v. g.

Qui-

Quidam, qui se cornua gestare putavit, capiti cervinis cornibus alligatis serraque sectis & ostensis ab insania liberatus fuit. Alius se in capite septem passerculos habere prædicavit: medico per nares eos extrahere simulante, interim laboranti, quem in vestis manica passerculum absconderat, præ monstrante sanatus fuit. Mulier quædam, quæ se serpentem devorasse existimarat, exhibito medicamento vomitorio clamque in rejectione serpente mortuo imposito sanata fuit. Quæ & alia plura recitat Marcellus Donatus *lib. 2. Histor. Medic. cap. 1.* Tulpius *lib. 1. Observ. 18. & 19.* Si deceptoria curandi ratio in phantasia à tramite rationis aberrante conceditur, quidni & ista in eadem vi morbi oppressâ, modò scandalum absit, locum habeat? Neglectis iis circumstantiis sic ægri & adstantium credulitati illudere, cum ea res superstitionis periculô non careat, non est pii & prudentis Medici.

§. 13. *Magica amuleta* sunt, quæ vel à Magis à Dæmone edoctis, orta, vel instinctu ejus, licet absurda in se sint, commendata, ejusdem quoque cooperantis ope effectum in corpore, cui sunt appensa, præstant. Atque hæc nullas pariter ad aliquid efficiendum de se habent vires, sed Dæmon per ea tanquam per sacramenta sua, quæ per Magorum manus velut per traducem in simpliciorum pectora propagat, operatur, ut sunt ea, quæ verbis, imaginibus, characteribus, figuris, ritibus, & ceremoniis variis vanisque insignita appenduntur & gestantur, ut v. g. morbos depellant, gestantem omnibus gratiosum reddant, principum favorem concilient, victoriam in bello & causis civilibus reportent, felicitatem in mercatura, aucupio, piscatione, venatione accelerent, ad honoris fastigium evehant, omnium votorum compotem reddant, & nescio quæ alia præstent. Tale fuit Magi illius apud Godelmannum *lib. 1, cap. 8. n. 26.* quem hosce ritus & ceremonias in ægrotis curandis adhibuisse scribit. *Ægrotum*, inquit, *apprehensum in fœnum collocavit, ejus corpori chartam miris variisq; characteribus consignatam postea alligavit, quam ego postea legens nil eam præter hæc saltem nomina Dæmonum, Lucifer, Satan, Beelzebub, Oriens, Behal, Mammon, Buslar, Narthin, Oleasar, Bilech, &c. continere animadverti.* Plura dabimus in sequentibus. Hæc omnia sunt illicita, quia per hæc Medicus infernalis colitur, &, quicunque iis utuntur, consortes Dæmoniorum redduntur, si non semper immediatè, tamen mediatè.

CAPUT XX.

Nomina, Character, Imago, Sigillum, explicantur. Ægyptiorum & Chaldæorum Amuleta. Talisman quid? Paracelsus verborum, characterum, imaginum & sigillorum Patronus, ut & Agrippa, item Judæi. Jam olim annuli characteribus fuerunt insigniti. Nostro seculo characteristicam Philosophiam & curam defendit Goclenius. Periaptis quantum secundùm Galenum tribuendum. Characteres cœlitùs vires non accipere, aliquot rationibus probatur.

§. 1. C*Haracter*, χαρακτὴρ à χαράσσω, *sculpo, inscribo,* significat notam rei seu duræ seu molli instrumento quodam impressam. *Imago* à Græco εἴγμα, *imago similitudo*, quod est ab εἴκω, *similis sum*, notat id, quod repræsentat aliquid, ad cujus exemplum est factum, sive planè & perfectè id fiat, sive imperfectè. *Sigillum* non tantum imagunculam & parvum signum, sed & signum annulo vel organo signatorio impressum dicit. Omnia ista sub eundem hîc revocantur censum, quatenus iisdem realis virtus, undecunque etiam illis competat, tribuitur. Ubi non de characteribus & signaturis à naturâ rebus impressis sermo nobis est, sed de iis, quæ artificis manu elaborantur & delineantur. Quo referimus etiam suetas priscis Ægyptiis in scribendo notas (vid. infrà quoque cap. seq. §. 31.) quibus nomina & integros sensus expresserunt: quibus notis & signis exilibus etiam Homeri poema exaratum fuisse censet Salmuth *in Panciroll. lib. 2. Tit. 14.* quod quidam, referente Cicerone, adeò subtiliter in membranis descriptum habuit, ut illud totum levi nucis putamine concluderet.

§. 2. Characteres Amuletorum quorundam tumultuariâ operâ, quorundam autem certâ lege & accuratâ astrorum variarumque circumstantiarum observantiâ formantur. Quæ horoscopante signo figuris certis insigniuntur amuleta, quod priscum est Ægyptiorum & Chaldæorum inventum, Arabes Talisman, Græci σφραγίδας, στοιχεῖα nominant, & homines, qui ea facerent, στοιχειωματικοὺς, qui verò ejusmodi amuletis muniti sunt, adversus externa, ut ipsis videbatur, nocumenta, ἐστοιχειωμένους, Arabes autem *Mutetalümin*, ut habet Joseph. Scaliger *lib. 2.*

lib. 2. Epist. 180. & *lib. 3. Epist. 226.* vocant, & Judæis *Scuta Davidis* dicuntur. Eadem τὰ τοῦ Ἀπολλωνίου τελέσματα appellantur *in Responsis ad Orthodoxos*; quæ Justini nuncupantur, *Responso 24.* notante Seldeno *de Dis Syris Syntag. 1. cap. 2.* qui è vetusto, quem habet, Autore Anonymo Arabicè MS. horum Talismath Autorem seu artificem Polonum sapientem fuisse refert; quem rectiùs insipientem & magum dixerimus. Magia enim suis physicis ligaturis & periaptis ac ἐπῳδοῖς, & incantationibus ad perniciem vitæ & salutis hominum conspurcavit Medicinam, ut ait Langius *lib. 1. Epist 33.* Voetio *Tom. 3. Dispp. Select. pag. 554.* varias variarum gentium hac in parte superstitiones conferenti *Talismam*, seu ut propriè scribendum censet, *Tilsema* in genere significat quemlibet lapidem, gemmam, annulum, laminas, aut quodcunque subjectum literis aut verbis mysticis (ephesiis literis) incisum, quibus efficaciam aliquam inesse putant. טלסם Tilsemon *est imago magica: quales sub certo horoscopo insculpi rebus & consecrari solebant ad certam efficaciam.* Jac. Golius *Lex. Arab. pag. 1473.* nimirum ut futura revelarent, vel voces ederent.

§. 3. Paracelsus magnus superiori seculo verborum, characterum, sigillorum & amuletorum assertor *lib. 1. Philos. Sagacis cap. 6.* ait. *Naturam vires suas in verba imponere, sicut in herbas & radices, ita in Gamatheos* (Gamathei sunt lapides, quibus cœlestes vires & supernæ constellationes imprimuntur, mirandis characteribus, imaginibus & figuris insigniti vel celati, Gulielm. Johnsonus *Lexic. Chym. p. 98.*) Eidem imagines & characteres sunt pyxides, in quibus Magus siderum vires asservat *Libr. de Occult. Phil. Tit. de Charact.* docet, characteribus persanari morbos, quos nec aurum potabile, nec quinta antimonii essentia curare possunt. *Lib. Archidox. Magic.* varios characteres sanandis morbis commodos proposuit. Non minorem ad confirmandam characterum facultatem indivisus illius Achates Corn. Agrippa confert operam, qui *lib. de Occult. Philosoph. cap. 47.* annulos antiquitatem semper magni fecisse, eosque opportunè fabricatos suam in nobis virtutem promere scribit, ibidemque modum ejusmodi annulos conficiendi subjungit. Cardanus *libr. 16. de Rer. Variet. cap. 89.* quatuor in sigillis necessaria esse scribit: naturam facultatis & materiæ, & sideris, & hominis, qui eo uti velit, de quibus fusiùs agit. Et sanè jam olim annulos characteribus fuisse insignitos, & jaspidi draconem insculptum

ex Galeni *lib. 9. de Simpl. Medic. Facult. cap. de Lapid.* discimus. Annulum signatum, ad Colicam commendatum à Tralliano vid. supra *cap. 8. §. 2.* De Eudemo Philosopha refert Aristophanis Scholiastes: Φιλόσοφος δὲ ἦν οὗτος ὁ Εὔδημος φυσικοὺς δακτυλίους ποιῶν πρὸς δαίμονα, καὶ ὄφεις, καὶ τὰ τοιαῦτα. *Philosophus is erat Eudemus physicos annulos faciens adversus dæmona serpentes & cætera id genus.* Thebit Philosophus captatâ stellæ virtute accipi lapidem herbamque stellæ subjectam putat, mox & annulum conflari sive aureum velis sive argenteum, cui lapillum indas herbâ suppositâ. Id verò potissimum fieri præcipit stellam Lunâ subeunte aut spectante aspectu trino vel sextili: stellâ verò cœli medium percurrente, aut in ascensu constituta. Cœli Rhodignus *libr. 6. Antiq. Lection. cap. 10. & 12.* Judæos quoque, quos traditionis Judaicæ mater supra modum lasciviens ad varia variorum errorum latibula seducit, in eodem luto hærere, vel ex his solius R. Samuelis zirzæ *in Mekor Chajim* verbis, quæ D. Saubertus loc. à nobis supra *part. 2. Sect. 1. cap. 10. §. 7.* citato, ex eo allegat, satis constat. Verba in Latinum translata saltem, omissis Hebraicis, adducam: *Serpens aneus factus fuit per sapientiam supernam, certis horis, quibus sanari possunt morsibus petiti. Perhibet R. Mose Maimon Part. II. cap. 9 priscos stellas vocasse figuras. Scribit autem M. Vidal magnum hoc esse ex Raf arcanum, & priscos ad eximium principium manu duxisse, quoniam in talibus figuris fundabantur operationes illorum. Assimilantur nimirum figura inferiores supernis figuris, & inferius accipit à superiori: quo respicit Psal. XXXIX, 7. Hoc est, quod ait Ptolomaus: figura orbis compositi obediunt figuris sphæricis. Propterea Astrologi sidera per figuras delineant in arenâ, ad id, quod volunt operari. Hac de re statuit Asi Gifor, quòd hoc ipsum in se comprehendat omnium arcanorum Astrologicorum summum. Sunt autem figura, qua memorantur in orbe composito species animantium ac germinum quorumvis, quarum qualibet subjecta est figuris sphæricis, qua similes sunt figura uniuscujusq; individui illius, à quo sunt denominata. Ita Scorpiones obediunt figura Scorpionis, qua in globo cælesti est; serpentes figura serpentis in sphærâ cœli &c.*

§. 4. Nostro seculo characteristicam Philosophiam & curam amplexus est Rudolph. Goclenius junior, qui *Tract. de Ungu. Armar. in Theatr. Symp. p. 193.* non omninò vana esse ait, quæ antiquissimi na-

turæ exploratores de verbo ſcripto ſeu characteribus & ſigillis certis temporibus ſecundùm cœli virtutem & influxum fabrefactis literis monumentisque conſecrarunt. Gygem Lydorum Regem annulo ſuo lapidem Draconis capite exemtum incluſiſſe, ſeſe, ut Regem & adſtantes occideret, & impunè cum Reginâ concumberet, inviſibilem reddidiſſe ait. Joſephum allegat, qui *lib. 8. Antiq. Judaic. cap. 2.* ſcribit, ſe vidisſe præſente Veſpaſiano Imperatore Eleazarum quendam de gente Hebræâ naribus cujusdam obſeſſi, annulum, cujus ſignaculo radix à Salomone reperta erat ſubdita, applicuiſſe, dæmonemque de naribus odorantis contraxiſſe, qui cùm repentè in terram concidiſſet, Eleazarum conjurationis Salomonis cantico dæmonem proſcripſiſſe: Salomonem Magiæ fuiſſe peritiſſimum, & Moſen Hebræorum legislatorem in Ægypto Magiæ (non infami ſed ſacræ) initiatum annulos amoris & oblivionis feciſſe. Idem *pag. 195. & ſeqq.* innumera penè ejusmodi imaginum in lapidibus ſub certis aſtris ſculpendarum exempla cum earundem virtutibus è variis; ut Michaele, Chacle, Hermete, Thalete & Libro quodam Salomoni adſcripto adducit. In Synarthroſi magneticâ p. 270. ſigillorum & imaginum fabricam ſcribit otioſam non eſſe & prodigioſam, ſi ſcilicet formentur vel ſub certo ſidere per verticem trajiciente (tunc enim virtus ejus per radios rectos demittitur rectiſſimè) vel ſub planetarum aliquo, in potenti cœli loco propriisque ſuis dignitatibus conſtituto, vel denique pluribus planetis in uno dodecatemorio cœli conjunctis & concurrentibus.

§. 4. Manuſcriptum quoddam Germanicum non nemo mihi communicavit, in quo Autor Anonymus Magiam veterum & majorum noſtrorum, non eorum tantum, qui in populo Judaico, ſed & pagano veri Magi ſeu ſapientes fuerunt, ſe deſcripturum, & maxima ſecreta ac arcana, quibus ſine peccati labe uti liceat, revelaturum ait. Tractatum totum in 9. Libros dividit. *Primus* manuductionem ad Magiam & 8. ſequentes libros continet. *Secundum* de Microcoſmicâ & Geniali Magiâ; *Tertium* de Olympicâ: *Quartum* de Homericâ ſive Poeticâ: *Quintum* de Sibyllinâ vel Romanâ Magia; *Sextum* de Pythagoricâ: *Septimum* de Apollonicâ: *Octavum* de Ægyptiacâ: *Nonum* de Prophetica agere ſcribit. Sed non niſi primum quaternionibus ferè quinquaginta conſtantem, Dresdæ, ut in calce manuſcripti habetur, Ann. 1623.

 abſolu-

absolutum (an tempus inventionem, an verò scripti jam diu inventi descriptionem spectet, me latet) manus meæ viderunt, ait, qui ipse tamen, quid de cæteris sit judicandum, satis prodit, Venenum nimirum continet sesamô & papavere egregiè conspersum, hoc est, magicas superstitiones verbis sacris, admonitionibus piis, meditationibus sacris, & orationibus devotis, omnibus ad speciem bonis, ita tamen ut absurda & vana passim transpareant, incrustatas continet, ex quibus Autorem ipsum, quicunque etiam ille fuerit, Paracelsicam vel Agrippinam sobolem, h. e. Magum fuisse, non difficile est colligere.

§. 5. Quod Characteres attinet, Autor hic *Articul. 8.* (ubi multus de iis est. Nos præcipua, quæque alicujus ponderis esse isti videntur, seligemus.) (1) *Num. 4.* omnium rerum, tam sub- quam supra-lunarium, herbarum & characterum, nominumque virtutes à Deo oriri contendit. (2) *Num. 5* ait: **Die** Characteres **aber/welche nach himmlischer Influentz** imprimiret **werden / geschehen aus Gewalt menschlicher Natur/ welche das Gestirn meistert / wie in der heiligen Schrifft gemeldet wird**: Sapiens dominabitur astris. (3) *Num. 6.* **wo ein Character etwas wircket / ist gleichwol Göttlicher Ordnung nach vor natürlich zu rechnen / als eines Krauts Tugend. Wie der Salvien-Geruch von GOTT durch seine verordnete Mittel herkommt / also der Wörter und Character Krafft auch dergleichen.** (4) *Num. 7.* Magum, omnemque omninò hominem, qui conformem verbo divino vitam agit, tantam per suam sapientiam & connatam virtutem habere potestatem dicit, ut non tantum terram, feras, equos & boves ad placitum suum regere, sed & cœlo, ejusque incolis, videlicet planetis, omnibusque firmamenti rebus imperare, & pro suâ voluntate velut armenta cum gregibus, cogere queat, juxta Psalm. 8. v. 4. *Videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & stellas, quæ tu fundasti* vers. 6. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis: gloria & honore coronasti eum, & constituisti super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Connatâ itaque sua virtute Magum per verba seu voluntatem suam characteribus separatas cœlestium vires posse imprimere, iisque Medici instar herbâ ad morbum utentis uti posse statuit. Imaginationem initium & principium coactivum vires cœlestes separatas & subjectum terrestre, nempe characteres conjungens, appellat.

§. 6. Verùm enim verò si suam characteristici Philosophi sententiam

tentiam tanto rationum pondere proferrent, quantô verborum sine rationibus apparatu exornant, faciles haberent Lectores: jam cum isto destituantur, serenissimæ veritatis luci eam expositam mox disparere advertunt, & jam olim adverterterunt saniores Philosophi. Ipse Galenus *lib. 6. & 10. de Simpl. Medic. Facult.* ista damnat. *Periaptis*, inquit, *sic confidere oportet, ut substantia illorum non incantationis verba* (scripta) *juvare credantur.* Cui Theophrastus *libr. de Plant. Hist. 9.* subscribit. *Potius*, inquit, *absurda illa putentur, quæ alligata, & veneficiorum adversantia vocantur, & tum corporibus tum domibus unicè opitulari creduntur: quæ commenta hominum esse planè videntur, qui suas artes magnificare celebrareq; cuperent.*

§. 7. Fundamentum, quo firmiter pro verborum & characterum efficaciâ probent isti, naturam vires suas in verba, ut Paracelsus loquitur, item in characteres & sigilla imponere, vel sigilla & annulos sub certô cœli aspectu sculptos de viribus constellationum participare (quod latibulum tam latum est, ut mille absurdarum opinionum plaustra se illuc recipere queant) solidum nondum vidimus: neque ullus inventus, qui dixerit, unde, quando & per quid constare cœperit, cœlitùs immissa virtus determinata. Superiorum quidem in hæc inferiora influxum, actionem & efficaciam urgent, deinde creatoris potentiam, & tandem metallorum virtutes jactant, quod verò cùm nemo neget, prolixam in eo operam frustra locant, gratisque ex astrorum influxu universali particularem characterum, influxum istum recipiendi aptitudinem, è Dei potestate ejusdem voluntatem, è naturalium rerum virtute artefactorum vires inferunt. Hoc erat ostendendum, scripta verba, cùm innatam virtutem nullam habeant, item imagines & characteres capaces esse, ut recipiant qualitates cœlitùs datas. Quicquid recipitur, per modum recipientis recipitur, in quantum scilicet cum ipso proportionatum est. At quæ hîc proportio? nulla. Corpora quidem sublunaria cœlestium corporum actionibus subjici, & ab iis variè alterari experimur & largimur. Sed à corporibus ad accidentia alieno corpori impressa, mox argumentari, & similem utrisque capacitatem & patiendi potentiam sine probationis medio attribuere velle, saltus est è rationis circô in magnum absurdorum cumulum immanis. Probanda erat capacitas illa & patiendi potentia, quæ cum Philosopho-

losophorum suffragio in solâ sit materia, quâ corpora, non accidentia in se spectata gaudent, igitur rectè istam capacitatem & patiendi potentiam verbis, characteribus & sigillis denegamus, indeque argumentum desumimus *primum.*

§. 8. *Secundum* hoc esto: Si characteres & sigilla corporibus impressa determinatam à certô siderum positu operationem accipiunt, fit hoc, quia cœlum in ea agit, vel tanquam in contrarium, vel tanquam in simile. Non autem tanquam in contrarium, quia ipsi sympatheticum hîc agnoscunt influxum. Sed nec ut in simile. Quæ enim similitudo inter astra & characteres? nulla. Non ratione essentiæ. Ista enim substantiæ sunt, hi accidentia. Non ratione qualitatum. Illa enim his gaudent, quibus hi carent. Non ratione figuræ. Quæ enim inter figuram v. g. Saturni seu physicam, seu astronomicam seu historicam, & inter figuram annulo insculptam artificialem est convenientia? Physica prioribus seculis planè incognita fuit: nostrô seculô telescopii ope jam subrotunda, jam sub cucurbitæ vel pyri figura deprehenditur, Vid. Schottus *Præluf. in Saturn. in Itin. Ecstat. Kircheri pag. 30.* Astronomica pictus & fictus est character, videlicet falx. Historica senex cum falce suos liberos devorans. Physica, quia Saturnus omnium planetarum à visu nostro remotissimus est, incerta est. Astronomica & historica arbitraria. Constellationum enim imagines fictæ sunt, docendi causâ solùm ex imaginantis arbitriô consignatæ, qui, si placuisset, asterismum, quem Piscem, Sagittarium, Ursum, nominant, alio nomine appellare potuisset. Et posito, dari ratione figuræ artificialis convenientiam, quæ quæso consequentia? Saturni imago annulo talismanico impressa convenientiam habet, cum imagine Saturni Physicâ. Ergò Saturnus vires suas propter convenientiam artificiali imagini imprimit. Itane ab externo ad internum progredi, indeque argumentando convenientiam extorquere licet? Itane character & figura Saturni sub justâ constellatione arbitriô & arte hominis materiæ elementari seu mixtæ insculpta facit ad collligationem & mutuam sympathiam utrorumque corporum naturaliter inducendam, & vires superiorum in inferiora, ductu quidem spiritûs mundi, derivandas? Characteres quidem ad argumentandum allatos video, & verba audio, sed medium concludendi solidum, quod extrema firmiter colliget, & vim

veræ

veræ collectionis in conclusionem rationis sobriæ ductu derivet, nec video, nec audio. Non plus certè tribuere potest stella ipsa imagini pictæ, quàm verus homo homini picto, qui tamen majorem cum vero homine, quàm stella cum sua figurâ similitudinem ratione externæ figuræ habet. Atqui homo verus nihil picto, nihil ignis verus, verus magnes igni picto pictoque magneti confert. Cur ergò remotioribus corporibus, quorum figura obscura est & ignota, in characteres dubios & varios influxum affingimus? cur ignis veri minor sit in ignem pictum vicinum activitas, quàm remotissimi Saturni in suam figuram? Cardanus *de Rer. Variet. Libr. 16. cap. 90.* delineationem characterum planetarum (aliam Agrippa *Libr. 1. Occult. Philos. cap. 33.* tradit, id quod, cùm sidera figuram suam retineant, non varient, Characteristicam Philosophiam itidem convellit) & sigillorum quorundam, quæ primo intuitu non admirationem, sed risum, dicam, mox pariunt, exhibet, quibus ἐπίκρισιν justam subjicit: *Hi sunt*, inquit, *characteres dolosâ mente excogitati, quorum virtutem nullam esse certum est. Nam quid his characteribus cum planetis ipsis commune est? At ne nomina putes aut Arabica, aut Chaldæa, aut Hebræa, aut Græca: quod si etiam forent, quid plus eis virtutis esset, quàm Latinis? Igitur figmenta esse oportet nulliusque virtutis. Quòd si contendas habere, non nisi pacto dæmonum esse potest. Nam quis talia potuit invenire, nisi dæmonum persuasionibus.*

§. 9. *Tertium* ab influxûs impuritate & ipsius Astrologiæ incertitudine petimus. *Prius* Dn. Linemannus Mathem. Regiomonti olim Celeberrimus, Præceptor meus Honoratissimus edicat. In Calendario *ad Ann. 38. Quæst. 1.* Cur Calendariographi in prognosticis tempestatum enormiter quandoque aberrent? inter alia respondet, planetarum, fixarumque stellarum influentias ab aliarum etiam minimarum influentiis confundi, & confusas non tantùm secundùm gradus variare, sed & innumeris vicissitudinibus singulis horis esse obnoxias. Ipsi etiam Genethliaci, minima momenta in cœlo ingentes ob ejus vastitatem & rapidissimam conversionem facere mutationes asserunt. Si ergò minima momenta ingentes faciunt mutationes, rarissima erit in tanta influentiarum ab infinitis ferè corporibus cœlestibus manantium confusione influxûs desiderati puritas. Qui ergò experientiam habere possunt in re

rarissimè occurrente ? Forsan multæ in tempore fabricandæ erunt imagines, ut cùm aliquando exoptatus fuerit siderum positus, eorundemque influxus ad impraegnandum purus, paratæ felicem mox recipiant influxum, & ita impraegnatæ ad posteros propagentur. Sed cùm & inter sculpendum certa constellatio & horoscopans signum observandum, v. g. ad scorpionum ictus, si quis σφραγῖδα velit fabricare, id horoscopante scorpio facere tenetur: Pro amore mulieris conciliando in hora Veneris est conficienda imago ex cera virginea in amatæ nomine, cui character imprimitur: labor autem non in momento, sed successivè fiat. Eò igitur infeliciores esse characterum fabros deprehendimus, quòd commodum fabricandi tempus vel non, vel brevissimum habeant, aut nesciant. Proinde nec mirum, ista sæpè fallere, notante Gesnero *lib. 1. Epist. ad Joh. Cratonem: Video*, inquit, *superstitiosos quosdam cum olim, tum nunc lapidibus pretiosis aliisq; apotropæis amuletis, quorum ratio nulla ferè constat, & experientia plerumq; fallit, plurimum tribuisse.* Quanquam, si quædam non fallant, astralis ex iisdem virtus protinus non sit colligenda. Galenus etiam *lib. 9. Simpl. cap. 26.* eam superstitionem eludit. De Jaspide viridi ibi agit & dicit: *Hujus lapidis etiam ego experimentum ingens habeo: & sanè catenulam ex talibus lapidibus concinnatam de collo suspendi ea commensuratione ac modo, ut lapides os ventru contingant. Cognovi autem valere ac prodesse nihilo secius eos, qui sculpturam non haberent, quam Nechepsus tradidit. Posterius*, nimirum Astrologiæ incertitudinem Cornelius Agrippa ipse characterum & sigillorum fautor non infimus *lib. 6. de Vanit. Scient.* ingenuè prodit & fatetur, se Astrologiam à parentibus puerum imbibisse, dein nec modicum temporis & laboris in eam insumsisse, tandem didicisse, eam nullo alio niti fundamento, nisi meris nugis & fundamentis imaginationum. Quî ergò virtutem sigillorum & characterum cœlitùs impraegnatorum, si influxus non tantum purus rarissimè occurrit, sed & nugatorio, adeoque ruinoso nititur fundamento, crepare & experientiam jactare possunt?

§. 10. *Quartum* argumentum hoc esto: Agens corporeum & materiale non potest agere in immateriale & incorporeum, adeoque nec qualitatem ullam imprimere. Actio enim est tantùm inter ea, quæ genere conveniunt. Astra autem sunt corporea & materialia. Ergo non

non possunt agere in immateriale & incorporeum, adeóque nec qualitatem ullam imprimere characteribus. Etsi quidem materiam, in qua, characteres habeant, propterea tamen materiales dici nequeunt: aliàs etiam ipsa anima, quia materiam, in qua est, habet, materialis foret dicenda. Materiale igitur eo venit in majori intelligendum sensu, quod ex materia, ut principio constitutivo constat: hoc autem characteres & figuræ carent.

§. 11. *Quintum* à potentiæ ultra debitum commendatæ denegatione nectimus. Quicquid superat vires astrorum, illud ipsum ab astris, characteribus, & mediantibus hisce homini communicari nequit. Nihil enim ultra vires agere & operari potest. Sed Principum favorem, felicitatem in mercatura &c. conciliare, vires astrorum superat. Exemplo loco sit hoc unum: Ad mercaturæ felicitatem non tantùm prudentia, solertia & labor indefessus, sed & à piraticâ, naufragio, Vulcano, morbis, aliorumque contingentium felicitatem violantium injuriis immunitas requiritur. Ecquis verò sentiat, ab astris virtutem imprimi characteribus annuli, quæ hujus possessorem ita muniat, ne malis jam enumeratis evadat obnoxius? Itane characteres virtutem ex se fundunt, quæ agentium naturalium naturalem potestatem infringant, ipsius etiam hominis ἐκ προαιρέσεως agentis arbitrium constringant? Absonum! Idem de similibus esto judicium. Concludamus ergò audacter, Principum favorem, felicitatem in mercatura &c. conciliare, ab astris characteribus, & his mediantibus homini communicari non posse.

§. 12. *Sextò* demonstrationem doctam, qua Dn. D. Rolfinck. *l.c.* in convellendâ verborum & characterum efficaciâ utitur, instituti nostri amplius confirmandi gratiâ adducimus. Sic ait: CHARACTERES VERBAQUE *iis conjuncta, si agant aut præstent aliquid, præstant id, ut instrumentum quoddam. Instrumentum reducitur ad causam efficientem. Ergò ad efficientem per se vel per accidens. Si* PER SE *agant verba & characteres, agunt vel insitâ vi, vel naturæ, vel rationis. Non agunt* VI NATURÆ, *quia nulla agnoscitur latens virtus. Quamvis enim* VERBA *naturalibus instrumentis proferantur, voxque hoc modo naturalis sit ipsa, significant tamen* οὐ φύσει, ἀλλὰ θέσει, *non naturâ, sed pacto, & ex hominum instituto: neque ullo modo concedi potest Paracelso, quòd natura vires ullas iis imposuerit.* CHARACTERUM *materia, quam-*

quamvis naturalis sit, metallica, lapidea vel vegetabilis, adscriptas illas vires à naturâ non habet. Nec etiam forma & figura eorundem ullius est efficaciæ. NON *agunt* RATIONE, *quia rationis & consilii characteres sunt expertes.* NON PER ACCIDENS, *quia non agunt necessitate coactionis ab aliqua causa sublunari vel cœlesti.* SUBLUNARIS *nullum habet locum. Artifex & idea in mente ejus concepta, à qua fiunt verba & characteres, in exteriora non agunt. Imaginatio etiam artificis, vel confidentia, cogitatio aut firma animi persuasio hîc nihil habent virium. Sunt enim hæ actiones immanentes, neque ex animo in subjectum patiens transeunt.* A COELO *etiam aut stellis, astralive spiritu influente vim impressa verba aut characteres obtinere probabile non est.* SUPERNATURALIS *causa etiam non admittitur: nullam enim* DIVINAM *characteres & verba talia habent promissionem bonorum temporalium aut cœlestium. Si à* DÆMONE, *malo aliquo genio, tacitoq́ pacto, & latente fœdere hæ deriventur vires, apage! Tandem etiam neque* CASUS *aut* FORTUNA *hîc ullum habent locum. Ergò Characteres, figuræ, verbaq́ amuletis impressa, nullam habent efficaciam.* Hæc ille.

§. 13. Atque hæc omnia satis probant, Characteres virtute, qua ab astris sint impraegnati, minimè constare, neque impraegnari posse ullâ. Multò minùs autem characteres de se, seu connatam obtinent virtutem, quia nulla figura de se habet efficiendi potestatem. Characteres autem sunt figuræ. Illud constat, quia figura realiter à quantitate non differt: hæc verò consequens est materiæ, quæ actionis physicæ seu per transmutationem (intentionalis & quæ per emanationem fit, non negatur) omnis est expers. *De se* dico: quia per accidens figura quid efficere potest, quatenus dispositivè ad operationes concurrit. Cùm enim nullius corporis naturalis forma sub quacunque materiæ figurâ convenienter suas edere operationes queat, ideò ut definita adsit figura requiritur. Si autem per se conveniret virtus realis & physica, eadem figura in quocunque corpore naturali operari eodem modo deberet, quod tamen falsum, & experientiæ adversarium. Schooekius *Phys. Gener. Disp. 6. §. 28.* De his quoque Excell. Dn. Abdias Trevv Phys. & Mathes. AltorphI quondam clarissimus tam piè quàm doctè *in Ephemer. Ann. 65. in dedic.* disserit, cujus verba in gratiam figuralium capitum

capitum adducere placet: Hierinnen geben mir alle rechtschaffene Physici Recht/das ist/solche gelehrte Leut/welche in Artzneyen und dergleichen nach natürlichem Grund fragen. Denn das Axioma Aristotelis, quòd quantitatum nulla sit efficacia, daß die Grösse/ Form und Maß eines Dings an sich selbst keine Krafft hat. Dieses/ sprech ich/ hat noch keiner/ wie gelehrt er auch seyn mag/ umgestossen/ denn die Exempla, welche nicht allein die Zäuberer/ sondern auch Cartesius und andere seines gleichen Klügling (so neue Principia schmieden wollen) einwenden/ beweisen keinen efficaciæ modum, das ist/ die gewisse Weis einer Krafft. Zum Exempel/ ein spitziger Degen mache eine andere Wunden/ als ein runder oder stumpffer/ oder gar ein Prügel/ doch thun sie alle Schaden/ wenn man einen damit schlägt/ oder er selbst sich daran stösset. Das thut aber an sich selbst weder die Spitz oder die Runde/ sonst könte ich einen auch mit einem papyrenen Degen ums Leben bringen/ sondern theils das Metall oder Holtz/ theils die Bewegung oder starcke Anrührung thut den Schaden. Daß aber solcher Schaden von diesem Waffen oder Instrument einen andern Form bekommt/ als von einem andern/ das gestehet man gerne/ daß es von unterschiedlicher Form (welche ein terminatio quantatatis ist/ wie Euclides und andere Gelehrte die Figuram beschreiben) herkomme. Also ist es auch mit der andern specie quantitatis mit der Zahl. Wenn ein Medicus ein Recept vorschreibet/ so thut er solches in gewisser Zahl/ wie viel Loth/Scrupel/Gran ꝛc. eines Dinges genommen werden müssen. Daraus folgt aber darum nicht/ daß solche Zahlen an sich selbst solche Krafft haben. Dann wann deme also wäre/ so könnte man die Unkosten in die Apothecke ersparen. Wie daneben solche zauberische Mittel darum erfunden seynd/ und von den Leuten zum Theil so gerne gebraucht werden/ den Unkosten in die Apothecken/ und die Molestien/ so bey Gebrauch der Artzney ist/ zu vermeiden. Dabey man aber nicht gedenckt/ in was Ungemach Schmertzen und Hertzenleid man sich in Gegentheil stürtze/ nicht allein solcher Gestalt/ daß offt durch solche Mittel übel ärger gemacht wird/ kein Gedeyen mehr bey andern/ auch sonsten guten Artzneyen/ sondern alles verhext und verzaubert ist. Aber dieses ist noch nicht der rechte Schade/ sondern es ist fürnemlich zu thun um das Gewissen/ wie dasselbe verwundet werde/ offt eben zu der Zeit/ da man nicht weiß/ wie es GOTT mit der Kranckheit schicken möchte/ und dahero vor allen andern Zeiten Ursach hätte/ das Gewissen rein zu behalten/ zu GOTT sich zu wenden/ und um ein

seliges Stündlein zu bitten: Hergegen erstlich in Mißtrauen endlich gar in Verzweifflung an Gottes zeitlicher und ewiger Hülff geräht/ und in Ewigkeit sterben und verderben muß.

CAPUT XXI.

Paracelsi autoritas rejicitur, ut & Agrippæ: An hic fuerit Magus? Cardanus fluctuat. Characteres habent defensores varios. Goclenius à D. Roberto refutatus. Anonymo cuidam Mago respondetur. Lotichius non omnes signaturas, verba & characteres rejiciendos esse contendit. Rationes ejus adducuntur & examinantur. Amuleta verbis, characteribus, figuris & imaginibus insignita damnantur. In originem opinionis de characterum & figurarum virtute inquiritur. Triplex scribendi ratio Ægyptiis usitata.

§. 1. AD Paracelsum & Agrippam capitis præcedentis thesis tertia nos deduxit, quorum tamen autoritatem nos parvi facere supra diximus. Illius Anatomen supra cap. 9. §. 3. ingenuorum virorum manu curavimus: leves ejusdem rationes pro verborum efficaciâ pugnantes *Part. 1. Sect. 2. cap. 1. §. 7.* adduximus, sed locô hîc primùm citato refutavimus. Cornelius Agrippa eandem, quam Magi tenent, classem occupat, teste Bodino, Thuano, Delrio, Tabore, Casp. à Reies, Conringio, Schotto, Schrödero, & aliis. Eum tamen Magiæ accusandum esse negant Naudæus & Wierus, quorum hic Librum illum *4. Occultæ Philosophiæ*, de ceremoniis magicis Cornel. Agrippæ esse, pariter inficiatur. Schoockius *in Judicio Operum Wieri*, & Voetius *loc. cit. pag. 617.* distinctione temporum aliquam lucem huic controversiæ quærunt, dicentes, Agrippam juvenem fortè magicis sacris irretitum, in perfecta ætate, sive Dei sive hominum metu, resipuisse, maximè cùm hoc innuat *in Præfatione* præmissa ad *Libros de Occulta Philosophia*, qua non modò veniam petit, sed libros quoque à se prima ætate conscriptos virgulâ censoriâ notat. Libro de Vanitat. Scient. cap. 48. hæc in fine Agrippa ipse scribit: *De magicis scripsi ego juvenis adhuc libros tres, amplo satis volumine, quos de Occulta Philosophia nuncupavi, in quibus quicquid tunc per curiosam adolescentiam erratum est, nunc cautior hac palinodia recanta-*

cantatum volo; permultum enim temporis & rerum in his vanitatibus olim contrivi. Tandem hoc profeci, quod sciam, quibus rationibus oporteat alios ab hac pernicie dehortari. Voetius tamen ipse ibidem fateri cogitur, Agrippam in totum sic non absolvi, præsertim cùm scripta à curiosis periculosisque vanitatibus & superstitionibus, h. e. à Magiâ indirectâ, à qua ad directam proclivis prolapsus, ab ipso secundis curis anno 1510. & postremis anno 1531. cùm ea dedicaret Hermanno Archiepiscopo Coloniensi expurgata non sint. Et Nobiliss. Dn. D. Tabor *Dissert. de Tortur. & Indiciis Delictor.* §. 40. *Qui*, inquit, *Diabolicam hanc artem à parentibus imbibit, inque ea non modicum tempus consumit, denique per omnem vitam usque ad supremum mortis articulum suspiciones eas auget dictis, factis, scriptis quomodo fidem apud prudentes inveniat, si opera insumta se dicat pœnituisse?* Hoc autem Epiphonema nos subjicimus: Apparentibus Corn. Agrippæ rationibus, quibus gratia forsan aliis vanitatibus conciliari potest, nos deinceps non movebimur, neque in refutandis illis, quod præmonemus, sudabimus. Transeat autoritas, & quibus ea prætenditur, sententiarum gravitas, si ipsi autori jam seniori sordent, quæ juvenis olim excrevit, opinionum portenta.

§. 2. Cardanus *loc. cit.* fluctuat. Initio capitis sigilla vim habere negat, quòd figura ad primas qualitates non attineat, nec inter agentia numerari mereatur, cumque in re mortua fiat, non posse aliquid, quòd viventium solùm operationes & opera sint. Præterea cùm artificiosa res sit sigillum, opus naturale perficere non posse ait. Subjungit demum. *Qui igitur sigillis ob figuram fidem adhibent, superstitione utuntur.* In fine autem capitis ait: *At verò si ritè omnia peragantur, non vilis est utilitas aut vana sigillorum. Adeò magnam vim habent in nobis, ut maximos cruciatus nos sentire non sinant. Quibusdam divitias, aliis honores magnos pariunt, etiam in ipsorum constructione velut aliis omnibus non parum variante fortunâ.* Annon hîc sigillorum quorundam figuris efficientiam attribuit, & quidem talem, quæ earundem vires superat, ut est facultas divitias & honores acquirendi? Vera autem sunt, quibus caput clauditur: *Reliqua verò* (cur non omnia) *quæ de his traduntur, ac mutatione sigillorum, absurda & superstitiosa sunt.*

§. 3. Varia varii, cùm se difficultatum mole premi viderent,

quæsiverunt latibula, sed quæ felici manu obturavit Doctissimus Sennertus *Lib. de Cons. & Diss. Gal. cum Arist. cap. 18.* qui consulendus. Non enim in omnes, sed in eos potissimum calamum nos stringimus, qui characteres ab astris virtutibus certis imprægnari volunt. Cæterorum, qui vel precatiunculas insuper adjiciunt, ut anilia Arnoldi Villanovani sigilla habent; vel ex vi animi confidentis characterum vires cum Ferrerio deducunt; vel ad materiæ meliorem dispositionem à majori raritate vel densitate ad sculpendum ortam recurrunt, ut statuit Galeotus Martius, referente D. Sachsio *Gammarolog. pag. 865.* vanitates facilè alia, quæ discursibus nostris inserentur, profligabunt, aut suo Marte quivis oblata cum rationis regimine Palladis Panacæâ iis medebitur. Mittimus etiam eos, qui cum Arabibus & Agrippa sentiunt, animum humanum, quando per suas passiones & effectus ad opus aliquod attentissimus fuerit, conjungi ipsum cum stellarum animis, etiam cum intelligentiis, & ita quoque conjunctam animam causam esse, ut mirabilis quædam virtus operibus ac rebus nostris infundatur. Verùm si dicere sat est, quis erit falsus? Stellarum animas, etiam cum intelligentiis dudum Philosophorum Senatus cœlô proscripsit, quibus profligatis magnum eorum fundamentum, & quæ ei superstruunt, ut sunt radii animati, vivi, sensuales, potentiam vehementissimam secum in imagines, imò in materiam minus aptam ferentes &c. diruta jacent. Cajetanus dicit figuram in certa constellatione fabricatam per conformitatem ad astra posse esse dispositionem ad recipiendam ab astris talem influentiam & virtutem, quam aliàs non reciperet: quòd figura secundum se possit aliquo modo ad actionem conferre, ut patet in instrumentis artis, & in rotis & in organis mathematicis, & in motu gravium, in quibus figura juvat naturam: & in viventibus figura est magna pars organizationis. Verùm 1. in quæstione manet, an figura, quæ aliquo modo aliàs ad actionem, quam principium activum exercet, confert, de se sit apta, desuper recipere principium activum, & cum eodem ad agendum concurrere. Conferre aliquid in re naturali figurationem concedo, sed in ea, quæ principium activum jam præsens habet: at materiam per figuras ita disponi posse, ut efficaces cœlestium corporum influxus recipere queat, nondum probatum est. Quod autem figuram in re artificiali attinet, ea ad motum localem dispositivè aliquid confert, non autem

motum

motum ipſum ſuſcipit, vel promovet, aut alterationem cauſatur. *Facit figura quidem ad operationes, quæ fiunt per motum localem; non verò ad operationes, quæ per alterationes fiunt. In his figura nihil poteſt; gemmaque, ſi quas vires naturales habent, illas ſub quacunque figura exſerunt; ſcribitq́; Galenus de Jaſpide, ſe ejus vim æquè expertum fuiſſe ſine figurâ draconis vel ſcorpii, ac cum eâ.* Sennertus *lib. 5. Pr. Med. p. m. 527.* 2. Figuras in certa conſtellatione fabricatas nullam habere ad aſtra conformitatem ratione vel eſſentiæ vel figuræ ipſius, ſupra oſtendimus: neque tamen conſequentiæ vis, ſi vel maximè conformitas ratione figuræ admittatur, inde manat: Figuræ cum aſtris conformitatem habent. Ergo Figuræ recipiunt aſtrorum virtutem. Siquidem rerum ratione figuræ inter ſe conformitas dicit ſaltem relationem quandam, non autem cauſam, cur altera alterius influxum recipere queat. Denominationem recipit, non virtutem Phyſicam. Suarezius *lib. 2. de ſuperſtitioſ. cap. 15. num. 19. pag. 355.* ita reſpondet Cajetano: *Figura,* inquit, *nunquam activa eſt, nec proprium principium agendi, ſolumque ad motum localem confert, & ad actionem inſtrumentorum vel agentium, quæ per motum localem applicantur ad agendum. Et tunc etiam figura ſolùm diſponit, ut agens vel inſtrumentum poſſit faciliùs vel commodiùs applicari huic vel illi loco, prout ad actionem intentam expedit. Et quoad hoc meritò eſt utilis, quia per motum localem tenditur ad ubi: ipſa autem figura ſervat proportionem cum ubi, & illi naturaliter accommodatur, & ideò ad localem applicationem deſervit. At verò ad alterationem vel ad naturales effectus & virtutes, quæ per alterationem fiunt, per ſe nihil confert.*

§. 4. Goclenius, poſtquam animo calamoque liberiùs extra ſanæ rationis, ne dicam pietatis, pomœria characterum & ſigillorum gratiâ evagandi indulſiſſet, correctus à D. Roberto Jeſuita *in Anatome Brevi Magnetica vulnerum Curationis* Raguelis, Chaelis, & reliquorum imagines prolixè deſcriptas merè ac verè ſuperſtitioſas eſſe, ipſe in ſua *Synarthroſi Magnetica* demum fatetur. Dæmonis, non nudi annuli ope Gygen Lydorum Regem ſe inviſibilem reddidiſſe dicit. Quæ verò ex Joſepho de Salomone vel potius Pſeudo Salomone, forſan Rabinico quodam & alia afferuntur, non majorem inveniunt fidem, quàm *Incantationum Salomonis Libri*, de quibus ſupra *cap. 8.* inprimis Pinedam

dam consulas. Sed postquam in sua Synarthrosi Goclenius Characteribus, si non omnibus, tamen quibusdam non omninò denegandam esse efficaciam pertinaciter, ast minus solidè, asseverare perrexisset, Robertus in suo *Goclenio Heautontimor.* calamo prolixiori & magis acuto sententiam istam autoritatibus Theologoram & Philosophorum, rationibusque munitus refutavit.

§. 5. Anonymus ille Magus, quem *cap. Praced. §. 4.* citavimus, nugas easdem, quas Paracelsus & Agrippa egerunt, ad hoc forum confert, anilibus ob quandam fuci speciem parum meliores, reipsa autem futiles & inanes, quas jam servatô ordine lustrabimus (1.) equidem rebus omnibus à se creatis Deum vires indidisse admittitur: characteres autem non creavit. Eos verò manu artificis formatos Deum semper viribus donasse & adhuc donare, quis fronte incolumi dicere ausit? Influxus Dei generalis hîc locum non habet, quia is in speciebus à Deo conditis & conservandis locum habet: characteres autem pro specie non sunt, & cùm accidentia sint, ne quidem terminus creationis fuerunt, sed deinceps pro ingeniorum varietate variè ficti & manu artificis picti: propterea non nisi eo, quo artifex & res naturales gaudent, etiam influxu Dei generali arte facta, atque ita accidentariè gaudent. Specialem autem Dei influxum, quotiescunque character formatur, concurrere, negant, & meritò, omnes, qui ejus raritatem, & non nisi in miraculorum productione præsentiam agnoscunt. At characterum formatio fere inter quotidiana passim occurrentia refertur. Ad hæc si speciali particularium siderium influxu characteres, ut communiter complices sentiunt, impraegnantur, exulabit influxus Dei specialis.

§. 6. (2. Hoc: *sapiens dominabitur astris*, Corn. Agrippa ipse, cujus autoritatem Anonymus Magus jactat, *Libr. 31. de Vanit. Scient.* pro mendacio habet, & ait: *vel mendacium mendacio tegunt* (Astrologi) *inquientes: sapientem dominari astris, cùm revera nec astra sapienti, nec sapiens astris, sed utrisq; dominetur Deus.* Sed acceptabimus nos in gratiam illius effatum; hoc tamen benè quidem dici, sed malè applicari regerimus. Siquidem effatum hoc fato opponitur Chaldaico & Stoico. Utriusque fautores sic in hominem cœlum influere statuerunt, ut omnes & singuli actus ab eo determinentur, nec per contingentiam aliquid, sed necessario omnia atque inevitabiliter fiant, atq; ita per influxum necessi-

neceſſitantem omnem arbitrii libertatem ſuſtulerunt. Verùm rectè ſaniores influxum iſtum rejecerunt, ita ut admiſerint quidẽ inſitam ſideribus vim quâ in omnia ſublunaria, etiam in hominem agant, ſed influxu ſaltem in hominem inclinante, per quem homo ad hoc vel illud agendum diſponatur, non cogatur. Sapiens autem dominabitur aſtris, cum nimirum proclivitati à ſideribus allatæ adverſatur: ſicut & Ptolomæo *Lib. ad Syrum Fratrem, teſte, ſcientiæ hujus gnarus multas avertere ſiderum operationes poteſt.* Δύναται δ' ὁ ἐπιστήμων πολλὰς ἀποτρέψασθαι ἐνεργείας τῶν ἀστέρων Quomodo avertere queat, docet plæclarè Cæſarius S. Gregorii Nazianzeni Frater Qu. 47. cujus verba, ſaltem Latina accommodatò huc ex Tractat. Phyſico curioſitatum ex Phyſicâ ſecretiori nobiliorum pleno Viri Cl. M. Jo. Michael Schwimmer *Diſſert. 6.* §. *27.* cum ejusdem verbis, traham. Cæſarius, ubi dixerat, quæ ſit aliorum ſententia, quum v. g. ſi Mars centrum teneat in domo ſua, quadrato aſpectu cum Mercurio, centrum Lunæ, quæ plena eſſe incipit, in generatione diurnâ moveatur, efficiat homicidas, juramentorum uſurpatores, & potores ſanguinis, ebrios, effœminatos, &c. ſubjungit: *Prius obſecro, ut diſcere velis, poſſe hominem, qui quidem velit, libidines & actiones vel caſtigare, vel penitus excutere. Atq; equidem excutere ſoleo per conſcientiæ flagella, & per memorium inevitabilis judicii, quod vitia prohibet. Sed & principum leges, & ante tentata tormenta & anguſtias, atq; ea catapultarum ſupplicia ſolo auditu rerum terribilium, quæ ſunt in compenſatione delictorum, modeſtum reddere poſſunt hominem intemperantem, & obtundere laſcivientem vigorem juventutis in qualibet regione, ſive ſcripta ſint, ſive non ſcripta, tàm apud nos, quàm gentes:* Et Qu. 48. quum quæſiviſſet, an ſi ſeptem ſint cujusque noſtrûm deputatæ ſtellæ, ſecundùm illas homines perficiantur ut quaſi ſtellæ ſint pro legibus, in reſponſione ſubjicit inter alia: μηδενὸς ὑπὸ ἀστέρων βιαζομένου i. e. *nullus ab aſtris vi cogitur.* Siquidem, ut Sperlingius *Inſtit. Phyſ. p. m. 559.* doctè monet *ſtellæ influunt in voluntates hominum non directè, non cogendo ſed ſuadendo & inclinando. Sapiens ergò dominabitur aſtris: inſipiens verò & improbus, qui temerariâ belluarum trahitur cupiditate cadet. Cadet culpâ non aſtrorum, ſed propriâ.* Aſtra nimirum inclinant, non neceſſitant, quicquid ſit, quod Helmontius hoc invertat & aſtra neceſſitare, non inclinare dicat *in de Ortu Nov. Medicin. p. 95.*

Impe-

Imperium autem, quod per imaginationem exerceri posse credit Anonymus ille, imaginarium est, h. e. vanum & nullum.

§. 7. (3.) Characteris vis cum facultate plantarum malè confertur. Harum vires insitæ sunt & connatæ, à formâ specificâ, qua speciem quamvis Creator donavit, manans. Characteri autem de se nulla competit potestas: quæ verò à sideribus accidere creditur, adventitia est & putatitia, nondum probata. (4.) Imperator noster ex sacris suum in astra dominatum confirmaturus ad *Psalm. 8.* confugit, ubi Deum omnia sub pedibus hominis subjecisse Psaltes Regius canit. Verùm Anonymus autor Psalmum mutilatè allegat Magistrum infernalem secutus *Matth. 4. v. 6.* Nam omittit, quæ homini Deus subjecerit. Ea autem vers. 8. & 9. David mox subjungit; nimirum *oves & boves universos: insuper & pecora campi, volucres cæli & pisces maris, qui perambulant semitas maris.* Nulla hîc cœli vel siderum fit mentio. Idem & plura advertit Wolf. Musculus *Explanat. Psal. 8.* *Terrestria*, inquit, *nominat, sive illa in aere, sive in tellure, sive in mari sint: cælestia non nominat. Nec Scriptura Gen. 1. aliter habet quàm ad hunc modum: „Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, ut præsit pi-„scibus maris & volatilibus cæli, & bestiis, universæq; terræ, & omni „reptili, quod movetur in terra. Et creavit Deus hominem ad imagi-„nem & similitudinem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum „& fæminam creavit eos. Benedixitq; Deus, & ait: Crescite & mul-„tiplicamini, & replete terram, & subjicite eam: & dominamini piscibus „maris & volatilibus cæli; & universis animantibus, quæ moventur su-„per terram. Alibi dicit Propheta: Cælum cæli Domino, terram autem „dedit filiis hominum.* Num verò à terrestribus ad cœlestia argumentator ille pro suô imperiô transeat? Immanis certè saltus! Imaginarius si manet, imaginarium quoque argumentum rei per nos maneat: prout & totum istud, nimirum per imaginationem vires cœlestium separatas characteribus uniri, imaginarium est & manet, ut ex iis, quæ de Imaginatione Lib. 2. trademus, patebit.

§. 8. Joh. Petrus Lotichius Medicus & Philologus doctissimus *Lib. 1. Comm. in T. Petr. Arbitr. Satyr. p. 109.* mediam viam inter duo, velut extrema, tenere mavult. Itaque prout characteres suspectos, sigilla Paracelsi & Corn. Agrippæ tanquam imposturas omninò improbat;

bat; ita vice versa omnes signaturas, verba, characteresque prorsus ac penitus Diabolicos esse, & naturales causas nullas habere non admittit. Urget autem 1. varia mirandorum in natura occurrentium effectuum exempla. 2. Prophetas olim, itemque Apostolos supra omnem naturæ ordinem divinâ virtute morbos atrocissimos curasse, imò mortuos suscitasse, dæmonasque in nomine SS. Trinitatis ejecisse, verbis potius utentes, quàm herbis. Servatorem JESUM CHRISTUM certis quibusdam ceremoniis, sputo etiam & intuitu in cœlum cœco visum restituisse. 3. Plantarum signaturas, earumque effectus stupendos urget, nec figuras & lineamenta frustranea esse ait. 4. Superiorum influxum opponit, ut & S. Galliæ atque Angliæ Regum contactu strumas persanantium exempla. *Quid impedit*, subjicit tandem, *quo minùs etiam sigilla, annuliq; hoc vel illo tempore, hoc vel illo cœli aspectu sculpti de viribus earundem constellationum participent, cùm una atq; eadem facilè utrobiq; sit ratio.*

§. 9. Verùm enim verò non unam atque eandem utrobique esse rationem deprehendet, quicunque ad rationis libellam exactiùs ista revocaverit, ut proinde in eandem cum Goclenio Scyllam Lotichius vitaturus Charybdin inciderit. *Primum*, quod admittunt omnes, nihil infringit. Corporum naturalium formæ qualitatibus, quibus admirandos edunt effectus, sunt præditæ. An verò exinde concludemus, etiam characteres & imagines admirandos edere effectus? Falsum. Innata est istis potentia, characteribus denegata. Si ab astris imprimi dicitur, id quod in quæstione est, adducitur. *Secundò* è modô verborum agendi supernaturali & miraculosô, quem ultrò supra *cap. 1. hujus Sect. §. 13. & 14.* concessimus, qui infert admirandam characterum certô cœli aspectu fabricatorum virtutem naturalem, characterem rationis minus sanæ profert. *Tertiò* signatura & imago plantarum (quam etiam Gaffarellus pro sculpturarum Talismanicarum efficacia urget) quà talis, signum saltem causæ in re naturali latentis, non ipsa causa est stupendi ullius effectus: & si signum est, eo ipso non frustraneam eam esse ipsimet largimur. Suam quoque quævis animalis species signaturam & figuram externam habet, à qua tamen nemo operationem deduxerit. Quid verò de signaturâ, quam nonnulli magnifaciunt, alii contra deprimunt, sit sentiendum, vid. ap. Dn. D. Sennertum de *Cons. &*

Pp *Diss.*

Diss. cap. 18. & D. Rolfinck *de Vegetabil. in Genere Lib. 2. Sect. 8. cap. 7.* Uterque mediam & tutissimam viam init, cum alii, quos Rolfinckius ibi in aciem producit, ad extrema vergant. *Quartò* superiora in hæc inferiora quidem influunt, sed an in characteres influant, & imagines influxus sint capaces, adhuc sub judice lis est. *Quintum*, quod inferius *lib. 3. cap. 5.* discutiemus, nihil pro characterum efficaciâ à sideribus communicatâ infert.

§. 10. Itaque amuleta & remedia omnia, quæ constant verbis, figuris, characteribus, imaginibus, imò & naturalibus iis, quæ non ullam à Deo, nec à naturâ, nec ab arte ad intenti effectus productionem virtutem habent, ut vana, superstitiosa & magica cane pejus & angue sunt vitanda. Licet imaginationem absurda quædam per accidens intendant, non tamen propterea sunt commendanda & usurpanda, quia Diabolus se facilè iis, ut supra ostendimus, immiscet. Stat regula & sententia, quæ non tantum Orthodoxorum, sed & heterodoxorum, Theologorum, Jurisperitorum, Casuistarum, & Philosophorum est, firma: Omnis usus characterum, verborum, imaginum, rerum, &c. ad effectus, qui nec viribus naturæ, nec artificis solertiæ, nec virtuti supernaturali in promissione Dei fundatæ adscribi possunt, implicat Magiam. *Sola illa Theologorum vera est opinio, qui omnes imagines, characteres & sigilla superstitiosa suas vires acquirere à Dæmonibus censent, ait Godelmannus l. c. p. 92.* Magica omnia sunt, licèt quædam molliori nomine superstitiosa, non magica, ex hoc quibusdam dicantur fonte, quòd magica propter manifestam cum Diabolo confœderationem talia audiant. Verùm licèt non manifesta, tacita tamen in illis confœderatio propter remedii à stygio duce primitus orti & per alios traditi usurpationem occurrit, ut propter hoc magica nihilominus jure vocentur. Pactum nimirum in signô, non in personâ latet. Magicum & superstitiosum germanas sorores Freitagius eleganter appellat: subtiliorem Idolololatriam amuletorum certorum, sigillorum superstitiosorum & characterismorum usu committi ait D. Joh. Ern. Gerhardus *de Consens. & Dissens. Religion. Profan. cum Verit. Christian.* § *43.* Sed hæc ad magiam infamem & crassam idololatriam viam sternit. D. Sennerto l. c. sigilla ac characteres noctuæ Diabolicæ dicuntur, quibus ad aucupia animarum humanarum Dæmon utatur; & *Lib. 5. Pr. Med.*

Part.

Part. 4. cap. 24. alphabetum Diaboli & tessera quasi militaris, è qua suum auxilium implorantes agnoscit: Godelmanno sacramenta Diaboli, deß Teuffels Heiligthum / in quibus Diabolus non ipsas res, aut eorum qualitates viresque spectat, sed id tantum agit, ut per eas animos & mentes hominum perstringat, illaqueet &, & decipiat, quasi aliter ipse aut nocere aut juvare non possit, nisi per ejusmodi superstitiosas res & observationes: Augustino *lib. 10. de C. D. cap. 11.* malignorum dæmonum ludibria & seductoria impedimenta, quæ verâ pietate cavere & prudenter intelligere jubet. Aurea sunt, quæ hanc in rem aureus ille & augustus Ecclesiæ Doctor ibidem scribit: *Et quod ei* (Porphyrio) *videtur, herbis & lapidibus, & animantibus, & sonis certis quibusdam ac vocibus ac figurationibus atq; figmentis: quibusdam etiam observatis in cæli conversione motibus siderum, potestates idoneas esse variis effectibus exequendis: totum hoc ad eosdem ipsos Dæmones pertinet, ludificatores animarum sibimet suarum, & voluptaria sibi ludibria de hominum erroribus exhibentes.* Idem *lib. 2. Doctr. Christ. cap. 20.* ubi superstitiosa Ethnicorum instituta taxat. *Ad hoc genus*, inquit, *pertinent omnes etiam ligaturæ atq; remedia, quæ Medicorum quoq; disciplina condemnat sive in præcantionibus, sive in quibusdam notis, quas characteres vocant.* Quare Synodus V. Constantinopolit. *Canon. 61.* eos, qui φυλακτήριοι i. e. remediorum, amuletorumque præbitores appellantur, sexennii canoni subjicit. [Legi Sexennii subjici est Sexennio excommunicari.] Qui autem in iis persistunt, & non ab ejusmodi perniciosis gentilibusque studiis avertuntur, & aufugiunt, Ecclesia omninò exturbandos decernit, *Vid. Tom. II. Concil. Omnium tum General. tum Provincial. Edit. Colon. de A. C. 1567. f. 1049.*

§. 11. Sed unde illa de Characterum & Figurarum virtute opinio nata? Nos ad Ægyptios vanæ hujus sententiæ natalia referimus, testimonio Schiagiæ Arabis Historici supra *cap. 6. hujus Sect.* §. 2. erecti. Neque dubium est, opinionem istam, non tantùm in vulgi Ægyptiaci, sed & aliarum gentium, ad quas propagata fuit, animis curiosam Ægyptiorum per characteres scribendi rationem confirmasse. Tres siquidem Ægyptiis characterum species in scripturâ usitatas fuisse, ex Clem. Alexandrino *lib. 5. Stromat.* cum D. Gerhardo *Eccles. Coptic. c. 2.* & D. Conringio *Hermet. Medic. lib. 1. cap. 15.* discimus. Gerhardus eas

enucleatius recenset. *Prima* fuit ἐπιστολογραφικὴ sive communis Ægyptiaca, in literis vulgari linguâ conscribendis. Nam Ægyptiorum Magistri ante omnia ostendebant discipulis literarum viam ac rationem. *Secunda* ἱερατικὴ appellata, eò, quòd propria erat Sacerdotibus sapientibusq; Ægypti, qui sacra Theologiæ ac Philosophiæ suæ mysteria arcano & quidem minutiori charactere ob defectum artis pictoriæ notare solebant. *Tertiam* vocarunt ἱερογλυφικὴν, qua artificiose insculpebantur sacra symbolorum schemata majora, ejusque alter κυριολογικὴ proprie loquens, altera verò συμβολικὴ per signa rem adumbrans. Signa fuerunt innumera volucrum, ferarum & aliarum rerum figuræ & imagines, quas in chartâ pergamenâ vel papyro delinearunt, potissimum autem lapidibus & laminis metallicis insculpserunt, inde ab ἱερογλυφικὴ ab ἱερός *sacer* & γλύφειν *sculpere* dicta, quia sacra sua seu religionem & res alias imaginibus figuratis, quas lapidibus vel æri insculpserunt, Ægyptii comprehenderunt. *Primi*, inquit Tacitus *lib.2. Annal. cap.14. per figuras animalium Ægyptii sensus mentis effingebant.* Literæ ergò Ægyptiorum hieroglyphicæ fuerunt v. g. Sol, Luna, crocodilus, accipiter, vultur, serpens, apis, anchora, hominis oculus, manus &c. *Singula literæ*, seu figuræ & imagines, *singulis nominibus serviebant, & verbis nonnunquam significabant integros sensus*, ait Amm. Marcellinus *lib.17. c.7.* ubi duo subjingit exempla. *Per vulturem*, inquit, *naturæ vocabulum pandunt, quia mares nullos posse inter has alites inveniri, rationes memorant physicæ. Perq; speciem apis mella conficientis indicant regem: moderatori cum jucunditate aculeos quoq; innasci debere, his signis ostendentes, & similia plurima.* Sacerdotibus autem sapientibusque Ægypti sacræ erant imagines, sed reliquis Ægyptiis propriæ literæ, æque ut aliis gentibus fuerunt, quapropter eò majorem in his pepererunt admirationem, quò major Sacerdotum fuit autoritas. Fuit autem sacra & magna, sic ut quæcunque Sacerdotes traderent, tanquam à numine essent profecta, vulgus acciperet, neque in dubium unquam vocaret. Jam quia Sacerdotes rerum omnium abstrusiorum notitiam sibi arrogabant, multaque per res qualitatibus vulgò ignotis, sed efficacissimis prædita effecerunt, in vulgi animis facilè opinio enasci potuit, ac si imaginum & characterum efficaciâ, quæcunque efficerentur, effectui darentur. In qua persuasione pectora ad superstitionem prona Sacerdotes, ut sua in admiran-

mirantium animis autoritas cresceret, detinuerunt, à superstitione ipsi non immunes. Siquidem imaginibus, characteribus, verbis, plantis item & lapidibus facultatem Genios, etiam invitos, ad placitum cogendi, naturalemque potestatem transcendentia multa iidem tribuerunt: quibus Genii sive Dæmones ad hoc libaminibus & supplicationibus invitati lubentes, ut superstitionis retibus arctiùs eosdem constringerent, facilè morem occultâ ratione gesserunt. Experimentorum verò certitudine deinceps isti & rudiores confirmati, absurdis rebus effectum, qui Dæmonis fraudi erat adscribendus, tribuere non dubitarunt. Atque hujus erroris semina ad alias gentes, quibus Ægyptus scientiarum & mysteriorum nomine admirationi fuit, translata messem favente aurâ infernali ubique uberem dederunt. Prudentiores tamen accuratiùs rem omnem evolventes, fraudemque subodorantes dubitare, alii ad alias causas ruere ceperunt. Sed Origenem, qui Græcis Magnus Philosophus dictus, (ne à recentioribus data encomia addam; Barthio enim Adversar. *lib. 48. cap. 8.* Dux Eruditionis, Lipsio *Cent. 1. Epist. ad Belg. 27.* Græciæ stella nuncupatur) hac in re excellentis ingenii sui alas ex altô diligentiùs non librasse, meritô mirantur docti. Scribit enim *lib. 1. contr. Celsum*, esse quædam vocabula ἐνεργὴ, quibus usi sint Ægyptiorum sapientes, aut Magorum apud Persas primarii, aut qui apud Indos sunt philosophati Brachmanes & Samanæi. Quidam, quòd nullam in terra causam invenirent, ad cœlum usque convolarunt, & inde qualitates, quibus ista imprægnari voluerunt, multo labore, sine rationis ductu, similibus quibusdam animati, derivarunt: iniquiores verô magicis artibus imbuti, fraudisque probè conscii eò libentiùs istorum ad cœlum vestigia legerunt, quò certius, aliquod saltem, palliando errori remedium, utut commentititium, ibi se invenisse existimarunt. Nonnulli tamen in terrâ permanentes in imaginatione errori patrocinium quæsiverunt: quàm benè, infra patebit.

CAPUT XXII.

Amuleta particularia enumerantur, ut incauta juventus de similibus judicium ferre discat: sed mutila, non tota dantur. Inter magica milites variis ad impenetrabilitatem ab armis utuntur: non tamen omnia, quæ sanguinis impetum reprimunt, magica esse

probatur. Ægyptii permulta habuerunt amuleta. Amuleto Ægyptiaco simile Autor quoque nuper vidit. Q. Sereni Abracadabra examinatur. Alia quoque huic similia adducuntur & damnantur.

§. 1. JAm quæ Magica sint amuleta, facilè cuivis constare arbitramur. Atque ut judicium de similibus incauta juventus ferre discat, istorum farraginem quandam exponemus, mutila autem, non tota damus. Inter hæc sunt carmina ista omnibus nota, *Gaspar fert myrrham* &c. quatenus ad comitialem morbum gestantur. Charta, in qua duæ literæ Græcæ P. A. inscriptæ &c. ad lippitudinem, ut habet Plinius *lib. 28. cap. 2.* Scriptum hoc: *Strigiles falcesq; dentatæ:* appensum ad dentium dolorem commendant, Fernelius *loc. cit.* Item: *Galbes, Galbat, Galdat* &c. Strobelberg. *de Dent. Podagr.* §. *59.* Quidam ad febrem omnis generis intermittentem virgas duas parallelas verborum vi mediis partibus committit, ipsoque contactu vincit crucis effigie, quam collo subnectit Wierus *p. m. 379.* Ad Quartanam hoc vetulæ cuidam appensum: *Donna ria, tu eri, giovana putana* &c. Ad eandem etiam sequentem versum usurpant: *Ananisapta ferit mortem, qui lædere quærit &c.* Freitagius *Noct. Med. cap. 39.* Similis census sine dubio fuit illud Periclis, quod collo suo circumligatum sibi à mulieribus invisenti amico ægrotantem illum ostendisse, hancque etiam stultitiam in se admisisse Plutarchus *in Ejus vita* scribit. Amuletum sequens tanquam sacrosanctum & mirificæ virtutis arcanum ad pestem Archiepiscopum quendam Græcum commendasse, idque portatum ab omni pestifero afflatu hunc reddere immunem evulgasse refert Athanasius Kircherus *Scrutin. Pestis Sect. 3. cap. 5.* Sic autem se habet: † Z. † D. I. A. † B. I. Z. † S. A. B. † Z. † H. G. F. † B. E. R. S. &c. Horum Characterum hæc datur expositio:

† Crux Christi salva me.
Z. Zelus domûs libera me.
† Crux Christi vincit & regnat, per lignum Crucis libera me Domine ab hac peste.
D. Deus, Deus meus, expelle pestem de loco isto & libera me.
I. In manus tuas Domine commendo animam meam & corpus meum,

A Ante cœlum & terram Deus erat, & Deus potens est liberare me ab hac peste.

† Crux Christi potens est ad expellendam pestem à loco isto. Et ita de reliquis.

Sanum autem est judicium de eo Doctissimi Kircheri, quod tum in gratiam Lectoris, tum in confirmationem argumenti præsentis transcribere placet. *Verùm*, inquit, *cùm id scriptum ejusdem omninò formæ sit, cum innumeris aliis, quæ hominibus maleferiatis & cum Dæmone pactum habentibus ad alios effectus similes impiè cuduntur, & superstitiosè adhibentur: dicendum id prorsus suspectum, atque scandali plenum esse. Nec refert, quod ejus amuleti characteres sic explicari possunt, ut sint versuum quorundam psalmorum, similiumq; precum initiales literæ. Nam præterquam, quòd iidem characteres per se ipsos ad id indeterminati sint, possintq; à Dæmonis ministris ejusmodi amuleta cudentibus in sensum prorsus oppositum detorqueri: adhuc tamen ex hoc talis amuleti usus reprobandus est, quod eo modo nudis characteribus & crucibus consignatum & in corpore gestatum, exinde insignem & singularem, aut certam vim ad effectus suos habere superstitiosius existimetur.* Hæc Kircherus.

§. 2. Hæc sibi quoque dicta esse ii sentiant, qui thaleros effigie Equitis S. Georgii insignitos vestibus insuunt, superstitiosè persuasi, sic à casu ab equo se præservari, aut delapsos minus lædi, cùm præstet eum ob finem naturalia, v. g. Turcosiam, vel oculos cancri, quod sine superstitionis nota fit, gestare. De illâ enim experientiam habet Anselmus Boetius de Boot *lib. 2. de Lapid. & Gemm. pag. 267.* & Schorerus *Medicin. Peregrin. pag. 149.* De his, historias notatu dignas refert ex Ernesti Burggravii Achille Panoplo Unzerus *de Nephrit. p. m. 945.*

§. 3. Nomen *Oipulu* &c. sanguine patientis chartæ inscriptum, & in profluvio sanguinis nudæ cuti applicatum eâ parte, qua literæ cutim contingere possunt, subitò sanguinis fluxum comprimere scribit Kozack *Tract. de Sale cap. 16.* atque hoc amuleto seipsum bis usum ad eam temeritatem patientum impatientiâ compulsum dicit *Tract. de Hæmorrh. lib. 2. cap. 3.* licèt affirmare non audeat, quod hæmorrhagia narium ob virtutem magni hujus amuleti fuerit sedata; brevi enim ante se medicamenta intus & extra, anodyna ac adstringentia applicuisse

subdit. Josephus Schmid *Specul. Chirurg. pag. 33.* eandem vocem Agricolæ & propriâ experientiâ edoctus ad narium hæmorrhagiam commendat. Verùm experimenti certitudo quà talis sola, remedium à Magiâ non absolvit: neque ex ea naturalis virtus solidè colligi, aut alterius agentis concursus negari potest: siquidem & purè magica, omnium confessione talia, suum sortiuntur effectum. Hoc indagandum venit, an nomen vel verbum ullum de se & propriâ virtute aliquid efficiendi aptum natum sit. Alia, ad magicam fascinationem decantata, amuleta dabit Liber 3.

§. 4. Similia tanquam sacra, milites præsertim ad impenetrabilitatem ab armis, ut contra armorum & globorum tormentariorum ictus inviolabiles reddantur, habent, quæ tamen, cùm omnia magica sint, silentio obvolvere præstat, quàm calamo credere. Unicum tamen, ut ex eo absurditatem (alia aliis absurditatum vitiis scatent) Lector ipse legat, & tum ex dictis, tum ex dicendis dijudicet, hîc subjiciam. Contra armorum ictum (für Hieb und Stich) sequentes in membrana virginea delineatas figuras & verba scripta secum portant:

† A 3 6 ma 9 † † † &c.
Diese Figur sey in GOtt gesegnet etc.

Hoc qui dextre velit uti amuleto, insuper gladium in se strictum hoc exorcismô defatiget:

Ich beschwere dich Degen gut/
Daß du nicht von mir sollst bringen Blut.
Diß zehl ich dir Schwerd schneid zur Buß
In den Namen der 3. Gestern Gafalon, Samalecti &c. &c.

§. 5. Verùm tragicum plerumque ista usurpantes vitæ & remedii finem experiuntur. E Salustio Pharamundo in Carolo Allobroge sive historia de perventu Allobrogum in urbem Genevam refert Camerarius *Centur. 3. cap. 30. Anno 1602.* militum audaciam initiò auxisse quædam incantamenta carminum, quæ à Jesuitis Thononianis acceperant, quibus se munirent contra hostium virtutem & vires. *Visebantur* (sunt Pharamundi, referente illo, verba) *in illis cruces, principium Evangelii Johannis, nomina Mariæ, Jesus, Trinitatis, & haud scio, qui ignoti characteres, subsignatis verbis istis lingua Franca. Quicunque hanc scedulam portaverit, eo die non peribit, neq; terra, neq; aquâ, neq; gladiô. Nec mendax*

mendax fuit, licet solemnia sua fraussus sit Satan. Nam, scedâ noctu sublatâ, strangulati in aere perierunt pomeridiano, plura ibi & *Cent. 2. cap. 76.* exempla tradit.

§. 6. Non tamen omnia amuleta, quæ sanguinis impetum reprimunt, magica dixerim; cùm & naturalia dentur amuleta, quorum vires id non superat. Characterum autem & figurarum virtutem id superare, tamdiu rationibus suprapositis confirmati statuimus, donec contrarium fuerit evictum, quod hactenus nemo præstitit. Experientiam obvertunt, quæ tamen, cùm etiam in rebus purè magicis, ut dictum, locum habeat, sola probationis punctum sustinere nequit. Zacutus Lusitanus *Hist. Med. Princ. lib 2. Quæst. 9.* os cujusdam animalis Cabal dicti, nati in regno Jahua supra carnem ligatum corpore toto vulneribus confossô sanguinem, ne exeat, mirabiliter retinere Joh. Barri *Decad. 2. Hist. Orient. lib. 6. cap. 2.* fide refert. Gasp. Schottus *Thaumaturg. Phys. Part. 4. lib. 4. Syntagm. 2.* è Nierenbergio hujus tradit historiam, quòd *cùm Naodabegnea Malacensis infensus Lusitanis, & adversus illos egregiè dimicans, tandem oppressus multis ictibus confossus corrueret, ex patulis vulneribus nihil omninò cruoris manarit. Mox inter spoliandum detracta ejus brachio est aurea armilla; mirum dictu, tanquam vase confracto ita sese cum anima universus repente sanguis effudit. Cujus rei stupore defixi Lusitani, cùm de aliis captivis causam quæsivissent, cognovere inclusum esse in armilla os ejus animalis, cujus in sistendo sanguine tam efficax esset virtus.* Osorius *lib. 7. de Rebus Afris & Indicis* eandem habet historiam, quam ex eo Camerarius *Cent. 2. cap. 76.* recitat: sed lapidem ex bestiis quibusdam erutum, quas Siamenses Cabrisias appellant, fuisse, qui sanguinem retinuerit, scribit. Imaginationem etiam hîc locum quandoque habere asserit Hier. Nymannus *in Orat. de Imaginat.* quod credulitas deceptionum mater subitum spirituum ac humorum motum inferat: unde vario fluctu rapitur sanguis, ac unà morbificas causas partibus affectis eripit. Eadem Mart. Birmanni *Tract. de Magic. Action. §. 64.* est sententia. Nos raró sic evenire statuimus, ut imaginationis virtus ebullientium humorum impetum citra medicamenti opem sedare queat. E contra Amuleta habentur, quæ datâ semel, sive per casum, sive per alium modum sanguini portâ profluxum ejus nimium quantum augent, ut difficulter cohiberi queat, v. g. pavonis pennæ, quas propterea

 à pueris

à pueris geſtari ſtudioſè prohibet Kircherus *lib. 3. de Arte Magnet. Part 6. pag. 517.*

§. 7. Ægyptiis amuleta & periapta fuerunt innumera, variis miriſque modis, ritibus & ceremoniis conſecrata, tum majora & immobili poſitu ſolidata in publicis urbium, templorum, cœmeteriorum & camporum locis, tum minora, quæ ceu ſacra quædam phylacteria variis corporis, non hominum tantum, ſed & animalium partibus, etiam ſecretioribus ad morborum, faſcinationum, ſterilitatis, aliorumque malorum averruncationem appenderunt: quorum inſignem farraginem curioſiſſimus & laborioſiſſimus Kircherus variis in locis *Oedipi Ægyptiaci*, præſertim *Tom. 2. Claſſ. 1. cap. 3.* & *Tom. 3. Syntagm. 3.* exhibet & explicat, quæ ferè omnia anſulam dorſo habent annexam indicio certiſſimo, filo illa ſuſpenſa uſibus hominum & animalium inſerviiſſe. Diligentiam tamen Kircheri fugit, quod in Rarithecio Dn. D. Ern. Gerhardi p. m. habetur amuletum fuſum, vel cuſum potius ex argento formâ ovali, in cujus utraque facie hi characteres, ut ſub lit. A, videre eſt, ſunt inciſi, Vid. Ejusdem *Umbram in Luce* §. 42.

A.



§. 8. Huic ferè ſimile noſtræ quoque manus amuletum nuper viderunt. Ex argentô pariter erat cuſum, ſed inauratum (auri tamen levia, ſine dubio ob crebriorem attritum conſpicienda erant veſtigia)

B.



C.



forma quadranguli, cum anſula & literis, quas figura præſens ſub litera B, unô in latere exhibet: alterius lateris fuére characteres ſeu literæ iſtæ ſub lit. C, conſpiciendæ. Hoc ipſum curioſitati Viri Clariſſ. Dn. M. Iſraelis

lis Clauderi Collegæ & Compatris mei Honoratissimi acceptum fero, ad cujus manus amuletum istud, quod mulieris cujusdam in vicina quadam urbe degentis sacrum φυλακτήριον fuit, fortuitò pervenit. *Demirandum sanè hanc pestem à tot retro seculis ad hunc usque diem impunè grassari,* dicimus & nos cum Viro prælaudato Gerhardo. Ægyptii Magi fuerunt, in Dæmonum cultu unicè occupati, ideoque eorundem tesseris, & symbolis, quæ sunt superstitiosa quæque, in Medicina quoque usi. At destructo Dæmonum cultu superstitiosa illa & Magica Ægyptiorum remedia, quæque his sunt similia, Evangelicæ veritatis sectatores etiamnum fovere, meritò dolendum.

§. 9. Famosum est illud Q. Sereni Ammoniaci non tantum contra Hemitritæum ab ipso commendatum, sed & contra febres & alia mala nostro etiam seculô à superstitiosis, qui tamen Christiani nomen gerunt, jactatum amuletum voce Abracadabra insigne, quod ad Autoris præscriptum sic depingitur, ut detracta atque absorpta semper in fine litera vox successivè in conum triangularem desinat.

A B R A C A D A B R A
A B R A C A D A B R
A B R A C A D A B
A B R A C A D A
A B R A C A D
A B R A C A
A B R A C
A B R A
A B R
A B
A

§. 10. Et hoc verborum portentum, si Doctores non fallacibus conjecturis nitentes consulimus, magicum esse, nemo non fateri tenetur Dn. D. Danhauerus *Christeid. pag. 506.* Vossius *lib. 1. Idolol. cap. 8.* & Seldenus de DIS Syris *Syntagm. 1. pag. 118.* non dubitant, quin illud Abracadabra inde fuerit, unde Basilides Alexandrinus Ægypti pestis hauserat suum *Abraxas*, quem pro numine summô coluit, nomine prorsus fictitio, sed qui literis numeralibus contineret numerum dierum communis anni i. e. CCCLXV. Egregius nominis & medicaminis autor, Dæmon nimirum, quem variis sub nominibus paganam superstitionem coluisse constat! De hoc Basilidis numine consule, quos prælaudati Viri citant, Autores Ecclesiasticos.

§. 11. Nec malè hanc vocis originem suspicatur Dn. D. Geierus *loc. cit. §. 43.* quasi sit בא *ab* Pater, רוח *ruach* Spiritus, & דברא seu הדבר *dabra*, sive verbum, abrachaddabra, adeoque S. S. Trinitas. Stante hac,

non tantùm propter primum pessimæ notæ autorem & vires superstitiosas creditas, sed & propter occultum divini nominis abusum eò majori curâ remedium hoc est proscribendum, nec amygdalis inscriptum febricitantibus (quod nonnullos hac in civitate insano ausu facere novi) exhibendum. Quint. Serenus ipse velut veritatis vi convictus hoc verborum monstrum alibi ridet, quando scribit:

Multaq; præterea verborum monstra silebo,
Nam febrem vario depelli carmine posse
Vana superstitio credit.

Affine huic est & hoc ad febres commendatum quorundam superstitiosorum amuletum, quod de collo horâ meridiei undecimâ suspendere, undecima verò removere, in aquam projicere & alia jubent:

A	B	V	A	C	A	D	A	B	V	A
A	B	V	A	C	A	D	A	B	V	
A	B	V	A	C	A	D	A	B		
A	B	V	A	C	A	D	A			
A	B	V	A	C	A	D				
A	B	V	A	C	A					
A	B	V	A	C						
A	B	V	A							
A	B	V								
A	B									
A										

En aliud ė Magorum pharetrâ Satanæ astu contra febres fabricatum, quod undecimo gestationis die eâdem, qua suspensum, hora removeri &c. in ignem conjici &c. præcipitur.

Abravilata, †
Abravilat, †
Abravila, †
Abravil, †
Abravi, †
Abrav, †
Abra, †
Abr, †
Ab, †
A, †

Sequens quoque, quod in MSS. quodam inveni, magicum est, cujus ad usum requisita vanitatis plenissima adjicere piget.

It Bric Seiti
It Bric Seit
It Bric Sei
It Bric Se
It Bric S
It Bric
It Bri
It Br
It B
It
It

In pugillaribus cujusdam ad febres arcanum ejusdem valoris, h. e. magicum, vocem *Abraculata* commendatam legi. Hæc tota frustulo placentæ mellitæ primò die inscribitur, & certâ lege, quam supprimo, comedenda porrigitur: reliquis novem diebus singulis successivè litera detrahitur, ut secunda die Abraculat, tertio Abracula, quarto Abracul, & ita porrò, sicque frustula inscripta eadem lege comedenda dantur. Sed quantum ita cum gratiâ infernalis Magistri invaletudini corporis decedit, tantum cum ira cœlestis Doctoris invaletudini insipientis animæ accedit.

§. 12. Superioribus simile est illud Talmudicorum ad periculum cœcitatis amuletum, de collo eorum, qui aquam tempore nocturno biberunt, suspensum, apud Buxtorfium *Lexic. Chaldaic. Talmudic. & Rabbin.* sub voce שַׁבְרִירִין *pag.* 2319.

שברירי
ברירי
רירי
ירי
רי
י

Verba hæc non tantum de collo appendebant, sed & dicebant; ut hæc vox singulis diebus minuitur literâ unâ, donec tandem in nihilum abeat; sic quoque morbus perit. Verùm quid de hoc etiam sit sentiendum, ex dictis patet. Uno verbo: omnia sunt suavia Cacodæmonis blandimenta, cui antiquum illud, *Fortuna cum blanditur, captatum venit*, accommodari potest.

CAPUT XXIII.

Evangelium pro Amuleto suspendunt Pontificii, freti autoritate Augustini; sed frustra: sicut & Chrysostomi autoritate Baronius & Bonartius abutuntur. Delrio reverentiæ causa ejusmodi amuleta gestanda esse contendit; quod altiùs expenditur. Simpliciores facilè tota fide in amuleta ipsa ruunt, instar custodis cujusdam porcorum. Casp. à Reies & Delrio notantur: item Virungus. Verbalibus Medicis opponitur sanum judicium Simonii Episcopi Iprensis, quod tulit de Oratione quadam Salutatorum. Domestica experimenta notantur, nempe de lepore domestico & pullis in nido repertis, quibus verba eorum mentionem inter edendum facta fatalia esse creduntur: item reliquæ nugæ excutiuntur.

§. 1. ULtima ratio in contrarium opposita insimul *Evangelium* pro Amuleto suspensum commendat. Pontificii sanè, amuletis & Periaptis more Gentilium & Judæorum fidunt, Nicol. Remigio ipso Papista *lib. 3. Dæmon. cap. 3.* teste, cereas agni Dei effigies, Psalmos Davidis, reliquias sanctorum, Evangelium Johannis & alia plura collo appensa gestant, Augustini & Chrysostomi Ecclesiæ Doctorum autoritate freti. Verùm applicationem Evangelii veteribus hæreticis usitatam Augustinus quidem *Tr. 7. in Johan.* narrat, nec tamen probat, sed refert laudari, si Evangelium ligaturis præferatur, & ad caput ponatur, licet ad hoc factum non sit: dolet autem ægros de salute corporis magis, quàm animæ esse solicitos, cumque ad caput, ut dolor ejus quiescat, Evangelium ponant, cur ad cor, ut à peccatis liberetur, non ponant, eoque suam de animâ ægrotante curam testentur, miratur: ut proinde Divi Doctoris verba in sensu respectivo veniant intelligenda. Ea hæc sunt: *Cum caput tibi dolet, laudamus, si Evangelium ad caput tibi posueris, & non ad ligaturam cucurreris. Ad hoc enim perducta est infirmitas hominum: & ita plangendi sunt homines, qui currunt ad ligaturas: ut gaudeamus, quando videmus hominem in lectulo suo constitutum, jactari febribus & doloribus: nec alicubi spem posuisse, nisi ut sibi Evangelium ad caput poneret: non quia ad hoc factum est,*

sed

ſed quia prælatum eſt Evangelium ligaturis. Si ergò ad caput ponitur, ut quieſcat dolor capitis, cur ad cor non ponitur, ut ſanetur à peccatis? Fiat ergo. Quid fiat? ponatur ad cor: bonum eſt. Bonum eſt, ut de ſalute corporis non ſatagas, niſi ut à Deo illam petas. Si ſcit tibi prodeſſe; dabit illam tibi: ſi non tibi dederit, non tibi proderit habere illam. Quàm multi ægrotant in lecto innocentes: & ſi ſani fuerint, procedunt ad ſcelera committenda? Quàm multis obeſt ſanitas? Latro qui procedit ad faucem occidere hominem: quantò melius illi erat, ut ægrotaret! Qui nocte ſurgit ad effodiendum parietem alienum, quantò illi melius, ſi febribus jactaretur. Innocentiùs ægrotaret; ſceleratè ſanus eſt. Novit ergò DEUS, quid nobis expediat: id agamus tantum, ut cor noſtrum ſanum ſit à peccatis. Hæc Auguſtinus. Chryſoſtomi autem autoritate Baronius & Bonartius abutuntur. Si enim integra Chryſoſtomi verba *Homil. 73.* in cap. 23. Matth. intuemur, non alio fine, quàm memoriæ cauſa Evangelium collo geſtatum fuiſſe apparebit. Quærit ibi Chryſoſtomus: Quænam ſunt hæc phylacteria & fimbriæ? Quoniam facilè beneficiorum Dei obliviſcebantur, idcircò Deus ſigna ſua in libellis breviſſimè conſcribi, & manibus eorum appendi juſſit, unde dictum: Nec removebuntur, ab oculis tuis. *Deut. 6. Hæc phylacteria quaſi quadam cuſtodientia Latinè vocabant, ſicuti multa mulierum modo faciunt, Evangelia ex collô dependentes, & ut aliunde in memoriam reducantur, quod oblivioſi crebrò facere ſolent; filo digitum ſtrictiùs ligantes, id Deus ceu infantulis citò juſſit facere. Hyacinthinum enim filum extremitate veſtis, quæ ad talos eſt, aſſui præcepit, ut attentiore cura mandatorum recordarentur, hanc fimbriam appellant. In his igitur rebus diligentiores ligacula, quibus libelli dependebant, latiora & fimbrias majores faciebant, quod ex inani gloria proficiſci videbatur. Quam enim ob rem hoc ita facis? An quia virtutem id eximiam putes: vel quia aliquid utilitatis inde habeas? non ſecundum mandata tibi Deus præcepit, ſed ut ſigna & miracula ejus memoriâ teneas.* Nihil hîc Pontificiæ Superſtitionis. Cornelius à Lapide *Com. in Epiſt. ad Rom. c. 1. v. 16.* non tantum Auguſtini verbis jam citatis, ſed & D. Thomæ autoritate & ratione fretus pugnat. Nam D. Thomas ſcripſit, verbũ Dei non minoris eſſe efficaciæ, quàm reliquias ſanctorum: reliquiis autem nos uti ad ſalutem. Ergò pari modò, imò majori ad eandem uti verbo Dei ſcripto

ſive

sive Evangelio licitum esse infert. Subjungit Jesuita: *Atq; hinc orta est consuetudo fidelium, ut Evangelium S. Johannis contra venena, veneficia, morbos, aliaq; incommoda gestent & circumferant.* Verùm Cornelium respectivus verborum Augustini sensus, quem non attendit, decepit. Ratio verò, quam ex Thoma affert, principium petit. Itaque consuetudo illa non fidelium, sed superstitiosarum muliercularum est, quæ Jesuitas habent complices, in hoc maximè fideles, sed antiquitatis sanctæ custodes minimè fideles, non attendentes Hieronymi, superstitionem istam anilem improbantis, verba in Matth. cap. 33. ubi ita scribit: *Pittacia illa Decalogi Phylacteria vocabant, quòd quicunq; habuisset ea, quasi ob custodiam & munimentum sui haberet, non intelligentibus Pharisæis, quòd hæc in corde portanda sint, non in corpore. Hoc apud nos superstitiosa mulierculæ, in parvulis Evangeliis, & in crucis signo, & istiusmodi rebus (quæ habent quidem Zelum Dei, sed non juxta scientiam) usq; hodiè factitant, culicem liquantes & camelum glutientes.*

§. 2. Marc. Delrio *Disq. Mag. Lib. 1. cap. 4. Quæst. 4. Concl. 2.* pium & sanctum esse scribit, reverentiæ causâ ejusmodi amuleta secum gestare collo appensa. *Sed effectus*, ait, *qui inde oritur, erit supernatur. ... Dei beneficio adscribendus.* Verùm effectus ille per gestationem istam aut intenditur, aut non intenditur. Si intenditur, superstitiosum est, gestare Evangelium, & credere propter gestationem, quæ etiam infidelibus competit, Deum bona seu corporis, seu animæ collaturum. Si non intenditur, & talem ex gestatione sperare non licet, gratis verba ista Delrio fecit & subjecit. Neque enim gestationem talem, quæ reverentiæ etiam causâ fit, Deum beneficio quodam remunerari velle, ullô modô probari potest. Effectum supernaturalem virtus Evangelii non in collo, sed in corde & intellectu gestati parit. Optimè succurrit Chrysostomus idem *Tom. II. Edition. Paris. Homil. 43. f. 272. Quidam aliquam partem Evangelii scriptam circa collum portant: sed nonne quotidie Evangelium in Ecclesiâ legitur & auditur ab omnibus? cui ergò in auribus Evangelica posita nihil prosunt, quomodo eum possunt circa collum suspensa servare? Deinde ubi est virtus Evangelii, in figuris literarum, an intellectu sensuum? Si in figuris, bene circa collum suspenditur: si in intellectu, ergò melius in corde prosunt, quàm circa collum suspensa.* Si verò circumferre placet Evangelium, tum ut

ejus

ejus intuitu, ad Ecclesiastici hujus Doctoris mentem, beneficiorum spiritualium per Christum collatorum refricetur memoria (sicut & Christiani crucifixi Christi imagine eum in finem non templa tantum; sed & ædes privatas ac conclavia sua ornant, item lugubria signa in memoriam desideratissimi Principis Primates pectore gestant) tum ut lectionis promtitudo promoveatur, suam hoc ipsum meretur laudem. *Beatus enim Vir, qui in lege* (& Evangelio) *Domini meditatur die & nocte* Psalm. 1. Verùm hunc finem si habes propositum, commodiùs pro promtiori evolutione erit in manibus, aut si hoc molestum, in marsupio, vel perâ, quàm in collô gestare.

§. 3. Hæc vulgi animis bene sunt inculcanda, aliàs metuendum, ne simpliciores, sibi temperare nescientes, in amuletorum usum externum cum pastore illo porcorum apud Trithemium Abbatem Spanheimensem *Quæst. 3.* totâ fide ruant, eaque sibi propter gestationem salutaria credant. Historiam tanquam fide dignissimam à Trithemiô enarratam Speidelius in suo *Speculo p. 1139.* sistit, eaque hæc est: *Erat homo quidam custos porcorum, qui incluserat schedulam bacillo, nomen B. Martyris Blasii continentem, cui etiam tantum fidei deferebat, ut baculo in medio gregis terræ affixo, lupum ab accessu prohibitum crederet omnem. Stultâ hac confidentiâ per longam experientiam roboratâ ibat ille securus quocunque volebat, demittens sine periculô in nemore porcos. Contigit autem pertransire virum sanctum, qui cernens Dæmonẽ habere custodiam gregis, dixit ad eum: Miser quid hîc agis? qui respondit; istos custodio porcos. At ille: quis tibi curam porcorum commisit? Iterum respondit: stulta confidentia pastoris. Nam Schedulam bacillo ingestam magnæ putat esse virtutis, quasi Blasii meritis lupi arceantur à porcis; suam peccavit in legem, & nostras sequitur vanitates.* Et quî possunt Laici aliter, ii præsertim, qui legere nequeunt, & judiciô verum à falsa discernendi vel falsum sensu Pontificiô colorandi carent, nisi ut ipsis Amuletis virtutem realem ad bonum impetrandum & malum avertendum tribuant. Magnam cum quovis sponsionem faciam, neminem ex Laicis Pontificiis de istorum usu interrogatum aliter sensurum. Tale amuletum tanquam φυλακτήριον magnum in sede Pontificia à Laicis jactatum ad manus meas nuper venit. Hoc ipsum tantæ magnitudinis, quam præsens icon sub

Rr A. & B.



A. & B. exprimit, ex circulô constabat æneo, rotundô latoque, & ex vitro, cui subjecta erat charta, in qua verba Evangelii Johannis prima typis excusa, non tota erant legenda, quia extremitas lateri agglutinata oculis quædam, ut & dimidiam crucis partem subtrahebat (an plura chartæ intortæ impressa in eo latuerint, me latet) adversa facies B. stellæ cujusdam figuram laminæ inauratæ impressam sistebat. Rosario autem (sumtâ voce metonymicè) quod Pater noster Romanensibus dicitur, illud erat annexum. Globulorum seriem totam non delineavimus, sed initium saltem sub C. & D. oculis hîc subjicimus. Non erant illi in funiculo quodam contigui, sed filo æneô artificiosè intortô à se invicem parum discriminati, sic tamen, ut inter globulos quosque denos albos vitreos (quorum in toto circulo 60. erant) unus semper nonnihil major ex succino flavo formatus interjiceretur. Supernumerarii erant tres, e. e. e. cum uno majori f. & quatuor nigris crucis formam referentibus, quibus Amuletum A erat affixum. Annon ita ad Magiam implicitam Laicos conscripti Societatis Jesu Patres invitent, sani, pontificiâ pravitate non fascinati, judicent. Ut verò Evangelii Johannis virtutem commendent, aptiusque Patres filios suos dementent, lugenda legendis immiscere non verentur. Referam unicum. Tribus equitibus iter facientibus tonitruosa imminet tempestas? En! Vox auditur: Percute. mox unus ex illis fulmine percutitur. Post vocem, percute, secundâ vice auditam secundus prosternitur. Vox denuò insonat: percute. Sed in contrarium alia oboritur: noli percutere, quia hodie Evangelium S. Johannis audivit. Atque hic incolumis evasit. Felicior miseris istis fuit rusticus ille, qui extemporaneum (ex suâ persuasione) habuit remedi-

remedium. Auditô enim fulminis ictu, signô crucis quater formato quatuor Evangelistarum nomina insimul recitavit: Mattheus/ Marcus/ Pilatus und Herodes. Diese vier Evangelisten (sprach er) helffen gewiß. Georg Christoph Ganshorn in Donnerenden Wetterknall *pag.* 54.

§. 4. Casp. à Reies *Quæst.* 23. *n.* 15. *Conclus.* 3. verbis & nominibus sacris ore prolatis aut collo appensis pro morborum curationibus uti licitum esse ait, si absque ullâ superstitione & diaboli commerciô hoc fiat, & à divinâ tantummodo pietate exitus exspectetur. Sed explicando se magis implicat. Annon hic datur superstitio seu vana observantia ejus, quod effectum producere putatur, quem tamen nec de se præstare potest, nec, quod per cœleste agens edat, aut ab eo sit expectandum, in sacris promissionem habet? proinde propter abusum commercium Diaboli adest, si non manifestum, tamen occultum. E Mart. Delrio etiam idem adducit historiam Necromantici Ypris damnati, quia recitatis sacrosanctæ consecrationis verbis vulnera omnia sanarat, eisque usus ad eum finem, in quem à Christo non sunt instituta, quod manifesti pacti signum esse dicit. At quî monstrabit idem, verba & sacra nomina eum quoque in finem, in verbo Dei esse revelata, ut ore prolata aut collô gestata, morborum curationibus inserviant? Hujus usus Paulus 2. *Tim.* 3. *v.* 16. ubi S. Scripturæ usum exprimit, nullam facit mentionem. Observantia ergò verborum sacrorum, puta Orationis Dominicæ, Symboli, Evangelii S. Johannis & aliarum Scripturæ partium, quæ Canones & usus Pontificio-Catholicus periaptis inscribi permittunt, vana est, adeoque superstitiosa.

§. 5. Sed *si Scripturæ partes prosunt piè recitatæ, cur non & piè gestatæ?* inquit Delrio *lib.* 3. *Concl.* 2. *Quæst.* 4. *Sect.* 3. Certè nisi emolumentum memoriæ intelligat, exceptio hæc tantô virô est indigna. Neque enim Scripturæ recitatio prodest hominibus quomodocunque laborantibus, quia, ut jam dixi, eum in finem verbum Dei non est revelatum. Ipse deinceps *loc. cit. Sect.* 8. ubi impugnat Felicem Malleolum, qui formulas sacras ex S S. desumtas defendit, dicit: *Nihil hac illatione esse frigidius, peccatum enim hîc est in abusu applicationis, eò quòd verba sacra applicentur ad ea, quæ Spiritus S. nullô modô intendit.* Ecquæ pietas in recitatione verborum, v. g. Evangelii, S. Johannis? &c. Recitatio verborum in se spectata historicum est opus, eaque propter

assensum cordis verâ Dei notitiâ & fiduciâ imbuti pia audit. Assensus autem non est petitio. Petenti datur. Itaque nihil assensus impetrat, sed oratio verâ fiduciâ impetrandi ex merâ Dei misericordiâ propter Christum (quæ formalis precum est ratio) suffulta à cujus indole historica verborum sacrorum recitatio , & longiùs verba scripta collo gestata absunt. Itaque non terna tantum recitatio verborum Psalm. 115. *Diripuisti vincula mea &c.* quæ sic recitata Cassiodorus multis efficax remedium in variis malis fuisse scribit, superstitiosa est, ut Delrio scribit , sed ipsius etiam versiculi usus vanus est & superstitiosus. Nullo modô enim Scripturæ virtutem supernaturalem , in promissione Dei non fundatam, affingere licet. Quæ itaque in prohibitô verborum abusu devotio, cui in honorem sanctissimæ Trinitatis factæ Deum detulisse ait Delrio ? Erronea est devotio , in falso principiô radicata, cui non Deus, sed aliud agens, Deo permittente, propter causam mox indicandam, defert. Effugiô hoc etiam Magi improbis suis factis pro re nata colorem excusationis loco versutè conciliare queunt & solent.

§. 6. Atque ex his constat , ipsum Joh. Walterium Virungum Archiatrum Lovaniensem, qui in Præfatione Molani Diario Medicorum præfixa pag. 17. Valescum, Gordonium & Arnoldum Villanovanum scripta sua abominabilibus nugis conspurcantes reprehendit , reprehensionem incurrere , licet sententiam sic moderari jubeat , ut auctorem habeat ab hypocrisi & vanitate alienum. *Nam*, pergit, *ut ex multis paucos proferam, magnus ille Hiberiæ tutelaris Jacobus , Majoris cognomento notissimus, sudario transmisso Hermogenem sortilegum à fascinatione, qua detinebatur, solvit & liberavit. Gaspar. Barzius Gœsa Zelandorum ortus, è societate Jesu , insignis in Indiâ vinea Domini colenda artifex Evangelio D. Johannis Schedula scripto & pectori apposito & pestem & febres percuravit, quæ remedia non sunt temerè usurpanda.* Imò (ne tangam disparem longè inter factum Jacobi & Jesuitæ differentiam) à varietate & temeritate ipse & omnes illi, qui verbo Dei alterius, quem Deus non ordinavit, finis gratiâ utuntur & abutuntur, non sunt alieni, sed Dæmoni gratificantur, qui, ut orationis & fidei fervor sensim remittat, ad verborum ipsorum observantiam externam seducit, & non tam per preces , quam per verba ab orationis natura aliena , seu pronunciata seu gestata effectus divinos quærere instigat, & sic in Idolatri-

lolatri-

lolatriam tacitam, apparente pietatis specie tectam, præcipitat, & sub auxilii gratiâ, quam incauti à Dei manu arcessunt, in superstitione magis confirmat.

§. 7. Verbalibus hisce in Pontificiorum classe Medicis speculum politissimum, ut opinionis suæ deformitatem in eo agnoscant, opponam, dexteritate Simonii Episcopi Iprensis paratum. Oratione quadam inter Hispanos milites olim ad morbos recepta Salutatores quidam ut ferunt, sanctè viventes, & omnes gratis curantes cum solâ impositione linteorum & certorum recitatione verborum, nullo medicamentô naturali accedente, fuerant usi. Hispanica verba Simon Majolus *Tom. 2. Colloq. 3. p. 201.* ad verbum latinè reddidit ita: *Per Christum & cum Christo & in Christo est tibi Patri Omnipotenti in unitate Spiritus S. omnis honor & gloria per omnia secula seculorum. Oremus salutaribus præceptis moniti, & divinâ institutione formati audemus dicere: Pater noster, qui es in cælis &c. Amen. Jesus. Potentia Patris, Sapientia Filii, virtus Spiritus S. Sanet hoc vulnus ab omni malo. Amen. Jesus. Domine MI Jesu Christe, credo, quod nocte Jovis Sancti in cænâ, postquam lavisti pedes sanctorum tuorum discipulorum, accepisti panem sanctissimis manibus tuis, & benedixisti, & fregisti, & dedisti tuis sanctis discipulis dicens, accipite & comedite, hoc est enim corpus meum, similiter accepisti calicem in sanctissimas manus, & gratias egisti, & tradidisti illis dicens: accipite & bibite, quia hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum: hoc quotiescunque feceritis, facite in meam commemorationem. Obsecro te, Domine mi Jesu Christe, ut per hæc sanctissima verba, & per virtutem illorum, & per meritum sanctissimæ passionis tuæ sanetur hoc vulnus & malum istud. Amen. Jesus. In nomine Patris & Filii, & Spiritus S. Amen. Jesus.*

§. 8. Sed formulam & curationem istam Episcopus jam citatus ut superstitiosam & illicitam sobrio & pio judicio damnavit, & meritò propter sequentes, quas dat & *loc. cit.* exhibentur, rationes. *Primò Quia hic effectus totus expectatur à Deo per modum miraculi. Sed miracula sic assiduè & quasi ex consuetudine poscere, est Deum tentare. Deinde sancti viri, ad miracula edenda non sunt usi certis & quasi conceptis verborum formulis, sed modò sic, modò aliter, prout Spiritus S. suggerebat. Tertiò, sanctitas hujus non satis probata: sic enim plerumque,*

ut malefici præclarè specie externa sanctitatem mentiantur : neq; in hac re milites satis idonei judices ; quibus sancti videntur , qui extrinsecus peccata gravia non produnt. Quartò, qui donum sanationum à Deo acceperunt, illi nunquam accipiunt cum conditione, ut talibus vel talibus utantur verbis : sed tales commentitiæ formulæ sunt indicia pacti saltem latentis. Quintò, non licet privatis comminisci formulas, quas nec sacræ literæ, nec Ecclesiasticus usus approbavit. Denique applicat verba consecrationis rei, ad quam instituta non fuit (quod non est permittendum) & præterea petit effectum sibi concedi per vim prædictorum verborum, quæ vis non ad vulnerum corporis consolidationem, sed ad panis ac vini consecrationem à Salvatore nostro directa fuit. Hæc Episcopus. Inveniunt in his Casp. à Reies, Delrio, Virungus & horum complices, spongiam, qua opinionis suæ deformitatem delere queunt, aut si delere renuant, Felicem Malleolum Canonicum Tigurinum hujusmodi precationum Patronum, cujus nomen Ecclesia Romana inter primæ classis prohibitos scriptores, quorum cuncta scripta sunt vetita, retulit, referente Delrio *lib. 3. Part. 2. Quæst. 4. Sect. 8.* recipiant. Nam & hic pro se dixerit, verba sua esse sacra, & absque ullâ superstitione & Diaboli commercio proferri. Si autem superstitiosa in se esse ista Malleoli, licet talia autori non videantur, contendant, quia nec verbum Dei ea probat, nec Ecclesia recipit, assentior facilè, sed ut in se ipsos descendant , & excutiant, rogo : an istæ, quas Ecclesia Romana ad varia morborum genera commendat, orationum formulæ & amuleta suum in verbo Dei habeant fundamentum ? Fundatas esse ad Calendas Græcas ostendent. Quod verò in isto non est fundatum, Ecclesia Romana, ut Ecclesia, recipere nequit : bene autem, ut Romana, vana plura more suo compilare & assuere potest. Inter ea referimus & hoc , quod Eucharistiâ etiam pro amuletô utantur. Meum cùm non sit, scripta eorum, ut id probem, evolvere, fide jam Doctiss. Jo. Friderici Mayeri solius nitar, qui in erudito Comm. Historico-Theolog. *de Eucharistiâ infantibus olim datâ pag. 69.* sequentia tradit: *Virtutem S. cœnæ Magicam ad depellendos morbos , fascinationes, hostium insultus, & id genus alia Pontificiorum filii adscribunt. Sic namq;* Gregorius de Valentia *Tom. IV. Disp. VI. Quæst. 8. de usu Eucharistiæ punct. V.* Tertio: dum non consumebant Eucharistiam , eâ etiam ad tutelam utebantur, quod ipsum argumento est, solitam ab iis diu reservari. Quò

pertinet

pertinet historia Ambrosii, in Oratione de excessu sui fratris Satyri, qui in naufragio *Sacramentum ligatum in Orario collo involvit*. Est autem *orarium* genus sacri indumenti, quo Sacerdotes in orando & sacrificando utebantur, ut notant Sipontinus *in Comment. de Lingua Latina pag. 642.* & Durandus *de Divinis officiis lib. 3. cap. 9.* qui ait esse quiddam simile *superhumerali*, & Onuphrius Panvinus *Lib. de Interpr. vocabul. Ecclesi.* qui dicit fuisse *stolam*. Item huc etiam spectat historia Bedæ in Martyrologiô, die 15. Augusti, ubi commemorat Tharsitium Martyrem ita secum deportasse Eucharistiam, ut reperire illam in ejus vestibus Ethnici non potuerint. Hactenus Mayerus.

§. 9. Profligatis ita, quæ pro Fascinô vocali oppositæ sunt, rationibus, domesticas vulgi jam examinabimus ineptias. Factis de lepore domi nutritô inter cœnandum vel prandendum verbis, ipsum ea nocte ultima propterea experiri fata negamus. Quid majorem verbis inter comedendum tribuat lædendi potestatem? An ciborum halitibus vigorantur ita, ut remotiora etiam subeant loca, & objectum denominatum feriant? Quis ferat hunc ratiocinandi modum? En! contrarium. Pastor quidam lepori in contubernio suo enutrito fatalem diem, qui proximè sequens fuit, quasi per jocum, sed seriò inter cœnandum indixit: lepus tamen sine ullo vitæ periculo sequentis diei lucem vidit, & à manibus matrisfamiliàs, non verbis patrisfamilias, jugulatus, videre desiit. Si ulla verborum esset potestas, præsentem citiùs, quàm absentem in remotissimo & occluso conclavi alicubi degentem, quò verborum in aura pereuntium vis nequit devenire, læderet. Quid si ille lædat, qui, ut animam graviùs lædendi occasionem inveniat, stultè credulorum observantias vanas ultrò, experientiâ teste, complet. Pullorum in nidis repertorum jacturam sæpiùs pueri dolent, quam in verba multos retulisse novi: sed Vir quidam rerum naturalium peritus, aliam, quæ placet, assignavit causam, oris nimirum halitum pullis nocivum, quem si auceps immittere cavet, non erunt præda mortis & formicarum, quandocunque de iis verba facias. An verò panis nido illatus ab halitûs noxâ præservandi vim habeat, aliis considerandum relinquimus. Reliqua, quæ proferuntur, Siculis gerris sunt vaniora. Lupum suo nomine, etiam natalitiorum tempore nominare rustici adhuc metuunt, ut metuit ille pagi cujusdam præfectus, qui cùm Pastorem suum Joh. Wolff di-

ctum, dicto tempore accessisset, hoc modo eum salutavit: **Guten Morgen Herr Unthier.** Pastore hoc indignè ferente subjecit: **Ich mag den Schelm nicht nennen/ es ist in Zwölfften.** Insanus quoque eorum metus, qui ne mustela pecori domestico noceat, non suo nomine animalculum illud appellant, sed per descriptionem sic indicant: **Das Thierlein das die Eyer frisst.** Quasi verò vox **Wolff** vel **Wieselein** ore prolata ad lupum in sylvis errantem, vel mustelam in stabulo latitantem eat, & sic afficiat, ut ille magis furere, hæc vaccarum uberibus nocere pergat. Non curat numerum lupus, proverbium est: non curat verba lupus, veriverbium esto, sive propriô, sive molliori eum appelles nomine, nec pilum nec mentem ejus mutabis. Mustela non nisi in rabiem concitata, si vaccarum ubera attigerit, inflammationem infert periculosam. Vox ipsa tantarum non est virium, ut ore prolata in rabiem agat animalculum. Numne solius patrii idiomatis ea est felicitas vel infelicitas, ut tantas ore formatæ voces Germanæ turbas in regno animali dare queant? Unde & per quid acceperint vires verba ista, curiosis verborum curiosi enarrent. Si quid potestatis habent, Satanæ collusioni prudentiores id tribuunt meritò. *Ita prophylacticum contra canum rabidorum venenum familiare est atque usitatissimum, at superstitiosum, in hac regione* (Groninganâ) *ut canis, ne morsu ab alio inficiatur, vocetur* **Vloet/** *vel* **Stroom** (*appellatione scilicet ab aqua desumpta*) *unde passim rusticorum canes majores hisce nominibus appellantur. Certè si quid huic nomini subsit præsidii vel remedii contra tale venenum atque rabiem ipsam, ut putant certò certius subesse, à quibus quasi atomis hoc profluit? vel an non potius ad Satanæ imposturas id omninò referendum*, inquit Deusingius *Exam. Pulv. Sympath. pag. 584.* Tandem superstitiosum illud verborum φυλακτήριον, quod verbis intra parietes privos factis immunitatem à divulgatione dare creditur, abeat. Quicquid sagæ resciscunt, magistello, seu spiritui familiari suo debent. Imbellem verò spiritum, quem pauca oscitante ore prolata verba, ne ad auscultandum advolet, fugant! imò imbellem imbellis animi spiritum, qui spiritum malum sic profligari credit!

CAPUT

CAPUT XXIV.

Experientia, quæ pro Fascinatione vocali adducitur, excutitur. Iterata ablactati infantis lactatio fascinatricem qualitatem inferre nequit. Ad exempla allata respondetur. Reiterata lactatio ab alia infamiâ liberatur.

§. 1. III. EXperientiam, quæ ultimo locô urgetur, nos non negamus: sed an sanæ rationis fulcro ea nitatur, *Lib.* 2. & 3. ad quos totum hoc negotium ob causam ibi indicandam reservamus, dispiciemus. Error ille, qui varia multitudinis capita lactat, jam venit discutiendus.

§. 2. Sunt, quibus iterata ablactati infantis lactatio causa est fascinationis, quos à ratione ablactatos lactationem iterare, ne rudiores fascinent, meritò jubemus. Nam 1. iterata ablactati infantis lactatio non novi, sed lactis ejusdem est reassumptio. Lac autem in mammis ob istam, quæ forsan intercessit moram, nullum effatu dignum vitium tenello infantis corpori nocivum contrahit, & si contraheret, communia essent ratione consistentiæ vel saporis, odoris, aut coloris vitia, quæ tamen non majorem fascinandi virtutem infanti ablactato inferre possunt. Si autem communia ista vitia dictam virtutem corpori imprimendi facultatem haberent, frequentiores in hominum societate fascinatores forent, quia vitia ista lactantibus non sunt infrequentia. 2. posito, non concesso, vitium in lacte contractum corpori imprimere vitium istud, non tamen ex hoc colligere licet, visu aut voce fieri fascinationem, cum quia impossibile est, visu fascinare, ut supra ostendimus, tum quia voces ut tales, qualitatis Physicæ sunt incapaces. Si verò non tam voci, quàm aeri vocis formationi necessario fascinatoriam qualitatem attributam velis, jam non vulgarem, sed naturalem fascinationem, quæ non ex illa, sed ex alia causa oriri potest, te ire confirmatum attende. Atque huc duo illa exempla forsan sunt referenda, quamvis posteriori id adjiciam, puellæ parentes juxta famæ eloquium, magiæ esse suspectos. Quidnî ergo qualitas, Deo sic permittente & Dæmone operante, ad parentum nutum (cùm sua omnia infernali Duci consecrare soleant Magi) obviis viventibus non omnibus, sed certis nociva

civa imprimi queat? Confirmat me hoc, quòd soli Nobilis ut & Parentum anserculi, quibus in campo pascendis puella præfuit, ab ejus ore & oculis tuti manserint: cùm si ex concesso naturalis eo modo vis ista esset, naturali quoque modo citra delectum obvios quosque fascinaret.

§. 3. Aliis sic quoque nugari placet, referente Prætorio *loc. cit. Can. 39.* infantem ablactatum ad lac maternum redeuntem demum in sepulchrô efficere, ut consanguinei Charontis cymbæ brevi imponantur omnes, nisi tumbâ sepulchrali apertâ bipalio caput abscindatur. Cur bonum istud relactationis officium sic infamet Dæmon, me latet causa, nisi ea sit, ut oborto necessitatis casu desideratam in mammis maternis potionem infanti ægro mater deneget, & prolis mortem potius præsentem, quàm protractiorem vitam cum ista infamiæ nota etiam in tumulo conjunctam expetat, &, ut apertiùs dicam, subtrahendo nutrimentum viam ad immatura fata sternat. Sed ut falsum, demortuos non tantum amicula cum claro sonitu porcorum mandentium instar sugere, & quantum attingere possunt, devorare; sed & eodem sanguine natos sub mortis jugum trahere: ita falsum æquè est, iteratam ablactati semel infantis lactationem ipsam esse causam, cur vivus deinceps alios fascinet, vel mortuus mortiferam inter consanguineos concitet luem. Mortuis pessimè ista tribui, cùm ludibria sint Satanæ, tam doctè quàm piè probant Martinus Bohemus *de Peste Concion. 2. Membr. 3.* & Lic. Garmannus *de Miracul. Mortuor. lib. 1. Tit. 3.* Vivis pariter non pauca attribuuntur, quæ dæmonis commerciô constant. Generosô autem spiritu ejusmodi superstitiosarum opinionum portenta sunt contemnenda, ad M. Wolff. Greffii, Superintendentis Sangerhusani piissimi exemplum, qui quibusdam sepultæ cujusdam fœminæ capitis truncationem, increscente luis pestiferæférociâ suadentibus, masculè se opposuit, & quod prædixerat, evenit: malum scilicet citra capitis truncationem sponte remisit. Contemnamus simili zelo vanum istum circa relactationem errorem, & nullum è relactatorum corporibus fascinationis periculum erit metuendum.

SECTIO

SECTIO III.

FASCINATIONI VISUALI ET VOCALI COMMUNIA RECOLIT.

CAPUT I.

Fascinationis vulgaris non datur Definitio, Subjectum &c. quia non ens est. Eutelidam & Narcissum seipsos fascinasse negatur. Circa objectum, quod fascino creditur obnoxium, notamus Dæmonis fraudes. Ludionis fortunam verba non variant. Fortuna in lusu investigatur. Verba nec ab astris, nec ab imaginatione, nec aliunde vires acquirere ostenditur. De Pomponatio judicium Mirandulani & Godelmanni.

§. 1. CUm ergo Fascinationem vulgarem, & visualem & vocalem natura ignoret, patet jam, omnia, quæ de Definitione, Subjecto (quòd vetulæ maximè fascinent, refutatum vide supra *Sect. 2. cap. 5. §. 21.*) Objecto, Modo, Efficiente, Signis & Curatione Fascinationis poeticô modô & ad libitum dicuntur, cadere. **Es ist alles ein blinder Lerm.** Non entis enim nulla sunt prædicata: propterea eadem examinare opus non est, cùm ex iis, quæ hactenus tradita sunt, eorum nullitas constet. Signa tamen & curationem sub incudem revocabimus, ut indiciorum falsitate & superstitiosorum remediorum deformitate ob oculos delineata in usum ea trahere desinant imperitiores.

§. 2. Hæc tamen quasi in transitu notamus. (1.) Non Eutelidam apud Plutarchum, nec Narcissum apud Ovidium propriâ specie, sed, ut alii rectiùs sentiunt, contagiosâ fontis exhalatione lethale sibi fascinum intulisse. Aliam Plutarchus assignat causam. *Bonus Vir Eutelidas*, inquit, *& quicunque seipsos dicuntur fascinare, non sine ratione id mihi videntur pati. Periculosus enim est (ut ait Hippocrates) summè bonus habitus, & corpora, simul atque ad summum vigorem processerint, non stant, sed cadunt, & in contrarium vergunt. Quando igitur ii integrum ceperint incrementum, seque spe meliùs affectos vident, adeò ut sese demirentur ac circumspiciant, eorum corpus prope mutationem est, & per halitus*

tus vitium in deterius tracti seipsos fascinant. Subdit & hanc rationem: *Hoc autem magis fit ex fluxibus, qui vel circa aquas, vel alia quadam specula subsistunt. Exhalat enim spiritus in objecta, eoq́ fit, ut, quo aliis nocebant, seipsos malè habeant. Quod cùm pueris fortasse contingat, falsò causa obtuentibus adscribitur.* Spiritus nimirum vult ex oculis in aquam diffundi, qui aquam corrumpunt, ex qua noxii deinceps vapores, quibus spiritus reflexi junguntur, adscendunt. Sed hæc calculum nullum mereri, abundè supra exposuimus.

§. 3. (2.) Ad domestica, quæ Objecto subjunximus, nota Dæmonis astum & fraudem, qui ut uberem invidiæ, odii, simultatum & inimicitiarum proventum in societate hominum referat, superstitionis semina largè diffundit. Cùm enim proni sint vel ad laudem vel ad vituperium homines; persuasioni huic inhæreat ille, quam hic spernit; rerum contingentium variæ sint mutationes, in quibus, quæ per accidens concurrunt, necessariam imperitiores cohæsionem fingunt, præprimis si similis persuasio animum jam ante occuparit; multi non ab animi voluntate, sed ab eventu res ponderent; his omnibus ita vel secus evenientibus Dæmon pro re nata callidè se accommodare, & ut casus in culpam transeat, suo instinctu curare novit.

§. 4. (3.) Ludionis fortunam ore fascinari posse, fascinata vulgi errore capita sentiunt, sed malè. Variat quoque citra fascinatoria verba fortuna, quia jactus ipsi, ut extra lusum, etiam in infantis manu, sic in lusu v. g. aleæ variant. Casus hîc occurrit & fortuna. Casus respectu talorum in se consideratorum, fortuna respectu hominis talos jactantis. Tali sunt formati, ut quocunque modo jactentur, non possint non aliquem numerum naturæ quadam necessitate oculis subjicere. Materia enim eorum corpus naturale est, ideò locum occupant, & quia gravis est, ad locum eò quidem citiùs tendunt, quò minus à lusoris manu impetuosè moventur. In eo situ, quem ultimus gravitatis nisus conciliavit, numerum quendam necessariò referunt. Eum lusor colligit, & si numerus optatus, jactum prædicat fortunatum: si voto contrarius, infortunatum culpat. Nulla vox vel tesseras, vel ludentis manum, aut ingenium, ne artificiosè calculos disponat, (nam & hoc ad lusus felicitatem requiritur) immutandi vim habet. Proinde nec cum Voetio facimus, qui *Part. 3. Dispp. pag. 1197.* & *Peculiar. Dicept. de Lusu Alea* contra Thomam Gatakerum,

takerum, ſortes ludicras, ut & aleæ uſum ex ſe & ſuâ natura illicitas eſſe abſolutè pronunciat, ideò præprimis, quod ſors ex ſe ſit medium explorandi providentiam & judicium divinum, quodque à providentiâ Dei immediatâ quaſi omni judicium ac eventus ſortium dependeat. De ſorte, quæ in re Dei gloriam attinente, hominumque ſalutem concernente, expetitur, quæque uno vel altero jactu abſolvitur, conceſſero: ſed de ea, quæ animi gratiâ frequentibus & tumultuariis actibus continuatur, minimè. Generalem Dei concurſum omnibus actibus communem admittimus, non autem providentiam immediatam, quæ ſpecialem concurſum involvit.

§. 5. Alio tamen ſenſu, & quidem Platonico, Fortunam etiam quandoque concurrere, continuata talorum quandoque in uno actu felicitas videtur confirmare. Platonicis autem Fortuna non tam ſummus & unus erat Deus, quàm genitus aliquis, per quem Deus efficeret ea, quæ temerè & fortuito fieri videntur. Quibus ſuffragatur Auguſtinus *lib. 5. de C. D. cap. 9.* *Nos*, inquit, *eas cauſas, quæ dicuntur fortuitæ, unde etiam Fortuna nomen accepit, non eſſe dicimus nullas, ſed latentes, easq; tribuimus vel veri Dei, vel quorumlibet ſpirituum voluntati.* Idem ex eo advertit Voſſius *libr. 2. Idol. cap. 43.* & dicit ex Patris ejusce ſententiâ, quod nonnulli in ludo aleæ (par ſimilium ratio eſt) ſemper penè vincant, perdant alii, id vel occultis naturæ cauſis tribuendum eſſe, vel genio adſiſtenti, qui jactum dirigit. Subjungit: *Quod minimè difficile eſt geniis, cùm eventus pendeat tam ab alearum poſitu, tum jactu earum vehementiore, vel remiſſiore & ſimilibus, quæ nobis quidem jacientibus ſic variant, ut ludo exercitatus aliquid videat præ alio, nunquam tamen eò induſtria pertingat, ut omnia in artem redigi poſſint. Spiritus autem, quia intellectu & experientiâ plus valent, plus etiam cernunt; ac præterea levi motu inter faciendum præſtare poſſunt, ut jactus ſit felix vel adverſus.* Si genius malus luſus præſes eſt, aleas luſoris, qui ore fortunam faſcinari poſſe ſibi perſuadet, facile ad luſus infelicitatem dirigit, ut in ſua perſuaſione ſuperſtitioſum confirmet, & rixarum turbas, quibus malus autor lætatur, ſuſcitet.

§. 6. (4.) Paucis eos volumus, qui, unde & quomodo verba vim & facultatem acquirant, edocere laborant. Tres hac in re reperiri opiniones vidimus. *Prima* Aſtrologorum eſt, qui cùm nequeant faſcinum

num

num in sublunaribus aucupari, ad cœlum usque pervolant, totamque verborum potestatem ab harmoniâ cœlesti, cum qua sympathiæ habeant connexionem, derivant quidem, sed sine omni probationis mediô, nec unde scientiam habeant, exponunt. Nos ut ex iis, quæ circa Amuleta adduximus, hoc (1.) breviter repetamus, dicimus, raram vel nullam esse influxûs ab astris requisitam puritatem, & ad influendum occasionem. Ergò rara quoque vel nulla ab iis speranda potestas imprægnandi verba (2.) neque verba capacia sunt influxus cœlestis, quia ex organorum vocis formationi inservientium variâ agitatione & succussione oriuntur, quæ, qua talis qualitatis physicæ recipiendæ inidoneum est subjectum. (3.) Sympathetica inter accidens & corpus affinitas est nulla, quia toto genere differunt, ipsaque sympathetica qualitas formam sequitur, quâ accidentia, adeoque ipsa etiam verba carent. Placet, quod Alchindo harmoniam cœlestem urgenti Wierus *de Curat. Læs. Malefic. cap. 9.* §. *10.* opponit, audire: *Si pendet*, ait, *ab harmoniâ cœlesti tota verborum virtus, cur non ipsa per se operari id potest, cum sit causa superior? Dicet fortasse, cœlum mediâ & proximâ causâ, hoc est, verbis agere. At hoc doceat, in sonóne aut in voce, an in verbis exterioribus operandi vis recipiatur? Prior enim natura sonus quàm vox, & vox quàm verba: hæc enim ex illa, illa verò ex alio conficiuntur, cùm verba vocem & sonum includant, & in definitione vocis contineatur sonus. Sine voce sonus esse potest, quia natura prior: pari ratione sine verbis vox, sine voce autem & sono verba non sunt. Si igitur vis in sono recipitur, & quia sonus movet elementa, omni sono etiam inanimatorum corporum poterit ea virtus communicari: quare nec voce, nec verbis opus erit. Si autem in voce, cùm ea plerisque etiam animantibus, præterquam homini, competat, id ipsum poterit à brutis etiam fieri. Si verò in humanis verbis tantum recipi dixeris, rogo unde accipiatur vis, in prima ne syllabâ, aut mediis, an ultima? Si in syllabâ, jam non in verbis, ea verò mox perit. Eadem in aliis erit. Quare colligitur, nullo modo verbis inesse hanc posse virtutem cœlitùs operantem.* Hactenus Wierus.

§. 7. Grande probationis onus incumbit iis, qui virtutem fascinandi ex malevolô astrorum influxu quibusdam inesse statuunt. Sed & hos, quia in fascinum naturale inclinant, *lib. 2.* reconveniemus, ut & eos, qui *Secundam* opinionem amplectuntur, atque in imaginatio-

nem

nem verborum virtutem rejiciunt. Nam & ibi, an hoc in imaginationis potestate sit, videbimus. *Tertia*, quæ Pomponatii sententia est, nihil pro verborum efficaciâ, sed varias experimentorum adducit causas, partim à nobis jam ante ventilatas, partim inferiùs ventilandas. Jam saltem judicium, quod de eo Anton. Mirandulanus *Libr. 6. Singular. Certam.* fert, adducimus, quando ait, eo Libro de Incantat. Pomponatium nec Philosophum bonum, nec, quod fœdius est, Christianum bonum se exhibuisse. Et Godelmannus *lib. 1. cap. 8.* ait: *Petrus Pomponatius Mantuanus Philosophus & Epicureismi defensor, Magusq́ nefarius in Academiis Italicè publicè contra animæ immortalitatem disputavit, scripsit de Fato & de Incantatione libros, in quibus de verborum Magicorum, imaginum, characterum & imaginationis occultâ potestate impiè satis disputavit.* Dogmata, cujus spiritus filius ille fuerit, satis probant. Hominem proprietate occultâ ab astris collatâ, lapidum & herbarum cœlesti virtute imprægnatarum instar mira præstare, malè colligit. Lapidum enim herbarumque vires mirandæ non ab istis, sed à formis eorum specificis manant, inde omnibus ejusdem speciei individuis (ut ita loqui liceat) proprietates eædem sunt communes. Astra quidem inferiorem virtutem fovent & suscitant, sed non immediatè ingenerant. Si hominibus pari modo fascinandi virtus obtingeret, omnes etiam homines (ut ex mente Pomponatii omnes ejusdem speciei plantæ & lapides eandem virtutem ab astris capiunt) eadem instruerentur potestate, cui præter rationem experientia reclamat.

§. 8. Langius *Part. 1. Sect. 3. cap. 2. in fine* supra citatus, sic patrocinatur vocali fascino, ut visuali applicari verba ejus queant: nec voce, quà talis est, per se, sed occasionaliter saltem ad fascinum inferendum facere indicat. Deinde cùm etiam nimis deformes verbis sarcasticè & sine laudatione seria prolatis fascinari dicantur, quid calorem novum, qui in oculos vaporulentos spiritus dispergeret, produxit? Quid fiet de iis, qui à tergo laudati fascinantis oculos fugiunt, cùm aversi sint, qui recipere debebant, fascinantis virulentiam, oculi? Plura ex dictis peti possunt.

CAPUT

CAPUT II.

Signa vulgaris Fascinationis rejiciuntur, eaq; aliud signare per sedulam causarum investigationem docetur. Variare Autores in signorum enumeratione ostenditur. Signa, quibus vulgus noster se in fascini dignotionem pervenire credit, examinantur.

§. 1. SIgna Fascinationis qualia sint, jam dictu facile est cuivis : futilia sunt, fallacia, nulla. Siquidem.

non existentis nulla est dignotio morbi.

Quæ itaque signa alii afferunt, non fascinum vulgare, sed vel naturale vel magicum, aut alium morbum produnt. Sicut illa, quæ Cardanus adduxit, melancholiam vel fascinum magicum melancholiæ specie (cujus exemplum *lib 3.* dabimus) signant. *Color est mutatus*, faciei nimirum fuscus vel pallidus ob seri in sanguine abundantiam. Consentaneum enim, talem in corpore colorationem esse, qualis est materia, succus & alimentum in venis, ait Hippocrates *6. Epid. Sect. 4. Part. 29. oculi tristes* ob spirituum impuritatem : *demissi*, ab humore palpebris inhærente crassiori vel abundante ibi serosiore : *cum lachrymis aut nimium sicci*, pro seri ratione ad oculos vel non, vel copiosè delati : *suspiria & cor triste*, quia sanguis vel serosior in illo ζυμώσεως conditivo non rectè fermentescit, vel crassior & fuliginosior nec ventilari, nec circulari debitè potest; & quia spiritus sunt obfuscati, *tristitia adest : vigiliæ* propter spiritus animales à fuliginibus, vel sero acriori membranas cerebri vellicante agiliores redditos, & inquietos : *insomnia mala* à vaporibus tetris melancholicis, vel excrementis vaporosis copiosiùs ad cerebrum sublatis, quibus phantasia somni tempore turbatur : *macies toto corpore*, quia sanguis vel crassior est, vel ob serum abundantius frigidior : hinc bene non fermentatur seu rarefit; per consensum autem viscera generationi & depurationi sanguinis dicata afficiuntur, partesque nutriendæ geniô demum suo defraudantur. *Nitorem corallia amittunt* (ut & alia è regno minerali collo cachectici appensa) propter vapores & corruptas è corpore egredientes exhalationes : sublata cachexiâ pristino nitori eadem restituuntur.

§. 2. Fallacia sunt & illa, quæ puerorum fascinatorum esse, dicit

cit Carthaginensis, pathognomonica signa, cùm, licèt etiam dari fascinum vulgare admittatur, nec omni, nec soli, nec semper competant. Non soli fascino. Nam eadem etiam in pueris, quando lumbricis tentantur, sunt obvia, testibus, quos Gutierrius notat, Practicis, Paulo, Vallesio, Hier Gabucino, & Mercuriali; nisi quòd Paulus pro pulsu debili rarô, habeat inordinatum: quæ tamen opposita non sunt, cum uterque locum hîc invenire queat. Neque absurdum statuet, ista signa infanti, laudabili licet lacte utatur, scorbuto per hæreditatem contracto laboranti contingere posse, quisquis symptomatum, quæ Scorbutus parit, classem percurrerit, & apud Dravvizium *de Scorbuto Dolente Tit. 2. pag. 137.* legerit, se vel uno unius anni quadrante decem infantes Scorbutico-Spasmodico affectu laborantes offendisse. Proinde habitâ indolis illius ratione, neque similia ex ista minera symptomata manare posse negabit ullus.

§. 3. Sed si alia quoque signa præter enumerata lumbricos, vel scorbutum notantia concurrere, quæ de fascino dubium tollant, & in morborum istorum cognitionem nos deducant, pro Carthaginensi dixeris, in genere hoc tibi quidem concessero, sed in specie, seu rectius ἐν ἀτόμῳ experientiæ suffragio erectus nego. Non omnia in omnibus individuis apparent unius & ejusdem morbi causarumque symptomata, teste Paulo ante nominato *lib. 4. cap. 57.* ubi de lumbricorum signis ait: *Non tamen in omnibus omnia relata signa quærere oportet; sed quædam juxta id, quod exsuperat, aliquando etiam plurima.*

§. 4. Nec omni nec semper signa dicta fascinatis competere, etiam vulgus, fidelis fascini custos, si consulatur, dixerit, & ex eo insuper patet, quod missis istis alii alia, sed nihilo magis fidelia enumerent indicia. Idelphonsus supra *Part. 1. Sect. 1. cap. 4.* §. *1.* capitis ingentes gravitates, dolores ac cruciatus, ciborum aversionem ac febres fascini signa constituit, quæ tamen symptomata à variis causis oriri posse, Practicis est notissimum. Carrichterus cœruleum circa oculos affert colorem, qui tamen (ut & inquietudo ac ploratus) etiam ab internis naturalibus citra illatum ullius fascini nocumentum causis oriri possunt. Vid. Manual. Pr. D. Sebizii *Tom. 1. Part. 2. Sect. 3. cap. 6.* Affectus ille vocatur ἐκχύμωσις, & nihil aliud est, nisi χυμῶν ἔκχυσις humorum sive sanguinis in spatia venis vicino effusio. In reliquis etiam corporis parti-

bus quandoque sponte, præsertim noctu similes fiunt effusiones, quæ πελιώματα καὶ μελάσματα Græci vocant: vulgus noster nominat Heren-Zwick / quasi à sagis sint inflictæ.

§. 5. Futile illud Persarum experimentum doctè examinat Gutierrius: *Si fascinati*, inquit, *lotium secum semen fert venefica humorum infectionis, quid refert, super caput patientis exsiccetur, an sub aere, an sub sole, vel quid mirum linteum lotio quovis conspurcetur, quod excrementum sanguinariæ massæ cum sit, tingere lintea non ineptum est. Sed demus, in linteo supersint illæ maculæ, quidnam, si naturalem causam consulamus, aliud reputare possumus, quàm potiones quasdam crassiores, quæ ex lotio derelictæ, quia viscosiores, quia intimiùs imbutæ à calore exsiccari aut à siccitate absumi nequiverunt. In hoc verò quid ad fascini cogitationem adumbrabitur?*

§. 6. Macies arti & doctæ Medici manui non cedens fascinum non arguit, ut statuit Mercurialis. Nam quos macies corripit ex viscerum corruptelâ orta, vel ea hecticæ species, quam πυρετὸν μαρασμώδη vocant, vel marasmus, qui περιφρυγὴς *torridus* dicitur, curationis spe omnimodo destituuntur: quorum tamen nullus fascinati nomen à prudentibus refert. Si verò maciei nulla alia sit causa, neque interna neque externa, nec ex parte nutricis, neque infantis, fascinum quidem, verùm non vulgare, quod non ens est, sed magicum, ab agente supernaturali inductum, arguere licet.

§. 7. Ea, per quæ vulgus noster in fascini notitiâ devenire laborat, signa quod attinet, 1. superstitionem ea sapere, tum determinatus prunarum & crucium numerus, tum silentium produnt. Neutri enim quà tali virtus ulla cum competat, frustra ea præcipiuntur. 2. Ab experimenti evidentia non licet colligere fascinum vulgare, nisi determinatum fuerit signum ad hoc, non ad aliud, necessarium habere respectum. Evidentia quidem ipsius experimenti, alterius præsertim cum panis segmento patet, sed an ea infallibile fascini vulgaris arguat signum, controvertenti nego. *Rubigo vitium ferri est, rodens ferrum, & velut illius scabies, qua inficitur ex humore & omnium maximè ex sanguine humano contractum*, inquit Sebizius *Sect. 2. de Acidul. Dissert. 1. §. 18.* Demus ergò evaporationes è corporis hominis ægroto egredientes pravas lectum, & (quod mirum) stramen penetrantes ferrum singulari ratione

afficere:

afficere: verùm illam humorum pravitatem non ab internis, ſed externis cauſis ab invidi oculis vel malevoli ore primam habuiſſe originem, poſtulatum eſt, rationibus, quas veritatis curioſus poſtulat, muniendum. Imò falſiſſimum eſſe iſtud, per alia experimenta probo. Filiolæ meæ bienni nullo morbo laboranti cultrum ad iſtam legem, ut periculum facerem, ſubjeci, ſed culter, fateor, ſalvus manſit. Mihi verò idem in me ipſo tentanti idem non reſpondit eventus. Cultrum enim meum, qui quidem tribus crucibus caret, rubigine infectum ſub duobus pulvinaribus ſequenti luce reperi. Ego quidem mihi ſanitatem exactam non tribuo, faſcino tamen me non laborare exactè teneo, ad quod catarrhum, qui robore naturæ ad ſubcutaneas capitis partes cum quadam moleſtia, attamen cum ſanitatis commodô, ante octiduum fuerat detruſus, nemo refert. Hoc autem collegi, cultri mei rubiginem à panis, qui recentior, non tamen calidus, ſed frigidus fuit, humiditate, qua ille in filiolæ meæ exemplo minus recens, caruit, fuiſſe exortam: eaque, me experimentum idem, ſed per panem inveteratum repetente, non rediit. Jam ſi incautæ mulierculæ recentiorem panem ægri infantis pulvinari in cunis ſudore & lotiô ſæpè madentibus inſerunt, cultrum rubigine inde affici quis mirabitur, aut faſcini præſentiam exinde inferet? Pronide hæc & ſimilia alia, quæ me fugiunt, plebeis verò conſtant, faſcini ſigna non tantum à ſuperſtitionibus, ſed & falſitatum luto benè depurentur, ne incauti à Dæmone ſignentur, & abominabiles Deo reddantur. Siquidem velut morborum curationi, quæ per media ſuperſtitioſa inſtituitur, efficaciter præſens eſt Dæmon; ita & dignotionis actui per ſigna ſuperſtitioſa, quibus efficaciam largitur, inſtituto, ut gratioſam Dei in homine præſentiam impediat, ſui præſentiam non denegat.

§. 8. Per prunas, qui velit, quercinas exploret faſcinum (quamvis cauſa, ſi ulla naturalis hîc occurrit, in puteo lateat abſcondita) modò abſit ſuperſtitio, & in faſcinum vulgare ratione deſtitutus plenô impetu nemo ruat. Succurrit jam ſuperſtitioſum aliud ſupra omiſſum ſignum meritò ſuſpectum. Patinæ hæreditariæ aquam ſilentio allatam inferunt, oviq́ue albumen cum ſuo vitello immittunt. Patinam ſic impletam infantis ægroti cunis ſubdunt. Quando albumen, ac ſi coctione ſit induratum, concreſcit, & vitellus in concreto albumine ſe-

 pultus

pultus jacet, fascinum ex hoc colligunt. Quando verò suam naturam istæ ovi partes retinent, singulæque conspicuæ manent, ægrum à fascino immunem pronunciant. Suspicionem sanè augent superstitiosa ista hæreditatis & silentii nomine præsentia. Ne Satanicæ collusionis suspicio oriatur, ista negligantur, in obvia quavis patinâ cum aqua sine silentii infamiâ allata fiat periculum; quid ovum recens editum aquæ immissum referat, exploretur, omnesque circumstantiæ examinentur: omnes famam auribus meis nunciasse, non ausim dicere, nec propterea judicium de experimento rotundum formare. Ego ovum recens editum confracto cortice injeci in patinam non hæreditariam aqua frigida plenam: vidi post aliquot horas albumen circa vitellum, figuram suam retinentem globosam, leviter concretum, album referre colorem, & consistentiam talem habere, qualem ova ῥοφητὰ, sive *sorbilia* dicta, continent. An idem vulgus in fascini sui exploratione observet, ignoro. Ego nullus dubitabo, idem semper observari: vulgum autem ore solito & promto observatorum fidem exaggerare. Ancilla mea ubi meum experimentum vidit, in hæc erupit: **Das Ey sihet eben/ als wäre es einem Krancken untergelegt / darum ists nichts.** Ita plurium, si examini subjiciantur, vanitas detegi potest. Salsus in fronte infantis sapor non fascini vulgaris, sed naturalis affectûs præbet indicium, salsioris nimirum seri in corpore ob denegatam transpirationem copiam: siquidem serum per longiorem in corpore moram pluribus non tantum sulphureis, sed & salinis acrioribus, quibus aliàs suâ naturâ gaudet, imprægnatur.

§. 9. Prognosticum ultimo loco positum per dicta corruit. Cadunt & grandi erroris onere pressi ii, qui per aspectum terræ qualitatem verborum laudatoris fascinatoriam intendi existimant, cùm nihil visus cum sermone habeat commercii, & terra oculis subjecta præter nudam sui imaginem in oculo ceu speculo naturali nihil exprimat, nihil imprimat.

CAPUT III.

Curatio Fascini licet nulla detur, remedia tamen ad examen revocantur. Priapus quis? Orientalibus Baalphegor dictus. Turpitudo

tudo remedii vix oculos fascinatores repulisse creditur. Cur Priapum Fascini fugatorem antiquitas statuerit? Sua veteribus & aliis relinquantur; Nostratium ad Fascinum remedia hic ventilantur. Superstitionem quid gignat & foveat apud mulieres? Erroribus, qui superstitionem & vanas observantias augent, resistendum est.

§. 1. AAd CURATIONIS portum tandem concedimus, non remedia ad Fascinum vulgare præscripturi; nam

non existentis nulla est curatio morbi:

sed receptam, per superstitiosa remedia tum curativa tum præservativa, medendi methodum Veterum & Recentiorum profligaturi, ejusque vanitatem confutaturi.

§. 2. *Priapus* primò limine occurrit rusticum gentilium Numen verè rusticum, cujus figuram expresserunt Viri imagine, qui pudore pulsô nudô stabat corpore tento gravis fascinô. Atque hic Græcorum Priapus Orientalibus Baalphegor fuit dictus, de quo Hieronymus sic *in Osea cap. 4. Istiusmodi Idololatria erat in Israel: colentibus maximè feminis Beelphegor ob obsceni magnitudinem, quem nos Priapum possumus appellare. Et in ejusdem Propheta cap. 9. interpretatur Beelphegor idolum tentiginis, habens in ore, i.e. in summitate pellem, ut turpitudinem membri virilis ostenderet.*

§. 3. Atque hujus, quem obscœnitatis & spurcitiei præsidem rectè dixeris, figuram, præsertim veretri, & turpia omnia fascinum repellere & malos invidorum oculos avertere voluerunt Antiqui, turpiter, sed Diis suis congruenter. Turpe est remedium & absurdum, scurrilitati Stygiæ magis, quàm divinæ dignitati congruum. Quî oculos gentilium averterit id, quod oculos eorum potius invitavit, sic ut ex pene seu Priapô bibere non sint veriti; quo de Juvenalis *Sat. 2. v. 95.*

— — *vitreô bibit ille Priapo.*

Annon in Bacchanalium pompâ Phallos seu Priapos ex lignô fabricatos de collô pendentes circumgestarunt, quem ritum, Melampum Græcis ex Ægypto attulisse & monstrasse Herodotus *lib. 2.* autor est: Ad Romanos transiit ritus idem. Nam ut Varro apud Cœlium Rhodiginum *lib. 4. cap. 6.* ait, tantæ turpitudinis licentia Liberi patris sacra in omnibus

bus compitis peragebantur, &, ut habet Augustinus *lib. 7. de C. D. cap. 24.* matrona pudenda virilia coronabat spectante multitudine: super Priapi scapum nova nupta sedere jubebatur. Pauci sine dubio in illis paganæ iniquitatis tenebris oculos à teneris eruditos, ne assuescere pergerent, declinarunt; quæ verò ex sequiori sexu flagitii spectacula videre forsan erubuerunt, non tam simulato pudore dedidicerunt, quàm furtiva intentione addidicerunt. Quî ergo oculos ista, quibus assueti fuerunt, turpia potuerunt avertere, eorum præsertim, qui pudicitiæ repagula per quendam suæ religionis fervorem perfregerunt, nisi forsan, ut mox dicetur, hoc per contemtum & opprobrium excusetur.

§. 4. Cur verò Priapus fascini fugator antiquitati fuerit, rationem è fabulâ à Suida & Vincentio Carthar. relata petit Gutierrius *Dub. 2. num. 2.* Eandem fabulam sed paulò aliter tradit Natal. Comes *Mytholog. lib. 4. cap. 13.* & *lib. 5. cap. 15.* Bacchus nimirum cum Venere rem habuit: isto autem ad Indicam expeditionem exeunte Venus Adonidis consuetudine fruebatur, mox coronata redeunti Dionysio occurrens & ipsum coronavit ac rogavit, ut se sequeretur, quia jam nupsisset. Mox in Lampsacum profecta est foetum ibi editura. At Juno zelotypiâ capta, simulans se opem ferre, manu veneficâ illius uterum per dolum contrectavit. Priapus tamen à Junonis fascinô liber evasit, sed non, quia magnâ pudendi fœditate ac feritate conspurcatus nasceretur. Quia ergò à Junonis fascino Priapus infans se potuit liberare, cæteros quoque Priapum posse ab istô immunes reddere, etiam sub virilis saltem pudendi formâ, quòd similior hæc illius esset repræsentatio, cœca credidit antiquitas.

§. 5. Nos aliam quæsiti dabimus rationem. Allegoricam philosophandi rationem ab Ægyptiis in Græciam translatam, ibique maximè viguisse; multa verò deinceps sub fabulis & ænigmatibus occultata in Latium etiam fuisse importata extra omne est dubium. Nam, ut habet Fonseca *Metaph. Arist. Proœm. cap. 2. nefas esse judicarunt naturæ arcana in vulgus palam proferre.* Quâ de causâ alii fabularum integumentis res philosophicas occultarunt, ut Orpheus & Musæus; alii ænigmatibus, ut Pythagorici & Platonici: alii dictionis obscuritate, ut Heraclitus, ob id σκοτεινὸς, quasi *tenebricosus* dictus. Priapus autem Græcorum & Romanorum idem ac Ægyptiorum Horus est, is verò idem

ac

ac Sol, ut adeò Priapus Deus naturæ fuerit, cujus magna sit in rerum productione potentia, quod per grande αἰδοῖον fuit indicatum. Itaque Fascini alexiterium statuerunt Priapum, quòd, licet damnum ulli invidus oculus & lingua inferat, omne tamen generatione fœcundâ, cujus ille præses, qui & πολύσπορος, *semina multa habens*, dicitur, resarciri, si non in in individuô, tamen in ipsa specie, queat, cui fascinum nullum obesse possit. Propter fœcunditatem etiam hortis Priapum præfuisse scribit Isiodorus *lib. 8. Orig. cap. 11. Beelphegor*, inquit, *interpretatur simulacrum ignominiæ: Idolum enim fuit Moab, cognomento Baal, super montem Fegor, quem Latini Priapum vocant, Deum hortorum. Fuit enim de Lampsaco civitate Hellesponti, de qua pulsus est, & propter virilis membri magnitudinem in numerum Deorum suorum eum Græci transtulerunt, & in nomine sacraverant hortorum, unde & dicitur praeesse hortis propter eorum fæcunditatem.* Atque ita etiam in contemptum ignominiæ hoc simulacrum fuit positum, ut viderent, quo irrideantur & contemptui habeantur invidorum oculi, re scilicet pudendâ. Propterea ne invidiæ notam largiore adspectu vel voce mererentur atque irrisionem reportarent, à Satyricis signis oculos abstraxerunt, qui obviam venerunt. Nostratibus etiam usitatum est, pollicem contractis binis sequentibus digitis injectum, quo Satyricum signum exhibetur iisdem eine Feige dictum, advenis, quos eludunt, objicere. Hinc dicunt: Er hat ihm eine Feige gewiesen. Nemo autem est, qui oculos reis obscœnæ in opprobrium & contemptum oppositæ immorari patiatur. Ita & Veteres, ut à re optimâ & laude dignâ, cui propterea fascinum erat metuendum, invidorum oculos repellerent, Priapi figuram, velut in opprobrium, addiderunt. Quamvis error, & ex eo metus inanis curæ fuerit admixtus, quasi damnum malevolorum vox & visus ipse inferret, quibus avertendis à re turpi remedium esset quærendum.

§. 6. Nos meliora edocti sua paganis fascinum inaniter metuentibus vana, superstitiosa & obscœna relinquimus & alexiteria ac aniles superstitiones, quæ etiam prudentioribus in pagano cœtu viris fuerunt invisæ. Ita Cicero *lib. 2. de Natur. Deor.* cujus verba Augustinus *lib. 4. de C. D. cap. 30.* etiam annotavit. *Videtisne igitur*, inquit, *ut à physicis rebus benè & utiliter inventis ratio sit tracta ad commentitios & factos Deos?*

Deos? Quæ res genuit falsas opiniones, erroresq́; turbulentos & superstitiones penè aniles.

§. 7. Suum itaque Græcis ἀβασκάντως, Latinis præfiscine! linquimus, quæ, si uti iis placet, à radicali errore depurata ad sanum nos revocabimus sensum: Coccinea licia gentiles adhibeant; fescenninâ licentiâ gaudeant; adorent Nemesin; invocent Neptunum: rogent Deam Cuninam: luto frontem perungant: fortunam occultent, & adversum casum sponte averruncandi fascini gratia suscipiant. *Quæramus quid optimè factum sit, non quid usitatissimum*, ait Seneca *de Beat. Vit. cap. 2.* Rutam, Alyssum, Baccaren, Satyrium, Aristotelis, Dioscoridis, Virgilii & Plinii quæq́ue è naturalium classe petuntur alia, in Fascinatione naturali tangemus.

§. 8. Consuetudinem Hispanorum superstitiosam manus melis puerorum manibus aut brutorum collis in fascini tutamen appendere, inde desumptam non malè suspicatur Gutierrius *Dub. 4. num. 7.* quòd Plinius referat, illa animalia adeò lupis infesta existere, ut ii procul ab eis habitacula quærant, propter quod, ne animalia nobis servilia lupinô dente offendantur, melina manu aut pede præmuniuntur. Verùm in hoc antipathia inter bruta illa detegitur, nihil verò fascino illa observatio Plinii emolumenti confert. Reliqua ad fascinum remedia, v. g. cum gagates sub obscœnâ figurâ collo suspenditur, digiti manè obscœnè intenduntur, pes talpæ syncipiti applicatur, lupi rostrum, cervix aut pars caudæ apponitur, fasciolæ rubræ equorum ephippiis alligantur, ea omnia vanitatem & nullitatem aperta facie prudentioribus produnt; imprudentibus verò, quos in superstitionis cœnum ignorantia & simplicitas præcipitavit, dicenda manifestabunt. Gagaten *Part. 2. cap. 13. §. 6.* curiosiùs ponderabimus. Lupi partes non vulgare aut naturale, sed magicum fascinum depellere, ipsa Ronsæi verba *lib. 3.* citanda indicant.

§. 9. **Nostratium ad Fascinum remedia vanitatis** (turpe quidem dictu, dicendum tamen) futilitatis & superstitionis plena esse, cuivis penitus ista introspicienti fit obvium. Sed penitus ista introspicere, seu ad rationis trutinam revocare vulgi nostri, præsertim sequioris sexus capita nesciunt, ut verum sit, quod Lactantius ait *lib. 2. Orig. Error. cap. 3. Vulgus ponderare suam unamquamque rem nequit. Mulieres viris in*

omni-

omnibus imbecilliores, verô Platonis *lib. 6. de Legib.* judiciô, modum in habenda derogandaque fide non tenere omnibus constat. *Ad credendum sunt faciles, præsertim in calamitatibus*, inquit Gajus pro Lucilla apud Stobæum *l. 2. p. 143.* Sed

Πίστεις δ' ἄρα ὁμῶς καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν.

Credulitas pariter ac diffidentia perdunt homines.

ita Hesiodi *l.* ἐργ. *v. 370.* ore loqui liceat. Atque hæc ipsa judicii imbecillitas & credulitas fœcundæ sunt matres, quæ Satanæ instinctu imprægnatæ superstitionem, sobolem iniquam, obstetricante calamitate, pariunt, quæ ipsam aliorum exemplis bellè sustentat, & per omnia secula propagat: cùmque superstitio latam ad Magiam viam sternat, proles pessima, incautos formosâ simplicitatis, velut candoris, & sub verborum sacrorum abusu tanquam pietatis specie decipit & perdit. Optimè huc quadrat, quod Seneca sapientiæ Fons, ut Lipsius eum appellat *de Beat. Vit. cap. 1.* ore suavissimo fundit: *Atqui nulla res nos majoribus malis implicat, quàm quod ad rumorem componimur: optima rati ea, quæ magno assensu recepta sunt, quorumq; exempla nobis multa sunt: nec ad rationem, sed ad similitudinem vivimus. Inde ista tanta coacervatio aliorum supra nos ruentium. Quod in strage hominum magna evenit, cum ipse se populus premit, nemo ita cadit, ut non alium in se attrahat; primi exitio sequentibus sunt: hoc in omni vita accidere videas: nemo sibi tantum errat, sed alii erroris causa & auctor est. Nocet enim applicari antecedentibus: & dum unusquisq; mavult credere, quàm judicare, nunquam de vita judicatur, semper creditur, versatq; nos & præcipitat traditus per manus error, alienisq; perimus exemplis.*

§. 10. Mulieres sanè nostro in foro ad rumorem magis, quàm judicii tenorem compositæ magno assensu ab antecedentibus recepta ad fascinum remedia superstitionis plena pari credulitate recipiunt, & quasi per manus posteris tradunt: credere malunt, quàm judicare, &, quod dolendum, sanâ etiam ratione convictæ errori inhærere malunt, quàm istum deponere. Eventûs sperati bonitas remedii malignitatem fraudulentâ simplicitatis & pietatis specie occultatam excusare, divinam verò voluntatem, quæ, ut bona eveniant, mala facere inhibet, inani oris dicacitate emollire jubet. Laborarunt semper, & adhuc laborant prudentes, istas errorum nebulas in simpliciorum cerebellis ortas rationis

calore discutere, sed conatus suos istarum crassitie seu radicatâ persuasione comprimi sæpiùs experiuntur. Neque tamen laboris sui frustratio pium & cordatum terreat, ut omnem propterea animum deponat. Uberiorem malorum proventum ictibus animæ (ut reprehensionem & increpationem Clemens Alexandrinus eleganter appellat) inhibere, non vanus, sed laudatissimus labor est: omnem autem omninò proventum inhibere agentis mortali superioris est opus. Simili in reprimendis istis vanitatibus velificandi studio nos quoque excitati, licet conatum nostrum non eo, quem vovemus, eventu, coronatum iri, nos non lateat: non tamen animum ob id cum calamo abjiciemus, aut Satanæ impetu abjectum negligemus, sed istum per DEI gratiam recolligentes eâdem freti contra Dæmonis machinas audentiores ibimus.

CAPUT IV.

Quæ nostratium ad fascinum remedia superstitionis arguant, summariter enumerantur. Superstitionis nomen, efficiens principalis & instrumentalis. Differentia inter religiositatem & superstitionem. Superstitionis aliquot exempla. Cautione tamen hîc maximâ opus, propter exempla quorum ratio dari nequit. Remedia ad fascinum nostratium superstitione laborare monstratur. Exemplum mulieris superstitiosum medium pessimo consilio usurpantis. Historia Fascini in pago Mertzpach *à Zingarâ curati ventilatur. Silentii Nomen. Divinitatis aliquid silentium habere traditur, non tamen potestatis particeps esse ostendi potest. Cur Elisæus famulo suo silentium injunxerit? Cur Dæmon quandoque in magicis exercitiis silentium suis imponat? Fascini suffumigatione ab Empirica curati historia examinatur.*

§. 1. SUperstitiosa esse illa nostratium ad fascinum medicamenta supra enumerata modò non omnia, silentium itidem, numerus actionum definitus, nominum venerandæ Triados abusus, aquarum sponsorum parium itinere & defunctorum vecturâ celebrium electio, rerum hæreditariarum delectus, figurarum observatio, sputi post tergum rejectio, usûs linteorum in baptismi actu usurpatorum consideratio, quæ omnia religiosè in fascini curatione observari jubentur, satis produnt ei, qui

qui ſuperſtitionis naturam penitiùs expendit ; & expendemus nos, quia operæ hac in re gravi pretium videtur, brevibus.

§. 2. Nominis, *Superſtitio*, ratio petitur ex voce *ſuperſtes*, quæ eſt à *ſuper* & *ſto*, ita quidem, ut ſecundùm Servium ad *lib. 8. Æneid. p.m. 564.* ad aniculas habeatur reſpectus, quæ multis ſuperſtites per ætatem delirant, & ſtultæ ſunt: aut annotante eodem ſecundum Lucretium ad ſuperſtantes res, i. e. cœleſtes & divinas, quæ ſuper nos ſtant, quarum inanis & ſuperfluus timor ſuperſtitio eſt. Alii alia afferunt natalia, quæ vide ſis apud Delrium *Diſq. Mag. lib. 1. cap. 1.* Suarezium *libr. 2. de Superſtit. cap. 1. fol. 293.* præprimis in eruditâ *Diſquiſitione de Superſtitione* Dn. D. Geieri, qui non malè ſuſpicatur, ſuperſtitionem eſſe idem, ac ſuperſtitem quandam majorum obſervationem, h. e. venerabile quoddam myſterium, vel quaſi inde à multis annis ſolicitè per manus traditum ac asſervatum. Græci δεισιδαιμονίαν, à δείδω *timeo* & δαίμων, *dæmon*, *genius*, appellant. Clemens Alexandrinus *lib. 7. Strom.* Ἄθεος, inquit, ὁ μὴ νομίζων εἶναι θεόν. Δεισιδαίμων ἢ, ὁ δεδιὼς τὰ δαιμόνια, ὁ πάντα θεάζων. *Atheus eſt exiſtimans nullũ eſſe Deum; ſuperſtitioſus autem, qui timet dæmonia, qui omnia in Deorum refert numerum*, ut lignum, lapidem, hominem, ſpiritum &c. Germanis dicitur **Aberglaub**/ à vocula ab, quæ declinationem, ut in aliis, v. g. **Abgott**/ **Abweg**/ **abgünſtig**; ita hîc quoque ſignificat; & **glauben**/ quibus euphoniæ gratia particularia **er** inſeritur: uti in voce **aberwitzig**: vel ita exponi poteſt: **Abermal ein Glaub**/ quaſi alia denuo fides in re ſuperſtitioſâ notanda veniat.

§. 3. Vox autem ſuperſtitio vel latè ſumitur, vel ſtrictè, vel ſtrictiſſimè. *Latè*, pro omni in religione exceſſu apud Lactantium *de Verâ Sapient. cap. 28.* ubi ait: *Religio veri cultûs eſt falſi ſuperſtitio.* Cl. Alexandrinus *loc. cit.* verè religioſo opponit ἄθεον, & δεισιδαίμονα. Sic Auguſtinus *de Verâ Relig. Tom. 1.* *Non ſit nobis religio cultus dæmonum, quia omnis ſuperſtitio cùm ſit magna pœna hominum, & periculoſiſſima turpitudo, honor eſt, ac triumphus illorum.* Vid. quoque eundem *de C. D. lib. 4. cap. 30.* *Strictè*, pro indebitô cultu, quo Deus perversè colitur, quo ipſo ab Idololatriâ, qua aliquid præter Deum colitur, diſtinguitur. Ita Seneca *de Clementia lib. 2. cap. 2.* ait: *Religio Deos colit, ſuperſtitio notat.* Et *Epiſt. 123. Superſtitio error inſanus eſt, amandos timet, quos colit, violat.* *Strictiſſimè* vanam obſervantiam notat, quæ Viro prælaudato Dn. D.

 Geiero

Geiero vitium est ejusmodi, quo quis ineptis factis, gestibus, sermonibus aut omissionibus procurare vult vel intendit bonum aliquod sive spirituale, sive temporale, quod tamen nec naturaliter, nec supernaturaliter cum illis cohæret aut procurari potest. Aberglaub ist eine solche Sünde/ da man einem Ding eine unnatürliche Wirckung zuschreibt / und sich darauf verläst. Oder wenn man ein geistliches Mittel in ein leibliches verändern will/ Saubertus *Concion. 3. super Evangel. 22. Domin. Trinit. pag. 259.* Wo einiger Creatur solche Werck und Kräfften zugemessen werden / welche sie weder durchs Wort der Erschöpffung oder Heiligmachung deß H. Geistes empfangen / so ist und heisst dieselbe mißgebrauchte Creatur ein abergläubisch Mittel/ D. Danhauerus in Scheid-und Absag-Brieff *pag. 254.*

§. 4. *Efficiens* Superstitionis *causa principalis* quæ alia nisi Dæmon est? qui, ut à Deo, seu Naturâ & naturante & naturatâ homines abducat, ad absurdarum rerum usum multis argumentis, ab utilitate, simplicitate, sanctitate, dexteritate, & receptæ consuetudinis continuitate desumptis invitat. *Instrumentalis*, homo est, ad vanas observantias pronus. *Impulsiva* causæ variæ sunt, quas & plura alia vide apud D. Geierum & Voetium. Non diffitemur autem, multis occasionem præbuisse id, quod, ut D. Geierus etiam advertit, multa majores instillarint juventuti pueritiæque stolidæ ad conciliandum sive pietatis sive morum civilitatis studium, quæ succrescens ætas illa, nec satis secum habens prudentiæ, quæ scopum secerneret à mediis captui attemperatis, seriò interpretata est omnia, & sic non tantum rebus absurdis, sed etiam verbis efficiendi potestatem tribuit, v. g. cum infans vermiculus, erinaceus, bestiola, &c. vocatur, sic fascinari, & ad maciem eum redigi dixerunt. Ita verò indecens esse infantem alio, quàm suo nomine appellare, significare, & à pravâ istâ consuetudine alios avocare voluerunt veteres. Item: Non est bonum, calceos vel calcaria in mensa reponere, i. e. incivile est, & honestati minus conveniens, res abjectas & sordidas ad locum honestum referre: simpliciores verò efficiendi potestatem & malum naturale ex hoc: *non est bonum:* colligunt. Alia mittimus.

§. 5. Cum verò magna inter religiositatem atque superstitionem intercedat affinitas, signa, quibus una ab alterâ dignosci, & superstitio verè cognosci queat, scitu erunt necessaria. Voetius *Part. 3. Dispp. pag. 97.* signa tradit & generalia & specialia. Nervosiùs tamen & concisè

cisè magis ea comprehendit Dn. D. Geierus *loc. cit. cap. 7.* §. 6. *& seqq. Ubi nulla*, inquit, *deprehendi potest ratio ex physicis, nulla ex Ethicis, nulla ex sacris vel revelatô divinô verbô, quod res, actio, aut omisso hæc talem producere queat effectum, ibi suspicio esse debet de latente superstitionis venenô, penitusq; ab iis abstinendum.* Exemplis hæc illustrabimus domesticis. Ictero flavô vel nigrô laborantem Pseudo-medici ter quotidie vas axungiâ (Wagenschmier) repletum, inspicere, atque insuper manum vertere jubent. Dicunt præterea, si imaginem suam æger introspiciens videat, reconvalescentiæ inde peti signum: si absit imago, lethalitatis capi indicium. Quæ ratio hîc ex physicis dari potest? nulla. Visio fit receptione specierum. Species autem entia sunt spiritalia seu intentionalia, quæ enti reali opponuntur, omniqúe qualitate physicâ carent. Proinde recepta in oculô ex axungiâ species nullam ægri alterandi vim obtinet. Manus vel centies inversa per situs mutationem nullas acquirit vires, nullas reddit. Ternario numero si adscribitur facultas, à janua veritatis fit aberratio. Externa intuentis forma in axungiâ recepta internam ægri constitutionem (sicut urina) exprimere nequit, ideò nec reconvalescentiæ, nec lethalitatis indicium præbere potest. Itaque superstitiosa est ea cura, quæ non naturam, sed superstitionis omnis autorem Dæmonem habet.

§. 6. Ejusdem farinæ & hæc est: Ad manus luxationem (wenn die Hand verstaucht ist) à quodam, cui nomen Johannes est, ter propter Deum ligula petitur, eâque pars luxata obligatur &c. Et hoc ceu præsentissimum remedium commendatur. Nulla hujus ex physicis, nec ex alio (nisi Dæmonis malo) fonte ratio dari potest. Appellatio illa, quæ moralis est, & ex arbitriô parentum liberô în sacrô regenerationis fonte facta, vires personæ non confert, nec ligulæ reddit. Numerum petitionis ternarium superstitiosum esse sequens thesis 8. dicet. Dei nomen in vanum sumitur, tum quia adhuc, ut sit corporis medicina, nec datum nec revelatum, tum quia sine omni devotionis ardore ore oscitante recitatur. Ligula res est artificialis, cujus forma seu figura externa nullam ab arte vel ferro in labore isto ferè momentaneô accipit virtutem. Si verò materiæ seu corio virtus sanandi inesse creditur, insania est, superstitiosa cum nominis divini abusu isti jungere. Eandem classem tenent sequentia: Arboribus, ut fertiles fiant, nocte natalitio-

rum Christi stramen præligant agricolæ. Sub medium ejusdem noctis ab horâ 11. ad 12. virgines & quidem multæ, ut sufficienti copiâ potiantur, fila è colo trahunt, mox rhombo applicant, ex quibus linteum & ex hoc indusium paratum, & per unius anni spatium gestatum &c. omnem armorum vim deinceps eludere credunt. Sed superstitiosa sunt omnia, cùm stramen & fila è colo tracta è tempore qualitatem realem accipere, probabili nullâ ratione confirmari queat. Tempus mensura est: at mensura quà talis, rei mensurandæ præter moralem quantitatis ex notioribus collectæ significationem nihil virtutis realis confert.

§. 7. Cautione tamen, fateor, hîc maximâ opus est, in actionibus præsertim, quæ temerô imperitiorum ore criminale in foro judiciali negotium parere possunt. Non enim omne, quod rationi meæ & tuæ absonum & à naturâ alienum primâ facie videtur, pro superstitioso & magicô mox est habendum, cùm multa rationis acumen fugiant; quæque ingenio meo vel tuo non patent, alterius forsan, quem naturæ autor excellentioribus animi dotibus donavit, scrutinio se submittere possunt. Non omnia possumus omnes. *Multa abscondita sunt majora istis, paucissima ex operibus Domini à nobis cognoscuntur, Ecclesiastic. 43. v. 36.* Et Lucretius:

Multa tegit sacrô involucrô natura: neq; ullis
fas est scire quidem mortalibus omnia: multa
admirare modò, nec non venerare, neq; illa
inquires, quæ sunt arcanis proxima. Namq;
in manibus quæ sunt, hæc nos vix scire putandum.
Est procul à nobis adeo præsentia veri.

E. g. Infusâ in pelvim aquâ, si illa sensim crispet, ac tympanis solo applicatis, si eorum membranæ palpitent, dicitur, quòd cuniculi agantur. Ita ex Nicol. Isthuanfii *Histor. Ungaric. lib. 10.* Zeilerus *Epist. 418. pag. 389. in margine, Notitia cuniculorum,* ait, *si quis experimentum clam inscius aliis faceret & supprimeret, magiæ & familiaritatis cum spiritu stygiô notam facilè apud alios istius imperitos imprimere posset.* Aristoteles ipse (quo tamen nemo omnium doctior, acutior, & in rebus vel inveniendis, vel judicandis acrior, judiciô Disertissimi Romuli nepotum; qui prudentissimus & doctissimus Apulejo, summus rerum omnium

judex

judex Lipsio dicitur) diffidens, & de causarum omnium investigatione desperans, non in omnibus causam quærendam esse, sed satis in quibusdam esse ait, si demonstrentur, quod sint, *lib. 1. Ethic. cap. 4.* Ædes magnete clam concameratas eodemque in solô instructas si quis ingregrederetur, & in aere simulachrum ferreum undiquaque liberum videret (sicut & Arsinoes simulachrum in ejus templo, quòd Damocrates magnete concamerare inchoaverat, in ferro pendere in aere visum, referente Plinio *libr. 34. cap. 14.* & de arcâ Muhammedis cadaver continente fertur, eam Mechæ Arabiæ oppido suspensam inter Magnetes in æquilibrio sustineri: quanquam hoc figmentum esse Vossius *lib. 1. Idol, c. 31.* probet) facilè magici artificii suspicionem ex ignorantia virtutis magneticæ capere posset. Studioso cuidam Borusso Optices studiosissimo ex Universitatibus regresso & in dolio magno, velut in camerâ obscurâ delapsas per foramen rerum visibilium species Sympatriotis suis in provinciâ monstranti, quòd spectrorum instar istæ apparerent, magi nomen imperitiores impingere non dubitarunt. Hæc & plura alia qualitatum Physicarum peritis lusus sunt, imperitis mira vel magica. Neque tamen sagacissimis rerum naturalium aditus ad omnia naturalia patet, & si causarum omnium æquè, ac affectuum multorum haberet notitiam Philosophus, multa, quæ divinitatis indolem exprimere viderentur, in medium producere posset. Ast *multa*, ut ait Plinius *lib. 2. cap. 96. sunt in naturæ majestate penitus abdita.* Quis rationem sequentium dabit? quis verò, si ratio dari nequit, ad superstitiosas & magas observationes ea referat v. g. Mortuo patre- aut matre- familias, nisi alvearia in alium locum transferantur, apes emoriuntur, id quod non tantum nostratibus, sed & aliis experientia testatum fecit, cùm idem à Majolô *Tom. 2. Dier. Canic. Colloq. 3. pag. 167.* & Camerario *Horar. Subcisiv. Cent. 1. cap. 73.* annotatum inveniam. Vegetabilia pariter in vasis testaceis asservata, quibus ædium fenestræ ornari solent, v. g. rosmarinus, caryophyllus &c. nisi mox à morte domestici loco moveantur, marcescunt & pereunt. Iidem jam citati Autores, ut & nostrates, adverterunt, turbas & procellas, cum seipsum desperabundus aliquis infelici reste suspendit, excitari. Mondogneus in Vita Marci Aurelii *lib. 3. cap. 10.* in literis ad Antigonum exaratis mentionem facit herbæ cujusdam amorificæ in Cypro nascentis ad amorem concilandum

dum sic ab Aurelio probatæ, ut, qui succo hujus herbæ tangeretur, protinus perditè suum amaret tactorem: si autem frigefacto eodem succo idem ipse tangeretur, amor in odium commutaretur, citante Laurembergio *Horticultura lib. 2. cap. 5.* Cortex sambuci medius, qui viridis est, sursum avulsus vomitum procurat; deorsum verò ista pars decorticata per inferiora purgat, annotante Dn. D. Beckero in Beschreibung deß Hollunders *cap. 6.* Idem de corticibus Frangulæ J. Hornung *in Cist. Med. Epist. 241.* & Helmontius non de Sambuco tantum, sed & Asaro prodit in *de Magnet. Vuln. Curat. n. 30.* *Si quisquam*, inquit, *folia Asari decerpendo sursum vellicaverit, purgabunt aliam, id est, tertiam personam tractionis nesciam, per vomitum tantum: sin verò deorsum carpendo torqueantur, solam dejicient alvum.* Subjungit: *Hic saltem nulla subest superstitio: nam quid hîc imaginationis commemorem: cùm illa in tertium objectum, nil operari concedatis, maximè ubi istud gnarum sit modi, quo decerpens fuerit usus? An fortè pactum implicitum rursus & sacram ignorantiæ anchoram incusaveris? Atqui hic nulla latet vana observantia, præsertim ubi inscio assumente decerptor sursum vel deorsum vellicaverit folia. Profectò præter asarum & sambuci extremitates id cætera non habent purgantia, quæ quomodolibet decerpta univocè operantur continuò.* Quam Athanas. Kircherus *Mund. subterran. lib. 12.* dat causam, curiosis satisfacere nequit. In Lacum Pilatinum prope Lucernam in Helvetiâ de industriâ injecta maximas tempestates cient, ut omnia undis impleantur, referente Joachim. Vadiano *Comment. ad Melam. pag. 34.* Simile de Dalmatiæ specu narrat Plinius *lib. 2. cap. 47.* in quem dejecto levi pondere, quamvis tranquillo die, turbini similis emicat procella. Horum & aliorum admirandorum effectuum ratio licet naturæ vires excedere alicui videatur, non tamen propterea ipsa ad superstitiosorum vel magicorum referenda sunt classem. Vitium intellectus non potest rebus vitium affricare. Abstrusiorum qualitatum à sensibus & ratione remotarum ferax est natura, propterea scientiam nostram superant ac fallunt multa. Itaque ne superstitionis vel magiæ nota his, quæ rationis scrutinium remorantur, promiscuè inuratur, omnia probè prius ponderemus, cum similibus conferamus, & τὸ ἐπέχειν potius aliquandiu arripiamus, quam decisivam proximi famæ nocivam sententiam præproperè feramus, quale quid Cajo

Cajo Furio Cresino contigisse Plinius *lib. 18. cap. 6.* annotavit, quam historiam, quia lepida est, intactam hoc loco relinquere nolumus. *Is è servitute liberatus, cùm in parvo admodum agello largiores multò fructus perciperet, quàm ex amplissimis vicinitas, in invidiâ magna erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficiis. Quamobrem à Spurio Albino curuli die dicta metuens damnationem, cùm in suffragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit, & adduxit filiam validam, atq; (ut ait Piso) benè curatam ac vestitam, ferramenta egregiè facta, graves ligones, vomeres ponderosos, boves saturos. Postea dixit: Veneficia mea, Quirites, hæc sunt: nec possum vobis ostendere, aut in forum adducere lucubrationes meas, vigiliasq; & sudores. Omnium sententiis absolutus.* Hæc Plinius. *Lib. 3.* fusiùs forsan disserendi dabitur occasio. Superstitionis autem fœtorem ex actionibus, quarum effectus figuris, numero, verbis, characteribus, situi, silentio, tempori sacro & artefactis seu horum formæ tribuitur, sagaciores rectè philosophantium nares mox percipiunt, cùm ista omnia naturali virtute carere Philosophia sobria pronunciet. Quam sententiam agnoscunt & venerantur sanctissimi Theologiæ & prudentissimi Jurisprudentiæ Sacerdotes.

§. 8. Quare si jam ea, quæ supra *Part. 1. Sect. 2. cap. 5. §. 2.* vidimus, nostratium ad fascinum remedia examinemus, an superstitionem ea redoleant, mox animadvertemus. *Silentium* formaliter soni & sermocinationis actus est negatio. Quid negatio conferet rei? nihil. Nulla *numeri* numerantis seu abstracti est efficacia realis, cùm non sit principium agendi vel quod, vel quo. Definita medicamenti purgantis sub forma pilularum exhibendi dosis non ultra debitum operabitur sive massam in tres, sive decem, vel viginti pilulas distribueris. Moralis quidem vis est in numero ratione mensuræ & mensurantis, item distinctionis ad faciliorem intelligentiam sita, sed ea naturalem virtutem, quâ caret, in rem non defert. Numero tamen numerato quoad majus & minus spectato vires non denegamus. Legio enim plus, quàm cohors efficit. *Verborum sacrorum recitationem* nihil virtutis conferre posse, fusè supra probavimus. *Aquam à sponsis per pontem transeuntibus vel cadaveribus transvectis* influxum recipere, nulla ratio, ut credamus, suadere potest. Effluvia è corporibus egressa, non in aquam descendunt, & licet descendant, non recipiuntur, neque si recipiantur,

virtutem fascino oppositam aqua inde acquirit: aliàs latius foret subjectorum ipsorum præsentia fascinatis medicinam parare. *Iterata aquarum effusio* majorem quidem vasorum purgationem, non autem certus effusionis repetitæ numerus qua talis certam arguit virtutem.

§. 9. *Hæreditatis* jus nullius virtutis realis parit commercium. Neque enim rem, seu naturalis sit seu artificialis, aliter atque aliter hæreditas, quæ morale quid est, afficit, aut qualitate physicâ (quâ omnis actio moralis in se caret) imbuit. Vanam hujus observantiam tesseram Diaboli esse ex hoc disce: Mulier quædam lac ebutyrare diu, sed frustra, laborans, vicinæ cuidam id queritur. Hæc clavem hæreditariam doliolo imponere jubet. Quo factô stupendam ista butyri quantitatem extrahit. Sed ecce! brevi fit ad fores pulsatio. Egredienti Dæmon collatum in ebutyrando auxilium suum aperit, eamque terrore perculsam mox ad sacramenti sui fidem cogit, inque magicam assumit societatem. Ex hoc uno Dæmonis rebus absurdis velut tesseris suis præsentiam & auxilium commodandi promptitudinem lege. *Figurarum* & characterum efficaciam superiora expunxerunt. *Sputum per rejectionem post tergum* nudam, quia est certi saltem sitûs electio, nullam acquirit virtutem, neque vel nobilioris vel deterioris conditionis est, si prorsum projiciatur. *Linteis brachialibus sacer regenerationis fons*, qui ne quidem leviter susceptricem perfundit, nullam fascinum repellendi imprimit virtutem. Ita hæc & similia omnia rationis lanci imposita probare & videre decet, an in actu curationis seu morbi seu fascini effectus ab iis ipsis verè manet, ita ut causalitas, quæ talem effectum naturaliter producere putatur, ad nullum aliud referri queat principium. Si non possunt naturaliter causare tales effectus, *consequens est*, ut cum Angelo de Clavasio apud Dn. D. Geierum loquar, *quod non adhibeantur ad hos effectus causandos ut causa, sed tantum ut signa: & non ut signa divina, sicut sunt sacramentalia signa, sed tantum ut signa vana & supervacanea, & sic pertinent ad pacta signationum cum dæmonibus inita.*

§. 10. Hinc jam satis intelligere licet, totum illum curationis modum, quem incola pagi Merzpach narravit, superstitionibus & observantiis vanis scatere. Earum enim nulla de se in morbum, nedum in illam maciem, sive ea naturalibus causis, *sed ob causæ magnitudinem incura-*

incurabilis, sive à supernaturalibus causis, & ex magicô fascinô orta fuerit, influere potest. Alterius ergò agentis, si naturale non concurrit, influxum colligere licet. Sed nec Dei, nec Angeli boni ille fuit: remediis enim non naturalibus Magiæ januam reserantibus per immediatum concursum Deus vires non largitur, nec si naturalibus non cedat malum, per non naturalia se operaturum promisit, Angeli autem divinæ menti suam conformant. Itaque Dæmonis restat concursus, quem sive conscia, sive inscia Judæa ab egregio, si Diis placet, Doctore edocta curationis habuit socium. Confer quoque Suarezii verba supra *Sect. 2. cap. 10. §. 8.* in fine allegata.

§. 10. *Silentium*, quod aliquid divinitatis præ se ferre, & in rebus ut sacris, sic & in iis, quæ hominis sanitatem in fascino amoliendô concernunt, non nullius esse momenti, creditur, jam considerabimus. Vox ea à litera S. quæ silentii est nota, uti T. Taciturnitatis, dicitur, de quibus Ovvenus *3. Epigr. 99.*

Quid sibi Romanum vult S. T. sileto, Taceto:
S. monet ut sileas: T. jubet ut taceas.

Sumitur quandoque *impropriè*, tribuiturque Deo & creaturis. *Deo Ps. 83. v. 1. Esa. 62. v. 1. & 42. v. 14. &c. Creaturis* cum *inanimatis*, v. g. Lunæ, quæ cum non apparet, silere dicitur: nox silens dicitur Virgilio *7. Æneid.* tum *animatis*, ut brutis, *Esa. 1.* & homini, cum loquendi exercitium ob instrumenti vocis ineptitudinem negatur. Hic verò *propriè* sumitur, pro vocis propriæ ejus, qui loqui potest, inhibitione & suppressione.

§. 11. Silentii dignitas & sacrorum & profanorum virorum autoritate commendatur. Elisæus siquidem famulo suo ad exsuscitandum Sunnemitidis filium defunctum, cum baculo misso silentium injunxit. *Vade*, inquit, *si occurret Tibi homo, non salutes eum, & si salutaverit te quispiam, non respondeas illi, 2. Reg. 4. v. 29. Neminem per viam salutaveris*, ait Salvator discipulis suis, *Luc. 9. v. 4.* Inter profanos *loquendi Magistros habemus homines, tacendi Deos, adhibito ad sacrificia & arcanos ritus silentio*, scribit Plutarchus *de Garrul.* Philostratus *lib. 1. Apollonii cap. 1. Silentium*, inquit, *pro re divina à Pythagoricis discipulis colebatur.* Inter Ægyptiorum numina fuit Harpocrates, Sigalion etiam ἀπὸ τοῦ σιγᾶν, *à tacendo* etiam dictus, Osiridis & Isidis filius existimatus,

 cujus

cujus simulacrum digitô labiis impressô, ut silentium fieret, admonuit. Tale etiam Divæ Angeronæ, vel Angenoræ silentii præsidiis fuisse Plinius *lib. 3. cap. 5.* perhibet, ore scilicet obligato obsignatoque, in ara in Volupiæ sacellô positum, ad significandum, qui silere sciat, voluptate postmodum frui. Silentii etiam Numina Veteres in prælia ituri habuerunt: hinc illud: *Ter maximum in bello Numen silentium est.*

§. 12. Verum enim verò silentium quidem in sacrorum ritibus imperatum olim fuisse, magnamque certis in casibus laudem mereri largimur; velut Pythagoricum quinquennale in addiscendis rebus divinis & humanis. Γλώσσης, γαστρὸς, αἰδοίων κρατεῖν, *linguâ, ventre, pudendis continendum esse* Anacharsis dixit, ne scilicet loquacitate, crapulâ & voluptatibus vitæ & famæ jacturam patiamur. Silentium Spartanos Lycurgus, Medicos Hippocrates docuit. Quare etiam ars medica *ars muta* dici solet, quòd non tantum remediis magis quàm verbis sanare deceat Medicum, sed etiam, quòd non conveniat ægrorum arcana, quæ retecta ignominiam istis aspergere possunt, revelare cuiquam. Silentium quandoque Chirurgi præcipiunt, quia *loquentium fortiore halitu impuro interdum & morbosi corporis infectione defœdato immutari possunt res & infici, quæ tractantur, ut de viribus insitis non parum remittant*, ut loquitur Bartholinus *de Medicin. Danor. Domest. Dissert. 4. pag. 145.* Transeant alia.

§. 13. Verùm nihil hîc Silentiarii, quo se tueantur, inveniunt. Non enim silentium simpliciter, seu omnimoda strepitus vocisque negatio istis in casibus præcipitur, sed intempestivus & temerarius vocis usus rejicitur. Deinde ex dictis non licet colligere, silentium divinitatis & potestatis realis esse particeps. Ut naturale illud etiam dicitur, quod ad naturam quovis modo spectat, licet in se naturale non sit, velut vacuum: ita divinum illud quoque dicitur, quod ad divinum cultum quadam refertur ratione, licet in se divinitatis & cœlestis qualitatis non sit capax. Ad sacra & profana silentium est indifferens, ad majorem tamen attentionem utrobique viam sternit. Hinc illa præconis vox: Hoc age! Favete linguis!

§. 14. Elisæi famulo hoc erat agendum, ut sine morâ quàm celeriter jussa, neglecto etiam salutationis officiô, quod tempus perdendi occasionem obviæ linguæ volubili sæpè subministrat, adimpleret. Theodoretus

doretus *Quæst. 17.* aliam dat rationem: *Sciebat*, inquit, *eum esse honoris cupidum & causam dicturum: inanem autem gloriam fore impedimentum, ne miraculum perpetret.* In illis verò Salvatoris verbis Hyperbolen agnoscunt autores, referente Ursino *lib. 1. Anal. Sacr. pag. 23.* qua significetur in divinis obeundis (1.) *prompta celeritas. Non*, inquit, *Ambrosius, salutationis officium ac sedulitas aufertur, sed obstaculum impediendæ devotionis aboletur, ut quando divina mandans paulisper sequestrentur humana, in Luc. l. cit. Quò facit Syra versio: De pace cujusdam in via ne rogaveritis. Nempe juxta usitatas formulas: Satin salva? Num pax patri vestro seni? Gen. 43. v. 27. quæ non tam salutantium bona verba, quàm longiorum confabulationum proœmia sunt.* (2.) *Sacra taciturnitas & necessaria* ἐχεμυθία, *ne profano sermone interim vel devotionis ardor defervescat, vel aliquid obrepat, quod obsequium omne intervertat.* Hæc Ursinus.

§. 15. In se & propriè, ut diximus, silentium notat sermocinationis & vocis negationem, & consequenter etiam realem virtutem negat; ut proinde hæc epilepsiæ cura tota superstitiosa sit. Epilepsiam enim hîc loci curaturi nonnulli hominem, qui malo hoc affectum neminem unquam vidit, silentio ad ægrotum in paroxysmo laborantem accedere, indusium in ejus corpore dilacerare, dilaceratum autem in aquam silentiô pariter projicere jubent. Magica hæc est curatio, cùm neque silentium curiosè observatum, neque aliud quid morbum vel ejus causam tollendi naturalem obtineat virtutem; augetque magiæ suspicionem, quòd, qui malo tollendo suam operam locavit, vitam, ut experientia testatum fecit, diu non agat, Dæmone scilicet affectum & extremum vitæ periculum in Medicum superstitiosum Dei permissu transferente. Sam. Hafenrefferus *Nosodoch. lib. 1. cap. 6. Experientiâ*, ait, *compertum habemus, nævos calentibus adhuc secundinis detersos quandoque disparuisse. Nec caret hoc ratione. Is enim sanguis, ex quo formatus fœtus, eundem etiam repurgare valens est: majoris efficaciæ dicitur, quando detersio fiat clandestina, sine quæstione,* ohn Beschrien/ *cujus causam aliis indagandam relinquo.* Nos experientiam non negamus, neque laudati autoris rationem rejicimus; clandestinam vulgi detersionem, à qua major efficacia expectatur, reprehendimus. Fictus est effectus, cui nulla debet quæri causa. Per silentium ipsum non major oritur effe-

ctus, nisi forsan per accidens, quòd majori industriâ detersio in silentio fiat; è contra verò labor meticulosi, malè sibi propter superstitiosum modum conscii per alloquium frangatur.

§. 16. Cur autem in superstitiosis & magicis exercitiis ac curationibus quibusdam silentium Dæmon amet, hanc ego conjicio causam, quia metuit, ne sacrum sibi invisum verbum forsan ab aliis Magiæ non addictis, & in Magicis nondum satis confirmatis erumpat, per quod ipse in actione tacitoque influxu turbetur. Præconis sacra adornantis hæc olim apud paganos vox fuit. *Favete linguis*: quæ phrasis duo significat, nimirum silere & bona verba facere, annotante Sauberto *de Sacrif. cap. 12.* ubi addit, ad hoc primariò in ludis, epulis &c. ad illud potissimum in sacrificiis veteres respexisse, & sonuisse hoc: Favete linguis, i. e. omnimodò solida linguis frena injicite, ceu id sacra isthæc poscunt, & si quispiam inter cæsa & porrecta, ubi fari licet, proloqui desideraret, operam navet, atque sedulam adhibeat cautelam, ne infaustum atque malè ominatum erumpat verbum. Hic superstitio ex infausti verbi metu silentium imperavit: in magicis exercitiis Dæmonis in Deum odium sermonis usum prohibet, ne scilicet sacrum Dei nomen, quod horret & fugit, incautò Candidati Magiæ ore elapsum eum ut dixi, in concursu & influxu turbet; prout Magorum conventicula, factâ vocis solius Dei mentione, ocyssimè disparuisse legimus: cujus exemplum tradit Joh. Bodinus *lib. 2. Dæmon. c. 4.*

§. 17. Asylum sic fascinatorum *Sideritis* non est, vel alia herba ulla, neque *suffumigatio*: quicquid sit, quòd multi horum usu sanitati, quæ per fascinum amissa credebatur, pristinæ fuerint restituti. Definitè enim à curatione ad fascinum vulgare argumentando sine rationis offensione quis progrediatur? Quid si naturali fascino aut morbo à naturali causâ orto illa conferant? Et conferre ea *lib. 2. cap. 10. & 11.* dicemus. Quid si magico apponatur superstitiosa suffumigatio? Hujus census sine dubio est illa infantis ex novemplice ligno administrata suffumigatio, magici morbi superstitiosum remedium, dignum patellâ operculum. Si Empiricâ ipsamet fatente Medicinæ & medicamentis officinalibus, h. e. rebus naturalibus, quæ omnes, si non actu, tamen potestate remedia officinalia, artisque medicæ instrumenta sunt, locus fuit, tum vel morbum magicum fuisse, aut si naturalis ille incurabilis

rabilis arteque major fuerit, tum illud ipsum, quod docuit, remedium nonnaturale, non quidem ratione materiæ, sed ratione efficientiæ fuisse, & communem hominum impostorem sub eo latuisse, pronunciandum erit.

CAPUT V.

Benedictio anilis rejicitur: præmittitur nominis consideratio. Benedictionis veræ causa, subjectum, Materia, Objectum, Forma, Finis. Benedictionis anilis paradigmata. Descriptio. Benedictionem anilem à verà longè abesse probatur. De Benedictione sacerdotis in populo Israelitico. Pseudo-benedictionis subjectum exagitatur. Efficacia ejus unde? Finis quis?

§ 1. VErbales etiam curas sub blando *Benedictionis* nomine superstitiosis commendari videmus: quâ quia potissimum aniculæ utuntur, anilem eam vocamus. Ut autem latentem hac etiam in herbâ anguem infernalem solerti manu feliciùs extrahamus, præmittemus veræ Benedictionis naturam & indolem, ut pseudo-benedictionis deformitas eò notior fiat & conspectior, imperiti autem præmuniantur, ne ascititio illo ex verbo Dei habitu & ornatu desumto, quo venditantur, decipiantur, & seducantur.

§. 2. Hebraica vox בְּרָכָה *Benedictio* natales debet verbo: בָּרַךְ quod in Kal *benedicere, genua flectere*, in Piel itidem *benedicere, salutare, & valedicere* significat. Græci ἐυλογίαν ἐυλογεῖν habent. Germani Segnen/ Segensprechen. Alii scribunt Sägen/ vocem hanc ad Hebræo *Sagan*, quod Sacerdotem vel vatem significat, deducentes: & Sägenen/ vel contractè Sägnen pro consecrare, sanctificare, benedicere. V. Freudius im Bericht von Zauberey *Quæst. 2. n. 2.* Nostrates benedictionem anicularum & Magorum superstitiosam corruptè Sehnen vocant. Benedicere autem est bene precari, cujus oppositum maledicere est imprecari, seu malè precari. Per antiphrasin, seu, ut alii volunt, ἐυφημισμὸν benedicere pro maledicere usurpatur *1. Reg. 21. v. 20. Hiob. 1. v. 5. cap. 2. v. 5. & 9.* In malam etiam partem accipitur *Rom. 16. v. 18.* Sumitur etiam pro consecrare ad peculiarem & sacrum usum *1. Cor. 10. v. 16.* Sic panis in sacrâ cœnâ benedictus, aquâ in Baptismô benedicta dicitur.

dicitur. Significat etiam benedictio munera aliis oblata, quia bona cum precatione offeruntur, & cum benedictione accipiuntur. Ita Jacob, Abigail, David & alii munera ſua benedictiones vocarunt, *Gen. 33. v. 11. 1. Sam. 25. v. 27. 2. Reg. 5. v. 15.* Cùm autem benedictio vel divina ſit, vel angelica, vel humana, ad hanc & illam digitum potiſſimum intendemus.

§. 3. *Cauſa* Benedictionis divinæ quidem Deus eſt; *humanæ* ſpiritus S. qui ut Orationis *Rom 8. 15. Gal. 4. 6.* ita & piæ benedictionis eſt cauſa. Eſt autem benedictio nihil aliud, quàm oratio votiva. *Impulſiva* cauſa ex parte *Dei* eſt noſtra indigentia & neceſſitas: ex parte *hominum* inſuper Dei & ſanctorum exemplar, item benevolentia per beneficia & varia amoris argumenta provocata. *Subjectum quod* benedicit, *Deus* eſt, qui benedicendo omnis generis bona realiter confert. Dei enim dicere eſt facere. Dixit ipſe & facta ſunt, *Pſ. 148. v. 5. Angeli*, quorum benedictio eſt practica, cùm ad Dei mandatum in viis noſtris nos cuſtodiant, *Pſal. 91. v. 11. 12.* & *Homines*. Penes hos verò nulla eſt efficacia, quia boni nihil, niſi Deus dederit, homo dare poteſt. Hominum autem, qui efficaciter benedicunt, quatuor potiſſimum ſunt genera. 1. Parentes liberis. 2. Paſtores Eccleſiæ fidelibus. 3. Pauperes. 4. Morituri, quæ uberiùs exemplis ſacris declarat Raupius *Bibliothec. Portat. Pract. loc. 29. num. 53.* *Materia* benedictionis *humanæ* reſpectu Dei laudes ſunt & gratiarum actio: reſpectu *proximi*, votivæ preces & munera, quæ à Deo benedicente anima pauperis benedicens impetrat, *Prov. 11. v. 25.* eaque varia & innumera. Nam omnipotens benedicit benedictionibus cœli deſuper, benedictionibus abyſſi jacentis deorſum, benedictionibus uberum & vulvæ, *Geneſ. 49. v. 25.* *Objectum* Homo eſt, vel res ratione carens, etiam *Deus*, quando benedicere idem eſt, quod ἐυχαριςεῖν gratias agere & laudare. Benedictus Deus, ἐυλογητὸς ὁ θεὸς, ſcilicet εἴη *eſto:* non eſt epitheton de Deo, ſed votum de Deo, ut Balduinus *in Comment. ad h. l.* loquitur. Homo *homini* benedicit, cum directè ei benedictionem à Deo vovet. *Rebus autem ratione carentibus* benedicimus, non directè iis, (quia non intelligunt) precando, ſed ſuper iis Deo ſupplicando, ut per eas bona homini conferre velit. *Forma* interna (humanæ) vera in Deum realiter benedicentem fiducia & benevolus in proximum affectus. Externa verborum vim precum habentium & ſu-

& suspiriorum inter honestos ritus emissio. *Finis divina* est salus hominis tum corporalis, tum spiritualis: *humana* & quidem *ultimus*, Dei gloria, *proximus* proximi salus, quæ per benedictionem votivam bona quævis apprecando, quæritur: *cui subordinatur* benedictio rerum *tum consecratoria*, cum nimirum per benedictionem res ex usu communi in usum sacrum transfertur, ut panis & vinum in S. cœnâ, & aqua in usu Baptismi: *tum non consecratoria*, cum ad communem quidem usum res adhibetur, per benedictionem tamen seu per sermonem Dei ac precationem sacra fit, *1. Tim. 4. v. 4. 5.*

§. 4. Specialiora, Benedictionis naturam explicantia, ab aliis petantur; nos in forum nostrum regredimur, visuri jam, an illæ vetularum benedictiones, quas in amoliendo fascino & malo cum hominibus, tum bestiis, rebusque aliis obveniente, ut & in removendis actionum impedimentis, & promovendâ earum felicitate adhibent, veræ sint, an verò pseudobenedictiones, adeoque perperam nomen illud ferant? Benedictiones illas superstitiosas, magicas, adeoque pseudobenedictiones, imò maledictiones esse accuratior, materiæ, formæ & circumstantiarum ventilatio docebit.

§. 5. Ut autem feliciori hoc in negotio sidere progrediamur, præter supra enumeratas benedictionum formulæ alias insuper in medium proferemus, easque ad lydium veritatis lapidem revocabimus, earundem curiosa attritione motarum valorem examinaturi, absurditatemque risu explodendam omnium oculis exposituri. Nobilis quidam dolore in digiti articulo minimo correptus hac sibi à vetula quadam benedici formulâ, quam memoriæ infixam ex ore suo mihi communicavit, permisit:

(1) Unser lieber Sohn und unser liebe Frå (Frau)
Giengen über eine grüne Ae. (Au)
Da begegnet ihnen das Reißlich und Freischlich
Das Gegicht und allerley Gesücht
Wo wilt du hin Gegicht/ und allerley Gesücht?
Da will ich in deß Mannes Haus/
Will ihm sein Fleisch fressen/
Will ihm sein Blut aussaugen/
Will ihn gar zu nicht machen ꝛc.

Risum teneatis amici.

Das solt du nicht thun/
Kehr wieder um/
Reißlich und Freischlich/
Das Gegicht und allerley Gesücht/
Nein in wilden Wald in holen Stock/
Das keinem Leid/ keinem Vieh/ keinen Schaden thut ꝛc.
Das zehl ich dir zur Buß im Namen ꝛc.

Ad vocem **dir** addidit nomen patientis, & ad tria sanctæ Trinitatis nomina ter crucis signum digitis suis formavit &c. His verò dictis citò per januam se proripuit pede, & ne revocaretur, aut nominaretur, jam antè anus præcaverat. Sed frustranea fuit benedictio, cujus tamen formulam ut expertam, etiam ad dentium dolorem, catarrhos, erysipelata &c. vetula maximoperè commendarat.

§. 6. Affinis huic est sequens ad Febres commendata benedictionis formula, quam in MS. quodam inveni. (2.) **Frörer/ Heuchler und Meuchler giengen über Land/ da begegnet ihnen unser lieber Herr und sprach: Frörer/ Heuchler und Meuchler wo wolt ihr hin? Sie sprachen: Wir wollen hinein in der Menschen Haus/ wollen sie rütteln und schütteln/ daß ihnen das Hertz im Leibe kracht. Da sprach unser lieber Herr: Frörer/ Heuchler und Meuchler/ das solt du nicht thun/ ich will ein Wicklein binden/ und will 42. Ritten daran binden ꝛc. Das zehl ich dir N. zur Buß/ im Namen ꝛc.** Hæc verba trina & Orationis Dominicæ & Symboli Apostolici recitatio &c. sequantur. Item ad dolorem dentium hanc:

(3.) GOtt und das heilig Blut/
Sey für meine Zähne gut.
Wo ich Zähne hör klagen/
Will ich einen von Galgen Blut sagen ꝛc.
Das sey dir eine wahre Buß im Namen ꝛc.

& quæ alia observanda præcipiuntur, adde. Sed ea nos supprimimus.

§. 7. Quidam rusticus habuit vaccam in gutture quadam passione contritam, qui talem fecit benedictionem: (4.) **Ob das sey/ daß Maria Magd oder Jungfrau ein Kind JEsum gebahr/ so komme diesem Thier das Blat ab ꝛc. im Namen ꝛc.** Felix Malleolus *Tract. I. de Exorcism. pag. 278.* Vulneratis bene dicunt ita, referente eodem Malleolo *p.m. 399.* & M. Bernh. Albrecht *lib. de Mag. pag. 41.* (5.) **Christus ward geboren/ Christus**

Christus ward verloren/ Christus ward gefunden/ der gesegne diese Wunden/ im Namen ꝛc. Ridicula sunt sequentia, quæ M. Christoph. Vischerus *Tract. de Benedict. Vetular. Superstit.* refert. (6.) Ists nicht wunderbarlich/ daß man fürs Fieber drey Bissen gestolen Brod nimt/ in zwo Nußschalen pichet/ in ein Briefflein schreibt und spricht: Kuh/ wilt du zu Stall/ Fröster so gehe du in Wald ꝛc. Ich zehle dir das zur Buß auf im Namen deß Vatters ꝛc. Item/ für Geschoß: Ich segne dich für zwey und siebenzig Gesücht/ und für zwey und siebenzig Geschoß/ daß du sein werdest los/ ꝛc. im Namen ꝛc.

§. 8. Mulierum nonnullæ ad nundinas properantes, ut majori fortunæ secundæ gratiâ citiùs res suas vendant, herbam Quinquefolium dictam in itinere quærunt, eam citissimè evellunt, atque trinâ sequentium verborum &c. sibi benedicunt ita: So geschwind es ich räff/ so geschwind ich verkäff/ im Namen ꝛc. fœminâ quâdam â superstitionibus alienâ & piâ, quæ illarum sæpè fuerat comes, earundemque in vendendo felicitatem non potuit non agnoscere, id referente. Hæc & similia plura, quæ congerere fugio, sunt anicularum arcana ad fascinum & mala alia remedia, specioso non tantùm benedictionis per sancta sanctissimæ Trinitatis, â qua omnis benedictio, nomina, sed & efficacis operationis nomina celebria. Formulas variare vidimus: nonnullas salutatio Angelica, Historica Passionis Christi narratio, titulus Crucis Christi, Evangelium Johannis, nomina Angelorum & alia ingrediuntur, quibus ritus varii, interdum valdè inepti, sæpius crucis formatio, junguntur. Sortiarius quidam apud Speidelium *Tit.* Segensprecher *pag. 1136.* mappam ægrotanti cuidam puellæ cum solita Pontificia formula: Daß sey dir zur Buß/ imposuit, & quidem in nomine Patris &c. postea orationem Dominicam & salutationem Angelicam quinquies latinis verbis recitavit, & mappam combussit. Idem omisâ formulâ Pontificiâ mappam alii cum recitatione nominis divini imposuit, & mappæ pariter combustæ cineres in ædibus dispersit. Formulas & Amuletorum & Benedictionum in medium ideò produxi, ut earum absurditatem & vanitatem, quæ vel primô visu & auditu percipitur, luci exposita ipsa exempla prodant, & quid de cæteris hîc non expressis sit sentiendum, Lectori aperiant. Multi quidem multa de iis in genere, eaque verborum & sanctitate & simplicitate ab aliis commendari audiunt, sed oculis & auribus ea in specie

 usur-

usurpare non omni datur. Mutilas autem dedimus, ne caprina ingenia imitando temerandi conscientiam habeant occasionem.

§. 9. *Benedictionem anilem* sic describimus, quòd sit actus, quo concepta verba tum sacra tum profana à vetulâ, vel aliâ personâ superstitiosâ scribuntur, vel ore proferuntur, & tandem nomine Sanctæ Trinitatis, Angelorum, vel etiam Dæmonum obsignantur, quibus characteres & ritus peculiares junguntur, omnibus autem virtus ad profligandos corporis morbos & adversæ fortunæ injurias realis tribuitur, ita ut loco & tempore definito, quo benedicenti & benedicendo placet, indubitatus effectus ab iis manare credatur. *Anilem* benedictionem à potiori subjectô, quod aniculæ & vetulæ præprimis sunt, (fœminas juniores & viros non omninò excludimus) vocamus eaque pro objecti varietate varia sortitur nomina, e. g. Wund-Segen/ Blut-Segen/ Kranckheit-Segen/ Stall- und Vieh-Segen/ Forst- und Wild-Segen/ 2c.

§. 10. Tantum autem abest, ut istæ anicularum benedictiones veræ sint, ut potius ab his immane quantum differant. Patet hoc I. *ex materia* benedictionis veræ, quam preces votivas esse diximus. At formulæ illæ omnes monstra sunt orationis deformia, à precum & piorum votorum naturâ perquam aliena. Nam 1. *oratio debet esse seria*: at benedictiones, præsertim prima & secunda fabulæ sunt aniles, quæ auditæ non tam risum jocosis quàm dolorem piis pariunt. Altvettelische Fabeln/ ut Lutherus *1. Tim. 4. v. 7.* vertit, quas rejicere jubet Apostolus. Febris, podagra, catarrhus & epilepsia, quæ accidentia sunt, ceu supposita & personæ loquentes introducuntur, quales fabulas aniculæ pueris ad colum consistentibus solent recitare. 2. *Frequens & continua.* Incessanter orare jubet Apostolus *1. Thess. 5. v. 17.* ut nullam mens pia metam precibus ponat: sed benedictio anilis in una vel trina, aut siquidem frequens ea sit, attamen in definita verborum recitatione subsistit. 3. *Fervida*, ita ut ardens in ara cordis devotio suscitata per os suffimentum precum fragrantissimum edat. Nam

Dimidium sphæræ, sphæram cum Principe Romæ
A te poscit Homo, poscit & ipse Deus (COR.)

Sed benedictionum anilium curatrices spe lucri erectæ suo se satis fecisse officio putant, modo ore solo, quantumvis tepidô, benedictionis

verba

verba fundant, non curantes, quem pietatis Zelum Deus ab oratore requirat. *Populus iste appropinquat ore suo, cor autem ejus longè à me est*, queritur Deus. *Esai.* 29. 4. *submissa*, gratiâ Dei subnixa, *Dan.* 9. *v.*18. cum miseriæ confessione in humilitate facta. At benedictio anilis non Dei gratiâ, sed verborum rituumque efficacia nititur, nec suam miseriam patiens, aut patientis medicastra fatetur, sed temerariô ausu miseriæ finem per sua verba, quæ efficacissima esse censet, Diis & Deabus etiam invitis quærit non sine fastûs argumento. 5. *Voluntati divinæ congrua* 1. *Joh.* 15. *v.* 14. Hæc autem jubet (1) *benedicere iis, qui devovent nos, benefacere iis, qui oderunt nos, & orare pro iis, qui lædunt & insectantur nos*, *Rom.* 12. *v.* 14. Sed contrarium paradigmata ista vindictæ plena docent: **Hat dich beschrien ein Mann / so komm es ihm selber an. Hat es gethan ein Weib / so fahr es in ihren Leib 2c.** (2.) *Deum tempore tribulationis, ut exaudiat, invocare. Ps.* 50. *v.* 15. Sed suis benedictionibus è calamitatibus alios eripere præsumunt mulierculæ, non attendentes, an cœlestis auxiliatoris gratiam & opem afflictus ipse imploraverit nec ne? Scilicet de Dei omnium miserentis gratiâ ille securus citra ullum orationis laborem pronô pede ad efficacia benedictionis verba, quæ personam alienam facere jubet, ad salutis portum pergit, & sic salvus evadit. (3.) *Bona temporalia sine definiti temporis præscriptione quærere*, ad Christi ipsius exemplum, *Matth.* 26. *v.* 39. sic orantis: *Mi Pater, non sicut ego volo, sed sicut tu.* Verùm quandocunque benedicenti & benedicendo placet, fascini, & morbi, quicunque ille sit, ablationem, seu sanitatem, per peculiares benedictionis modos obtinere præsumunt, non Dei sed propriam voluntatem, non libertatem, sed necessitatem inferentes, atque illud Christi ita invertentes: Mi Pater, non sicut tu vis, sed sicut ego. Quibus Proverbium nos obvertimus: **Eigener Wille brennet in die Helle. Wer thut / was er will / der muß leiden was er soll.** *Definitum tempus qui præscribit, Dominũ tentat. Judith.* 8. *v.* 11. *Non est iste sermo*, ait Judith, *qui misericordiam provocet, sed potius, qui iram excitet, & furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei.* Quæ verba sibi habeant Medicastræ. (4.) *Perseveranter orare nec defatigari. Luc.* 18. *v.* 1. Sed aniculæ præsentissimam per benedictiones suas medelam, & non morbi solum, sed & Orationis, quâ afflictus fru-

stra defatigetur, finem promittunt. Sic auxilii janua non precibus afflicti, sed voce benedicentis efficaci, qui, ut perseveranter oret, opus non habet, aperitur. Ne tangam ultimô loco, Sancto Dei nomini defunctorum Sanctorum nomina, imò quandoque horrenda Dæmonum nomina (horrendum!) in benedictione jungi. Egregiam copulam!

§. 11. II. Patet *ex Formâ benedictionis veræ*, quæ est vera in Deum fiducia: & cum orationis ista sit soror, ἀνάβασις τοῦ νοῦ πρὸς τὸν θεὸν, ut Orationem Damascenus vocat. At aniles illæ benedictiones ne quidem ad Deum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit, *Jacob. 1.* sunt directæ. Nuda nominum S. Triados in fine recitatio, quâ nugatoria verba finiuntur, non parit fiduciam. Fides autem in conceptis verbis ut collocetur sedulò præcipitur, eaque si desit, nullum fore sperandum effectum benedicentes ipsimet ingeminant. Non autem in verbis tantum, sed & in adjunctis verborum ritibus fiduciam poni imperata istorum observantia prodit, qua ne quid vel omittatur, vel adjiciatur, sedulò præcavent, iisdemque constanter adhærent.

§. 12. Certam quidem olim Sacerdos populo Israelitico benedicturus formulam quotidie post sacra saltem matutina usurpavit *Num. 6. v. 23.* eamque sequentem: *Benedicat Jehovah & custodiat te. Faciat Jehovah, ut luceat facies sua tibi & gratiam faciat tibi. Attollat Jehovah faciem suam erga te & apponat tibi pacem*! Cui certos ritus junxit. Manus enim primò abluit, deinde in suggestum adscendit discalceatus, & stando, non sedendo benedixit. Faciem prius templum versus vertit, tergum verò versus populum, digitosque in volam incurvatos habuit, donec Synagogæ minister absolveret confessionem: tum vertit faciem versus populum, & jam elevatæ utriusque manus digitos expandit. Cùm nomen Dei tetragrammaton Sacerdos pronunciavit, pollicem, indicem & medium in utraque manu erexit, depressis in palmam reliquis duobus. Nomine verò illo prolato tres statim ejusdem digitos sic divaricavit, ut quinque constituerentur intervalla seu spatia, unum inter duos utriusque manus pollices, duo inter pollices & his posteriores digitos, & duo inter quatuor reliquos instar literæ Vau spatium formantes, quorum duo extremi pro uno steterunt.

§. 13. Ve-

§. 13. Verùm istam benedictionis formulam divina Majestas ipsa Aharoni & filiis ejus, reliquisque sub eorum personâ Sacerdotibus præscripsit & mandavit, ut filiis Israel subsequis ita benedicerent. Sed nullum benedictionum anilium fundamentum, ne quidem apicem, in Sacris ostendere possunt illarum Patronæ. Ad orationis autem præceptum frustra confugiunt, cùm orationis indolem illas minimè sapere jam ostenderimus. Sacros Sacerdotum in populô Israelitico quod concernit ritus, ii quidem mysteriorum reconditorum sacra fuerunt significativa, sed non efficacis operationis exhibitiva. *Et imponent* (adjicit ibi Dominus) *nomen meum super filios Israel, & ego benedicam iis.* Deus benedicit, non ipsa verba vel ritus verborum comites. Verborum sensus oculos mentis, ritus oculos corporis invitavit, & documentorum ubertate sustentavit. Non autem necessarios, sed adiaphoros fuisse ritus istos, neglectus istorum adhuc hodie præter manus elevationem in Ecclesia, cui necessaria omittere religio est, confirmat. Sed nec ipsa manûs tempore benedictionis elevatio, qua populum sub Dei contra Satanæ ac mundi injurias protectione esse commonetur, absolutæ necessitatis opinionem imprimit, eam tamen Ecclesia retinet, prout omnia per consuetudinem longumque usum recepta, quæque sine scandalô mutari nequeunr, non dimittit, quia illa manûs elevatio est quædam χειροτονία seu manus impositio: hæc autem usitatus & celebris erat in Oratione, benedictione & sacris aliis ritus, probante id solidè Præceptore meo Celeberr. Dn. D. Keslero b. m. *Theolog. Cas. Conscient. cap. 1.*

§. 14. Examinetur jam vetularum circa suos in benedictionis actu ritus sensus, & eos strictissimâ istorum observantiâ, quam sedulò inculcant, necessitatis in ritibus suis opinionem, ac si necessarius inter eos & effectum sit nexus, fovere patebit. Neque etiam ullus suum in sacris conformitatis ratione habet fundamentum. Et licet affinitatem quandam quidam referre videantur, curiosiùs tamen eam evolventibus disparitas occurrit magna, sæpius superstitionis maculâ infamis. Quid illa nominis proprii benedicentis in primâ formulâ prohibitio? quid fuga per januam subita, nisi superstitiosum primi præceptoris mandatum prodit? Non trina orationis Dominicæ & Symboli

Aposto-

Apostolici in secundâ recitatio, qua talis, verborum efficaciam auget. Millies etiam licet Sacerdotalis benedictio sine Dei mandatô Laici ore uno die recitetur, propter hanc ipsam tamen non major è dictis in populum redundabit benedictio. Quid subita illa quinquefolii in itinere evulsio monstri alit? Adeò verum est, quod Plutarchus *de Superst.* tradit; *Superstitionis ridicula sunt opera atq; effectus, verba, motus, præstigiæ, incantationes, circumcursitationes, tympanorum pulsiones, lustrationes impuræ, sordidæ castimoniæ &c.*

§. 15. Nolo III. urgere *subjectum quod* orando verè benedicit, utriusque sexûs personam esse per Spiritum S. regeneratam, Deoque per fidem & pœnitentiam reconciliatam: Benedictiones verò, quibus ad fascinum utuntur, abjectiores ex vulgi fece aniculas ut plurimum curare, variis superstitionibus aliis immersas (quas vulgo etiam honesto titulo, **weise Frauen / kluge Frauen /** sed immeritò vocant, nisi per antiphrasin quasi minimè sapientes & prudentes, aut ex Cacodæmonis ingenio tales appellare velimus) non matronas prudentiores; rarius Viros, aut saltem eos, qui societatis magicæ sunt membra, **Stulbinder / Crystallenseher / die sich der freyen Kunst rühmen.** Sed tales cujus sint fidei & spiritûs filii constat. Hoc verò hominum genus verba sua non in prudentiorum facie, ne confundantur, sed inter secretos plebeculæ levioris parietes sub silentii fide, non eâ, quæ arcanis optimæ fidei rebus debetur, sed turpis notæ factis quæritur, faciunt. Malæ causæ signum. Non lucem fugit verus Orator, sed ut in auxilii per preces obtinendi societatem alios etiam suscitet, quærit, & ad Pythagoreorum mentem cum voce precatur, h. e. ut Clemens Alexandrinus *in fine 4. Stromat.* interpretatur, non veretur preces fundere multis eas scientibus.

§. 16. Sed cùm Pseudo benedictionis tum forma, tum materia mala sit, totaque orationi veræ contraria, quem jam autorem primum & efficientem ejusdem concipiemus causam? Non ea *Spiritus S.* est. Nam

θεῦ κακὸν ὐδὲν ὁρῶμεν ἔργον.

Dei nullum malum videmus esse opus:

Non Deus volens iniquitatem, Ps. 5. v: 5. *Perdit omnes, qui loquuntur mendacium* v. 7. **Man darff GOttes wunderthätige Hand nicht einmischen in Sachen / die Ihm zu wider sind /** ut alicubi D. Danhauerus loquitur:

tur: Non *Angeli boni*, qui Dei ſunt virtutes, ejusque voluntatem faciunt, *Pſal. 103. v. 20.* Voluntatem autem Dei falſum omne reſpuere jam diximus. *Non amat falſum auctor veritatis, adulterium eſt apud illum omne quod fingitur*, Tertullianus *de Spectac. cap. 23.* Pater itaque mendacii qui *Satanas* eſt, *Joh. 9. v. 44. primaria* benedictionis anilis cauſa eſt; *ſecundaria* homines ad ſuperſtitionem proni, quibus pravas Pſeudo-benedictionis cogitationes immittit: uti in cor Judæ Satan dediſſe dicitur, ut Chriſtum proderet, *Joh. 13. v. 2.* ita gementi ſub afflictionis onere cordi credulorum & impatientium benedictionis ſuperſtitioſæ, ceu remedii ad varia morborum genera exoptatiſſimi, deſiderium ingenerat, & ad magicas traditiones eos invitat. *Deus hujus ſeculi excæcat ſenſus infidelium, ut non videant lumen Evangelii de claritate Chriſti*, *2. Cor. 4. v. 4.* Quoties homines ſuperſtitione, &, qui ipſis prædicatur, effectu delectari videt, ut plenum voluntatis aſſenſum impetret, omnem movet lapidem, exaggerando calamitatis gravitatem, divini auxilii procraſtinationem, remedii facilitatem, utentium pluralitatem, verborum ſanctitatem, ſenſus ſimplicitatem, effectûs veritatem, docentis integritatem & finis dignitatem.

§. 17. *Finis* hujus benedictionis qualis eſſe poteſt, niſi malus? Efficientem enim habet Angelum malum, qui non niſi mala ex infenſiſſimo erga Deum & humanum genus odiô molitur. *Malus* eſt, non quidem eſſentialiter; ſic enim ſuam habet bonitatem, quæ transſcendentalis dicitur, ſed moraliter, & ſuâ ſponte, nihilque bona intentione facit. Eſt quidem omnis finis in genere bonorum, ut Scaliger ait *Exercit. 250. Sect. 1.* de ratione & eſſentiâ finis eſt bonum, juxta Piccolomineum *gr. 10. Phil. Moral. cap. 14.* Verùm bonitas finis non ſemper vera, ſed ſæpè apparens eſt. Ut animæ graviùs noceat hoſtis noſter, corpori per ſuperſtitioſa, ceu facilia, proptereaque grata remedia medetur. Ex efficientis intentione finis bonitas potiſſimum æſtimanda. In benedictionis autem negotio finis bonitatem, quæ eſt deſiderata corporis ſanitas, gravitate mali animæ tacitè illati, compenſare ſtudet Cacodæmon. Sic ſanato corpore anima ægrotat tanto graviùs, quanto corpore eſt nobilior. *Mentitur Diabolus, ut fallat, blanditur, ut noceat, bona promittit, ut malum tribuat, vitam pollicetur, ut interimat*, *ſpondet*

pacem, ne ad pacem perveniri queat, salutem offert, ne quis ad salutem veniat. Ita Cyprianus *Epist. 8. l. 1.*

CAPUT VI.

Benedictiones aniles sunt 1. superstitionis plenæ non tantum in genere spectatæ, sed etiam in specie Papisticæ. 2. Magicæ. 3. Frustraneæ sæpè, quod exemplis illustratur. 4. Sunt reipsa maledictiones. Formulæ quædam examinantur. Malleolus notatur, ejusque rationes pro curatione morborum per verba sacra discutiuntur. M. Vischeri laus in confutanda benedictione anili.

§. 1. QUæ cùm ita sint, quid salutis per Benedictiones illas aniles fatui quærunt, cùm superstitiosæ sint, magicæ, frustraneæ, imò maledictiones & propterea execrandæ? En veritatis faces, quibus istam deformitatem amplius collustrabimus. 1. *Superstitionis* plenæ sunt non tantum in genere spectatæ, sed & in specie Papisticæ. *Prius* patet, quia nulla naturalis verbis & ritibus virtus inest efficiendi, id quod ad nauseam usque hactenus ostendimus. Superstitiosum autem est rei tribuere virtutem, quâ de se caret. Audiamus hîc Theologum Conscientiosissimum Dn. D. Keslerum, qui *loc. cit. cap. 60.* ita tam verè quàm piè disserit. Solche Mittel als Figuren/ Buchstaben / Spruchsegen / Messen / Binden / rc. betreffend / sind solche aberglaubisch / und also abgöttisch. Denn in dem bestehet der Aberglaub / wenn einem Ding oder Werck eine Krafft zugeeignet / und derselben wegen auf das Ding ein Hertzens Vertrauen gesetzet wird / da keine Göttliche Ordnung / Befehl und Verheissung / auch kein Grund in der Natur vorhanden ist / da ist der Teuffel Meister / und der Patient sein Gefangener / der vermeinte Artzt sein Diener / das Mittel sein Götz und Abgott. Celeberrimus Theologus Dn. D. Danhauerus in Catechismus-Milch *Part. 1. pag. 439.* Aberglaubischer und zauberischer Segen ist / wenn der Name Gottes und das Wort der H. Schrifft über ein Ding gesprochen oder geschrieben und geglaubet wird / es habe solcher Anspruch und solche Characteres eine sonderbare Krafft die Natur zu ändern oder zu bessern. Ist entsprungen aus dem Heidenthum / von den Jüdischen Cabbalisten geheget / im Papstthum beliebet / und leider! auch unter uns als ein schnöder Saurteig / der längst mit aller

Macht

Macht hätte sollen ausgefeget worden seyn/ verblieben. *Posterius* produnt illa quorundam verba: Das zehl ich dir zur Buß. Das sey dir ein wahre Buß. Quod fermentum Pontificium etiam Dn. Saubertus *loc. cit.* deprehendit, & expurgare laborat, inquiens: Diß verfluchte Segnen wird verrichtet mit einem sonderbaren Päpstischen Irrthum / wenn jedesmals diese Wort angehänget werden: Das zehl ich mir zur Buß. Gottlose Wort nenn ichs darum/ dieweil sie herfliessen aus der Papisten Lehr de satisfactione, wie man den Leuten eine Büssung der Sünden auflegen soll/ sonderlich aber/ daß sie für die bekandte Sünde so und so viel Ave Maria und Vatter Unser nach der Zahl der Körnlein am Rosenkrantz oder Pater noster hersagen / und dieselbe ihnen also zur Buß oder Ablösung/ Abstattung ihrer Sünden nacheinander zehlen sollen/ bey welchem Greuel diese Art zu reden im Papstthum entsprungen: Zehle dirs zur Buß/ oder ich zehle mirs zur Buß. Ist denn das nicht eine Sünde? Solte mans bey den Evangelischen gut heissen?

§. 2. *Magicæ* sunt, quia non Deum, nec Angelos, ut evictum dedimus, sed Satanam habent autorem. Saga quædam hanc ad curandas ferventes destillationes (wider das Geschoß) formulam ab ipso Satana se accepisse, Judici ultrò fassa est: Alle Wolcken trieffen / und alle Wasser fliessen: Alle Boltzen schiessen/ schiessen dir aus allen dein Gebein / sey gleich groß oder klein/ von 77. Geschoß/ und alles das Unkraut/ das auf Erden ist/ rc. rc. Das zehl ich dir zur Buß rc. Ex hac omnes alias simili absurditatis vitio laborantes Dæmonem habere autorem, quis ambigat? Hujus farinæ est benedictio ista, qua rusticum quendam in Papatu Magum ægrotantibus opem clam Ulmæ aliisque in locis tulisse refert Dn. D. Dietericus *Tom. 1. Concion. in Sap. pag. 942.* Braun hats nichts verschuldt. GOtt der Vatter hats nicht verschuldt. GOtt der H. Geist hats nicht verschuldt. Im Namen deß Vatters rc. In his & similibus Dæmon occultô concursu & influxu benedictiones aniles verè inefficaces facit apparenter efficaces. Propterea non malè B. Keslerus vocat istos sanationis actus, solche Artzneywerck kleine Hexerey. Itaque sive Dæmoni ipsi fracto animô immediatè supplices, & ad benedicendum invites, sive civilitate magicâ mediatè per ejus ministros auxilium Diabolicum in benedictionis actu implores, in foro & judicio Dei perinde est. Patrocinium quidem per sancta Trinitatis nomina, & Sacræ S. Scripturæ verba benedictioni quærunt, sed frustra. 1. Frustra est, qui ebrietatem per vini, quòd Dei creatura sit,

bonitatem excusare laborat: sic ista benedictionis anilis per verborum sanctitatem excusatio frustranea est. 2. Hoc ipso sesamo & papavere Dæmon edulia sua exitiale animæ venenum foventia conspergit, ut faciliùs incautos invitet, & graviùs invitatos lædat, advertente D. Augustino. *Tract. 7. in Johann. Usq; adeò*, inquit, *Fratres mei! ut illi ipsi, qui seducunt per ligaturas, per præcantiones, per machinamenta inimici, misceant præcantionibus suis nomen Christi, quia jam non possint seducere Christianos; ut dent venenum, addunt mellis aliquantum, ut per id, quod dulce est, lateat, quod amarum est, & bibatur ad perniciem.* Perniciem parit nominum divinorum & sacrorum verborum non in actione honestâ usus, sed in superstitiosa, qualis est illa benedictio, abusus: vel cum magna nominibus ipsis virtus inesse creditur, & per eadem effectus superstitiosè quæritur. Sic nomine JESU, quem Paulus prædicarat, Filii illi Scævæ Judæi Principis Sacerdotum quidem utebantur, sed quia ipsi nomini virtutem expellendi Dæmones tribuebant, usus in abusum transiit. Quare spiritus in obsesso malus, postquam dixisset: *JESUM novi & Paulum scio: vos autem qui estis?* contra eos invaluit, ita ut nudi & vulnerati effugerent. Non sunt nomina & verba sacra eo fine data, ut per ea ex placito rebus novas vires conciliemus, easdemque immutemus. *Graviùs delinquunt, qui sacris potiùs quàm profanis verbis hæc superstitiosè aggrediuntur, quippe cùm illa nobis à Deo data sint, ut ad veri Numinis verum cultum nos perducant, non ut ad Diaboli obsequium ipsis abutantur*, inquit Balth. Bonifacius *lib. 14. Hist. Lud. cap. 9.* D. Chrysostomus *Homil. 25.* gravissimâ oratione invehitur in Antiochenos, quòd in istorum civitate talia mulier quædam perpetraret. *Christiana*, inquit, *est mulier, quæ hæc incantat, & nihil aliud quàm Dei nomen loquitur. Quare eam magis odi, quòd Dei nomine usa est; quòd cùm dicat, se esse Christianam, ea, quæ sunt gentilium ostentet.* Magorum scripta eo abusu esse infamia Origenes quoque contra Celsum notavit hisce, inquiens: Εὑρίσκεται ἐν τοῖς μαγικοῖς συγγράμμασιν πολλαχοῦ ἡ τοιαύτη τοῦ θεοῦ ἐπίκλησις, καὶ παράληψις τοῦ θεοῦ ὀνόματος ὡς οἰκείου τοῖς ἀνδράσιν τούτοις (Abrah. Isaac. Jacob.) εἰς τὰ κατὰ τῶν δαιμόνων. Item: Πολλοὶ τῶν ἐπαδόντων δαίμονας χρῶνται ἐν τοῖς λόγοις αὐτῶν, τῷ Ο ΘΕΟΣ ΑΒΡΑΑΜ &c. Scripturæ usum nervosè Apostolus *2. Tim. 3. v. 16.* tradit, istius autem nullam facit mentionem. *Omnis scriptura divinitùs inspirata est utilis ad doctrinam, ad redarguitionem, ad correctionem, ad in-*

stitutio-

ſtitutionem, quæ eſt in juſtitiâ. Itaque non ineptè illa Eccleſiæ verba hûc trahere poſſumus: Ach GOtt der theure Name dein/muß ihrer Schalckheit Deckel ſeyn.

§. 3. *Fruſtranea.* Vox quidem hæc communis eſt, ſed inepta plurium, qui ex apparente illa benedictione auxilium aliquando ſenſerunt: Es hilfft doch gleichwol. Es hat gleichwol dem und dem gut gethan. Peſſima vox, Chriſtiano indigna! Hanc autem nugacitatem plurimos amabili afflare inſaniâ dolemus. 1. Ergone auxilium, ubicunque detur, promiſcuè nullâ habitâ ratione & autoris & modi, ſive bonus ſive malus hic & ille ſit, quærere licet? Filii certè hujus ſeculi prudentiores ſunt his, qui filii lucis audire volunt, in natione ſuâ, cùm illi auxiliorum qualitatem accuratè prius explorent, quàm eadem accipiant: iſti autem in re cum æterno animæ exitio conjunctâ examen omne negligunt. 2. Fruſtraneas eſſe, in ſe puta, ratio probat. Verborum enim vis nulla cùm ſit, quod ad ravim usque probavimus, nulla etiam eorundem erit in faſcino amoliendo virtus. *Vulgare* cùm non detur, fruſtra cum non ente verborum ope pugnamus. *Naturale* naturalem poſcit facultatem, qua verba deſtituuntur. *Magicum* durioris eſt cervicis, quàm ut per naturalia remedia, nedum per verba ſuâ naturâ impotentia ſubjugari queat.

§. 4. Dixi *in ſe.* Agentis enim alterius, nimirum ſupernaturalis concurrentis ope non tantum Benedictionem, ſed & ineptam quamcunque actionem ſequi poſſe effectum, quis negabit? Neque ſemper benedictionis actum effectus excipit, vel quia Deus non permittit, vel quia fidem magicam benedicendus non habet: vel quia in eo contemtus ſuperſtitioſæ actionis magnus, qui ſpiritui ſuperbo eſt infenſus, viget: ut proinde remedium hoc ſæpè ſit fallax, aliquando palliativum, nonnunquam ſuſpenſivum, & majori atrocitate vel idem, vel novum malum denuo ſuccreſcat. Juvenem quendam robuſtum, qui per ſedulam artis fabrilis tractationem hernioſus evaſerat, me, non conſilii, ſed teſtimonii poſt inſpectionem ocularem conferendi gratiâ, ut pigritiei accuſationem (ob affectûs enim gravitatem mollius vitæ genus elegerat) dilueret, acceſſiſſe recordor. Quærenti mihi, cur cognati ſui Chirurgi feliciſſimi conſilium & auxilium non imploraſſet, reſpondit: Der Schaden iſt ſo offt geſegnt/ daß nunmehr nichts helffen will. Fru-

ſtranei ergo fuerunt omnes illi benedictionum actus in hernioſi hujus gratiam facti. Plura ſine dubio fallacis curæ dantur exempla, quæ tamen vel pudor, vel metus ſilentii ſipario tegere malè conſcios jubet. Notatu dignam recitat Saubertus locô ſæpius allegatô hiſtoriam mali per benedictionem quidem ſublati, ſed quod brevi poſt exceperunt graviora. **Vor etlichen Jahren iſt eine vom Adel in groſſe Schwermut gerahten/ darum daß ſie zu ihren Kindern hat eine alte Vettel kommen/ und den Segen über dieſelben ſprechen laſſen/ mit Vertröſtung/ es würde die Kranckheit gewiß nachlaſſen. Iſt zwar geſchehen/ aber bald darauf ſind die Kinder dermaſſen mit unerhörten Schmertzen überfallen worden/ daß ſie nacheinander geſtorben. Die Mutter iſt darüber in ſchreckliche Melancholey gerahten/ wie dann ich Unwürdiger/ da ſie hieher nach Nürnberg ſich führen laſſen/ Amts halber hiezu erfordert worden/ daß ich ſie tröſten ſolte/ und war ein groſſes Wehklagen bey dieſer Mutter zu ſpüren/ maſſen es noch vornehme Leut/ die im Leben ſind/ Zeugniß geben können. Ach ja/ unangeſehen ſie zwar geſagt/ es wäre alles aus mütterlicher Lieb geſchehen/ ſchloß ſie doch endlich mit dieſen Worten/ welche** Chryſoſtomus *Hom. 8.* **über das 3. Cap.** ad Coloſſ. **geſchrieben: Ein glaubiger Menſch ſihet lieber/ daß ſein Kind ſtirbt/ als daß ers mit aberglaubigen Mitteln curiren und heilen läſt.** Adeò verum eſt illud Sophoclis *in Ajace:*

Ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα κοὐκ ὀνήσιμα.

Hoſtium dona, non dona ſunt, & non utilia.

Tragicum quoque benedictionis, quæ conjurationis nomine indicatur, eventum ex hoc exemplô legimus, quod habet Matthias Glandorp *de Paronych. Obſ. 5.* Ruſticus obesô cacôchymicôque corpore, cum paronychiâ (**Wurm an Finger/ das Ungenandte**) in medii digiti apice afficeretur, exorciſtam adiit: Hic conjurare incipit, chartamque, cui ſequentia inſcripta erant, vinculo firmiter circumligat. ✠ UT ✠ CREDIS ✠ ITA ✠ TIBI ✠ EVENIAT. Ac trium dierum ſpatio, ne disligaret, præcipit, vermemque tum ſub chartâ conſpicuum futurum aſſerit. Ruſticus quamvis maximis obruitur interea doloribus, vigiliis continuis, inquietudinibusque, non tamen ſchedulam aufert, verùm ea, qua poteſt animi conſtantiâ perfert: tertiâ die faſciis ſepoſitis, apex digiti nigricans omni privatus ſenſu conſpicitur, nec non digitus ex totô inflammatus cum dolore ad axillas usque protenſo, ad vicinam

vicinam tandem confugit civitatem, chirurgumque consulit, qui gangrænam advertens inflammationemque insignem, appropriatissima quidem, sed frustra adhibet remedia; circa vesperam totam manum gangræna invaserat, quæ alterius diei manè, ad cubitum usque extendebatur; quarta die sub noctem supervenientibus convulsionibus exstinguitur. Tale scilicet præmium referunt, qui Archiatrum cœlestem & quos in mundo constituit, Medicos veros prætereuntes, per stygia sacramenta infernalem Medicastrum quærunt. Ita Rex Ochozias lecto affixus illicita primùm apud Beelzebub oraculum longo usu pridem celebre, ad quod consultum nuncios miserat, Deum & naturam negligendo, quærens remedia, licet verum Israelis Numen deinceps per Prophetam Eliam rogare voluerit, hoc tamen ob prævaricationem audire cogebatur Dei verbum: *Quia misisti nuncios ad consulendum Beelzebub, Deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, à quo posses interrogare sermonem, ideò de lectulô, super quem adscendisti, non descendes, sed morte morieris 2. Reg. 1. Adeò certum est* (Speidelii ore jam loquar) *quod superstitiosæ curationes amissarum virium cæteris sint perniciosiores & magis odiosæ, quoniam multa mala ex iis proveniunt, & diversæ infirmitates procreantur. Et qui hac specie maleficâ*, inquit Kirchov. *Tom. 2. Consil. German. 12. Num. 7. polluti sunt, sæpe pereunt, aliquando tamen non tam citò mors provenit, sed post longas luctuosas querelas & lachrymabiles fletus corpus paulatim conteritur, virtus debilitatur, & tandem perit.* Itaque Concilium Turonense sub Carolo M. habitum canon. 2. & 40. annotante Nicolao Henelio ab Hennefeld *Otii Uratislav. p. 252.* severè jubet Sacerdotes fideles, ut *admoneant populos, ut noverint, magicas artes incantationesq; quibus libet infirmitatibus hominum nihil posse remedii conferre, non animabus, languentibus, claudicantibusve, vel etiam moribundis quidquam mederi, non ligaturas ossium vel herbarum cuiquam mortalium adhibitas prodesse; sed hæc esse laqueos & insidias antiqui hostis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur.*

§. 5. Sed si vel maximè speratus benedictionem effectus apparenter aut verè sequatur, non eum verba benedictoria causarunt, sed Deus in majorem superstitionis pœnam Diabolo occultè effectum producere permisit. *Pro eo, quod dilectionem veritatis non receperunt, in*

hoc,

hoc, ut salvi fierent, propterea mittit illis Deus efficaciam illusionis, ut credant mendacio, & judicentur omnes, qui non crediderunt veritati 2. *Thess.* 2. *v.* 10.

§. 6. 4. Benedictiones istas reipsa maledictiones esse ultrò constat. Dum enim instinctu Cacodæmonis corpori benedicitur, animæ maledicitur, quia Magiæ & superstitionis, adeòque læsæ Majestatis divinæ crimine, quod gravissimam & justissimam Dei iram provocat, polluitur. Quò verò anima corpore est nobilior, eo gravius est animæ malum malô corporis, quod per benedictionem auferri creditur. At verò tanta animæ est nobilitas, ut λόγος τῆς ὀυσίας, *ratio essentiæ*, εἶδος *species*, & ἐντελέχεια *perfectio* vocetur: tanta verò materiæ ignobilitas, ut turpe & imperfectum Physicis dicatur. Theologi illam divinæ auræ particulam, hoc verò lutum appellant. Itaque etiam longè graviùs anima, quando propter illicitæ benedictionis punitur crimen, afficitur. Imò quando anima in alterâ vitâ patitur, non ea sola, sed & compars corpus nimirum passionibus & quidem longè gravioribus subjicitur. Nam malum in hoc seculo corpori à Deo in tempore gratiæ inflictum temporarium est, at malum propter affectûs temporalis ablationem per media illicita factam à Deo irato immissum, æternum. Quantò verò longiùs æternitas tempus superat, tantò magis æternus corporis dolor temporarium ejusdem malum. En egregiam benedictionem! quæ cùm iniqua malorum longè majorum sit genitrix, quis maledictionem istam appellare renuet? Huic accommodari potest illa veterum cantilena: Lieber S. Merten/ sie stehlen dir ein Pferd/ und geben dir eines Hellers Werth. Proinde uti execratio seu maledictio Plutarcho *Quæst. Rom.* 44. ita benectio ista nobis tristis res est & mali ominis, gravior Laconum execratione, quæ hujusmodi fuit: *Ædificiorum fabricatio te occupet & procrastinatio, & equus quem alas, & uxor tua adulterum habeat*, referente Suida in οἰκοδομῇ.

§. 7. Singulatim jam benedictiones enumeratas, quia earum pretium dicta in genere satis indicarunt, non examinibus. Hoc tamen ad tertiam (*primæ* & *secundæ* ineptias in præcedentibus discussimus) insuper notamus 1. blasphemiam esse, quia βλάπτει τὴν φημὴν (inde blasphemia dicitur) pretiosi sanguinis JESU CHRISTI, eique id tribuit, quod ei non convenit, & ἄχαφον est. Christum sanguinem suum largissimè fudisse,

fudisse, ut morbos etiam corporis tollerent, sacra non docent: animam autem eodem mundari, eumque unicum pro peccatis nostris λύτρον & ἀντίλυτρον ἰσόῤῥοπον esse Spiritûs S. Amanuensibus piè credimus, si verò ullam etiam corporis malo salutarem in eo novissent virtutem, non eam fuisse omissuros statuimus. 2. malo corporis remedium physicâ actione pollens, adeòque præsens est applicandum: Sanguini autem Christi moralis actio competit, eique in arâ crucis effuso meritoriè peccatorum remissio, licet physicè absens sit, semper tribuitur. Si verò propter verba ipsa sanguinis sanctissimi mentionem facientia benedictionem vires possidere dixerit, in errorem hactenus operosè discussum recidit. Non tangam ἀσύςατα, inepta & futilia ibi contineri.

§. 8. *Quartam* & *Quintam* formulam Felix Malleolus Canonicus Anno 1454. Tigurinus, ac præter has similis farinæ multas approbavit, qualis est & illa, quàm à rustico quodam accepit, serpentum, bufonum, lacertarum & insectorum aliorum conjuratio *p. 417.* **Ich beschwere euch Würme bey dem Allmächtigen GOtt / daß euch diese Stadt als Unmähr sey / als Unmähr GOtt ist der Mann / der ein falsch Urtheil spricht / und ein rechtes kan / im Namen ꝛc.** Eadem hæc verba mutatis mutandis contra animalia alia, lumbricos & vermes, equi & mulæ viscera corrodentes eos conferre subjungit.

§. 9. Verùm enim verò infelix fuit hic Felix Malleolus in obterendis & prosternendis superstitiosarum benedictionum & execrationum ineptiis, & ineptus Canonis sacri interpres, Canonici nomine indignus, propterea, ut supra ex Delrio vidimus, Ecclesia Romana ejus nomen inter primæ classis prohibitos scriptores, quorum scripta sunt vetita, retulit. In confirmandâ suâ sententia operosus quidem est Malleolus, operam tamen omnem, quia ingenii & judicii viribus destitutus ictus fortes urgere nescit, perdit. Perditionem operæ apud Delrium *loc. cit.* ubi rationes ejus examinat & refutat, Lector invenit. Præcipuum, quo Malleolus & cum eo Magorum plebecula innititur, est illud Apostoli *Coloss. 3. v. 17.* *Omnia quæcunque facitis, in nomine Domini nostri JESU CHRISTI facite.* Subjungit Malleolus: *Et ille, qui dicit omnia, nullum casum vel actum (saltem bonum) excipit, & sic in sanandis hominibus vel pecoribus nullam distinctionem interposuit.* Annon callidus impostor ille Satanas sub rationibus istiusmodi rideat in sinu,

ac miseros mortales superstitioni implicitos, per easdem minus rectè perpensas implicari magis ac in superstitionis immergi abyssum gaudeat? ut loqui cum Cl. Deusingio *Exam. Pulv. Sympath. p.607.* liceat. Rideat meritò, ficulneâ ista ratione multorum animos devinciri & decipi. Ficulnea est ratio, quia benedictionis actus bonos esse, κρινόμενον est. Finis quidem bonus est, sed medium ad finem ducens, quod est actus curationis superstitiosus, abusu nominis divini contaminatus, malum. *Non* autem *sunt facienda mala, ut eveniant bona, Rom. 2.* Itaque Felix hic infelix alterutrum horum statuere cogitur, aut omnia, quæ in nomine Christi fiunt, esse licita: aut saltem ea, quæ licita sunt, facienda esse in nomine Jesu. Si prius asserit, patrocinum præbet anilibus benedictionibus & actionibus multis magicis, nullusque erit in istis verborum abusus, quod dictu durum & impium. Si posterius, dictum probationis onus in se suscipere atque inter licita benedictiones istas venire probare tenetur. Sed prius sub onere succumbet, quàm id solidè confirmabit. In nomine Jesu aliquid facere, est ad mandatum ejus facere. Nullum verò mandatum de curandis corporis morbis per nomina & verba sacra in sacris exaratum habetur.

§. 10. Præterea blasphemam illam formulam *quartam*, **ob das sey/ꝛc.** quæ dubitativa est, & conjecturalis, excusat Malleolus, & particulam, *si*, particulæ causali, *quia*, æquivalere ait. Quemadmodum in illo: *Si judicas eos*, cognosce. Item: si in inferno nulla est redemptio, ô! quàm terribilis est illius recordatio. Sed respondetur, licet in idiomate Latino illa æquivalentia locum obtineat, non tamen in Germanico, quo fuit pronunciata, similem particulæ causali, **dieweil** / potestatem tuetur, sed semper vel dubitationem, vel concessionem, attamen cum addito: **ob wol / ob schon / ob gleich** / quod minuendi rationem habet, significat. At vocem illam rustici benedictio absolutè ponit. Et si vel maximè omnis dubitatio exulet, superstitiosa tamen manet formula per ea, quæ hactenus sunt tradita.

§. 11. Idem & hoc urget, licet rationes hujusmodi curationum non possint assignari, experimentum tamen curationis & dolorum sublationis pro causa patenter posse assignari, seque vidisse in hominibus & bestiis tales adjurationes per prosas aut dictamina certorum verborum

rum prolata profecisse. Adducit etiam Rhasis Almansoris autoritatem & quædam è foro Medico exempla, quorum effectus patet, causa latet. Verùm 1. nugatorius est discursus. Probaturus causam curationis, quæ ignoratur, sufficientem esse dicit experimentum ipsum. In quæstione enim manet, quamnam curationis effectus, cujus certitudo per experientiam constat, habeat causam? Experientia quidem per effectum præsentem vera cognoscitur: effectûs autem veritas de se non demonstrat causæ & actionis bonitatem, cùm unius rei plures possint esse causæ tam malæ, quàm bonæ. Igitur in effectus veritate non subsistendum, sed plus ultra tendendum & videndum, ne occulta veteratoris per media illicita actionem perficientis collusio adsit. *Certè* superstitiosum *omninò est, ob certitudinem eventus ineptissimis ejusmodi causis effectum transcribere, qui naturali virtute ab ejusmodi causis non valet produci, ac qui talibus mediis, superstitionem involventibus, utitur, licet ex merâ simplicitate, is meritò censetur* innumeris Diaboli illusionibus se exponere, *atq; implicito Diaboli pacto se miscere*, Deusingius *l. c. p. 597.* 2. Multorum quidem affectuum in Medicina ratio latet, affectum tamen ab ipsa natura proximè manare, adhibito sanæ rationis & sensuum scrutinio patet. Sed à verbis conceptis effectum immediatè & proximè pendere, aut Deum propter verba efficaciter actionem effectu exoptato coronare, minimè patet; non illud per rationem, neque hoc per revelationem 3. non potest ignorari causa, si agentium, quæ sunt DEUS, Intelligentiæ, Natura & Ars, examen instituatur, & Satanæ per superstitiosa, tanquam sua symbola, promtissimè operantis fraudes recolantur.

§. 12. Intentionem tandem, quâ Malleolus & cum eo Vetulæ benedictionibus suis gratiam conciliare intendunt, respiciemus. *Deus*, inquit, *plus respicit intentionem, quàm actus, & intentio regulariter judicat hominem. Hoc autem in proposito est opus bonum, intentio bona & verba sunt veritatis & salutis mysteria.* Verùm intentionem hominem regulariter non judicare, adeòque nec ex intentione bonâ actionis bonitatem æstimandam esse, exemplo Saulis *1. Sam. 15.* patet. Bonâ ille intentione optimos ovium & armentorum greges, quos omnes interficere mandatum à Deo acceperat, pro sacrificio reservarat; Sed

quia sine mandato id fecerat, ingratam esse Deo victimam à Prophetâ Samuele intellexit, & hanc divinæ justitiæ regulam accepit: *Melior est obedientia, quàm victima, & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum.* Ozæ intentio, declinantibus à regia viâ bobus arcam Domini ducentibus, arcam tenere bona fuit, sed quia sine mandato eam attingebat, Dominus eum percussit, *2. Sam. 6.* Arcam enim non nisi solis Sacerdotibus de familia Aaronis licebat attingere. Bona nimirum intentionis, ut bonum sit opus, cynosura mandatum Dei, ejusque verbum esse debet. Neq; enim quod sibi rectum videtur, homo promiscuè facere debet, *Deut. 12. v. 8.* Nullum verò mandatum de curandis per verba veritatis & salutis mysteria corporis morbis, sacra pagina promulgat, ob cujus etiam defectum, intentionis, actionis, & operis bonitas omnis expirat.

§. 13. *Sexta* benedictionis absurditas ex dictis patet. *Septima* formula modum fortunæ ad vendendum gratiam promerendi superstitiosum & impium apertè prodit. Nam in herba ista & verbis major, quàm in Deo per preces exorando fiducia ponitur, voluntati divinæ, in qua quemque acquiescere decet, propria non sine locupletissimo impatientiæ indiciô præfertur, certa definiti temporis conditio præscribitur, sanctissimumque Dei nomem frigido ore sine devotionis ardore cum detestando abusu, eum in finem, quem scriptura nescit, præfertur. *Haud ignavo imminere fortunam* Livius dixit *Libr. 3. cap. 54.* Mulierculæ istæ ut sibi in nundinis fortuna certò immineat, ad media undecunque, etiam à Satanæ regnô conquirenda gnavæ sunt, immemores illius *Syracid. 2. v. 4.* *Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe & in dolore sustine, & in humilitate patientiam habe.*

Ὅμως δ' ἀνάγκη πημονὰς βροτοῖς φέρειν
Θεῶν διδόντων.

Attamen necesse est mortales calamitates ferre, Diis dantibus, Æschylus Vir paganus *in Persis v. 263.* dixit. Sed mulieres, quæ Christianæ audiunt, immissum, vel permissum à Deo in vendendo infortunium, vel saltem moram quandam ferre recusant, idque per benedictionem superstitiosam, ut avertant, præcavent, eo ipso autem ab animæ infortuniô, malo longè graviori, minimè sibi caventes.

§. 14. Hi

§. 14. His omnibus bene expensis de similibus benedictionum formulis, quarum magnam farraginem aniculæ & superstitionum cultores credulitatis sinu fovent, judicium ferre potest quivis. Latiùs certè piorum opinione venenum illud apparente specie suavissimum in hac mundi senectâ in vulgi pectora serpit, omnesque animæ vires sensim corrumpit, cui expellendo nisi maturè alexipharmaca quærantur, anima morte perit æternâ. Quærant illud proximo, ægrotanti quidem ad curationem: sano autem ad præservationem porrigant utriusque tabulæ custodes vigilantissimi, & legum interpretes prudentissimi. **Solch Artzney ist die kleine Hexerey/ wieder welche abermal die Lehrer auf der Cantzel / und die Obrigkeit im Gericht ernstlichen Fleiß anwenden soll/ damit das Land von Abgötterey gereinigt werde/** monet B. Keslerus *loc. cit.* Nos quoque officio nostro in cathedrâ deesse noluimus, & quia primos nostros de Fascinatione labores multis propter argumenti raritatem acceptos esse sensimus, prolixitati materiæ curiosiùs evolvendæ studere voluimus. Proinde si & hoc nostrum, quod in Dei gloriam, & proximi commodum aperuimus, Pharmacopolium remedia animis perversa anilis benedictionis opinione, & variarum superstitionum aliarum generibus laborantibus salubria subministrat, divinæ hoc ipsum gratiæ, cui omnia nostra referimus accepta, erit adscribendum.

§. 15. Similem, eumque pium & doctum in confutanda superstitiosa & anili benedictione insumsit laborem superiori seculo Ann. 1571. M. Christophorus Vischerus Pastor olim Smalcaldensis, & Comitatus Hennebergici Superintendens in libro cujus inscriptio: **Einfältiger/ und in der Heiligen Göttlichen Schrifft wolgegründter Bericht wider den abergläubischen Alt-Vettelischen Segen / damit man Menschen und Vieh/ wider allerley Seuchen mit greulichem Mißbrauch Göttliches Worts zu helffen vermeinet /** in quo viginti rationibus prolixè expositis istam impugnat, quas in compendium coactas, vel potius summariter excerptas huc referemus; suntque sequentes.

I. Nullum ista in verba Dei habet fundamentum.

II. Repugnat primo Decalogi præcepto, quia in securitatem animos præcipitat, fidem in Deum supprimit, in ipsa verò concepta verba dirigit,

dirigit, amorem in Deum verè benedicentem tollit, certos dies eligit, & magica symbola usurpat.

III. Secundo Decalogi præcepto: nam divini nominis & verbi fit abusus.

IV. Tertio ejusdem præcepto adversatur, internum animæ Sabbathum turbando, ne à sua voluntate pessimâ homo ferietur, ejusque cor Deo devotum fiat & vacuum, quo operari in eo Deus queat.

V. Quinto præcepto; cùm per benedictionem homo animam gravissimè lædat, & tandem æternæ internecioni tradat: corpus etiam in hac vita, fretus benedictis amuletis, præsentissimo sæpius mortis periculo exponat.

VI. Præcepto octavo; nam testimonium de Patre mendacii, qui corpus & animam ut perdat, quærit, per benedictionem perhibet falsum, ac si in necessitatibus homini ex animo succurrere velit & debeat; præterea morbos tanquam supposita, & personas, aliaque falsa plura benedictio introducit.

VII. Tribus fidei Christianæ articulis contrariatur. Nam (1.) à Creatore bonorum omnium datore & verô auxiliatore, in necessitatis casu per benedictionem, in qua salutis spem afflictus reponere jubetur, animus avertitur, ita ut in alio salutem quærat, & Patris cœlestis omnipotentiâ & providentiâ facto ipso se excludat; ad placitum suum voluntatem divinam cogit, & creaturas, nobiliores iis, quàm Deus indidit, vires affingendo, reformat. (2.) Diabolo, quem Christus debellavit, potestas & virtus sanandi, conservandi, & à morbis protegendi magna, non sine gravi meriti Christi injuriâ, tribuitur. (3.) Spiritus S. qui ad salutem nos regeneravit & sanctificavit, deseritur, & spiritûs infernalis solamen, consilium & auxilium in animæ perniciem quæritur.

VIII. Orationem Dominicam, & quidem primam ejus petitionem impugnat, in qua nomen Dei sanctificari petunt Christiani. Sed hoc pseudobenedictio profanat, & qui sic profanant, Christianorum omnium preces sibi adversas, & execrationes eorundem obvias habent. Profanatur idem, cum benedictionem realem soli Deo competentem sibi benedicentes vendicant, Deique gloriæ sic detrahunt.

IX. Tertiam orationis Dominicæ petitionem; siquidem divinæ

ejus

ejus voluntati propria hominis prætertur, & qui patienter crucis jugum ferre debebat, per superstitiosi remedii usum impatienter illud excutit.

X. Quartam petitionem; quia, quæ ad vitæ sustentationem sunt necessaria, non à Deo verè benedicente, sed ab homine falsario petuntur.

XI. Septimam petitionem; cùm liberationem à malo temporali non apud Deum, sed Dæmonem mali æterni autorem pessimum afflictus quærat.

XII. Fœdus in regenerationis fonte cum Deo initum per pseudobenedictionem, ut pactum implicitum, infringitur.

XIII. Pseudobenedictio fugit lucem, quod malæ actionis signum. *Omnis* enim, *qui mala agit, odit lucem, nec venit ad lucem, ne arguantur opera ipsius, Joh. 3. v. 20.*

XIV. Pœnitentiam hominis remoratur, animosque in securitate, ne gravissimam Dei iram sentiat, indurat.

XV. Pseudobenedictionis effectus nec à Deo immediatè, neque mediatè per naturalia remedia oritur.

XVI. Christus cum Belial in pari auxiliandi promtitudine & potestate in iis benedictionibus, quæ Dei & Diaboli nomina ferunt, conjungitur.

XVII. Suum anilis benedictio à Judæis & Ethnicis trahit ortum, illis quidem Christum miracula sua per characteres cooperante Dæmone patrasse blasphemè asserentibus; his Ephesias literas admiranda operari impiè statuentibus.

XVIII. Satanas per benedictiones istas verborumque ludibria varia homini illudit, præcipuè malum corporis leve auferendo, & gravius animæ inferendo.

XIX. Deus gravi supplicio eos afficit, qui Deo pro sua salute non supplicarunt.

XX. Veteres Ecclesiæ Doctores & patres pii, Irenæus, Hieronymus, Basilius, Epiphanius & alii benedictionem illam & superstitiosa remedia quæque acerrimè impugnarunt. Vide quoque Freudium *Quæst.* 129. M. Bernh. Albrecht *de Magia cap. 3. pag. 39.*

CAPUT

CAPUT VII.

De remediis nostratium præservativis: quo sensu formula, ut Deus te custodiat, admitti queat: reliqua omnia exsibilantur. Festivo Calcagnini Apologo vanitates omnes excipiuntur. Ratione, cur prolixa sit libri primi tractatio, & dicto quodam Platonico idem hic liber clauditur.

§. 1. CUrationi denique Præservationem ordinis nostri memores subjicimus. Quæ Veterum fuerint præservativa, suprà *cap. 3.* vidimus: Nostratium jam quærimus. Sed & vulgum nostrum frustra in conquirendis remediis præservatoriis laborem hunc insumere, ex dictis patet abundè. Ut enim non-entis non est curatio, ita nec præservatio ei competere potest. Quid verò sentiendum de illa in vulgi ore frequentissimâ formulâ: Daß dich GOtt behüte! GOtt behüt es? ℞. Si devotio & pio ore pro infantis salute profertur, curtæ orationis vim ea habet, quâ Dei omnipotentis protectioni, infantem, quem videmus, commendamus & rogamus, ut omnem malorum impetum reprimat, salvumque & incolumem nunquam non istum servet. Uti cum aliquem sternutantem audimus, antiqua & brevi formulâ: *Ζεῦ σῶσον, Deus te adjuvet*, GOtt helff/ salutem precamur. Si verò verbis ipsis virtus quædam reprimendi fascinum & malorum injurias quascunque physica tribuitur, superstitiosum hoc est, & nominis divini fit abusus: id quod etiam fit, si frigido ore & corde etiam ad obvia quæque utensilia pronunciatur. Sic enim Dei nomen non in vanum sumi, vanus sit, qui asserat. Futilia quoque & superstitiosa sunt omnia illa, quæ ad præservationem commendantur media illa arte facta & reliqua usu recepta, risu & sibilô magis explodenda, quàm verborum eloquio confutanda. Coralliis sacro regenerationis fonte in actu baptismali rigatis virtutem fascinum repellendi physicam tribuere superstitiosum est, idque detestandum aquæ illius abusum fovet, quem sacri legum custodes prohibent. Æadituo etiam, qui aquam peractô baptismo alii concesserit ad usus superstitiosos, imponitur pœna vel relegationis, sive temporalis sive perpetuæ, quæ interdum pœnam corporis afflictivam, vel fustigationis vel amputationis manus annexam habet: vel incarcerationis, aut denique mulctæ

mulctæ pecuniariæ, Bened. Carpzovius *Part. 2. Decis. Illustr. Saxon. 185. num. 15.*

§. 2. Vanitates enumeratas omnes jam festivô Cœl. Calcagnini *Libell. de Amatoria Magiâ* Apologo, quem è Majolo *Colloq. 3. pag. 169.* adscribere non piget, excipiemus: *Vanitas*, inquit, *olim juncta miraculo, furtivo concubitu genuit Magiam secundam cognomine, reformidansq́, ne forte veritas, cum qua perpetuas inimicitias gerit, à qua etiam paribus signis congressa, sæpius profligata est, suum partum enecaret, illum impudentiæ ac timori junctis connubiali fœdere commendavit: at illi in sinu incomprehensibilitatis è vestigio collocarunt, mandaruntq́ furtim, sub præstigiarum crepundiis educandam. Quæ mox in grandiorem ætatem adulta, jamq́ pinnulis præmunita evolavit in fatuorum arces, ibiq́ nidulans credulitatem peperit. Quæ, utpote parentis beneficiis grata, illam mutuo enutrit, & quasi* ἀντιπελαργίζει, *alioqui brevi interituram.*

§. 3. Sic tandem per varios errorum impetus & graves insultus longis anfractibus, quia τὸ ψεῦδος μυρίας ἐκτροπὰς ἔχει, *falsum innumerabilia diverticula habet*, ut ait Cl. Alexandrinus *lib. 1. Strom.* non sine labore & dolore ad portum provehimur, experti, verissimum esse illud Platonis *lib. 2. de LL.* quo primum hanc de Fascinatione vulgari Librum finimus: Λοιδορεῖν πράγματα ἀνίατα καὶ πόῤῥω προβεβηκότα ἁμαρτίας οὐδαμῶς ἡδὺ, ἀναγκαῖον δ' ἐνίοτε ἐστίν. *Vituperare rem insanabilem & errore longè provectam, nullo modo jucundum, interdum verò necessarium est.*

LIBER II.

De FASCINATIONE NATURALI Seu PHILOSOPHICA.

CAPUT I.

Fascinatio hæc cur Philosophica dicatur & naturalis? Quidam vulgarem cum naturali malè confundunt. Quomodo communiter definiatur. Fascinatio hæc impropriè ita dicitur, propriè autem contagium est.

§. I. Sententiarum monstra, quæ è phantasiæ errantis uterô egressa vulgus incredulitatis sinu nutrit, mittimus, suavem, quem naturâ editum in sinu suo Philosophia fovet, fœtum ulnis nostris jam suscepturi & osculaturi. *Nam natura parens & author omnium miras excitat voluptates hominibus, qui intelligunt causas, atque ingenuè philosophantur*, ait Philosophus *Libr. de Part. Animal. cap. 5.* A vulgari nimirum Fascinatione ad philosophicam progredimur. *Philosophica* dicitur, quia ejus contemplatio ad Philosophiam naturalem spectat. Vulgaris quidem etiam ad Philosophiam spectat, sed indirectè, quatenus apparentes ejus rationes & probandi media è foro philosophico petita per principia philosophica confu-

confutantur. *Naturalis* dicitur, non tam ratione *objecti*, quod res naturalis est; neque enim in ea, quæ extra naturæ pomœria degunt, fascinans naturale agere potest, quàm *subjecti* & *principii*, quod res itidem naturalis est. Radiorum emissione si fieret visio, & verbis naturalis inesset virtus, atq; ita utroque modo fascinatio foret possibilis, vulgaris sic dicta Fascinatio ad naturalem seu Philosophicam spectaret. Sed cùm utramque hypothesin natura respuat, extra Philosophiæ sobriæ pomœria inter vulgi deliramenta Fascinatio vulgaris seclusa manet.

§. 2. Fascinationem naturalem dari multorum autoritate confirmat Zacutus *Medic. Princip. Hist. lib. 3. Quæst. 31.* eamque postea definit, quòd sit perniciosa quædam qualitas intensâ imaginatione visu propter odium vel amorem inflicta. Verùm Zacutus, & qui eum sequuntur, duplicem saltem constituunt Fascinationem naturalem & magicam, & naturalem vulgari immiscent, id quod etiam Langium *lib. 1. Epist. 36.* in definitione Fascini fecisse videmus, sed malè. Ex oculis enim radios & ex ore verba reali efficaciâ pollentia non manare, nos *lib. 1.* dedimus evictum. Sumtâ hoc sensu voce Fascinum si Gutierrius, qui *Dub. 4. pag. 55.* non modò rem, sed & nomen Fascinum ab omnium mente deturbare contendit, ita semper fuit execratus, ut vix (sic loquitur *pag. 41.*) aliud superstitionis genus apud vulgus invenerit, quod sic stomachum subvertat, aures conquasset, vel maniam inducat, nos adstipulantes habet. Verùm cum de Fascino, in quocunque etiam sensu sumatur, dictum suum velit intellectum, altius hoc ipsum erit recolendum.

§. 3. Martino Delrio *lib. 3. D. M Part. 1. Quæst 3.* & Roderico à Castro *Medic. Politic. lib. 4. cap. 1.* Fascinatio philosophica seu physica est contagio seu infectio. Sennerto *lib. 6. Princ. Med. Part. 9. cap. 1.* est vaporis virulenti à corpore noxiô naturâ ab aliis dissidente occulta ἀπόῤῥοια: omnes tamen Fascinationem hanc dici impropriè, Gutierrius impropriissimè, ita ut omnem proprietatem excludat; propriè verò contagionem esse, sentiunt rectissimè. Duo hîc occurrunt probanda: 1. Fascinationem hanc impropriè ita dici. 2. Eam propriè contagium esse.

§. 4. Quoad *prius*, Fascinum suam apud veteres Philosophos nativam significationem debet læsioni visu vel laudatione factæ profectæ

 à ma-

à maligna quadam animi affectione ejus, qui intuetur vel loquitur. Sed cum hanc natura nesciat, quomodo ei, quod non est, aliquid assimilari potest? Sanè inter ens & non ens, est distantia infinita, convenientia nulla. Ex quo colligimus, ob analogiæ defectum vocem istam non tam impropriè, quàm abusivè sumi, qui abusus periculosissimus. Periculum præclarè ibi ostendit Delrio: *Sicut de fati voce dici solet, nomen esse suspectum, etiamsi quis mentem habeat non malam: sic etiam de Fascinationis voce libenter usurpem; sine addito seu explicatione illam non esse probandam, quia periculum est, ne quis aliter accipiat, quàm tu protuleris: cessat periculum, si sic loquaris, ut metaphoricè, non propriè te locutum ex contextu, seu orationis serie, facilè deprehendatur, quod in SS. & Patrum locis factum. In hac verò quæstione cum agimus, an detur Fascinatio, confestim omnes sic nomen accipiunt, & merito, ut vulgo consuevit.* Germanis tamen hoc periculum non est pertimescendum, cùm vocem, quæ fascino à visu profecto respondeat, non habeant, quantumvis hunc sensum, quem docti quidam hac in re indocti plebeis exponunt, & ineptam de radiis è visûs organo jaculatis opinionem imprimunt, nonnulli foveant. Quæ autem voce fit Fascinatio, vocibus Beschreyen / Beruffen / eam exprimunt, quæ alienam significationem respuunt.

§. 5. Quoad *posterius:* Cui definitio competit, eidem etiam definitum jure tribuitur. Sed Fascinationi huic, quæ naturalis dicitur, competit definitio contagii. Contagium enim est inquinamentum è corpore ægro emissum, quod in analogo animalis corpore receptum similem in eo morbum producere valet, Sennertus *lib. 6. Part. 3. cap. 3.* Inquinamentum illud est νοσερὰ ἀπόκρισις, ἀπόῤῥοια, estque vapor, vel spiritus impurus & inquinatus, vel humor, vel sordes, vel excrementum quoddam aliud abolitâ & nobis incognitâ qualitate præditum. Hoc ex variis corporis partibus etiam ex oculo, non ut visûs instrumento, sed corporis parte, ex ore & totius corporis ambitu alteri communicari potest, quod similem specie effectum producit, qui contagiosi morbi, non fascini, nomen meretur. Neque enim, qui scabie vel peste ab alio inficitur, fascinô, sed contagiosô morbô laborare dicitur.

CAPUT

CAPUT II.

An aliâ ratione detur Fascinatio naturalis, inquiritur. Negant hoc nonnulli Galeni autoritate freti, & quia in eadem specie humanâ antipathia non occurrit. Huic autem experientia reclamat, atque exempla in contrarium adducuntur. Ad Galeni locum respondetur. Antipathia similitudinem inter ejusdem speciei individua non tollit: subjectum suum non denominat morbosum: neque effluviorum in actione antipatheticâ exspiratio contagium infert: requisita contagii. Codroncho & Biermanno dubia moventibus satisfit.

§. I. SEd annon aliâ ratione fascinatrix detur in homine qualitas citra contagiosi affectus notam, inquirendum? Negant nonnulli Galeni autoritate *Libr. de Inæq. Intemp. cap. 6.* moti, ubi ait: *At non homo hominem morsu interimit, neque vipera viperam, neque aspis aspidem; siquidem quod simile est, id congruum amicumque est, quod contrarium est inimicum ac noxium: augetur enim quidque ac nutritur à similibus, perimitur ac corrumpitur à contrariis.* Ad quæ verba Gutierrius *Dub. 4. num. 37.* hæc confert: *Repugnat ergò omni naturæ venenum, quod inficere simile in specie valeat. Repugnat ergò & potiori jure homini venenum naturale, alteri homini perniciës; repugnat ergò fascinum inter homines.* Et postquam hominis prærogativam ac excellentiam præ cæteris corporibus naturalibus commendavit, subjungit: *Cur ergò credas? ipsi nativum adesse posse venenum aliorum hominum respectu, si imperfectissima adhuc animantia hoc gaudent privilegio, ut in nullum aliud ejusdem speciei proprium habeant virus, quia quod simile est, id congruum amicumque est, quod ipse Galenus insinuarat, lib. 3. Simpl. cap. 6.* Similia *num. 41.* tradit. *Dub. 7. numer. 29.* concedit quidem hominem aliorum viventium aut mixtorum respectu virtutes miras & occultas habere, quibus antipathiâ quadam naturali in illa operetur: at verò naturalem aliquam vim respectu alterius hominis habere posse, omni repugnare ait ordini naturæ, nullumque superesse naturale principium, ex quo illud probari possit, cùm, quod simile est, id teste Galeno congruum sit & amicum. Dubio anteced. num. 9. *inter homines*, inquit, *aut animalia*

unius speciei naturales fateri antipathias multum veræ dissonat Philosophia. Eandem sententiam fovet Delrio *lib. 1. D. M. cap. 3 Quæst. 4.*

§. 2. Verùm enim verò in omnibus ejusdem speciei humanæ individuis occultas vires, quibus antipathiâ quadam naturali pugnent, reperiri, ordini naturæ universalis, sed non particularis in quibusdam, repugnat. In quibusdam autem & certis humanæ speciei individuis reperiri, experientia, quæ sola κριτήριον ἁπάντων ἐστὶ βεβαιότατον, *certissima est omnium judicatrix* Galeno *Libr. de Simpl. Medic. Facult. cap. ult.* παντὸς λόγου κρείττων *omnibus verbis potior* Halicarnasseo *Libr. 3. pag. 148.* Quod autem rei per experientiam cognitæ sit principium, rationis est indagare. Ratio naturæ cedat, non natura rationi. Hæc impossibilitatem quandoque fingit, quam natura unico majestatis suæ radio eludit. Illustre stupendæ antipathiæ innatæ inter patrem & filium exemplum recitat D. Libavius *Part. 2. Singular. Dissert. 4.* ex narratione D. Georgii Mylii Theologi Jenensis fide digni. Cum juberetur recens natum amplecti parens, abhorruit, nec postea tulit ejus præsentiam in eodem conclavi absque lipothymiâ. Jam duodenarius, duodecim aliis similiter vestitus, non admonito patre, cùm satis jam diu in conviviô ministrassent reliqui, ipse quoque, tanquam qui prius etiam mensæ adstitisset, intrat, Sed nondum conspectus à patre, ipseque ignorans, quinam esset inter convivas, intulit ei pristinam affectionem, lipythymiâ cum angore sudoreque invadente. Jussus discedere perpetuô divortiô est separatus. Idem D. Libavius *de Cruent. Cadav. pag. 282.* adventitiæ antipathiæ exemplum recitat memoria dignum de Gallo quodam, qui, cum spes sobolis ex juvenculâ suscipiendæ se patre nulla esset, permisit illi rem incestam cum nobili quodam se conscio, & interim profectionem simulante. Postquam cognitum fuit, uxorem imprægnatam esse, adeò infesto odio prosecutus est juvenem, ut in totô oppidô eum ferre non posset, ad mentionem ejus sævire inciperet, licet nulli amplius de facto constaret, seque authore idem fuisset perpetratum. Joh. Basilius Magnus Moscoviæ Princeps adeò abhorruit à mulieribus, quemadmodum Sigismundus Herbersteinius *Comment. Moscov. cap. 2.* memoriæ prodidit, ut quotiescunque in cœtum fœminarum incideret, aut unam ex eis obviam fieri prospiceret, è vestigio animo linqueretur, & in terram semimortuus prolaberetur, Joh. Adam Weber

ber *loc. cit. Font. 27. Expl. 13.* Petrus Borellus *Cent. 2. Obs. Medico-Phys. 90. & Cent. 3. Obs. 67.* viros se vidisse ait, qui, dum domum ingrederentur, virtutis suæ maleficæ conscii monuerint amicos, teneros pueros, agnos pullosque removerent. Weinrichius *Comm. de Ortu Monstror. cap. 15. Fuit*, inquit, *in nobili familiâ, qui ne adspectum quidem ferre potuit intuentis ipsum vetulæ, ex eoq; casu aliquando è conviviô mortuus elatus est, cum vi ad intuendam pertractus esset.* Erasmus *Colloq. Amicitia*, puerum quendam suæ ætatis, prodigiosæ vanitatis & ex tempore monstrosa quædam confingentem adeò horruit, ut viperam minus, arcano naturæ sensu. *Et sic hodie*, ait, *horreo natura vanos, ut conspectis illis sentiam totum corporis habitum commoveri.* Fracastorius *de Sympath. & Antipath. cap. 18.* scribit: *Quemadmodum inter animalia quædam sunt, quæ reliqua ferè omnia odere & persequuntur, ut serpentum genus, ita & inter homines quidam sunt, qui reliquos odio habeant, ob alienissimam constitutionem humorum & complexionis.* Hominem Vatinianas cum homine sæpè fovere inimicitias illud Martialis *lib. 1. Epigr. 2.* docet:

Non amo te Sabidi: nec possum dicere quare:
Hoc tantum possum dicere: non amo te.

Georg. Agricola *Institut. Chirurg. Tr. 1. p. 16.* idem testatur hisce: **Ein Feldscherer oder Wund-Artzt soll sich auch hüten / daß er nicht einen jeden über die Wunden lasse. Dann es begibt sich offt / daß mancher Mensch gegen den andern eine** Antipathiam **habe / und die Wunden süchtig machen könne / wie ich solches mit vielen beweisen könnte / wenn das Werck nicht zu groß werden wolte.**

§. 3. Itaque homo homini adversam qualitatem fovere potest, quam tamen venenatam, nisi abusivè loqui velimus, appellare nobis sit religio: cùm antipathiæ causa, à qua venenata qualitas oriatur, venenum non sit, neque à Philosophis dicatur: ut propterea suo stet talo illud Galeni: *Non homo hominem morsu interimit, neque vipera viperam, neque aspis aspidem &c.* h. e. non inest per naturam homini venenum, quod hominem numero diversum specie eundem inficere queat, & si inesset, non interimeret eum, sicut nec vipera viperam, aspis aspidem interimit, quia congenitum viperinæ speciei venenum eidem proprium ac propterea amicum, ita ut nulli ejusdem speciei individuo nocere queat.

queat. Antipathia autem speciei humanæ propria non est, sed accidentaria, quibusdam individuis insita (quacunque etiam ex causa, de quo jam non laborabimus, oriatur) quæ similitudinem inter adversa ejusdem speciei non tollit. Manet *similitudo* 1. ratione *essentiæ*, quia definitione eadem gaudent 2. ratione *qualitatum propriarum*, à forma manantium, quia cùm eadem sit in individuis speciei forma, quæ proximè consequuntur formam, non possunt non iisdem æquè convenire. Dissimilitudo autem ex parte materiæ, quæ ex variis temperamentis & qualitatibus diversis occasionem subministrantibus est composita, in individuis oritur. Si autem temperamentum totum v. g. Petri simile sit temperamento Pauli, nulla pertimescenda est repugnantia: ast si temperamentum sit dissimile, & qualitates occultæ, quæ à temperamento non sunt excludendæ, nimis alteri adversæ, inimicitiæ odiique præbet illud fomentum.

§. 4. Non autem antipathia subjectum suum denominat morbosum, neque, si in antipathetică actione datur effluviorum exspiratio, contagium inferendum. *Prius* patet, quia causa antipathiæ suum subjectum, cui inest, non lædit, ut morbus, & hunc actionum læsio sequatur. Feles quos odio nonnulli habent, morbô laborare nemo dicit. Filius ille, quo præsente pater se malè habuit, actiones præsente Patre æquè ac eodem absente, obiit, neque ulla sanitatis læsæ sensit incommoda. *Posterius* ex natura effectus contagiosi constat. Ut enim affectus contagiosus oriatur, tria debent concurrere. 1. Corpus contagiosum, quod aliud inficit. 2. Contagium, quod ex illo emergit. 3. Corpus, quod affectu contagioso fœdatur. Corpus, quod contagionis est scaturigo, affectu, qui in aliud corpus transferri dicitur, laborare debet. At verò in exemplis allatis nec feles, quorum præsentiam quidam ferre nequeunt, morbô laborare, nec filium illum affectu contagioso præditum esse vidimus. *Multa sunt, quæ morbi alicujus causæ sunt, sed nisi & ipsa eo morbo teneantur, contagiosa dici nequeunt*, inquit D. Sebizius *Disp. de Contag.* Si itaque in antipathetică actione corpus in aliud agens contagiosum non est, idem affectu contagiosô fœdare aliud nequit. Effluviorum autem quorundam exspiratio non protinus infert contagium, nisi dicere velimus Abisag à Sunem

nem frigido & senili regis Davidis corpori, communicando effluvia calida, contagium invexisse, quod pace Medicorum nemo dixerit.

§. 5. Codronchus *de Morb. Venef. lib. 2. cap. 4.* homines, qui vel per insensibilem alterationem, vel vaporem aliquem emittendo aliis noxii sint & infesti, reperiri negat: *quia*, inquit, *si homines aliqua naturali facultate id essent adepti, omnibus hominibus datum esset. Sed quam plurimi hominum hac proprietate carent, ut clarè experimur.* Verùm etiam illa quorundam proprietas, quia caseum & alia abhorrent, non omnibus hominibus competit, quæ tamen naturalis sanô sensu rectè dicitur. Sanum sensum ostendit vocis illius acceptio varia. *Naturale* enim sumitur vel *constitutivè*, pro eo, quod ipsi naturæ dat esse vel consecutivè, pro eo, quod essentiam necessario sequitur: vel *subjectivè*, quod naturæ arctissimè est insitum atque infixum, ut certorum ciborum fastidium: vel *perfectivè*, pro eo, quod naturam promovet & perfectiorem reddit: vel *transitivè*, pro eo, quod cum naturâ simul in alios propagatur. *Antipathetica qualitas naturalis dicitur, non constitutivè* vel *consecutivè*: alias omnibus hominibus, quia eandem essentitiam habent, essent communes; sed *subjectivè*, quia inter miscendum per certum qualitatum modum subjecto suo intimè est impressa, qui modus cùm non in omnibus speciei humanæ individuis occurrat, proinde nec omnes homines istam alios lædendi qualitatem obtinent. Neque obstat, quod insuper urget, naturam non intendere singularium ac individuorum destructionem, sed sibi similis conservationem. Nam de naturâ universali & specie totâ hoc est intelligendum, non de particulari & individuis. Istam totius speciei destructionem non intendere, & quæ per individuorum interitum est metuenda, novorum productione præcaveri speciei ruinam, certum est. Particularis autem, licet intendat sui conservationem, interitum tamen ob causarum istum inferentium ratione evitare nequit. Deinde si natura particularis sui destructionem, quæ per continuam calidi insiti deperditionem accoeleratur, præcavere nequit, quî alterius conservationem promoveat? Homo quidem, teste Cicerone, hominum causa generatus, ut ipsi inter se aliis prodesse possint. Verùm hoc de emolumento non naturali, sed morali venit intelligendum.

§. 6. Biermannus *Disp. de Magic. Action. Quæst. 1.* negat fascinatores

natores aliquos nasci. *Quomodo*, inquit, *in humanô genere tanta potest esse contrarietas, ut in eadem specie alter alteri natura instinctu lethaliter adversetur? siquidem nec in brutis animantibus illa malignitas locum habet.* Sed respondetur, brutorum temperamenta non ita, ut hominum variare, quod simplici victu gaudeant, nec affectibus ut homines turbentur, neque phantasia eorum, ut hominum, seducatur. Quæ omnia cùm debitam speciei mixtionem insigniter varient, mirum non est, individuo huic, dum in uterô formatur, adversum alteri posse ingenerari temperamentum. Ecquid opus verbis, ubi rerum testimonia adsunt?

CAPUT III.

Fascinationis hujus ratio ulterius confirmatur, cujus gratia plura enodantur. Magna datur temperiei in eadem specie humanâ varietas: causa varietatis: diversa inde effecta manant: non tantùm nascendis, sed & natis temperamentorum varietas obtingit. An, qui venenum per consuetudinem in suam naturam vertit, & alteri præsentiâ suâ nocet, contagio, an rectiùs fascinô afficere dicatur, inquiritur. Varia in gratiam materiæ præsentis colliguntur §. 4. Effluviorum profluxus datur in antipathia, non tamen in omni. Communicatio effluviorum mutua est, vel non mutua. Natura sui conservatrix. Pororum corporis usus. Transpirationis necessitas. Sueta fascinum ex vulgi mente curandi methodus sententiam nostram confirmat, & historia quædam probat. Antipathetica effluvia magnam alterationem inferre, nemo miretur, cùm & ea, quæ sympatheticè & amicè consentiunt, idem præstent. Hominem etiam bruta fascinare posse, colligitur. De Marsorum & Psyllorum, qui serpentum morsus non reformidarunt, natura.

§. I. EX isto fonte Fascinationis naturalis causam citra contagionis commercium nos jam derivamus. Paulus Zacchias *lib. 7. Tit. 4. Quæst. 4.* non abs re dici posse ait, ipsa animalia rationis expertia inter se ipsa fascinare, & naturam multa contra fascinationem edocuisse ex Æliano, quem supra citavimus, monstrat, ac exempla subjungit eorum,

rum, quæ naturali quodam odio invicem adversantur. Jam si ex antipathiâ diversarum specierum qualitatem fascinatricem derivare integrum est, quidni ex eadem in ejusdem speciei humanæ individuis occurrente fascinationem colligere liceat?

§. 2. Huic negotio feliciùs procurando uberior sequentium explicatio inserviat. 1. Temperamentorum & inde orta antipatheticarum affectionum varietas. 2. Actio ipsa Sympathetica. 3. Naturæ se conservandi studium. 4. Pororum corporis conformatio naturalis ac præternaturalis. 5. Sueta fascinum naturale curandi methodus.

§. 3. I. Magna est temperiei in eadem specie humana varietas, id quod ex morum, actionum & operationum, quæ temperamentum sequuntur, varietate nemini non ubique obviâ colligere licet. Morum variatio sub variô Sole eruditô Barclai *Euphorm. Satyr. Part. 4.* calamo est delineata. Quin & in eadem regione sub sole parum differente notatur, unicô exemplô *ex Archontol. Cosmic. p. 487.* hîc confirmanda: **Man sagt im Italiänischen Sprichwort : Die Venediger sind prächtig/ verschlagen und Räuber fremdes Guts : Die Veroneser fleissig und getreu. Die Paduaner von leichten Sinnen. Die Vicentiner rachgierig. Item von den Weibern zu Venedig sagt man / daß sie stoltz und hochmütig seyn/ gleichwie die zu** Crema **betrieglich. Die zu** Vicenza **beständig/ die zu** Verona **freundlich / die zu** Bressà **fleissig / die zu** Tervis **eifersüchtig / die zu** Bergamo **verschlagen.** Imò *singulis mortalibus præter patriæ suæ indolem adhuc proprium aliquid natura concessit:* (ut Suadâ Barclai *l. c. cap. 10.* uti pergam) *prorsusq; ingenti miraculo, per tot secula, & nomina populorum, unicuiq; hominum sua lineamenta invenit, quæ tam frontis, quàm animi habitum, à reliquorum corporum mentiumq; similitudine distinguerent. Hinc illius mirabilem ludum, tot hominum affectibus animisq; variatum, haud quis faciliùs cogitando assequetur, quàm pictor suis tabulis omnium corporum species atq; formas incluserit.*

§. 4. Varietatis causa in generationis exordiô & progressu reperitur, quia & ipsa prægnantium diæta mirè in tantâ ciborum varietate, quam antiquitas ignoravit, hodie variat: quam ipsam varietatem varia aeris, non corporis tantum superficiem, sed & intima subeuntis mutatio nostris in regionibus egregiè promovet. Maximam autem

in temperie mutationem per affectum gravidis proprium, qui Pica, ab ave coloris & vocis varietate insigni ita dicitur, fœtus suscipit, cujus causam Medicorum filii in humores ob mensium suppressionem in utero collectos, & peculiari & occulto modo corruptos rejiciunt, quorum vapores os ventriculi inficiunt, & malâ qualitate ad absurdos appetitus suscitant. Corruptionis modi in humoribus variis, cum varii itidem sint, temperamentorum varietatem etiam inde oriri posse patet, quia non tantum vapores, sed & humorum corruptorum partes cum sanguine ad fœtum pro nutritione transferendo communicantur. Ipsam insuper temperiem varia prægnantis imaginatio ab objecto quodam exaltata mirum quantum variat, præsertim, quando objectô, quod desideravit mater, vel tardè frui datur, vel omninò negatur. Sic enim non potest non aliqua humorum in substantiam fœtûs transferendorum turbatio, & partium vitiosis humoribus refertarum concussio, quæ novam massæ sanguineæ confusionem inducit, fieri. Astrorum influxus quoque in variando temperamento non excludendus. Nam referente Laurentio Euchstadio *Tom. 2. Ephemerid.* quando fœtûs humanus à matre separatur, & partu excluditur, id est, homo quando nascitur, tunc in puncto nativitatis suæ concipit characterem totius figuræ sensibilis Zodiaci, & harmoniam radiosam planetarum sub fixis, ita ut loca omnia circuli Zodiaci, signum culminans oriens, occidens, omnisq; confluxus configurationum cœlestium ei imprimantur, nec ante extremum hominis spiritum extinguantur. Quandoquidem in momentô sui partus omnes radiationes stellarum imbibit, cœlumque in eum vires suas per lumen radiosum, adspectus, occultum contactum & per species immateriatas, quæ cum temperamento, cum spiritibus, calore nativo sanguini conjuncto, omnibusque elementis, ex quibus homo compositus est, intimam habet cognationem, effundit.

§. 5. Singularis verò temperiei mutatio singularem & individualem parit ἰδιοσυγκρασίαν: temperies similis in diversis individuis ἰδιοσυγκρασίαν & effectum similem v. g. aversationem casei, rosarum &c. dissimilis dissimilem, v. g. in hoc panis, in alio vini fastidium. Cùm autem mixtionis & corruptionis modi sint occulti, ipsa etiam temperies à miscibilium qualitatibus resultans occulta est & manet, prout caussas, quæ in hoc negotiô pro explicanda antipathiâ afferuntur, occultas

multi

multi dicere consueverunt, quod ingenuè fateri non dedecet Philosophum. *Ad manifestas enim omnia deducere qualitates summa impudentia est*, Scaliger *Exerc. 218. Sect. 8.*

§. 6. Nec nascendis tantum dictô modô temperamentorum varietas obtingit, sed & natos, non dicam per ætatem, sed & ex victu, cibo & potu, aere &c. manet. Puella exempli locô sit formosissima illa, quam Napellô, veneno præsentissimô, nutritam Rex Indorum Alexandro M. dolo muneri dedit: à qua cùm rex ipse Aristotelis sagaci prudentiâ abstineret, alii virginis proci commercio ejus intoxicati obierunt, teste Averroe *in Proœm. 3. Phys.* & *Galen. 3. de Nat. Simpl.* Porus Indorum Rex quotidianô serpentum & venenorum esu adeò venenosus evasit, ut cæteros homines vel halitu, vel tactu, vel screatu interficeret. Marsi & Psylli, quique Ophiogenes vocantur, virulentorum serpentum fuerunt domitores, quia, ut Galenus *lib. 2. de Art. Curat. cap. 10.* scriptum reliquit, aspidibus & venenatis feris fuerunt enutriti. Præternaturalis quidem in his omnibus, non tantum sui, sed & cæterorum hominum respectu fuit constitutio, non tamen morbosa, quia per consuetudinem nova, ut loqui ita liceat, natura seu temperies subjecto non contraria & noxia (nisi forsan primô usurpationis tempore) sed accepta progressu temporis fuit introducta, nullam actionis læsionem inferens. An verò temperies in prioribus istis exemplis accidentaria, quæ appropinquantibus fuit exitio, contagiosa sit dicenda, an fascinatoria, disceptandi hîc subministratur occasio. Contagiosam, licet præter suetum naturæ cursum accesserit, fuisse (nisi velimus voce ludere) dicere, nobis, ob conditionum ad contagium propriè dictum requisitarum defectum, sit religio. Affirmativam Gutierrio *Dub. 6. numer. 11.* defendenti opponimus contagii naturam, quam ipse tradit: Est contagium infectio quædam, qua mediante similis affectus alteri inducitur, ei, quem inficiens patitur: aut juxta Vallesium, est corporis sani cum corpore ægrotante infectio similis. Sed quis puellam Alexandro M. oblatam ægrotasse asseruerit? Morbo si laborasset simili ei, quem per contagium procis communicarat, vitam cum morte ante consuetudinem commutasset, vel saltem formæ & totius sanitatis gratiam ob insignem vitalium actionum, quibus venenum illud insidiatur, læsionem amisisset. Itaque læsio illa fascinatio fuit non vulgaris, quæ profligata fabulis annumeratur; non magica, cum citra

dæmonis commercium fuerit facta, sed naturalis naturalibus ex caussis orta. Idem de antipatheticâ sentiendum potestate. Sanè si nativam nominis, Fascinum, significationem respicimus, neque læsioni per antipathiam illatæ propriè nomen illud tribui posse, fatemur, quia, ut vidimus, ratione originis nomen istud noxam voce vel visu illatam notat: inter hanc autem & antipatheticam læsionem nulla est analogia, nisi generalissima. Nihilo tamen minus hanc antipatheticam noxam, cum contagii appellationem sustinere nequeat, Fascinationis naturalis appellationem potiori jure, quàm contagiosum affectum, sibi vendicare, ex dictis fluit.

§. 7. Pro uberiori dictorum explicatione & illustratione hæc insuper addimus, & colligimus. (1) Effectum determinatum causam arguere determinatam. Cùm autem effectus temperiei adscribendus variet, ipsam etiam temperiem variare, & determinato temperiei effectui determinatam temperiem adjudicandam esse concludimus. (2.) Gradus, quos Philosophi in temperie manifestâ agnoscunt, etiam in occulta dari, quia hæc qualitas est. Qualitas autem magis & minus suscipit. Proinde quò magis qualitates diversificantur, eò major in corporibus viget respectu sui velut oppositi antipathia: uti contra quò major in similitudine convenientia, eò arctior & amicabilior conspiratio, quam sympathiam dicunt. (3.) Gradus qualitatum facilè determinare posse neminem. Et rectè Hieron. Jordanus eruditô *Lib. de Eo, quod divinum in morbis cap. 13. Si quid*, inquit, *illa* (scilicet visus & vox ad fascinum inferendum) *possunt, pertinet omne id ad μιάσματα, detrimenta seu inquinamenta morbidarum ὑποκείσεων.* Et pag. seq. *Gradum putredinis & malignitatis in hisce connatis ὑποκείσεσι nemo facilè determinaverit.* Id quod etiam de effluviorum quorundam antipathetica qualitate dici potest. (4.) Temperiem pro intensione, quæ gradus sistit & exhibet, sensibus facilè vel difficulter percipi, prout qualitas fuerit intensior vel remissior. Percipitur autem, si non in se & à priori, tamen in effectu & à posteriori.

§. 8. (5.) Effluvia ipsa quasi particulas totius cujusdam homogenei ejusdem etiam indolis & naturæ cum toto suo esse; & quia objectum, in quod feruntur, vel suaviter afficiunt, vel eidem adversantur, vel neutro modo se habent, ea vel amica, vel inimica, vel neutra posse appellari,

pellari, sive inimicâ occultâ sive manifestâ qualitate agant. (6.) Effluvia talia ubique prostare, quia individua ubique individuali sua temperie prædita, quæque continuò transpirant, occurrunt. Sed ultimæ classis effluvia, neutra scilicet frequentissima sunt, minus frequentia reliqua, amica, inimica. Rara sunt inimica naturalia (præternaturalia, seu quæ in statu morboso producuntur, frequentiora esse non negamus) quia natura non impedita, non id, quod malum est, & destructionem speciei minatur, sed quod optimum est facit, quæ tamen in productione hominis occurrunt quandoque impedimenta, itidem variant. Inimica autem sunt non ratione substantiæ: substantiis enim nihil est contrarium, sed ratione qualitatis effluviis inhærentis. Rarissima sunt, quæ summum inimicitiæ gradum fovent, & antipatheticam in eadem specie passionem manifestè inferunt. Quæ verò medium & infimum adversæ qualitatis gradum tenent, ob agendi modum obscurum obscurè à sensibus percipiuntur: à ratione autem per crebram observationem tandem deprehenduntur.

§. 9. (7.) Ut è brutis, ita ex homine magnam vaporum & spirituum copiam continenter egredi, & ad aliquam distantiam propagari, imò & in subjectis, quibus incubuerunt, vel insederunt, vel institerunt, aliquantisper hærere. Hinc canes narium sagacitate naturâ insignes odore prosequuntur feras, è vestigiis herum & hostem etiam inter multos versantem agnoscunt: uti felium osores eorum in conclavi ingressum statim percipiunt. (8.) Et hoc addendum, duplicis in rebus qui est *sensus*, generis esse, naturalem unum, alterum animalem. ***Animalis*** est, quo præviâ cognitione sive sensuali, quæ in brutis est, sive intellectuali, quæ hominis est, objectorum sensibilium fit perceptio. ***Naturalis***, cujus beneficio res naturalis, quod est suæ naturæ conveniens vel nonconveniens, expetit vel aversatur. Hinc sympathia & antipathia. Naturalis etiam in hòmine, non quatenus sensu vel ratione præditus est, sed principiis gaudet merè naturalibus, reperitur, & per naturam suam adversa nec sensu neç ratione percepta aversatur.

§. 10. II. In actione antipathetica aliquid, quod hominem (de ea enim, quæ inter homines occurrit, sermo est) ut patiens afficit, occurrit. Neque enim agens hîc immediatè tangit patiens, sed sæpè longiùs

ab

ab eo distat. Id autem, quo mediante tangit, aliquid est. Si enim nihil adesset, quod afficeret, nulla etiam à patiente fieret contrarii perceptio: nam non entis nullæ sunt affectiones. Id autem, quod ab agente emittitur, sunt particulæ subtilissimæ, tenuissimæ, mobiles, activitatis magnæ, quæ aerem, aut corpus subtilissimum omnium aeri interfusum, quod omnia permeat (quod æthera alii, alii spiritum mundi appellant) afficiunt, & hoc mediante corpus vicinum aut non admodum dissitum subeunt. Suam habet agens quodvis activitatis sphæram, & propterea, ut in patiens agat, certam requirit distantiam. Qui Romæ degit homo, non potest Hamburgi hominem, quem odio ille habet, afficere. Non tamen omnem in genere antipathiam effluviorum effluxu absolvi statuimus. De quodam militum Tribuno cognovit D. Deusingius *Exam. Pulv. Sympath. pag. 128.* quòd ne quidem picturam capitis suilli in tabella videre, nec ædes prætergredi, ubi tale signum comparuit suspensum, sine incommodo sustinuerit. A pictura enim non realia effluvia, corpus alterantia, sed species saltem visibiles manant, quæ sine dubio imaginatione motâ ob impressionem quandam in utero materno factam, tales in corpore turbas dederunt. Idem de illo accidentariæ antipathiæ exemplo, quod *præced. cap.* adduximus, sentiendum. Sic puella nobilis apud Henr. ab Heer *Obc. 29.* quoties campanæ sonum audivit, aut vocem aliquam canoram, statim animo linqui visa fuit. Institori Veneto ad vituli boatum, imò vitulinæ in mensa conspectum sanguinem erupisse Rhod. *Cent. 1. Obs. 89.* recenset. Nobilis Venetus tolerare non potuit calidum recentemque panem discindi, Th. Bartholinus *Cent. 3. Hist. Anat. 20.* Quæ & alia plura ibi notata exempla ab effluviorum communicatione ultrò absolvimus, aliam eorundem rationem alibi dare parati. *Effluviorum* autem *communicatio* vel mutua est, vel non mutua. *Mutua* est, cùm agens & patiens in se invicem agunt, & à se invicem per eadem patiuntur ob reciprocam effluviorum transfusionem. *Non mutua* est, cùm unum saltem adversa alteri effluvia communicat: veluti felis homini est infensus, ab homine autem felis nihil vicissim suscipit & patitur. Ibi reactio locum habet, hîc verò nullum. *De naturali* autem & congenito nobis *odio* sermo est, *non morali*, quod adventitium est, ex morum alteri adversorum dissimilitudine, vel injuriis, etiam ab amico veterano illatis sæpe ortum, id quod morum correctione vel reconci-

conciliationis gratiâ facilè tollitur. Quæ autem congenita ſunt, vel non, vel difficulter auferuntur.

§. 11. III. Natura ſui conſervatrix eſt ſtudioſiſſima. Ariſtoteles *lib. 2. de Gener. Animal. c. 4.* eam cum prudente patrefamilias comparat. At prudens Paterfamilias ſui ſuorumque conſervationi præcipuè ſtudet, nihilque eorum omittit, ex quibus propriam promovere ſalutem queat. Quamvis ἀπαίδευτος καὶ οὐ μαθοῦσα natura Hippocrati ſit, Galenus tamen *Comm.* περὶ τροφῆς quinque in ea virtutes commendat, Providentiam, Sapientiam, Potentiam, Juſtitiam & Artificium, quibus à ſapientiſſimo rerum Creatore inſtructa miras in ſui ſalutem perficit operationes, ipſa etiam morborum medicatrix Hippocratis & totius Senatûs Medici calculo audit. Imminentia corpori, quæ ſaluti obeſſe poſſunt, mala, quantum poteſt, declinat, præſentia ſenſu ſeu naturali ſeu animali percepta fugit, & irrumpentis hoſtis furorem pro viribus repellit. Ut regia animæ ſedes, quæ cor eſt, ſalva maneat, imminente hoſte vitales ſpiritus velut præſidiarios milites ab exterioribus partibus ad interiores revocat, eosdemque rurſus parti adverſis rebus preſſæ in ſubſidium transmittit. Rodericus à Caſtro *de Mort. Mulier. lib. 2. cap. 17.* refert, exercitatiſſimum quendam Chirurgum in Academia Salmanticenſi Profeſſorem, curaſſe quendam, qui vulnus in ventre acceperat, per quod inteſtina egrediebantur, quæ cùm nullo modo reduci potuiſſent, nihil aliud profuiſſe, quàm quòd candens ferramentum magnum coram patiente manu geſtans, vulneri ſe applicaturum finxit. Ejus enim rei terrore ſubitò inteſtina è veſtigio in ſuum locum reducta fuiſſe. Fugiunt ſine dubio ſpiritus etiam maligna & adverſa corpori effluvia, propter quæ natura etiam corporis poros claudit & viam intercludit. Pororum autem occluſio id habet incommodi, quòd tranſpiratio impediatur. Nam

§. 12. IV. *Pororum* corporis præter alios is etiam *uſus* eſt, ut per eos *ſanguinis evacuetur excrementum*, quod duplicis potiſſimum eſt naturæ, ſiccum & humidum, craſſum & tenue. *Craſſum* ſunt ſordes, quæ frictionibus in balneis à cute abraduntur, quæ lintea ac veſtimenta cutem tangentia conſpurcant, quæque in angulis oculorum & auribus deprehenduntur. *Tenue* fuliginoſum eſt, & halituoſi inſtar vaporis tranſpirat, & in corporis peripheriam per ἄδηλον διαπνοὴν *inſenſibilem tranſpirationem* ſecluditur, cujus teſtes ſunt hircus ſub alis, fœtor in inguinibus

ac pedibus. Vocatur etiam vaporosum, faciliqúe experimentô deprehenditur, si calidioris pollicis pars interior expolito argento vel stanno proximè, ne tamen contingat, admoveatur, halitum inde vaporosum emigrantem metallum mox inficere advertimus. Tanti autem transpirationem fecit Sanctor. Sanctorius in suo libello, quem inscripsit *Statica Medicina*, ut vel hanc solam longè pleniorem esse diceret, quàm omnes sensiles simul unitas, tantamque excrementorum copiam per hanc unicâ die naturali evacuari, quantum per alvum 15. dierum cursu asserere non dubitarit. Necessaria est hæc transpiratio, ne vitalis ignis ab excrementis opprimatur. Natura verò dum in perspirandi officio est impedita, incipit statim in multis deficere, Aphorismus est 41. Sanctorii. Elegantem, quæ in rem præsentem quadrat, recitat Galenus *Lib. de Sanit. tuend. 12. historiam: Ego puello quodam totam diem irato plorante q; ac immodicè inordinateq; jactante, nutrice ipsa omnis consilii inope, deprehendi quod offendit: quippe ut neque papilla in os immissa, neque à nutrice prolatus, si fortè mejere, aut alvum exonerare vellet, lenitus est, sed nec cum ulnarum agitatione commoveri est cæptus; adverti autem tum lectum, tum involucra, tum vestes ipsas sordidiores, præterea puellum ipsum immundum atque illotum, lavare, detergereq; jussi, tum lectulum mutare, ac vestem omnem tersam mundamq; prabere. Quibus peractis protinus ab immodico motu quievit, illicò dormivit, non suavissimum modò, verùm etiam longissimum somnum.* Hæc Galenus. Pori isti clauduntur à causa interna & externa, v. g. aere tum frigido, tum qualitate alia vitali principio adversâ prædito, ob quam pororum portas natura, ne hostis intret, claudit, quamvis omnem ejus impetum sic præcavere nequeat, cum aperta semper porta naturæ lege in respirationis organis maneat.

§. 13. V. Sueta fascinum ex vulgi mente per balnea, suffumigia, & diaphoretica curandi modus facem quandam nobis in hoc negotio prælucet. Sic enim, qui clausi erant, pori referantur, quæque crucem figebant excrementa, transpiratione evacuantur, & pristinæ sanitati homo restituitur, quo de inferius plura. Hæc omnia sequenti illustrabimus exemplô. Pastorem quendam ego ipse novi, Virum pium & eruditum à superstitione cœteroquin alienum, qui quoties nobilem quandam virginem tam piam quàm sanam, & corpore & mente (personarum

rum nominibus parco) in colloquium admisit, toties malè se habuit, & sanitatis sensit jacturam, quam non nisi balnei calidi usu novit tollere, adeò ut hac medicinâ cognitâ, quæ præsentissima fuit, congressuum numero numerum balneorum parem quæsiverit. Adversa Pastori in virgine qualitas antipathetica sanè fuit, sed non parem illi in Libaviana historia vehementiæ gradum obtinuit. Nimirum, & hæ qualitates, ut diximus, gradibus variant, ut in quibusdam levem alterationem, in aliis anxietatem, deliquium animi, imò nisi objectum inimicum auferatur, mortem tandem inferant. Plura sine dubio in societate humana occurrunt fascinationis naturalis exempla, quæ tamen, quia vel levis illa est, vel ratio ejus in promtu non est, vel per alienam causam excusari possunt, rarò, nisi evidentissimè sensus & ratio antipathiam deprehendant, ad propriam sedem reducuntur. Vulgus autem, qui iis, quæ primis sensibus occurrunt, inhærere solet, fascinum vel visu vel verbis inferri credit, quia in conspectum vel alloquium proximè admissos sanitatem pati advertit, occultam, quæ effluviis fit tenuissimis, ignorans. Vid. infrà Caput 10. Fascinari pueros fixo intuitu magnorum bufonum, & maximè, qui è subterraneo specu aut sepulchris prodierint, atque ob id occulto modo perire, haud absurdum esse ait Cardanus *lib. 16. de Rer. Variet. cap. 90.* Fascinantur autem per occulta & venenata effluvia à bufonibus emissa, auram proximam inficientia. Si hoc; pari jure dixerim, pueros quandoque ab effluviis ab antipathetica qualitate ab obvio homine emissis fascinari. Quod cum pauci intelligant, in visum vel vocem causa rejicitur.

§. 14. Mirum autem videatur nulli, tantam & tam subitò effluvia adversa corpori inferre alterationem. Si enim ea, quæ sympatheticè corpus afficiunt, stupendas in sexu sequiori mutationum procellas mox suscitant, quantò magis ea, quæ corpori antipatheticè contrariantur, variis mutationum injuriis subitò id exponent. Illius exempla moschus, zibethum & ambra sunto. Sibi quidem hæc adversari credunt mulieres, quòd uterum harum odore mox sursum moveri vel quati, atque sic suffocationis periculum inferri sentiant. Verùm non ista adversa, sed amica planè sunt utero. Si enim simpliciter adversa essent, non principem, quem Zacutus Lusitanus *loc. cit. Histor. 9.* jure meritò iis tribuit, inter odoramenta utero indenda locum obtinerent. Utero autem

tem indita suffocationis periculum, suaviter eum afficiendo, avertunt: è contra in uteri prolapsu naribus illorum odor attrahitur, ut suam uterus sedem repetat. Nimirum, ut Kircherus *de Peste cap. 53.* loquitur, *odorifera effluvia intus per anhelitum attracta primò odoratum, deinde vitalium membrorum spiritus ex similitudine quadam materiæ mirificè recreant, excitantq;.* Sic motis sursum spiritibus, & qui spiritus comitantur, sanguine ac humoribus abdomen contrahitur, uterus & contenti in eo humores concutiuntur, ac cor & pulmones à sanguinis humorumque affluxu nimio suffocationis periculum incurrit. Proinde, si, ut diximus, amica inimicas mutationes, quod tamen per accidens fit, pariunt, quantò majores inimica, quæ per se in confusionem spiritus agere apta nata sunt, excitabunt?

§. 15. Quæ omnia cùm ita sint, cum in eadem specie humana individua reperiantur ob temperiem diversam diversa: temperies sæpè occulta peculiarem inferat ἰδιοσυγκρασίαν alteri naturaliter adversam, quæ in effluviis communicata qualitas inimica sensu naturali, non animali percipiatur: natura hostem extraneum fugiens poros corporis claudat, quibus per remedia convenientia reseratis sanitas redit, quis jam dubitabit asserere, ea ratione Fascinationem dari naturalem?

§. 16. Hominem etiam bruta, modo, quem per antipathiam explicuimus, fascinare posse, non negavero. Neque enim repugnantiam hoc involvit, cùm sub genere eodem animali utraque species vitali temperamento, non fixô, quo mineralia constant, sed mobili, variisque mutationibus facilè obnoxiô, & mixtione in vivo orta, gaudeat. At temperamentum temperamento contrariatur: qualitas enim est. Inter qualitates autem contrarietas viget tam indicibilis seu occulta, quàm manifesta. Brutorum etiam temperamenta variare, morum (si ita loqui licet) seu actionum in ejusdem speciei individuis v. g. canis, equi &c. diversitas prodit, quamvis assuefactionem non parum diversitati inservire exemplo duorum ex uno partu canum apud Plutarchum constet, quorum alter venationi, domesticis alter assuetus, diversissimam uterque indolem expressit. In tanta autem temperamentorum varietate qualitatem in homine huic vel illi bruto, juniori præsertim, quod ob rariorem corporis compagem faciliùs offenditur, adversam reperiri, non implicat contradictioné. Refert Avicenna hominé suâ ætate vixisse, qué venenata

omnia

omnia fugerunt, morientibus omnibus, quæ fortè mordicùs illum apprehendissent, ipso omninò illæso. Affectus hic insensus in excellente si fuit gradu, in inferiori gradu eundem dari posse quis ambiget? Si homo homini ex naturalibus causis adversus quandoque reperitur, quidni etiam bruto, præsertim juniori inimicus ex causis similibus aliquando detur homo? Hominem tamen bruta quædam faciliùs, difficiliùs alia, & ob determinatæ qualitatis contrariæ raritatem rariùs fascinare concedo. Exempla sine dubio prostant, sed vulgus causam recepto errore vel in fascinationem vocalem, vel in magicam Satanæ collusionem refert.

§. 17. Confirmant nostram sententiam Marsi & Psylli, qui serpentum morsus non reformidarunt, temperamento sine dubio iis adverso. Horum corpori ingenitum fuit virus exitiale serpentibus, ait Plinius *lib. 7. cap. 1.* Negat quidem Codronchus *lib. 2. cap. 4.* hujusmodi affectiones à naturâ innasci, sed aut divina virtute communicari, aut industriâ acquiri, vel Dæmonum auxilio exerceri. Verùm per industriam seu per consuetudinem etiam acquisita affectio talis naturalis alterique exitiosa esse potest, ut vidimus §. 6. ut propterea non repugnet, innasci posse talem virtutem. Delrio *lib. 1. Disq. Mag. cap. 3.* incantationibus & præstigiis illarum virtutem adscribendam esse Plinii & Plutarchi autoritate nuda fretus censet; at loca non citat. Si ingenitum est ex Plinii mente loco jam ante citato virus illud, ad Dæmonis præstigias non est ut recurramus, Corn. Celso *lib. 5. cap. 26.* fiducia usu confirmata causa est, quòd innoxiè tractent serpentes isti. Sed & ista variat in variis, atque incautos, quibus fiducia deest, clam nihilominus per insidias internecioni tradere possunt. D. Mœbius *Fundam. Physiolog. p. 160.* causam ad victum, qui venenum fuit, quo etiam in Hellesponto Ophiogenes dicti fuerunt usi, refert. Vossius *lib. 4. Idol. cap. 61.* ingenitum virus salivam fuisse censet, quia Plinius *lib. 7. cap. 2.* omnibus, ait, *contra serpentes inest venenum; feruntq́ ictu salivæ, ut ferventis aquæ contactu, fugere.* Venenum illud partim à dentium sordibus & uligine, partim ex humoribus vitiosis salivam consequi dicit Lev. Lemnius *de Occult. Natur. Mirac. libr. 2. cap. 44.* rectiùs à sale deducit Petr. Joh. Faber *Myrotech. Spagyr. lib. 1. cap. 29.* quia sal venenis omnibus contrariatur. Sed cùm omnes homines salivâ natura in-

struxerit, nec tamen similem in toto corpore alexipharmacam virtutem Psyllorum instar omnes obtineant, non in salivâ subsistendum, sed ad aliud recurrendum erit principium. Itaque doctè conjicit Vossius, Psyllos, quoniam inter serpentes degerent, à primis incunabulis, quasi cum lacte à matribus, quò tutiores essent, remedia quædam non adeò vulgaria esse edoctos: neque ista alienigenis aperuisse, partim ne minus ii essent admirationi, partim etiam, ne minus ex illis caperent lucri. Ac credibile esse censet, nec alibi fuisse remedia tam præsentia, quia ubi locorum abundarent serpentes, iisdem præcipue remedia venenis Deus produxit. Hinc Lucanus de iisdem

--- --- --- natura locorum
Jussit ut immunes misti serpentibus essent.

Proinde habitu acquisitô ex longô serpentum victu alexicacô semen in Marsis & Psyllis cum eâdem facultate consistere, adeòque virtus illa ingenerari potuit, ut eorum filii postea à serpentibus fuerint immunes. Vid. Baldus Angelus Abbatius *de vipera cap. 23.* Si quis tamen ea, quæ de Marsis & Psyllis Plinius tradit, cum multis aliis pro fabulâ, aut arte, aut Cacodæmonis effectu, aut cum Matthiolo *Comm. in lib. 6. Dioscorid. p. m. 1015.* pro fraude habere velit, fretus autoritate Galeni *lib. de Theriac. ad Pison.* ubi ait, Marsos, qui suo tempore extiterunt, contra serpentum venena nullam propriam habuisse facultatem, sed fraude quadam (quam ibi detegit) universam decepisse plebeculam, nullum tamen per hoc sententia nostra patitur incommodum, sed stat per ante dicta inconcussa. Et cùm Marsorum tantum faciat Galenus mentionem, an propterea Psylli quoque fraudis sint arguendi, nondum est confirmatum.

§. 18. Nolumus tamen per istud nostrum assertum pallium Magis subministrare, ut sub eo latentes veneficium ullum excusatum ire queant. Ne eant, effectum omnem, an naturæ genium transcendat, rationis indagine esse explorandum, ac curatiùs dijudicandum nos ipsi inculcamus. Cauto alioquin in isto stadio opus esse gradu, non sumus nescii, *cunctaq; ad sympathias & antipathias vel fictas crases & peculiaria hominum temperamenta referre velle viam ad ἀθεϊσμὸν* esse, Dn. Spizelio *Scrutin. de Atheismo p. 11.* asserenti adstipulamur.

CAPUT

CAPUT IV.

In cruentatione cadaverum fascinatio locum habet, non tamen in omni. Naturales cruentationis causæ eruuntur. Antipathiam inter hominem vivum & mortuum locum habere contra Gutierrium asseritur: ab aliis: qui adventitiam hic antipathiam agnoscunt, Autor, qui ingenitam ponit, dissentit, eosq; impugnat. Libavius cum Autore conciliatur. Calor & spiritus in sanguine occisi ad tempus reliqui manent. Libavius vindicatur. Variorum circa cruentationem istam sententiæ. Causam tamen sæpè supernaturalem adesse, Autor cum aliis sentit.

§. 1. A*N in cruentatione cadaverum præsente occisore fascinatio naturalis locum habeat?* Affirmativam nos per præsupposita tueri non dubitamus. Nec tamen in omni cadaverum cruentatione præsente occisore eam dari dicimus, nec occisorem, qua talis, cruentationis causam esse asserimus. *Occisor, qua talis, non est causa cruentationis*, aliàs semper præsente isto, etiam carnifice apud decollatum, item brutô humanæ cædis autore sanguinis stillicidium fieret. A quatenus enim ad de omni V. C. Sed experimenti universalitatem negat experientia. Quidam à cæde recente inductus, & se autorem confessus, nullo fuit indicatus cruore, referente D. Libavio *loc. cit. p. 154.* Transiens ille actus non potest subjecto cui inest, cum respectu isto physicam agendi potentiam imprimere & inferre. Itaque in sensu hoc composito propositio fallit: præsente homine quatenus occisor est, fit cadaveris cruentatio. Valet autem in sensu diviso hæc: Homine, qui est occisor, præsente fit sanguinis profusio, ut subintelligatur, si non ob istum, tamen alium propter respectum ex aliâ causâ fieri posse cruentationem: Siquidem non semper causalis interfectoris cum interfecto est connexio, sed quandoque casualis, ut per accidens planè cum sanguinis stillicidio notitia interfectoris conjungatur.

§. 2. *Non in omni cruentatione fascinatio naturalis locum habet*, tum quia non omni subjecto fascinandi qualitas competit, tum quia plures unius effectûs causæ esse possunt. Non omni subjecto competit fascinandi qualitas, quia non omne tale per naturam accepit temperamentum,

mentum, quod alteri sit contrarium: neque occisor, qui sæpè amicus est, per iram, quæ temporaria est, ingenitæ similem cum excedente temperamenti mutatione acquirere potest antipathiam. *Plures effectus istius dantur causæ*, videlicet naturales & supernaturales.

§. 3. *Naturales* sunt (1.) *commotio corporis*, quâ vel leviter factâ sanguis in quibusdam per patentes vulneris vias ruit, & per os ac nares elabitur, præsertim quando digitos, qui reus putatur, in vulnus immittere tenetur. Fluidus enim suâ naturâ in venis tanquam in loco proprio sanguis est, & propriis terminis difficulter, alienis autem facilè continetur. (2.) *Incipiens sanguinis putredo* cum quadam ebullitione & fermentatione ab externo aeris calore promota sanguini motum ad exteriora conciliat, etiam verô cædis autore absente. Infans apud Horstium *Diascepf. Phys. Medic. de Casu quodam admir. p. 62.* post ortum à matre sceleratâ occisus, inque fossam aquâ repletam injectus post 5. septimanas reperitur. Extractus non præsente matre tunc temporis adhuc incertâ statim, ubi vim externi aeris percepit, admodum sanguine recenti stillare cœpit, quod scilicet ob frigus aquæ meatus ad sanguinis fluxum accommodati penitus obstructi, jam calore ambientis aeris reserati atque aperti fuerint. (3.) *Copia Sanguinis* in quibusdam apoplecticis, cujus exemplum supra *lib. 1. Part. 2. Sect. 2. c. 19.* § 8. recitavimus. Cadaveris quidem commotio ibi sine dubio sanguinis fluxum promovit, sed non sola absolvit. Copiæ sanguinis amuleto intempestivè suppressi plus tribuendum. (4) *Sympathia* seu naturalis amicitia, quæ mediantibus insensibilibus & subtilissimis exhalationibus interfecto corpori amicè consentientibus sanguini ad ebulliendum jam prono motum conciliat. Sicut odoramenta fragantissima apoplecticos, qui mortuorum instar ferè jacent, sympatheticè excitant, siquidem *per virtutem odoris corpori communicatam sanguis movetur, & cor supra modum refocillatur*, ut loquitur D. Schneiderus *lib. de Nova Graviss. Trium Morbor. Curat. p. 698.* ita sympathetica suavitatis naturalis plena è corpore egressa id, cui conveniunt, movent. Hinc etiam ad amicorum præsentiam sanguinis ex cadavere stillicidium fuit observatum, cujus exemplum refert Servius *de Ungu. Armar. Exempl. 32.* filium barbitonsoris in flumine obrutum, octiduo latuisse, postea verò semiputridum extractum præsente fratre ejus germano sanguinem ex ambabus

bus naribus effudisse. De sanguine etiam profuso in amore memorabile recitat exemplum Cornax Medicus *libr. 1. Consult. cap. 3.* quod suprà nos adduximus *Libr. 1. Part. 1. Sect. 2. cap. 3. §. 2.* Non tangam, quod habet Verulamius *Sylv. Sylvar. Cent. 10. p. 573.* pueros tenella ætate parentibus subtractos & expositos, si ignoti in conspectum parentum venissent, occulto eos gaudio aliave ratione perfudisse. Ex his autem sic colligo: Si sympathia tantam in corpore vivo alterationem & sanguinis profusionem in cadavere parit, quidni etiam (5.) *Antipathia* seu inimicitia, cujus activitas major? Ea autem per occulta pariter & temperamento interfecti inimica fit effluvia, quæ sanguini commixta effervescentiam excitant. Si negas, ob antipathiam effluere sanguinem, quia per hanc res sese mutuò non prosequuntur sed fugiunt, & abducunt se in recessus intimos, ut ait Scaliger *Exerc. 276.* Respondemus ea, inter quæ antipathia reperitur, sese mutuò & ex suâ natura semper aversari & fugere, si nimirum fugere possunt: per accidens autem quandoque fieri, ut fugere, vel retrocedere nequeant; id quod in præsenti casu fit propter sanguinis ebullitionem & effervescentiam, ob quam majus iste requirit spatium, quod cùm in interioribus non inveniat, datâ in vulnere ab occisore inflicto portâ prorumpit, vel cum impetu è venarum extremitatibus, quæ sunt in ambitu ruit, expulsâ præsertim, quæ dominium antè habuerat, frænumque humoribus injecerat, animâ. Fugitivus, cum exitum non invenit, ad desperationem cogitur, tergum, quod dederat, vertit, & animô, desperatô quidem, sed audaci, hosti occurrit. *Supernaturalis* causa est *Diabolus*, quem divino permissu judicem fallere posse, quorundam est sententia: præprimis ipse cœlestis judex *Deus* est, cujus speciali concursui nonnulli totum causalitatis actum hic unicè tribuunt.

§. 4. Gutierrius ex suo fundamento, quod est, inter ejusdem speciei & conditionis individua non dari antipathiam, fascini naturalis existentiam negat; & si vel maximè hypothesis ista concedatur, non tamen ad fascinum hic profitendum nos hanc cogere posse censet, quòd occisor & occisus, cadaver & homo essentiâ & conditione inter se longissimè differant. Verùm viva & vitâ cassa quoque diversarum specierum individua essentiâ & conditione inter se differunt longissimè, eâ tamen diversitate non obstante luculenta nihilominus antipa-

thiæ edunt indicia. Sic formicæ fugiunt cor upupæ & alam vespertilionis. Lupinum caput ovillo præsepio appensum timore afficit oves, ut vix gramina gustent, stercusque lupinum in ovili sepultum insomnem reddit & inquietum gregem. Itaque differentia illa, quæ sanè insignis, sententiam nostram non evertit. Positio unius non est alterius exclusio. Datur antipathia inter ejusdem speciei individua, quorum alterum vivum, alterum recens mortuum est. Siquidem indicibilis illa temperies corpori non ut vivens, sed ut mixtum est, competit. Mortuo autem vivente protinus tota totius mixti compages & cum ea temperies perit, sed ad tempus in partibus mixtis, donec omnimodò partium mixtarum fiat resolutio, remanet. Itaque conditio eadem, cùm dissimilitudo non in vitalitate, sed in mixtione propriè quærenda sit, in corpore vivô & recenti cadavere reperitur.

§. 5. Alii etiam, ut Valeriola, Lemnius, Kircherus, Schottus per antipathiam prodigiosam hanc naturæ actionem explicant, qui, licet nonnihil & ipsi inter se differant, in hoc ipso tamen, in quo generaliter conveniunt, nos habent dissentientes. Statuunt enim spiritus occisoris vehementes, malignâ vi plenos, per oculos, os, nares, in inimici, quem aggreditur, fibras immitti, immissos in alienô subjectô existentes proprium videlicet sanguinem occisoris naturali inclinatione appetere, occisi verò spiritus inimicos sibi occisoris spiritus repellere, & ex hac spirituum contrariorum luctâ, sanguinem. qui spirituum est vehiculum, effervescentem violenter foràs erumpere. Ita adventitiam & accidentariam illi antipathiam statuunt, non ingenitam. Verùm 1. in accidentariâ illa antipathiâ eum spiritus malignitatis, & vehementiæ gradum ex odio & ira acquirere, ut corpore proprio egressi & alienum ingressi, talem luctam concitare queant, nobis non fit verisimile, siquidem brevius est sæpè pugnæ tempus & ira remissior, quàm ut qualitatem novam, naturali similem, efficacissimam producere queat, qualem ut natura efficiat, longè majus poscit tempus. Motus sanguinis concitatior intensiorem quidem caloris gradum, sed non peculiarem mistionis, alteri inimicum modum, nisi pravis corpus humoribus sit refertum, parit. Deinde cùm per istam hypothesin mutua fiat spirituum ab occiso & occisore communicatio pugnæ tempore, quò, qui occiditur, occisor æquè futurus erat, graviter occisor ex propriâ suorum & alieni

alieni interfecti spirituum malignitate eorumque luctâ internâ deinde laborabit. At promta, qua sibi ex tempore homicidæ consulunt, fuga non laborem, sed vigorem prodit. Et quid spiritus occisoris mobiles ac tenuissimos, ne diffluant, sed per os, nares & oculos ad intimas inimici fibras, sine sui sustentaculo, quod sanguis est, rectam viam legant, cogit & dirigit? Cùm in ambitu corporis ejus, qui occiditur, etiam spiritus, pari, imò quandoque majori malignitate ex majori iræ æstu, quàm quæ in occisoris spiritu reperitur, parati adsint, quid impedit, quò minùs hi irrumpentes occisoris spiritus citò repellant, & ne sedem in alieno corpore figant, ipsi præcaveant? 2. Non ex ira & odiô semper, sed citra horum affectuum impetus solâ lucri cupiditate, vel infamiæ, aut gravitatis pœnæ metu latrones & infanticidæ homicidia patrant, in quibus quod spiritus malignitate inficiat, aut spiritus in motum concitatiorem ad exteriorem corporis ambitum agat, nominari nequit. 3. Homicidium quandoque de longinquo globulo è sclopeto trajecto patratur, quo in locorum intervallo nulla spirituum inimicorum transmissio fuit facta, factum nihilominus cruentatione proditum. Veneni haustu nonnulli è medio citra spirituum communicationem tolluntur, quibus nulla de veneno inter propinandum suspicio fuit oborta; horum tamen corpora post fata ultima cruorem nihilominus stillarunt.

§. 6. Doctissimus Libavius *loc. cit. pag. 123. & 304.* antipathiam hîc negat, vel saltem remotiùs, minusque evidenter ad antipathiam hunc affectum referri posse ait. Negat ideò, quòd aliàs spirituum daretur fuga & sanguinis intro receptio, ut in metu fortitudini opposito cernimus. Alterum itaque fugeret, alterum impelleret. Verùm salvâ tanti viri autoritate, quæ nobis semper sacra est, dicimus 1. non semper motûs fugam in antipathiâ dari: nam ignis aquæ & aqua igni naturaliter adversatur, & tamen, dum aqua calefit, ignis particulæ sensim aquam subeunt, non aufugiunt, nec suum dissidium, nisi confertim collectæ in ebullitione produnt. Sed cùm hæc Democriteis propugnata sententia non omnibus, præsertim Peripateticis, placeat, dicimus 2. fugere etiam præsente hoste spiritus in sanguine occisi reliquos, sed eorum primam fugam sensibus non percipi: in fuga autem ipsa conjunctiores factos ebullitionem & fermentationem in sanguine parere, & deinceps

ceps datâ quocunque in loco portâ cum sanguine aufugere. Recipit se hostis in loca, quæ tuta censet, interiora, ut jam ante §. 3. dictum, sed si nec ibi tutum subsistendi spatium conceditur, ubicunque potest, refugium quærit, etiam ad exteriora reversus; uti hostis debilior, cùm tutò subsistendi locus nullibi datur, recollectis viribus per mediam quoque hostium turmam impetum facit. Imminentis mali metus in Salvatore nostro non sanguinis tantum ad interiora raptum, sed & ad exteriora propulsum, sudoremque sanguineum promovit largissimum. Alia etiam ratio spirituum est in metu fortitudini opposito, alia in cadavere. Ibi formam, quæ mixti est, dominam habent spiritus, sub cujus dominiô in corpore pro totius salute, præsente hoste quovis pugnare tenentur; in cadavere autem sublatô per mortem servitutis jugo sui juris fiunt spiritus, & præsentem hostem, ubicunque datur occasio, fugiunt. Hinc etiam, cur interfectus, cùm in vivis esset, præsente adversario, sanguinem non profuderit, causa patet.

§. 7. Spiritum autem & calorem quendam in sanguine occisi ad tempus reliquum esse, nos quoque cum D. Libavio agnoscimus, qui *pag. 226.* rationem dat asserti genuinam. *Necesse est*, inquit, *in sanguine spiritum quendam* (quendam dicit, non omnem) *& calorem residuum esse. Nam alioquin concrescit & stat immobilis.* Calor præsens esse potest, licet sensibilis non sit. In calce viva & mixtis multis copiosæ dantur ignis particulæ, quas tamen ibi non nisi ex calore, affusa aqua, deprehendimus. Spiritus substantiæ sunt, & à vitæ principio in esse quidem dependent, non autem in conservari: uti accidentia, v. g. calor à suo subjecto dependet. Ad hæc sanguis non statim primo post mortem putrefactus perit, sed in proprio loco manens suam aliquandiu naturam retinet, sensim tamen ad putredinem tendit, quia principia activa, quæ sunt sal, spiritus & sulphur, ut in quovis mixto, ita & in sanguine, sublatô superioris formæ dominiô in eodem statu non permanent, sed sui juris facta discessum meditantur. Ut adeò etiam putredinis natura spirituum quorundam in sanguine præsentiam prodat. Itaque non est, ut nonnemo miretur, D. Libavium spirituum quorundam præsentiam in cadavere posteritati persuadere voluisse, bonumque illum etiam tum dormitasse Homerum temerè asserat, proptereaque laudato viro opponat, in manibus dudum arefactis ad præsentiam percussoris largissimum se

osten-

ostendisse fluxum. Ipse enim hoc, si factum, divinum potius esse, quàm naturale, *Tractatus* sui *pag. 134. §. 279.* agnoscit: & *§. 4.* ingenuè fatetur, se in hac de judicio homicidæ ex sanguine injustè ab eo interemti materiâ præter probabile polliceri nihil. Causam dat, quòd illud ipsum, de quo disseritur, non satis sit exploratum; *& quia*, inquit, *exempla rara sunt, nec nisi in paucis signatura est deprehensa, si unius avum spectes.* Jam inde autem ab ejus ætate (ante quam pauci, iique parcâ manu argumentum hoc, quod ipse ingeniosè & prolixè enucleavit, tractarunt) frequentiora occurrerunt exempla, quæ altiùs rem istam excolendi subministrarunt occasionẽ Recentioribus, qui ipsi tamen etiamnum discrepantes inter se fovent sententias, quas collegit & examinavit Vogtius *Deliciar. Physicar. cap. 1. p. 67.*

§. 8. Quidam enim nullam in occisore causam agnoscunt, sed omnem vel in agens supernaturale, vel in accidentalem rationem in occiso respectu occisoris contingentem rejiciunt. Alii etiam ex hoc genuinam stillicidii causam derivant. Plurimi plures causas tum naturales, tum præternaturales ponunt. Henr. Regius *Phil. Natur. lib. 3. cap. 4.* rationem, cur sæpè ab homicidæ præsentia fiat cadaveris cruentatio, sive sanguinis è vulnere vel naribus renovata emissio: aliorum verò præsentia eam non excitet? reddit hanc, quòd halitus ex homicidæ corpore exhalantes, cadaverque ingredientes per suum peculiare temperamentum apti sint effervescentiam suâ commixtione in sanguine cadaveris tantam efficere, quæ sanguini ex naribus vel vulnere rursus expellendo sufficiat. Halitus verò aliorum cadaveri adstantium, cùm talem aptitudinem temperamenti ad effervescentiam in cadaveris sanguine excitandam non habeant, hinc eorum præsentiam cadaveris cruentationem non parere scribit. Hunc sanè D. Libavio favere cernimus, statuenti potentiam passivam in sanguine, quâ valeat moveri, etiam post mortem superesse, eamque in actum proclivem datâ occasione moveri: occasionem præbere contactum spirituum occisoris & occisi in hujus sanguine reliquorum: calidum illius spiritum vim habere motivam, non qua spiritus calidus, sed qua talis hominis in pugna vehementem affectionem, immutationemque ab animi perturbatione in se experti: nec id simpliciter, sed modo tali, unde affectio oriatur mutua inter ipsum & sanguinem interemti. Quamvis è Regii verbis nondum pateat, an

in cædis autore temperamentum peculiare pugnæ tempore contractum, an ingenitum & antipatheticum intelligat. Si prius, Libavio accedit; si posterius, nobis. Horum tamen sententiam non in totum admitti posse, per rationes §. 5. allatas constat. Horstius *loc. cit.* & Sperlingius *Instit. Physic. lib. 2. cap. 3. Quæst. 1.* experientiam fallaciæ accusant, &, quæ præsente occisore fit, sanguinis profusionem fortuitò evenire censent. D. Joh. Adam Weberus *loc. cit. Font. 8. Exempl. 2.* Gutierrius de Fascino *Dub. 4. n. 28.* & alii supernaturali ac divino judicio sanguinationem præsente homicidâ factam attribuunt. Major Doctorum pars præter naturales etiam supernaturales causas hîc agnoscit, quorum castra nos quoque sequimur.

§. Naturalis vel in cadavere est, vel in eo, qui cadaveri adstat, sive reus sit, sive insons. In Cadavere, ut diximus, est vel ejus commotio, vel sanguinis ab aere calidiore ebullitio, vel ejusdem copia; & hæc respectu occisoris vel alterius etiam insontis fortuita causa est. In adstante, qui cadaver vel sympatheticè vel antipatheticè afficit, illud ab amicô, hoc ab inimicô contingit. Objicis: si sanguinis motus per antipathiam in mortuo promovetur, quare ex capite lupino præsente ove non stillat sanguis? Cur mus & felis sub alterutrius præsentiam suum non emittit sanguinem, si contingat, alterutrum horum alterius accedere cadaver? ℞. Sanguinem humanum, nobilissimæ partis, quæ Anima Rationalis est, subjectum nobilitate cæterorum animalium cruorem superare; siquidem *humano generi tenuissimus ac purissimus est per naturam: in brutis vero crassior*, ut loquitur Excell. Dn. D. Maur. Hoffmannus *Prudent. Medic. Disp. 6. §. 6.* itaque major etiam in eo post mortem quoque, licet per hanc differentia quædam oriatur, ad motum est proclivitas, ejusque in motum pronitatem incipiente putredinali sanguinis dispositione cadavera ipsa produnt, quæ sanguinem ex ore, naribus, sæpe brevi post mortem fundunt: cùm contra in brutorum, ut cervorum, agnorum, canum &c. cadaveribus idem non observetur, nisi quod lepores aliquandiu suspensi sanguinem stillent, quod tamen gravitatis ratione, sanguine sanguinem ad caput tendentem impellente, venarumque extremitates reserante accidit. Sanguinis humani nobilitas nobilitatem sensus naturalis sine dubio arguit, qui cùm exquisitior etiam in

in humano cruore sit, citius etiam insitum odium ebullitione testatur.

§. 10. Si dixeris raram esse inter homines antipathiam, & dissidium naturale nullum sæpè in occisore & occisô ante hujus ultima fata fuisse observatum; reponimus 1. raram etiam præsente occisore citra naturalis & respectu occisoris causæ fortuitæ vel supernaturalis concursum cruentationem esse, adeoque raro ex eo fonte causam manare. 2. Antipathiam, quæ qualitas est, qualitatum more suos etiam habere gradus, ita ut inferioris gradus antipathia sæpè moralium actionum bonitate occultetur: eam autem in naturalibus per iram & odium exaltari, & in sublimiorem antipathiæ gradum evehi. Supernaturalem tamen causam sæpè subesse, circumstantiæ in cruentationis actibus observatæ, quarum ratio ex naturalibus causis derivari nequit, nobis persuadent, v. g. cùm cadaver se erigit, manus ad Principem tendit & post horam dimidiam se reponit, quod in historia, quam ex Cantipratano Kornmannus *de Miracul. Mortuor. Part. 5. cap. 25.* refert, contigit: cùm pro qualitate delicti complicum in patranda cæde sanguinis profusio variat, quod factum in historia apud Harsdörferum im Schauplatz Jämmerlicher Geschicht *Part. 6. Hist. 129.* Cum cadaver 20. die post mortem effossum, appropinquante homicidâ sudorem, & eodem adstante sanguinem stillat, apud Zeilerum *in Theatr. Trag. Hist. 129.* cùm cadaver digitum ad vulnus & inde ad vulneris autorem intendit, apud Harsdörferum *loc. cit.* & Zeilerum in 198. Sendschreiben. Tantum de hoc.

CAPUT V.

Fascinandi virtutem ab astris conferri gratis Carthaginensis adstruit. Venenatorum animalium malignitas non est ab astris, sed à forma eorundem specifica. Siderum influxus in se non est malignus. Si ratio ista locum haberet, plures darentur fascinatores. Gutierrius Carthaginensem non æquo Marte impugnat. In qualitatibus occultis quæ occurrant. Langius notatur. Cœlum generalem saltem in inferiora præstat influxum.

§. 1. NAturalem fascinandi virtutem per peculiarem mixtionis modum quibusdam ingenerari posse vidimus: an verò eandem

etiam

etiam astra conferre queant, ut investigemus, operæ erit pretium. Carthaginensem ad cœlum usque pervolare, atq; è malevolô astrorum influxu virtutem istam arcessere supra *lib. 1. Part. 1. Sect. 3. cap. 2. §. 3.* diximus; sed rationibus munitum, quibus assertum confirmatum eat, reducem non conspeximus. Quod illustrationis gratiâ adducit, etiam animalia cœlesti virtute noxia aliis esse ac venenata, nullam probandi potestatem, cùm ad infaustum petitionis principii locum remitti queat, obtinet. Venenata animalia malignitatem alteri speciei adversam non à siderea plaga habent, quia quotidiè in mundo venenatæ speciei individua generantur, malignus autem siderum aspectus quotidianus non est: adspectus malignitas variat, sed veneni malitia in venenatis eadem. Est venenata venenatorum animalium natura à formâ mixtionis præside, materiam suam pro indole specificâ specificè disponente, & mutationibus subjiciente: quæ cùm eadem specie sit in dividuis omnibus, omnia etiam similibus qualitatibus instruit.

§. 2. Nec malignus est in se siderum influxus ullus, sed talis per accidens secundum conditionem recipientis evadit, seu, ut Plato loquitur, secundùm merita materiæ infunduntur vires cœlestes. Recipientis autem conditio in apparatu sine dubio vitioso consistit, qui à viribus cœlestibus exaltatus, hoc est, agitatus per motum ad alium mixtionis modum redactus naturam induit malignam. Admissô etiam, malignam fascinandi qualitatem ab astris profusam, ab infante recens nato per poros & respirationis organa recipi, quid impedit, quo minus & cæteri infantes, imò provectioris ætatis homines fascinandi potentiâ insigniantur, cùm omnium corpora, æstivo præsertim tempore, sint porosa, transitum aeri, cœlesti & elementari modô alterato, liberum concedentia? Tenera licet recens natorum corpuscula poris patentioribus sint instructa (quod tamen alii in dubium vocant, quo de vide sis *cap. 10. §. 3.*) non tamen cæterorum, ne ullus influentiis concedatur aditus, sunt obstructa, nec latam viam influentiæ cœlestes, ut mox dicetur, requirunt. Ast nemo fascinantium numerum ab illa influentia tum augeri advertit.

§. 3, Gutierrius fascinandi virtutem ex astris derivatam impugnaturus varios in Carthaginensem impetus, sed non æquô Marte facit causamque bonam non ubique felici sidere agit. Negat influentiam.

Cùm

Cùm prædicta, inquit, *Astrorum influentia sensu aliquo nobis haud innotescat, satis erit, si ab illis inquiramus, an illa pessima astrorum configuratio in illius hominis fascinatoris exortum influens divinâ aliqua revelatione, ne dicam diabolicâ fuerit illis propalata? vel dato, quòd ea eo puncto contigerit, quonam sensuum illam in infantem influxisse compererint? nam si visu, reddant colorem &c.* Verùm à negatione influentiæ talis ad negationem influentiæ simpliciter N. V. C. Lucis quidem influentia sensibilis est, sed reliquæ, quæ vel lucis facultate aut alia ratione ad inferiora deferuntur, qualitates non sunt sensibiles, sed ex effectu intelligibiles, seu ut Philosophi loquuntur, à pòsteriori sensibiles, propterea que, quia sensibus non percipiuntur, occultæ vocantur. Valetudinarii omnes, licet domi radios à se procul arceant, vim nihilo minus plenilunii & novilunii in suis sentiunt corporibus; non tamen illa Lunæ influentia, quia sensus nostros fugit, propterea neganda. Tempestates ab Arcturo, pluvias ab Hyadibus, nimbos ab Orione cieri, nautis & agricolis notum est; quis verò istorum siderum influentias sensu ullo percepit?

§. 4. Objectionem format: *Fortasse dicent, ridiculum esse: naturales mixtorum potentias aut virtutes sensibus exquirere, nedum quas cælum illis universali concursu aut peculiari concessit*: respondet ad hanc: *Sciant tamen obsecro, magnetis tractivam ferri virtutem, aut cordis, arteriarum motivam nos nunquam ratione novisse: at ferri tractum & arteriarum pulsum ipsissimo sensu experimur. Unde in earum potentiarum notitiam evidenter ducimur. Dent ergo, obsecro, aliqua sensibilia objecta ejus cælestis influentiæ?* Sed confundit hic Gutierrius ea, quæ ab invicem sunt distinguenda. In qualitatibus occultis, ad quas influentiæ spectant, occurrunt hæc 1. forma à qua qualitas manat 2. qualitas ipsa, quâ mediante forma agit 3. modus emanandi à suo principio 4. modus agendi 5. effectus. *Forma* sensibus nòn patet, quia nulla substantia sensus incurrit. *Qualitas* ipsa ab astris occultè influens, non sensu, ut qualitates Elementares, quæ propterea manifestæ dicuntur, percipitur. *Modus* item *emanandi* ut in qualitatibus manifestis, ita longè magis in occultis est obscurus. *Modus agendi* pariter in occultis sub sensum non cadit, cùm non, manifestarum more, proportionem ratione loci, temporis, quantitatis & situs occultæ observent. *Effectus*

Fff verò

verò qualitatum & occultarum & manifestarum , sensibus subjicitur. Ferrum à magnete trahi, item cor ac arterias moveri videmus: virtutem autem magnetis, aut cordis arteriarumque motivam ipsam, item formam, modum emanandi & agendi non videmus, sed ratione indagamus. Ex effectu ratio, agens naturale colligit, & cùm nullam substantiam creatam immediatum actionum suarum principium esse norit, qualitatem, & quæ ei sunt connexa, adesse judicat, quam si per sensus percipit, manifestam vocat, si verò sensus fugit, occultam. Ita virtutes cœlestium sensibus exquirere velle ridiculum manet.

§. 5. Idem denuò sic insurgit: *Qualitas illa aut erit conveniens esse & operari formæ ejus hominis, aut disconveniens, & contra ejus exigentiam. Si primum, ergò etiam erit conveniens alterius hominis formæ, utpote ejusdem speciei ac naturæ, utraq; forma sit, nullo ergò jure morbosa alicui hominum erit, nedum venefica. Si secundum, quam rationem reddent nobis, quod tanto temporis curriculo ab infantia ad consistentiam salubriter ille degit? Quomodo nutricem non infecit? &c.* Dixero pro Carthaginense: 1. Qualitas illa aliena malè ad formam restringitur, cùm in materia, ut peculiariter mixta est, occurrat. Si formæ de se competeret, omni etiam individuo esset attribuenda, & ita nulli foret morbosa aut venefica. Jam cùm in materia mixta detur, non tamen in omni, ideò nec cuivis individuo fascinandi labes competit. Variæ autem in mixta materia dari possunt qualitates, quæ nec formæ specificæ, nec operationibus ejusdem obesse possunt, cùm ex formâ subordinatâ fluant, quæ ipsa imperio specificæ subsunt. 2. Quid si qualitas illa neutra sit, nec conveniens nec disconveniens: sed inimica, sed medio modo se habeat? Peculiaris ille mixtionis modus, quo quis caseum aversatur, qualitas est subjecto suo nec conveniens, nec disconveniens. Non primum, ut per rationem à Gutierrio allatam, quæ hic æquè militare potest, patet: non secundum, quia salubriter homo experientiâ teste, cum tali qualitate Nestoreos etiam annos vivere potest. Et talis infusa ab astris qualitas esse posset. Sed his diutiùs immorari nolumus. Nos ipsi enim fascinatoria jacula astrorum exercitum sublunaribus subministrare omninò negamus, & si ad fascinandi virtutem symbolum aliquod conferant, leve illud esse patet, quia remotè

tè ſaltem ad ſublunarium productionem, ita & ad eorundem temperiem aſtra concurrunt.

§. 6. Proinde Langium Virum Doctiſſimum *lib. 1. Epiſt. 34.* hîc dormitaſſe miramur, quando *Phyſicas ligaturas ab occultâ rerum proprietate dependere ſcribit, nempe ex cœleſti ſiderum conſtellatione & impreſſione pro uniuscujusq; ſpeciei conſtitutione, omnibus individuis congenita.* At hanc quoque cauſam eſſe dicit, quòd quidam in Auſtriâ gemelli objectis ſolis ad januam corporis lateribus ſeras potuerint aperire. *Sic conſtat*, pergit, *animalia, mineralia & vegetabilia, ratione ſpecificæ aut individualis conſtitutionis, in generatione illorum cœlitùs aliquâ imbui virtute, aliis rebus adeò contraria & interneciva, ut illarum operationes ſiſtat & liget.* Adeò facilius fuit Viro docto iſta narrare, quàm probare. Ita latibulum monſtrat, in quo occulta quæque inſcii & ſua Magi tueri, atque excedentia naturæ limites effecta obtegere queant. Sed ne obtegant, illud dudum Viri docti obturarunt. Cœlum nimirum ut generaliſſima, remotiſſima & indeterminata eſt cauſa eorum, quæ ſub Luna fiunt. Communi quidem ratione influit, non autem determinat & diſtinguit, adeóque nec virtutem faſcinandi, quæ in quolibet individuô particularis & determinata eſt, ſingulariter huic vel illi ſaltem largitur. Particularis quærenda eſt cauſa, non univerſali inhærendum.

CAPUT VI.

Quantum imaginationi in Faſcinatione tribuendum? Imaginationis natura docetur. Actiones ejus ſunt vel primariæ, vel ſecundariæ. Quomodo ſuum ſubjectum afficiat? Apprehenſa ſpecies, nec à cognoſcente facultate virtute reali imbuitur, neq; ſi qualitate reali eſſet prædita, imbui poſſet. Quomodo imaginatio corpus per accidens alteret. Virtus imaginationis in quinq; potiſſimùm obſervatur.

§. 1. QUantum *Imaginationi* in Faſcinationis negotiô ſit tribuendum, nos promiſſi ſupra dati memores jam diſcutiemus. Imaginationem faſcinationi & vulgari & naturali promovendæ inſervire, plurium eſt ſententia. In *vulgari*, quæ *per verba* fieri creditur, imagi-

nationem verba, virtute impraegnare propter solum animae imperium censet Avicenna. Quae autem *visu* fieri putatur, radiorum malignorum imaginationis virtute propulsorum, virtute eam absolvi sentiunt alii. *Naturalis* Fascinationis imaginatio causa statuitur, quatenus eadem spiritus & halitus venenatos, ad oculos commovet, quae inde progressi passibilia corpora laedunt: cumque admiranda sint & fide omni majora, quae ex mente quorundam imaginatio praestare dicitur, altiùs haec ipsa recolemus, quaeque in ea quaerunt fascini Patroni latibula evolvemus,

§. 2. *Imaginatio*, quae & Phantasia (sensu non vulgari, pro rationis corruptione, sed Philosophicô, pro corporis sensitivi proprietate) dicitur, est sensus internus, species è sensu communi ad se delatas diutiùs retinens, altiùs examinans, novasque inde eliciens, Sperlingius *Instit. Physic. lib. 6. cap. 3. §. 15.* *Sensus est*, & quidem internus, quia est potentia animae sensitivae propria, cujus facultates sunt cognoscens, appetens & locomovens. *Cognoscens* sensus dicitur, qui vel internus vel externus. *Internus* est sensus communis & phantasia. Animal colores visu, sonos auditu, odores olfactu, sapores gustu & qualitates tactiles tactu cognoscit. Cognitionem objecti, si bonum sit, sequitur appetitus, & ad prosequendum illud loco se movet animal. Cognitio autem non nuda specierum sensibilium in externis organis receptione, absolvitur, sed interiùs species ut apprehendantur, insuper requiritur. οὐ ἐπὶ τοῦ ἐσχάτου ὄμματος ἡ ψυχὴ, καὶ τῆς ψυχῆς δύναμις αἰσθητικῆς ἐστιν, ἀλλὰ δῆλον ὅτι ἐντός. *Neque enim animae facultas visiva est in oculo extremo; sed, ut patet, interius est.* Istas per organa sensoria ad se delatas sensus communis recipit, dijudicat, & quia non nisi objecto praesente operatur, idque paulò confusiùs facit, eas rectiùs examinandas tradit phantasiae. Hujus verò actiones sunt vel primariae vel secundariae. *Primariae* sunt species, ut dictum, à sensu communi confusius acceptas recipere, in se continere (unde & formarum seu specierum conservatorium dicitur) contentas aptiùs ordinare, rectiùs dijudicare, easque in phantasmatis naturam convertere, insuper unum ex alio elicere, & quidem è sensatis non sensata, species acceptas vel ad invicem, vel cum intentionibus elicitis, intentiones verò cum intentionibus elicitis componere, quae actiones omnes sunt immanentes, quia in eâdem potentiâ, à qua eliciuntur,

untur, manent. *Secundariæ* ſeu tranſeuntes ſunt, quæ à phantaſiâ ad ſubjectum proprium vel alienum, ſed internum, quale eſt fœtus, tranſeunt, idque afficiunt.

§. 3. *Afficit* autem *Phantaſia ſubjectum*, non per ſe & directè, ſed per accidens & indirectè. *Non per ſe*, ſeu propriâ virtute, quia facultas cognoſcens eſt: cognitio autem effectivè corpori ſeu proprio, ſeu alieno realem mutationem inferre neſcit, cùm nihil ultra ſuam ſpeciem agere poſſit. Apprehenſio objecti per ſpecies ſaltem, ſine qualitatis realis communicatione contingit: apprehenſa autem ſpecies neque à cognoſcente facultate tali virtute imbuitur, neque ſi reali qualitate illa eſſet prædita, imbui poſſet. *Prius* patet, quia cognoſcens facultas anima eſt; anima autem cùm ſpiritus ſit, alteratrices qualitates neſcit. *Poſterius*, quia ſpecies concepta ſpiritalis eſt, quæ realem qualitatem recipere nequit, ſed ſaltem id, quod ſenſibus erat objectum, repræſentat, in quo ejus eſſe & ratio formalis conſiſtit. Adhæc cùm ſedes imaginationis cerebrum ſit, variis certè, cùm varia ſint cognoſcentis facultatis objecta, illud indies ſubjiceretur alterationibus & morbis, ſi multiplicatis ſpeciebus multiplicarentur qualitates reales & alteratrices. Qualitates namq; reales realiter, & quidem diverſæ diverſimodè ſuum ſubjectum, cui inſunt, afficiunt.

§. 4. *Per accidens* & indirectè imaginatio alterat corpus medìantibus ſpiritibus & humoribus, mutationum quarumcunque in corpore autoribus, ita tamen, ut cognoſcens moveat appetitum, appetitus locomotivam, locomotiva ſpiritus & humores, tractis inſimul in conſenſum potentiis naturalibus, attractrice, retentrice & expultrice. Qua in re natura quandoque ſingularia in uno, quæ pluribus denegat, oſtendit: prout divitiarum ubertatem diverſimodè diſtribuit. Auguſtinus *lib. 14. de Civ. Dei, cap. 23.* ſe expertum ſcribit, quendam, quotiescunque voluerit, ſudaſſe. Imaginatio nimirum, juxta delineatam jam virtutum ſeriem facultatem tandem expultricem excellenter movit & ſuſcitavit. Alius ibidem, imaginatione alio modo operante, quando placuit, *ad imitatas* (verba ſunt D. Patris) *quaſi lamentantis cujuslibet hominis voces ita ſe auferebat à ſenſibus, & jacebat ſimillimus mortuo, ut non ſolum vellicantes atq; pungentes minimè ſentiret, ſed aliquando igne etiam ureretur admoto ſine ullo doloris ſenſu, niſi poſtmodum ex vulnere:*

recurrentibus nimirum ad vitæ fontem spiritibus animique deliquium inferentibus. Imaginatio verò pro objectorum diversitate motricem facultatem diversimodè quandoque concitat & dirigit, modò ad hanc, modò ad illam partem, v. g. ad ventriculum, cum rem fœtidam & abominandam percipit; ad musculos temporales & masticatorios, cum oscitantem alium quis advertit; ad genitalia, cùm venereis est attenta. Plura vide apud Sennertum *de Cons. & Dis. cap. 13.* & Sperlingium *de Format. Hominis cap. 5. Quæst. 3.* In quinque autem potissimum imaginationis virtutem observari notavit Cardanus *libr. 8. de Rer. Variet. cap. 44.* in Venere, in somno, in adspectu rerum fœdarum, in prægnantibus & in sonis, quorum memoria horripilatio, & quandoque horror nos invadit.

§. 5. Jam, quæ imaginationis in fascinô inferendô sint partes, excutiemus. Quod *vulgare* & quidem *vocale* attinet, ab imaginatione verba vim & facultatem non acquirere, natura tum imaginationis, tum verborum indicat. Imaginatio enim, ut ex dictis constat, species per sensus oblatas nudè cognoscit, mentique repræsentat. Cognitio autem & repræsentatio nuda, cùm in ratione sua formali potestatem omnem neget, vires verbis conferre nequit, quicquid etiam anima hîc imperet. Frustra imperatur solutio, ubi nulla solvendi potestas. Neque etiam per accidens, tractis in consensum potentiis aliis & cum his spiritibus ac humoribus, verba imprægnare potest imaginatio, quia verba quoad materiale suum sonus sunt: sonus autem ex aeris diverberatione & concussione oritur, quæ qua talis ad patiendum est inepta, & ad virtutem realem recipiendam incapax, quomodocunque etiam partes humoribus refertæ circa illius formationem sint occupatæ. Si quam autem partes vocis editioni inservientes, inter loquendum aeri forsan imprimunt qualitatem vitiosam, ea non voci ipsi potest attribui, cum extra ejus formationem præsens sit in corpore impuro halituum vitium non tam vulgare, quàm naturale per contagium fascinum inferens *Confer. cap. Subseq. 8. §. 6.*

§. 6. *Visuale fascinum* imaginationem promovere posse, faciliùs admittitur: non tamen sensu Platonico, quasi per imaginationem radii visivi ex oculo, ut visus instrumento vibrati objecta lædant, sed quatenus ex oculo, ut corporis parte, effluvia manant adversa, id quod & D. Sennertus

nertus *loc. cit.* admittit. *Quæ de Fascino*, inquit, *dicuntur*, *etiam planè de nihilo non sunt. Referunt etiam Catoblepam venenatis oculorum radiis homines enecare. Quæ omnia accidunt à spiritibus, vaporibus & occultis illis* ἀποῤῥίαις, *quibus intermediis occultæ rerum sympathiæ fiunt. Hos spiritus aliquo modo dirigere potest imaginatio. Cùm enim imaginatio spiritus & humores certo modo, ut dictum, ad partes quasdam dirigat; in invidia, odio, ira malefici humores, qui in corpore moventur, ad oculos etiam diriguntur & moventur &c.* Sic autem non vulgare, quod & nos supra rejecimus, sed naturale fascinum, seu contagium imaginatio promovet.

CAPUT VII.

Sennertus ab insultibus Gutierrii vindicatur, & hunc infelici sidere prælium conseruisse ostenditur.

§. 1. JOan. Lazarus Gutierrius *Medicinæ Pincianæ Doctor & Profess. P. Opusc. de Fascino Anno hujus seculi 53. Lugduni excuso Dub. 3. num. 21.* hîc cum Sennerti manibus in arenam descendere & prælium conserere conatur. 1. *Dicta ejusdem assertum Platonicum redolere* ait. Verùm verba contextûs & alia in Praxi ejus loca faventem vulgari fascino Platonis sententiam eum non admittere, satis produnt, ut propterea laudato Autori, quod planè respuit, ille frustra affingat. De Catoblepa quid referant autores, ibi enarrat, eam nimirum venenatis oculorum radiis homines enecare. Ipse autem non subjungit, ea accidere à radiis, sed à spiritibus, à vaporibus, quos à radiis benè novit distinguere. 2. Pergit idem sic: *Sennertus falsò imaginationi tribuit tanquam immediato agenti directionem illam spirituum ad partes intra nos. Sequeretur quippe ex ejus sententiâ posse nos pro arbitrio spiritus intra nos ad has aut illas partes convertere, cùm imaginationis actus liber suâ naturâ sit. Id verò contra experientiam est &c.* Ostendit exemplô iræ & timoris ac tristitiæ. Ibi spiritus & sanguis ad extra, hîc ad intra moventur: *neque tamen*, ait, *è contra si appetitus noster imaginatione praviâ eosdem spiritus in ira ad intima movere vellet, aut in timore ad extima, illud assequeretur. Ergò quamvis imaginatio, ut Sennertus habet, certa ratione spiritus ad partes dirigat, non id operatur quovis modo, neque ad quascunque*

cunque partes. Ergo neque pro arbitrio ad oculos, vel si hoc illi daretur, non mittet extra eos, neq; ad objecta etiam proximiora. Sed 1. grandis ille Hispanus grande falsum Viro laudato tribuit, ac si imaginationi, tanquam immediato agenti directionem spirituum tribuat. Contrarium apertè verba ejus *pag. 231.* produnt, ubi ait: *Neque enim humores & spiritus per se, directè & immediatè ab imaginatione moventur, sed per accidens solùm, excitando & movendo illas potentias naturales, attractricem, retentricem, & expultricem, quarum munus est humores & spiritus movere ad corporis nutritionem; inprimis verò illam cordis facultatem, quæ θυμώδης dicitur, cujus pro varietate affectuum in humoribus variè agitandis maximam vim esse, notissimum est.* Deinde non dicit Sennertus imaginationem simpliciter & pro arbitrio absolutè, sed aliquo modo dirigere spiritus. Imaginationis quidem actus liber est, sed facultates ei inservientes naturales sunt, in quas illa non habet imperium absolutum. Neque enim v. g. attractrici, ut sanguinem laudabilem, in nutritione partium cachectici corporis, trahat: expultrici, ut vitiosos succos expurget, imaginatio imperare potest. Materiales sunt illæ, & propterea ad placitum imaginatio eas provocare, atque ad actum deducere nequit: deductarum verò objectum, in quantum per se potest, idque potentiæ permittunt, moderatur. Sicut ruricola affluentis aquæ cursum, qui naturalis, in contrarium vertere nequit: affluxam autem modò in hunc, modò in illum locum manuum instrumentorumque operâ dirigit, ac largiùs, quæ placent, loca irrigat: Ita imaginatio spirituum & humorum cursum, qui naturalis est, non invertit; eos autem in circulari suo motu, inferiorum facultatum ope modò in has, modò in illas partes majori impulsu dirigit, & largiùs quasdam pro ratione objecti phantasiæ oblati, & cum partibus per speciem cognati perfundit. In isto autem motu imaginationem ad res visibiles attentam, humores & spiritus ad visûs instrumentum æquè, ut in cogitationibus venereis ad genitalia, propellere, quid impedit, ut asseramus? quamvis ibi non ita ut hîc evidens sit affluentium humorum motus. Itaque non pro omni arbitrio, sed quod cum firma certi objecti ad certas corporis partes respectum quendam habentis apprehensione fit, per locomotivam ab appetitu suscitatam contingit spirituum & humorum dirigente sic imaginatione, motus certus. Si autem ad oculos copiosiùs mittuntur, quidni

etiam

etiam extra eos ad objecta proximiora fieri queat transmissio, cùm nec natura spirituum, qui sunt subtilissimi & maximè mobiles, nec partis, quæ perspirabilis est & porosa, conditio id neget. Majorem tamen istarum partem ex naribus, ore, aliisque partibus egredi, supra concessimus, quod nec ipse Sennertus negat, qui, postquam non mirum esse dixisset, menstruo laborantes fœminas plus per oculos, quàm alias partes afficere, Erasti *Disp. contr. Paracels. Part. 1.* id negantis sententiam, quam subjungit, non improbat. Negat autem Erastus à spiritibus ab oculis vel aliis partibus procurrentibus specula tingi, sed si fiat, à vaporibus ex naribus, ore, partibusque aliis egredientibus accidere, & si fœminæ saltem caveant, ne ore aut naribus specula afflent, nihil noxæ tersissimis etiam speculis inferre statuit.

§. 2. III. Hoc subjungit Gutierrius: *Meminerit* (Sennertus) *obsecro, actionem imaginandi immanentem esse, ut ipse fatetur. Ergò nequit transeunter aliquo modo operari. Ergo neque per accidens spiritus ipsos commovere poterit. Quomodo immanens actio, transiens, neq; per accidens erit?* Verùm quod bonus hic Vir insanô contradicendi pruritu suscitatus negat, sui oblitus *Dub. 4. numer. 14.* affirmat, ubi pathemata morborum occasiones nobis esse dicit, quia in eis imaginationis imperio spiritus & sanguis diversimodè moventur, agitantur, obstruuntur. Et *Dub. 3. num. 19.* imaginationem, cui sanguis spiritusque nostri subjiciuntur, illos movere jam intrò, quò damnum per verba expressa fugiant, jam ad extra, quo indicatum bonum prosequantur, claris verbis proponit. Quem ergò Sennerto ibi solvendum obtrusit, sibi ipsi imprudens hîc nectit nodum. Actio nimirum imaginandi, ut talis, seu cognoscens, per se immanens est, & transeunter non agit: quatenus verò motricem facultatem suscitat, & per eam humores spiritusque movet, transeunter in subjectum agit, quod ipsi cognoscenti facultati per accidens competit. Ita contradictio expirat.

§. 3. IV. Objectionem diluit: Dicet Sennertus, *imaginationem esse actum immanentem, sed ad illum actum sequi appetitum, ad hunc verò facultatis moventis spirituum substantias (quæ naturalis est) actum sequi, unde commodè dici posset, prædictum spirituum motum per accidens ab imaginatione pendere. Tamen contrà est, quia modus iste motionis spirituum si expendatur, naturalis omninò est, quamvis appetitionem præce-*

 dat,

dat, unde determinatus ad unum, nulla ratione indifferens. *Nequit ergo adhuc per accidens ad oculos, pro imaginantis imperio, aut ad os, aut ad aliam transspirationis viam spiritus naturali potentia mitti.* Verùm ex ignorantia motus sanguinis hæc moventur. Est ille omninò naturalis, & quia à corde per arterias propulsus, per venas ad idem vitæ principium sanguis refluit, circularis audit ejus motus. Motus iste perpetuus est, in se uniformis semper, & sic ad unum determinatus, pro affectuum tamen & specierum phantasiæ impressarum varietate, adeoque pro imaginationis imperio idem sanguis & spiritus eandem viam legens jam copiosiùs, jam parciùs in hanc vel illam partem decumbit. Et sic modus iste motionis spirituum ab indifferentia, quæ ad copiosiorem vel parciorem istorum influxum referri nequit, absolvitur, eaq; ad unum determinatio salva nihilominus, in spirituum ab imaginatione per accidens pendente motu, perstat.

§. 4. V. Sic arguit: *Imaginatio (etiamsi detur spiritus per oculos protrudere ad certam distantiam) quo fine illos movet? Quia spiritus ad oculos pervenire, quò visionem juvent, vel ipsam operentur, finis naturæ, non errantis est, in quem illæ substantiæ fuerunt productæ: at extra oculos mitti fine carere videtur, & omni ratione.* ℞. 1. Ex eo, quod fine careat spirituum per oculos protrusio, eandem Autor negare conatur, sed gratis. Dantur enim multæ actiones, quæ fine carent, v. g. cum inter loquendum barbam vellicamus, cum tibiam inter standum movemus; non tamen propterea actiones illæ sunt negandæ. 2. Distinguimus inter id, quod per se ab agente intendente fit, & quod per accidens præter agentis intentionem contingit. Ibi, non hîc, locum invenit finis. Natura autem non intendit spiritus extra oculos mittere: si autem spiritum spiritus copiosiùs ad oculos protrusi expellunt, per accidens hoc fit. In ira spiritus & sanguis extimas partes petunt, quasi inimicum aggressuri; in timore & tristitia ad intimum corporis confugiunt, quasi refugientes istum. Sed si ibi spirituum resolutio, per apertos corporis æstuantis poros deperditio; hîc verò eorundem circa præcordia suffocatio obtingit, præter naturæ intentionem, atque ita sine fine id evenit. Sic subjectâ oculis re inimica imaginatio sanguinem, & spiritus copiosiores illuc, non ut visionem juvent, sed ut quasi inimi-cum

cum corpori vicinum aggrediantur, transmittit: qui si hac sua sede propulsi excidunt, per accidens hoc, ut diximus, fieri patet.

§. 5. Quod VI. & ultimo loco affert, responsione vix dignum: *Denique*, inquit, *demus huic & aliis spiritus per oculos extramitti ab imaginatione, vel ab alia potentia, fateamur etiam ad proximam & certam distantiam illos solùm expelli (quæ facilia aliàs intelligi non sunt) non proinde constat, potentiam visivam qua talem hujus mali authorem esse.* Neque enim potentiam visivam, qua talis, hujus mali authorem esse D. Sennerto in mentem venit unquam, atque ipse *lib. 6. Pr. Med. cap. 1.* Langium reprehendit, quòd non per effluvia sola, sed & per visum è vulgi opinione fascinum explicet. Ut autem, quæ intellectu difficilis Gutierrio videtur, spirituum ad certam distantiam protrusio facilis fiat, dicimus spiritus, quò viciniores sunt suis, è quibus sunt elapsi, oculis, eò conjunctiores esse, & ad imprimendam pravam, quam vehunt, qualitatem teneris corporibus, fortiores: quò remotiores, eò magis dispergi, eoque minoris, & tandem, si distantia nimia sit, nullius esse efficaciæ.

§. 6. Quæ cùm ita sint, atque omnia partim rationi congruant, partim experientia nitantur, adeoque fascini naturalis seu contagii per oculos emissi (si ita cum aliis, ipso etiam D. Sennerto loqui malumus) possibilitatem non infringunt, infelici, ut patet jam omnibus, sidere in arenam descendit, vanoque Germanorum Hippocratem conatu laboravit rejicere Gutierrius, ipse ob iniquam contradicendi libidinem rejiciendus. Hoc autem, quod rem præsentem concernit, conclusionis loco subjicimus, *magis credibile esse, pauca omninò per oculos ferri effluvia; multò verò plura per os & nares, quibus potius ea adscribenda sunt, quæ oculis fieri dicuntur*, verba sunt Doctissimi Sennerti *loc. cit. pag. 383.*

CAPUT VIII.

Imaginationis vires justò longiùs extendunt alii. Anima hominis cum intelligentiis male confertur. Anima extra corpus de se nil operatur, adeoq; nec imaginatio. Corn. Agrippa, Helmontius & alii notantur. Imaginatio verba virtute naturali imprægnare nequit.

nequit. Imaginatio unius realiter in alterius imaginationem non agit. Objectiones diluuntur. Homines melancholicos ſui ſimilem diſpoſitionem per ſpiritus in alios transfundere negatur Verulamino ob rationes in contrarium præſentes.

§. 1. IMaginationis vires alii juſtè longiùs extendunt, qui eam non ſolum in proprium, ſed & alienum ac externum corpus agere, idque realiter transmutare, corpusque ſanum, tam alienum quàm proprium, ad ægritudinem, ægrum verò ad ſanitatem convertere, corpora faſcinare & plura alia, quæ ſupra enumeravimus, efficere cum Avicenna contendunt, eò, quòd anima ſit ſpiritualis, & corpori non neceſſariò cohæreat, adeòque congenea ſupernis intelligentiis abſolutam in corpora ſublunaria poteſtatem habentibus. Verùm dogma illud, quod Marcellus Donatus *libr. 2. de Medic. Hiſtor. Mirab. cap. 1.* falſiſſimum, hominique Chriſtiano & Philoſophô indignum meritò vocat, falsô nititur fundamento, animamque hominis cum intelligentiis malè confert Avicenna. Intelligentiæ enim ſpiritus ſunt abſoluti & completi, extra omnem corpoream ſubſtantiam exiſtentes, activitatis magnæ. Anima autem ſubſtantia eſt incompleta ordinata ad hominis conſtitutionem, ſic ut quatenus talis, h. e. quatenus eſt forma hominis informans, neceſſariò corpori cohæreat, & eſſentialem ad corpus reſpectum involvat; ſine corpore autem naturaliter eſſe nequeat, ſtatusque ſeparationis ei præternaturalis ſit. *Operationes* autem *animæ*, cujus poteſtates angelicâ ſunt inferiores, vel immanentes ſeu internæ ſunt, intra ejus naturam manentes; vel transeuntes ſeu externæ, quæ in materiam, per quam operatur, & in qua nutriendo, ſentiendo, movendo, generando organicas edit operationes, transeunt. Actus animæ *immanentes* per ſe non ſunt operativi ad extra, aliàs immanentes non eſſent; ſed neque transeunt & ad extra tendunt, quia in materiâ, quam anima informat, iidem ſubſiſtunt. Extra corpus autem de ſe & immediatè nil operatur, aut realiter immutat vel movet, quia naturæ eſt incompletæ, & ad materiam ſic ordinata, ut per eam certas operationes, ſine ea, nullas edere queat. *De ſe* dico & *immediatè*. Per aliud enim & mediante corpore, quod regit, alia corpora, corporeo intercedente contactu movere, & per cauſas naturales, applicando activa

paſſivis

paſſivis alterare ac mutare poteſt. Si autem anima de ſe id præſtare nequit, multò minus à cognoſcente ejus facultate, quæ imaginatio dicitur, quia cognitio immanens eſt actus, ſperare licet. Cognoſcens facultas ſe non magis extra proprium ſubjectum ullâ exerit ἐνέργεια, quàm ex alterius cognitione quiſpiam exercitatior vel doctior evadit, ut benè advertit Deuſingius *de Superſtitioſ. Morb. Orig. & Curat.* §. 18.

§. 2. Sicut facultas viſiva ex oculo non egreditur & colorata alterat, nec actus videndi aliis communicari poteſt : ita imaginativa facultas ab eo, qui imaginatur, non egreditur, & objectum mutat, ſed intus manet, & contemplandi munere functa, quieſcit. Præterea: Quod non objicitur imaginativæ, id non poteſt imaginativa cognoſcere & repræſentare, multò minus efficere, quia non circa cognitum & repræſentatum imaginationis virtus, (ſi vel maximè dari concedatur) verſatur. Jam verò ægrotante Petro non objicitur Pauli imaginativæ ſanitas ſed morbus. Ergò Pauli imaginativa non poteſt cognoſcere & repræſentare Petri ſanitatem, multò minus efficere, ſed potius contra, quia intuendo Petrum ægrotantem cognoſcit, morbum ipſum augebit, quia ſecundum cognitionem agit modo efficiendi non liberô, ſed naturali, qui aliter fieri nequit: cùmque multi ſint, qui ægro adſtant, horum imaginatio circa morbum ægri frequens & valde occupata augebit affectum. E contra ægrotantis unius imaginatio, licet circa præſentium ſanitatem, eam ſibi repræſentando ſit laborioſa, à plurium tamen ſanorum imaginationibus circa illius morbum verſantibus ſuperabitur.

§. 3. Adhæc imaginatio caret mediis & inſtrumentis, quibus abſens vel diſtans corpus moveat & turbet. Ipſæ intelligentiæ non niſi agentium naturalium medio pluvias, tempeſtates, ac terræ motus concitare queunt. Ergò tantò minùs id anima noſtra præſtare poteſt. Imaginatio motus eſt à ſenſu factus, ut diſſerit Marcellus Donatus *l. c.* qui à rebus, quæ foris ſunt, proficiſcitur, ſimulacris rerum in ſenſibus receptis: rerum autem ſimulacra vel parem, vel imbecilliorem facultatem rebus, à quibus ſeparantur, habebunt. Effectus enim cauſis potiores eſſe non poſſunt, nec pars toto: quo fit, ut anima imaginatione rerum affecta rebus ipſis potentior eſſe non poſſit, in quantum taliter affecta: res autem, quarum formis affecta eſt, nullum ex ſuperius ad-

ductis effectibus mirabilibus causari possunt, ergo nec anima, quatenus illa affecta est simulacris & imaginibus.

§. 4. *Si imaginationis ea esset efficacia, ut extra se corpora moveret loco, vel immutaret, possent hoc universi homines, vel saltem sapientes, aut pii. At hi nec totum diem, imò etiam mensem imaginando vel festucam valent loco movere*, erudite colligit Vossius *Idolol. libr. 3. cap. 31.* Tandem si imaginatio proprio corpori alterationem majorem quàm quæ actu est in potestate humorum & spirituum, inferre nescit, multò minus in alienô & externô corpore eam producet. Illud autem inde constat, quia, ut Fienus *de Virib. Imaginat. Conclus. 24.* disserit, *etiamsi quis toto die imaginetur, se esse calidum, aut velit esse calidus, non ideò calefiet, aut imaginetur, se esse frigidum, non ideò frigefiet. Æthiops imaginando albedinem per integros annos non ideo albescet: fœtore anhelitûs laborans, imaginando perpetuo odoris bonitatem, non ideò sibi faciet anhelitum odoratum.* Parti quidem corporis proprii determinatæ v. g. genitalibus corporis juvenilis (cur autem non senilis? cum idem sit in senili, quod olim fuit in juvenili, eodem modo se habens) cum venerea jugiter meditatur, calorem majorem infert, quia is in potestate spirituum est, qui ubertim influunt: toti autem inferre nescit, cùm superet ejus potentiam novarum partium calidarum productio.

§. 5. Itaque Corn. Agrippæ sententia, quam supra *Lib. 1. Part. 1. Sect. 3. §. 3.* vidimus, cum deliramentis aliorum, qui per fortem imaginationem serpentes convocari, sagittas extrahi & vulnera curari blaterant, in fumum abit. Falluntur quoque, qui virtute imaginativæ fieri posse credunt, ut aves pullos ejus coloris, cujus, fuerunt cortinæ, intra quas clausæ ovis incubuerint, excludant, causamque, cur aves domesticæ tam diversorum sint colorum, sylvestres verò uniusmodi ferè semper, hanc reddunt, quod illæ tam diversorum colorum species hauriant, cùm ovis incubant, hæ verò minimè. Nam inter avem & ovum non datur continuatio, neque phantasia, quæ sigillifera aliàs dicitur, sigillum vel ideam conceptam per putamen ad pulli formatricem facultatem defert, cùm ovum non ingrediantur ideæ vectores, sanguis nimirum & spiritus avis incubantis. Quis credat columbam pullos edere rubeo discrimine misto, si

Stragu-

Stragula flammeolis oculis, rubrosq; tapetes
Et vestes ostro perfusas objicit auceps?

Ficta illa imaginationis potestate freti sine dubio autores isti non experti talia evenire posse asserere fuerunt ausi.

§. 6. Cadit quoque ingens Helmontii mysterium, quod in phantasia, objectum longissimè absens afficiente, se indagasse credidit. Exploduntur insimul Montani & Agrippæ placita: siquidem homo ille apud Montanum incantationis, non imaginationis ope serpentes convocavit. Certè qui imaginationem ipsam verba virtute naturali prægnare affirmant, injuriam sanæ rationi faciunt. Siquidem 1. imaginatio, cùm sensus sit, facultas animæ est, quæ eadem & iisdem in omnibus suæ speciei individuis instructa est qualitatibus, quas ex æquo omnia individua participant. Ipsi autem animæ ejus, qui per verba fascinare creditur, novas vires & novas potentias, quibus non fascinantium animæ carent, addere, est eam compositam facere, adjungendo ejus naturæ principium aliud, à quo qualitas fluat; vel specificam ejus rationem tollere, essentialia & ab ejus naturâ manantia prædicata nova affingendo. Diversitas enim operationum diversitatem potentiarum, potentiarum diversitas diversitatem essentiæ indicat. Itaque ex consequenti qui verbis fascinant, ab imaginativa sic castigatis, erunt alterius speciei individua, & æquivocè homines dicendi, quod absurdum est dicere. 2. Cùm imaginativa facultas animæ qualitas sit, quæ ipsa, uti anima, cujus soboles ista est, ab omni malignitate aliena, nullam etiam verbis imprimere potest qualitatem vitiosam. Neque instrumentum virtutem agendi à causa principali, quæ tali virtute caret, capere, & in aliud traducere potest. Si verò à corpore eam oriri dixeris, jam à crimine absolvis istam. 3. Si naturalem imaginativa fascinandi virtutem obtinet, citiùs suum, præcipuè in tenera ætate subjectum, quàm alienum inficiet, cùm id, quod inhabitat, ut vicinum potentiùs lædere queat. Sed cùm posterius experientia neget, ratio ipsa prius quoque non admittit. 4. Imaginatio aut in actione immanente, aut transeunte fœcundat verba. Non in immanente, quia hæc saltem in determinata specierum perceptione, seu in esse cognitionis certo subsistit. In cognoscendo autem ad alia, ut qualitates conferat, non transit: non in transeunte, quia si non in se habet virtutem ullam imaginatio, neque etiam mediantibus facul-

tatibus

tatibus inferioribus, quarum beneficio ad alia transire dicitur, ex se eliciet ullam. Si verò è corpore impuro elicitur, à fascinationis crimine itidem absolvitur.

§. 7. Nec per exempla comiter probat Illustrissimus Comes Digbæus, fortem hominis alicujus imaginationem in imaginationem alterius debiliorem & magis passivam agere. Oscitante uno oscitat & alter, non imaginatione unius realiter ad extra in imaginationem alterius operante, sed motâ Petri imaginatione à Pauli actu oscitationis per species visu vel auditu perceptas. Non rarò etiam imaginatio oscitantis quiescit, & distracta ab aliis objectis eâdem spiritus interni (ut ore ejus loquar) ne quidem utrum homo oscitarit, cognoscunt: nihilominus tamen alter se ad oscitandum invitari novit, ut proinde Petri imaginatio, quia fortiter apprehendit, fortior sit dicenda illa Pauli, quæ saltem occasionem quandam inscia etiam subministrare potest. Nempe, ut præclarè differit Deusingius *Exam. Pulv. Sympath. pag. 545. percepta visu specie oscitationis vel etiam cogitatione solâ, natura ipsa (nisi distrahatur* ἐνεργείᾳ *aliqua animali, ad quam studium & intentio accedat major) suscitatur per conceptam imaginationem ad expellendum id, quo sentit se gravari, quodq; interim est fluidum atque ad motum facile, nempe vapores, quibus obsidentur musculi. Est enim oscitatio spiritus seu vaporis & humidi motus, ut est in exemplari antiquo, atque hinc non succedit oscitatio talis., nisi in dispositis, ac qui interim minus intenti sunt rebus seriis: fluida autem quæ sunt, ea faciliùs moventur: unde etiam mingente uno sæpe mingit & alter; quod inprimis in brutis animantibus locum habet, quæ ipsa quoque non solo visu, sed & odoratu excitantur (quod & ab Aristotele notatum) hinc ubi minxit canis unus, ibidem & alii commingunt. Nequaquam ergo ab unius hominis aut animalis imaginatione commovetur vel excitatur imaginatio alterius; sed per objectum quodcunque sensus movens, adeoq; vel visu vel odoratu &c. perceptum, vel per memoriam denuò repræsentatum phantasiæ.* Hæc Deusingius.

§. 8. Sic & minimè actionem imaginationis unius in alterius imaginationem probat nonnullorum in societatem risus vel tristitiæ, in quem solutos alios fortunâ inveniunt, protractio, nisi forsan actionem spretâ physicâ, moralem, quæ talem nullum probationis momentum afferre

afferre poteſt, fingere velimus. Realiter imaginatio in aliam non agit, ſed qui accedit, ex riſu præſentium colligit objectum ejus adfuiſſe ludicrum, quod & ipſum quoque ejus imaginationem, vel ſaltem confusè, ſuſcitat, & admirationem cum deſiderio id percipiendi & congaudendi imprimit, inde ad riſum, qui gaudii ſignum quoddam eſt, facultates inferiores, ut eum promoveant, ſollicitantur. Nobilis illius Matronæ melancholicæ complexionis & uterinis affectibus obnoxiæ ſocias virgines cognatas & pediſſequas, non imaginationis Matronæ in phantaſiam illarum operantis poteſtate, ſed communi aeris vitio ſimilem affectum contraxiſſe, eodemque poſtea mutato remiſiſſe, optima eſt D. Strauſii & D. Deuſingii conjectura, atque illa, quæ ex imaginationis ad extra operantis ratione deducitur, melior.

§. 9. Verulamius hîc ad ſpirituum communicationem refugit *Sylv. Sylvar. Cent. 10. pag. 573.* ***Homines***, inquit, ***melancholici putantur pravam & ſui ſimilem diſpoſitionem transfundere in illud, cui interſunt, conſortium; & contra alios excitatioris ad feſtivitatem genii parere conſimilem in aliis præſentibus affectum. Sanè ratio non abnuit, dari ſaltem leviuſcula effluvia ſpiritus in ſpiritum, quos propior ſociat conventus aquè ac de corpore in corpus. Obſervatum, ſenes, qui juvenum congreſſui frequenter ſe miſcuerunt, converſatione non interruptâ, longævos evaſiſſe, cùm ſpiritus eorum ex tali conſortio fuerint recreati.*** *Tales antiqui Rhetores & Sophiſtæ fuerunt ſemper inter auditores & diſcipulos juvenculos verſati, ut Gorgias, Pythagoras, Iſocrates &c. qui ad centeſimum annum vixerunt; Grammaticorum quoque plurimi, ut Orbilius.* Verùm 1. non realis, ſed moralis diſpoſitionum transfuſio hîc locum habet, quia morum ſimilitudo imitando in converſatione, imaginatione efficaciter cooperante, acquiritur. 2. Spirituum effluvia leviuſcula minoris ſunt activitatis, quàm ut diſpoſitionem novam inferre queant. Puerorum in Scholis trivialibus multitudo non juvenilem Præceptori ſeniori inferunt diſpoſitionem, neque ſpiritus iſtorum laſſatum Informatoris corpus refocillant. Antiqui Rhetores & Sophiſtæ longævi evaſerunt, non, ut ille cenſet, ex frequenti inter diſcipulos juvenculos converſatione, ſed propriæ naturæ bonitate. Plures inter juvenculos degentes nullum hodie diuturnioris vitæ privilegium reportant, licet omnem ſuam iis conſecrent ætatem.

CAPUT IX.

Per imaginationes homo sine matre, utero & semine generare nequit, ut statuit Avicenna, qui asseclas in Galliis invenisse videtur, ubi mulier sine viro solùm per imaginationem concepisse & genuisse dicitur, quod publico Parlamenti Gratianopolitani scripto confirmatum. Sed pro figmento habet Patinus. Imaginatio quomodo fœtum mutet? Animam fœtûs nonnihil mutari ab imaginatione matris ostenditur. Vitia matris etiam in fœtum per imaginationem propagantur. Verba gratiæ vel iræ quomodo imaginationem afficiant? Item confidentia de Medico & medicamentis quomodo sanitatis causa? Imaginatio non omnem tollit morbum.

§. 1. QUæ cùm ita sint, quis porrò eam phantasiæ fertilitatem attribuat, tantumque per imaginationem animam valere cum Avicennâ statuat, ut homo sine matre, uterô, & semine generare queat? Asseclas tamen in Galliis invenisse videtur. Mulier enim ibi quartô post mariti absentiam annô citra virile semen solius imaginationis vi, quâ se cum marito rem habere per insomnium sibi visa erat, concepisse fertur, filiumque enixa hæredem bonorum paternorum, qui Emanuel dictus pro legitimô renunciatus fuit publicâ sententiâ Parlamenti Gratianopolitani Medicorumque nonnullorum Montispessulanorum judicio, referente Th. Bartholino *Cent. 6. Histor. 61.* ubi sententiam Parlamenti Gratianopolitani Gallicô idiomate Parisiis 1637. editam, & à se in Latinum translatam apponit. Mirum plures fœminas, quin & virgines in somniis per imaginationem non concipere & gignere Emanueles, sed rationis calore destitutæ nesciunt: & si imaginationis conceptum supponere ac imponere incautis vellent, matrem cum sobole Philosophi mox exponerent, uti & Gallicanæ istius matris proles rectiùs philosophantium suffragiô expositus hactenus mansit. Quamvis celeberrimus Guido Patinus Doctor Parisiensis in literis ad Bartholinum, quæ in hujus *Cent. 3. Epist. 83.* est, totum hoc negotium figmentum esse scribat, & meram fabulam à quodam nebulone in irrisionem quorundam Senatorum, & in contumeliam Doctorum Scholæ Monspeliensis excogitatam, qui

qui per fugam saluti consulere fuerit coactus, ne incideret in manus Parlamenti Gratianopolitani: nisi forsan Patinum in gratiam nationis suæ hæc scripsisse, ut famæ maculam publicô scriptô impressam deleret, asserendum fuerit. Quis Anonymo illi Mago, cujus suprà *lib. 1. Part. 2. Sect. 2. cap. 20.* §. *4.* & *cap. 21.* §. *5.* mentio facta, credat, imaginatione Gertrudem in pago Lebus dicto, Francofurtum ad Oderam spectante, tantum effecisse, ut Mydæ instar omnia, quæ manibus contrectarat, ipso momento in aurum fuerint mutata, auroque (quod tamen in nutrimentum cedere nequit) vesci fuerit coacta. Præstigias Dæmonis fuisse, & imaginatione non physicâ, sed magicâ id effecisse crediderim, cùm idem autor & remotissimis mundi angulis spiritus imaginationis ope attrahi posse sine ulla rationis sanæ specie impudenter & imprudenter satis persuadere laboret.

§. 2. Alienum, sed internum, nimirum foetus in utero contenti corpus imaginationem variè mutare posse, ambabus Philosophi largiuntur, quia datur in matre & foetu spirituum ac humorum societas, ac inter utrumque harmonia, adeò, ut si matris imaginatio rei externæ ideam & speciem concipiat, spiritibus maternô corpore contentis ideam istam imprimat, impressam ad foetum mediantibus iisdem & humoribus impellat, & impulsam spiritui naturæ formatricis instrumento (non embryonis imaginationi, quia omnes sensûs interni functiones in eo feriantur) objiciat. Spiritus foetus autem juxta ideam sibi oblatam, ceu exemplar, formare partes pergunt. Hinc variis & miris sæpè characteribus monstrositatis nomine insignibus notati foetus, testibus historiarum monumentis nullibi non obviis, in lucem prodeunt. Quamvis & hîc Natura quandoque prodigia ostendat, Rationi humanæ imperscrutabilia, quorum exempla per Dn. D. Tobiam Czaschelium Sacr. Cæs. Majest. Medicum singularia tradit *Annus 3. Natur. Curios. Obs. 268.* Nam Viennæ mulier quædam gravida, pridie ante partum, summô Fraga comedendi desiderio flagrans, sui tandem compos facta voti die subsequenti foetum enixa est, cujus dorsum fragis integris & recentibus conspersum visum est: cum tamen via, qua ad uterum chylus deferatur, ne quidem oculatissimis Anatomicis pateat. Idem ex Arnoldo Senguerdio Philosopho Amstelodamensi mentionem facit mulieris, quæ pridie ante partum laboravit desiderio oleris, quod, postquam comedit, prolem po-

ſtero die peperit, cujus vertex fuit tectus fruſtulis conciſi oleris: ſimiliter alterius mulieris, quæ inſtanti partu, farinæ triticeæ appetitu cruciata fuit, quam cum ingeſſiſſet, poſt ſemihoram prodiit infans clauſis pugnis referens farinam ſiccam, ſimilem illi, quàm mater ingeſſerat. Adeò Formatrix in generationis agro, qui Uterus eſt, negotioſa eſt; extra eum verò ferè otioſa, ſolum formatarum partium augmentum, quod tamen quædam formatio eſt, percurans. Proinde quod de quodam Cepo narrat Plinius, eum, cum maxima attentione interdiu binos tauros invicem pugnantes conſpexiſſet, & cum ea imaginatione ſomno correptum, poſtea expergefactum ſibi in capite exorta tauri cornua deprehendiſſe, fabuloſum eſſe exiſtimamus. Quidam apud Marcellum *de Medic. Hiſt. Mirab. libr. 2. cap. 1.* nares ſe ingentis magnitudinis habere ſibi perſuaſit, à qua imaginatione non niſi fraude liberari potuit. Acceſſito chirurgo ægrotum parentes & ſervi validè comprehenderunt. Chirurgus novacula naribus arreptis eas imminuere fingit, carniſque fruſta oſtendit, quo pluries repetito, æger ab hac inſania liberatus eſt. Firma fuit in hoc imaginatio & perſuaſio, neque tamen majus naribus incrementum iſta revera peperit. Neque ille, qui cornua ſe guſtare putavit, cornua per imaginationem acquiſivit, quo de ſuprà *lib. 1. Part. 2. Sect. 2. c. 19.*

§. 3. Sine corporis vitio monſtroſam animi paſſionem imaginatio matris fœtui non raro imprimit, argumento certè locupletiſſimo, matris phantaſiam, quæ cognoſcens eſt animæ facultas, non ipſam fœtûs phantaſiam ſeu imaginationem, ſed animam mutare. Neque enim ulla, ut diximus, in embryone imaginationis eſt functio, cùm actualis objectorum per ſenſus organa perceptio in eo non fiat: neque ſpiritus, cùm indies mutentur & regenerentur, impreſſam ideam ad dies vitæ retinere queunt. Igitur animam ipſam mutari, quacunque etiam id fiat ratione, dicendum. Afficitur autem anima, non ut rationalis, ſed ut ſenſitiva, ſeu facultatibus animæ ſenſitivæ inſtructa, fitque quaſi ſpiritualis, ſed naturalis quædam immutatio non ratione eſſentiæ, ſed ratione facultatis cognoſcentis, quæ, ut talis, à corpore non eſt independens. Itaque ob reſpectivam illam animæ à corpore dependentiam fit, ut, poſtquam matris anima objectum per ſenſus cognitum mediantibus ſpiritibus ad fœtûs animam traduxit, anima fœtûs impulſum quendam naturalem

turalem

turalem, facultati sensitivæ non simpliciter repugnantem, nec tamen gratum, in utero, ubi generatio fervet, spirituumque matris cum animâ foetus commercium viget, suscipiat & retineat, ac deinceps oblatô phantasiæ foetûs adulti simili objectô, quod adversum olim matri isto gravidæ fuit, antipathetica in sensu naturali radicata affectio resuscitatur. Sic Jacobus Rex Angliæ gladium vaginâ vacuum ita aversatus est, ut eo visô obstupesceret, Digbæo *in Orat. de Pulv. Sympath.* è Buchanani historiâ referente: cujus rei hanc ille assignat causam, quòd aliquando Magnates nonnulli Scotiæ vi irruerint in conclave Reginæ matris, cùm gravida esset, atque cum primario suo ministro, qui Italus natione fuerat, quid rei deproperaret, quem illicò gladiô transfoderunt, ac Reginæ pedibus objecerunt. Viro cuidam primario Noribergensi hoc debeo, nimirum foeminam quandam Noribergensem templum citra animi deliquium & præcordiorum anxietatem maximam subire non potuisse, ut sacros actus intra parietes privatos celebrare fuerit coacta, quia mater gravidationis tempore templô exire maximô flagrarat desiderio: commorandi autem in eo vis, quam pudor præceperat, naturale erga templa quævis odium foetui ingeneravit. Cuidam equestris ordinis Directori, militi aliàs strenuo, & ad quamvis hominum lanienam imperterrito, sectâ scalpello venâ quacunque sanguinem nullus chirurgus detrahere potuit, quia terror matri isto gravidæ scalpelli in venam imprimendi acie incussus ad foetum transierat, ut naturali, invita ratione, huic deinceps venæ sectio, non tantum in se sed & in aliis administranda odio fuerit. Imò

§. 4. Ipsa etiam matris vitia in foetum imaginationis ope propagari testatur sequens apud Salmuth *Cent. 2. Obs. 38.* historia: *Nobilis quædam fœmina, tempore impragnationis Mercatori Lipsiensi vasculum Zinzibere condito refertum subtrahit. Enititur filium, qui postea servis ancillis, varia utensilia (v. g. digitalia, acus, fila, strophiola, calceos) non malitiâ, sed assuetudine subtrahere & certum in conclave includere solitus est. Quod conjunx postea clave adultera reserans, abrepta illis semper restituit, maritô de iis amplius non inquirente, neq; tamen à tali actione in posterum, imò ne per vitam quidem desistente.*

§. 5. Nolumus omnia Imaginationis sacra jam penetrare, nec quomodo certus phantasiæ vi subnascatur color, & res imaginatione

conceptâ ratione figuræ adumbrari queat: item quorsum caput, manus, pedes veniant, si ob fortem imaginationem gravida fœtum iis partibus destitutum, pariat, aliaque ad alium forum spectantia rimari: nos, quæ institutum nostrum concernunt, tangemus. Imaginationi, non ipsis verbis gratiæ vel iræ, à Rege vel Principe factis, aut salutis spem ægro facientibus à Medico datis, effectum, si ullus sequitur, adscribendum esse, supra *Lib. 1. Part. 2. Sect. 2. cap. 1. §. 15.* concessimus, quod qua ratione fiat, hîc indicabimus. Verba gratiæ plena à Rege data phantasia attentiùs recolit, & hinc facultatem concupiscibilem, præsertim lætitiam, quæ circa bonum aut præsens, aut futurum occupatur, suscitat. Nemo enim est, qui in Regis aut Principis gratiâ suam salutem, quæ bonum est maximum, contineri sibi non persuadeat, & unusquisque boni sui augmentum & continuationem naturæ ipsius impulsu quærit. Siquidem *gravis est bonarum rerum sitis, cui sola fruendi assiduitas medicinam facit*, ait Symmachus *Lib. 3. Epist. 46.* Itaque ex gratiæ assiduitate à phantasiâ cognitâ ratio salutis assiduitatem colligit, & imaginationi reddit: natura interea erigitur, vitalis virtus roboratur, sanguisque ac spiritus celerius moventur, partesque omnes suaviter tigantur. E contra verba iræ à Rege fusa phantasia attentius recolens à malo seu metuenda salutis, quam in Regis gratiâ contineri anteà senserat, jacturâ tristitiam concipit, malum morbo omni gravius. Siquidem

Νόσον πολὺ κρεῖττόν ἐστιν ἢ λύπην φέρειν.

Morbum ferre multò satius est, quàm tristitiam.

Hæc languidum reddit humorum cursum, spiritus suffocat, præcordia sanguinis copiâ premit, omnique virtute & robore, partes, exteriores præcipuè, spoliat. Hinc *Mantuæ Princeps à Francisco Gonzaga ob conjurationis suspicionem ad quæstionem aut supplicium in turri servatus unâ nocte totus repentè canus factus est*, Scalig. *Exerc. 303.* Hæc quoque causa est, cur verba quandoque sola metum & terrorem incutientia immodicum sanguinis profluvium à spiritibus tumultuantibus natum reprimant, cujus exemplum recitat Sigmund Freyberg *Recreat. Mensal. Discurs. 14. p. 346.* Zu Cölln am Rhein konnte kein Doctor jenem reichen Kauffmann das Blut stillen/ bis man einen Empiricum holen liesse/ der sonsten gute Curen thate/ und eben deßwegen verhasset war/ weil er den Gradum nicht truge/ und das Geblüt mit diesen Worten erschreckte: Was plaget ihr den guten

guten Herrn? Er ist deß Todes / lasst ihn seinen letzten und besten Willen gegen GOtt und Menschen / abfassen: denn er hat keine Zeit mehr übrig. Dieser Schrecken stillete das Blut auf der Stund. Huc spectat exemplum supra cap. 3. §. 11. allatum.

§. 6. Confidentia ægri de Medicô & medicamentis (qualia sunt etiam amuleta ludicra & inepta illa supra proposita, licet physicâ destituta sint virtute, modò firmam in iis ægroti ponant fiduciam) imaginationis potestate sanitatem sæpe numero amissam restituit; ut proinde jure scripserit Avicenna *4. Natural. 6.* confidentiam ægri de Medico plus valere, quàm omnia Medici instrumenta ad salutem inducendam: nimirum, ut doctè exponit Sennertus *loc. cit. p. 233.* confidentia reddit ægrum Medici præceptis & consiliis obsequentem; præcipuè verò, quia imaginatio aliquos animi affectus inducit, per quos humores & spiritus moventur, qui moti ad morbum vincendum & debellandum faciunt. Ita confidentia in animo ægri generat lætitiam; lætitia autem excitat calorem nativum & spiritus, unde fit, ut cibi rectiùs concoquantur, humores vitiosi vincantur, & morbus expugnetur. Silesius quidam Regiomonti olim mihi narravit, matrem suam gravissimè lecto affixam tantam ex filii sui domum ex improviso reversi adventu percepisse lætitiam, ut profligato inde cum adstantium admiratione morbo, tertio post adventum die cum filio saltandi periculum fecerit. Sic in medicamentorum usu confidentia lætitiam pariens spirituum suscitatorum ope in morbum feliciter insurgit, eumque devincit.

§. 7. Non tamen omnem imaginatrix tollit morbum. Neque enim qui sphacelo, vel putredine, vel ulcere, vel vulnere insigniter corruptas habet partes, ab imaginatione, quomodocunque etiam intendatur, virtutem sperare potest, sed si vitiosorum humorum onere pressi latent spiritus, à phantasia ipsi suscitati & vegetiores redditi, in morbi causam insurgere, eamque, & qui hujus effectus est, morbum ipsum propellere possunt. Borellus *Cent. 3. Obs. 46.* refert, se rusticum villulæ suæ vidisse alios, qui doloribus vel fracturis erant detenti, curasse sic, ut remedia non ægro adhibuerit, sed scamni sui pedi (nostrates hos vocant Stulbinder) ad dolores colli jugum vaccarum mulieribus, boum verò viris imposuerit & sic curaverit. *Et tamen*, ait, *multi curantur*

rantur vel imaginatione, vel fide suâ, adeò ut magnus sit rusticorum & famosus Medicus. Sed magica est hæc cura. Imaginationis fideique vires excedit fracturarum & plurium aliorum morborum curatio: ut proinde magnus Magus fuerit rusticus ille, & famosus seu infamis medicus, domini sui, qui ad curam istam palliandam nimis præceps, gratiâ indignus. In febribus autem à pravis humoribus ortis, imaginationem remedii cujusdam rari commendatione exaltatam, etiamsi absurdum illud sit, mira secundam prædicta, propter confidentiam præstare posse admittimus. Quò ridiculum illud spectat apud Ursinum *Mantiss. Acerr. Philolog. p. 466.* Nicolaus Hemmingius Theologus Danus, cùm Dialecticam profiterentur, inter alia recitavit versus illos veteres:

Fecana, Cageti, Daphenes, Gebare, Gedaco.
Gebali stant, sed non stant Phebas, Hecas & Hedas.

Joco addens, si singula verba pani inscripta singulis diebus febricitanti deglutienda porrigantur, valitura contra febrim: credidit simplex quidam Beanus, ut vocant, famuloque ægro exhibuit. Qui, cùm convaluisset, mox plures remedio, & quidem non sine successu, usi sunt, usque dum re ad Doctorem perlatâ, jocum ille explicuisset, fidemque detraxisset superstitioni.

§. 8. Atque hinc est, cur qui depravata imaginatione laborant, si in suâ persuasione confirmentur, & secundum eam callidè remedia quærantur, sibi reddantur, & à falsâ imaginatione liberentur, è contra si adverso modo Medicus obnitatur, infaustus sequatur eventus. Utriusque unicum dabimus exemplum. *Illius* Thomas à Veiga *in suis Comm. in Artem Medicam Gal.* refert, quendam causone detentum frequenter delirio correptum enixè postulasse, sibi concedi natationem in stagno illo (monstrabat autem pavimentum) ajebat enim, se certè scire ex ea natatione convaliturum, ac liberatum iri, tandem consulente Medico permissum est; cùmque post aliquantulum spacium sæpè summâ cum jucunditate supra pavimentum domus volveretur, ajebat jam aquam sibi accedere ad genua, optare se tamen, ut sursum conscenderet; paulò post lætior, jam, inquit, attingit inguina, ita adscendente juxta imaginationis concepta paulatim usque ad guttur aquâ hilari facie gestiebat, pronunciabatque jam se sanum factum; febreque liberatus fuit. *Hujus* tradit Marcellus *loc. cit. lib. 2. cap. 1. Vicentinus quidam se corpus pragran-*

prægrande habere opinabatur, ita ut nullo pacto per cubiculi ostium exire posset, Medicus deprehendi mandat, ac invitum hominem extraportari, quo perfecto ipse se totum confractum conqueritur, occisoresq; increpat ministros, & paulò post moritur.

§. 9. Ineptorum verò amuletorum omnium effectum, quem parere putantur, à viribus imaginationis arcessere nolo. Amorem promovere, favorem conciliare, felicitatem ubique parere, & votorum compotem reddere de se nequeunt amuleta, neque his accedens imaginatio ulla. Hæc tamen bono, quod sibi objicitur, invitata fiduciam alere, constantiam fulcire, ingenium excitare, & stimulos industriæ subdere potest, ut animus propositi tenax & occasionibus rei acquirendæ aptis attentus tandem, quod quæsivit, inveniat. Nam

Assiduus labor & solers industria quid non
Edomat? huic cedunt omnia, dura licet.

Sic autem imaginatio, licet intendat, realiter non influit, & causa saltem per accidens manet.

CAPUT X.

Non, quia remedium fascinum tollere videtur, fascinum ipsum certò est inferendum. Impeditâ transpiratione infantes sæpe morbis corripiuntur. Recens nati infantes cur non sudore madeant? Vaporosa excrementa retenta morbos pariunt, quod cum aniculæ ignorent, inde facilè fascini opinio in iis surgit, etiam lethalis, cujus tamen ratio alia esse solet.

§. 1. AD decantata Fascini remedia antequam abimus, id prius præmonemus, non ex eo, quòd fascinum quædam tollere videantur, fascinum ipsum certò esse inferendum, cùm unum remedium pluribus opponi queat affectibus. Nisi itaque ostendatur, soli fascino, non ulli alii malo remedium convenire, frustra de eo laborabitur. Sic frigidiori auræ tenera infantium in ulnis gestatorum corpora justò diutiùs, vel desubitò exposita læduntur, quia propter pororum occlusionem transpiratio ad conservandam sanitatem necessaria impeditur, ex qua lassitudo, plurimorum morborum prænuncia, inquietudo, inappetentia, alternans frigoris & caloris accessus, capitis dolor, oculorum languor &c.

oriuntur; qualia etiam Symptomata in morbo occurrunt, quem Austriaci Fuchßber vocant, cujus natalia eidem causæ Höferus loco mox citando adscribit, quemque eodem modô, ut apud nostrates fascinum, ibi curari notat. Effectus iste sublatâ causâ tollitur. Tollitur autem hæc, h. e. pori pro liberiori transpiratione denuò reserantur per sudorifera, suffumigia & lotiones. Lotione, & quidem decocto herbæ, quæ Sideritis vocatur, factâ, quando mucilago in aqua conspicitur, lassitudo tollitur, & vigor infanti redditur; ex hoc fascinum vulgare vulgus mox ineptè colligit, præsertim si fortuna aliquis infantem, ejus forma & gratia invitatus, laudibus ante mactavit, ex hoc fascinatum fuisse censet, causam veram, atque unius rei plures esse posse causas ignorans.

§. 2. Adstipulatur nobis Wolf. Höferus in suo *Hercul. Medic. lib. 5. cap. 4.* & sententiam nostram, quam, antequam istum inspicere fuit datum, nos defendimus, egregiè confirmat. *Ob eandem*, inquit, *impeditam transpirationem multi, cum sani exeunt, agri domum revertuntur. Tunc non ineptè ad sudorifera confugiunt, v. g. ad rob ebuli, sambuci, cornu cervi, pulv. card. bened. Sic enim poros subitò per ambientem aerem constipatos, vel ob conceptam nauseam, horrorem, timorem spiritibus ad interiora recurrentibus, constrictos reserant, & transpirationem occultam promovent, atque à multis morbis sese vindicant. Si tale quid ex insperatô contingit, putat imperitum vulgus, causæ morbificæ nescium, se vel fascinatum esse, vel transiisse per impura loca, vel nescio, quæ mala sorte afflictum.* Sie haben ein Ungesegnetes. Seynd über etwas ganggen oder verschrien. Sequentia *cap. seq. §. 3.* citabimus, quæ videantur. Infantes verò, præsertim vestimentis negligentiùs muniti ab aere frigidiore facilius, quàm pueri læduntur, quia ulnis insidentes quiescunt, propterea nec motu, quo pueri hinc inde cursitantes gaudent, frigoris transpirationem, seu vaporosi excrementi exclusionem impedientis, injurias præcavere possunt.

§. 3. Vaporosum excrementum in infantibus copiosissimum habetur, quia nutrimentum eorum lac est, quod cum sero abundet, id subministrat; propterea cutis per poros largiter id extrudi solet & debet. Non autem hic loquimur de infantibus recens natis. Hi quantumvis πλεῖον ἔχουσι τὸ ἔμφυτον θερμόν, blandum tamen illud est, & propter portiones multas humidas temperatum: præterea succum habent viscidiorem,

& cutis

& cutim meatibus nondum perforatam, teste Galeno *1. de Simpl. Medic. Facult. cap. 1.* cujus causam Aristoteles *Sect. 10. Probl. 4.* assignat. Quapropter licet stragulis undique & fasciis recens natorum corpuscula munita in continuo asserventur calore, sudore tamen non madent. Quando verò sibi continua eorum cutis esse desinit, temporisque spatiô spiramenta ritu cribrorum, ut Galenus ait, nanciscitur, ac calor vires crescendo acquirit, transpiratio incipit, cujus beneficio & crassa & tenuia excrementa secernuntur. Hæc retenta (nisi aliam legant viam) in sanitatem nostram insurgunt, crucemque figunt tantò majorem, quantò major illorum est copia; tantò graviorem, quantò uberior crassiorum fit in ambitu collectio. Vaporosæ ex sero ortæ partes collectiores factæ pristinum habitum seu seri formam induunt, denegatoque per poros egressu interiores ad partes remeant, & mala omnia, quæ fascinum vulgare vulgò inferre creditur, producunt, ut supra in examine signorum fascini vulgaris ostendimus.

§. 4. Prostratæ ergo per auram frigidiorem in infantibus sanitatis causam mulierculæ, ut diximus, ignorantes, cùm aliam non inveniant, in anum & obvium quemque, si fortè fortunâ accedens inter gestandum laudibus infantem impensiùs mactavit, vel præteriens fixioribus cum oculis aspexit, mox rejicere non dubitant, præsertim quando sordes in lavacro inveniunt, ut adeò de insontibus sæpiuscule falsò suspicentur. Si verò infans sanitati per lotionem aut suffumigationem non restituitur, sed in deterius indies labitur, suumque naturæ debitum postea persolvit, lethalem fuisse fascinationem ultrò citroque queruntur, veneficiique aut malignitatis per os vel oculos illatæ imprudentes concipiunt suspicionem: cùm tamen fieri queat, ut humores vitiosi & maligni, qui hactenus in corpore quieti delituerunt, à recurrentibus in obstructione pororum excrementis vel alia ratione moveantur, exaltentur, & quasi in flammam vitali flammæ nocivam erumpant. In animalibus enim corruptionem aliquam nasci posse, adeò etiam vehementem, ut veneni tum qualitatem, tum vires æquet, testis est Galenus *6. de Loc. Aff. cap. 5.* per plures etiam menses & annos genitum in corpore venenum, aut morsu venenati animalis communicatum latere posse, Medici omnes uno ore affirmant. Malè jam cum laudatore vel spectatore ad primum

morbi insultum casu accedente agerent, si fascinationis eum, quòd alia in promtu causa non adsit, accusare velint mulieres.

CAPUT XI.

Sideritis ad Fascinum laudatur: ejus natura & vires. Sordium in ejus decocto post balneum causa. Ex istis fascinum vulgare non licet inferre. Herbæ illius decoctum non soli transpirationi prohibitæ, sed & aliis causis succurrere potest. Commendatio balnei aquæ dulcis calidæ. Adstringens herbæ vis non obest. Eam non omne fascinum à mulieribus ita creditum tollere historia confirmatur. An decoctum pro potu datum conferat, nondum constat. Mucilago non est ab ipsa herba. Cur post lotionem sanorum similis in decocto reperiatur mucilago.

§. 1. FAscinatorum asylum herbam esse diximus, quæ vulgò Sideritis Berufkraut/ Gliederkraut/ Casparo Bauhino Sideritis vulgaris erecta vocatur: de qua, quid ego sentiam, non semel ex me quæsiverunt mulieres: quibus respondi, me non contemtui eam habere, sed commendare, non quod fascinum voce illatum, quod non ens est, sed pororum obstructionem insigni, qua pollet, abstergendi vi tollat, & vitiosos ex alto humores plurimorum morborum causas evocet; obstructione sublatâ ob liberiorem transpirationem feliciter in corpore humano facultatum commercia peragi.

§. 2. Herbæ hujus virtus Botanicorum calculô adstrictoria est & vulneraria, inde ἀπὸ σιδήρου à ferrô, ob vim vulnera glutinantem & ferri instar colligantem eam dictam volunt. *Abstergit, adstringit, vulneraria est, intus & extra adhiberi apta. Usus præcipuè in herniis. Adhibetur in morbis ab incantatione introductis*, Schrőderus Pharmac. *lib. 4. c. 324.* Abstergit autem sordes crassiores transpirationem liberiorem impedientes, effluviumqúe vaporosum remorantes. Decocta confert per particulas & proprias, quas in aquam inter decoquendum deponit, & alienas, igneas scilicet, atque ita tum abstergendo, tum calefaciendo. Sordes, ut dictum, deponit crassiores poris inhærentes, quæ gelatinæ formam post lotionem exprimunt. Feliciorem istarum exitum balnei calor promovet. Nam *balneum dulcis aquæ* (calidum) ut habet Fernelius *Univers. Med.*

Med. libr. 2. cap. 20. longè quàm exercitatio potentiùs spiracula laxat remittitq; humores, calefacit, extenuat, fluxosq; colliquat. Ex his fuliginosos non modò dissipat è summis, verùm etiam ex intimis corporis regionibus tenues & fluxos foràs evocat prolicitq; sudores. Sic quoque Excell. Dn. Bergnerus *b. m. Poliater quondam hujus loci meritissimus, meus olim in hoc Athenæo Præceptor, & in Officio Professorio Antecessor,* im Bericht vom Beruff-oder Beschreykraut: Man könte auch diesem Baden/ wenn sichs begibt/ daß je einmal ein Mensch oder Kind darauf gesund wird/ diese natürliche Krafft oder Ursach zuschreiben/ nemlich/ daß durch die Wärme dieses Bads/ gleichwie andere warme Bäder alle thun/ die Schweißlöcher eröffnet/ die materia oder causa morbifica evociret und discutiret / und also darauf der Mensch oder das Kind auf das Baden sich etwas besser befindet.

§. 3 Itaque non est, ut ex mucilaginis & strigmentorum præsentiâ fascinum colligamus vulgare. Rectiùs præternaturalem colligimus pororum vel ipsius corporis dispositionem, sive eam antipathetica virtus, sive frigidior aeris constitutio, sive fascinum magicum, sive alia causa induxerit. Pororum obstructio, ob quam perspiratio impeditur, non tantum mala supra enumerata, sed & febres parit, teste Sennerto *lib. 1. & 2. de Febr.* à qua etiam Austriacorum morbum, quem Fußbeer vocant, (vulgi fascino, si non idem sit, similem) Höferus *loc. cit.* quem iterum audire juvat, oriri existimat. *Nam qui*, inquit, *creduntur eo infecti, in statu neutro sunt, languent, parum appetunt, aliquando febricitantium instar modò frigent, modò calent, capite leviter dolent, inquietè dormiunt &c. omnia gravioris morbi metuendi signa. Tunc decoquunt herbam, quam morbi nomine* das Fußbeerkraut *vocant: est sideritis altera Camerarii, Germ.* Gliedkraut. *Hoc decocto lavant & fricant totum corpus à capite ad calcem, additis nonnullis superstitionibus. Sordes abstersas pro causa habent morbifica, & postquam eas cum decocto ad vias publicas superstitiosè effundunt, sibi ita restitui videntur. Melioris autem status, si is sequitur, causa nulla est alia, quàm pororum cutis reseratio, unde transpiratio facilior sequitur. Mirum autem in modum herba hujus decoctum sordes cutis abstergit, & poros aperit, quod cuilibet est experiri. Quotusquisq; enim decoctum vola manus etiam recenter lota & munda indiderit, & vel parum digito volam fricuerit, statim strigmenta cutis copiosè eliciet.*

§. 4. Non autem ex prospero balnei hujus effectu solam pororum occlusionem morbosæ constitutionis fuisse causam colligendum, cùm plures illius causæ esse queant, quas Sideritidis decoctum oppugnat. Siquidem balneum aquæ dulcis calidæ, ut habet Ægineta *lib. 1. cap. 5.* humorum repletionem per halitum digerit, & secundum Matth. Martini *de Morbis Mesent. p. 22.* ejus usus ad humorum reliquias calefaciendas, fluxas fundendas, eliquandas, mesaræi tubulos ampliandos & aperiendos, sordes iisdem impactas detergendas, & crassam terrenamque illuviem removendam à plerisque innoxius censetur. Tantum beneficium si externus aquæ solius usus confert, quantum ab eâdem, cui probatæ fidei herba est incocta, expectandum erit? Si secundum Fernelium *lib. 2. M. M. cap. 2.* quæ per cutim fit dissipatio, proximè quidem è corporis habitu, secundò è venis arteriisque grandioribus, ad postremum è visceribus & ex intimâ corporis regione dissolvit, etiam balneum aquæ calidæ tale, per salubris herbæ incoctionem paratum, cùm & in eo fiat humorum per cutim dissipatio, humores in corpore contentos dissolvet, atque ita non solam cutim, sed ὅλην τὴν ἕξιν, *totum corporis habitum* alterabit. Facilius hoc in corporibus infantium & puerorum obtineri potest, cum sint rariora, molliora & porosiora, atque ad alterandum aptiora. Quamvis adstringendi vi polleat sideritis, hoc tamen neminem moveat, quia vis reserandi mediante humodô calidô in actu lotionis prævalet: neque novum est, unum idemque contrarias promittere virtutes & præstare posse, quod in eruditô suo *Commentario de Modô Simplicium Medicam. Facultates Cognoscendi* Herm. Grube *Sect. 4. Art. 7.* demonstrat. Omnem verò apparatum morbosum & sanitatis vitia illata Sideritidem tollere, quis cum imperitis statuat? *Puer trium annorum de incessabilibus syncipitis conquestus doloribus per mensem censebatur à mulierculis esse fascinatus, molliori vocabulo* beruffen. *Adhibitum lavacrum Sideritidis primâ vice, mox alterâ vice Senecionis seu erigeri quarti Matthioli cum omnibus lotura & abstersionis aqua ceremoniis. Aqua gelatina æmula justis ritibus in flumen projiciebatur, irritus, imò nullus successus sequebatur prosper. Vulgaribus verò remediis omnia cedebant*, Dn. D. Rolfinck *Ord. & M. Med. Special.* ὡς ἐν εἴδει *lib. 2. Sect. 2. Art. 1. Part. 1. cap. 24.* An verò Sideritidis decoctum pro potu datum vitiosos in corpore humores corrigat, & per

poros

poros eliminet, non satis constat: neque tamen propter adstringentem ejus facultatem id negari debet, cùm etiam veronica adstringendi facultate polleat, & nihilo secius sudoriferorum classem Medicorum suffragiô jure obtineat.

§. 5. Mucilaginem ab ipsâ herbâ oriri quidam autumant; sed nos habent invitos, cùm decoctum idem sibi simile semper extra usum maneat, & mucilaginosum sedimentum urinæ instar ad fundum de se non deponat: cumque aliæ herbæ, v. g. Conyza cœrulea & Senecio, ut supra *Lib. I. Part. I. Sect. 3. cap. 5. §. 4.* dictum, mirificâ sordes abstergendi virtute polleant, cur cùm sordes eodem modo in Sideritidis decoctô, post lotionem præsentes cernamus, abstersoriam qualitatem ei denegabimus.

§. 6. Sed quæ ratio, quòd non æger modò, sed & sanus sic lotus eluviem quandoque eandem in eodem decocto, uterque suo, inveniat? Id quoque Vir prælaudatus Dn. D. Bergnerus *l. c.* observavit, ubi hæc habet: Die Erfahrung hat es offt bezeugt / daß einer mit einerley Kraut und Brühe / ein krancke / und nach diesem ein gesundes Kind / zu einer Zeit gewaschen / eben ausgesehen / wie die erste Brühe / darinnen das krancke Kind gewaschen und gebadet worden / und ist kein Unterscheid unter diesen beyden Brühen oder Decoctis gesehen worden.

§. 7. Dicimus 1. *non eandem esse in omnibus pororum dispositionem.* Laxior in nonnullis cùm sit cutis compages, in aliis strictior, in quibusdam nullus pororum à statu naturali recessus, inde non in omnibus eadem post lotionem sedimenti reperitur quantitas. Pororum laxitas justò major continuò recipit & expellit, neque excrementis in cute subsistendi crassioribus concedit locum. Ea autem, quia per transpirationem naturæ leges excedentem, nimia caloris & spirituum fit profusio, corpus debilitat, & in statum morbosum conjicit, in quo licet decoctum idem, ac in alio, adhibeatur, nulla post lotionem advertitur mucilago, quæ tamen in loturâ alterius ægri, cujus compages est strictior, ut sani, cui decens est pororum constitutio, deprehendi potest. 2. Strictura vel *obstructio pororum* vel *universalis* est, omnium totius corporis pororum, ut in marasmo senili: vel *particularis*, v. g. in capite, aut manibus, pedibus, genitalibus, ab excrementis crassioribus ibi collectis orta: item in dorso, ubi dracunculi ex materiâ viscosâ

ob

ob cohibitam ibi transpirationem generantur: ubi rigor & horror seri acredine ortus, cùm serum ibi hærens sufficienter exhalare nequeat, percipitur. Universalis totius strictura in non senili corpore rara est: particularis autem frequens, eaque jam latioribus, jam angustioribus definita terminis. Inde ratio, cur in sanorum loturâ, æquè ac in ægrorum, strigmenta reperiantur, fluit. 3. *Pororum obstructio* vel levis est, ab exiguâ excrementorum in poris externis retentorum quantitate, vel aura frigidiore tantum nata: vel *gravis* & *pertinax*, non ab externorum pororum obstructione orta. Neque enim cutis saltem poris est donata, sed & partes internæ carnosæ, membranosæ & glandulosæ, nervi & ossa iisdem gaudent. Δῆλον δὲ τὴν αἴσθησιν ὡς ἔκπνοον καὶ εἴσπνοον ὅλον τὸ σῶμα. *Indicat sensus ipse, corpus totum tam foràs, quàm intrò esse spirabile*, inquit Hippocrates *6. Epidem. Sect. 6.* Quò majus jam excrementorum in corpore subsistentium ratione quantitatis & qualitatis est vitium, eo gravior est & pororum internorum obstructio & affectus inde natus. Inde tamen fieri posse censemus, ut propter tenacitatem & viscositatem excrementorum intus & extus conclusorum nullas æger, post lotionem, præprimis si superficialis fuerit, in lavacro suo sordes inveniat, quas sanus in suo offendit, quia excrementa, quibus cutis saltem fuerat onusta, extractu fuerunt facilia: cum præsertim 4. *natura* vel *robusta* sit, & auxiliatricibus Medici manibus erecta excrementa promtè expellat: vel *infirma*, ac excrementis expellendis impar. Ista, licet homo nondum succumbat, sordibus inter lavandum aquam facilè imprægnare potest, quas infirma in eam traducre nescit, vel saltem parcè transfert.

§. 8. Quæ cùm ita sint, nec sana ratio infringere queat, superstitiosum esse omninò cum D. Bergnero jam asserimus, primam sordium istarum herbæ beneficiô prolectarum collectionem vocali fascino adscribere. Superstitiosa insuper est ternarii numeri post trinam lotionem in haustu offerendo observatio. Superstitiosa est hæreditarii vasculi electio. Superstitiosa infantis in illoco indusio maris cujusdam involutio. Quarum & aliarum observantiarum cruditatem rationis calore supra decoximus, ibique superstitiònum excrementa in actibus curationum fascini occurrentia despumavimus.

CAPUT

CAPUT XII.

Suffumigia pietatis, voluptatis & sanitatis gratiâ fiunt. Medicinalis eorum usus ostenditur; superstitiosa circa hæc notantur. Herba Sideritis laudatur.

§. 1. SIderitis etiam Suffimentorum classem ingreditur. Suffimenta seu suffumigationes Græcis θυμιάματα dicuntur, suntque ustilia, quæ incenduntur, aut carbonibus injiciuntur pietatis, sanitatis vel voluptatis gratiâ.

§. 2. *Pietas* Sacerdotes populi Judaici olim sumptis nonnullis aromatibus suffimentum Thymiama dictum facere & adolere Deo vel coram arcâ, (quæ præsentiæ Dei fuit symbolum) monuit, *Exod. 30. v. 7. 8. 9. 34. Luc. 1. v. 9.* Etiam pagani Diis suis fecerunt suffitus. Ovid. *lib. 13. Metam.*

Thure dato flammis vinoq; in thura profuso.

Martialis *lib. 8. Epigr. 8.* ad Janum canit:

Te primum pia thura rogent, te vota salutent.

Thus Soli seu Baalphegor adolebant quotidiè in Arabia teste Strabone *Extrem. lib. 16.* & quidem Sabæorum populos præter thus etiam myrrham, Theophrastus *l. 9. Hist. Plant. cap. 4.* Americanorum sacrificuli in sacris suis invocato Sole haustôque ad ebrietatem Tabaci fumô in ea mentis alienatione se voluntatem Deorum explorare, futura prævidere & prædicere posse jactant, Dæmone scilicet excondicto ista suggerente; quo de vide Magnenum *Exercit. de Tabaco 6. §. 1.* *Voluptatis* & delectationis gratiâ sponsa mystica accedens ad sponsum dicitur suffumigata thure, *Cantic. 3. v. 6.* Cubile suum myrrhâ, santalis & cinamomo suffivisse dicit mulier meretricio ornatu induta, *Prov. 7. vers. 17.* Quò referendæ forsan Magorum suffumigationes sub opportunis stellarum influxibus, ut loquitur Corn. Agrippa *lib. 1. Occult. Phil. cap. 43.* factæ, quæ idola dæmonum in aere vel alibi protinus apparere faciunt.

§. 3. Suffimenta autem Sanitatis gratiâ parata vel totum, vel partes, v. g. caput, pulmonem, uterum, juncturas &c. respiciunt, & pro diversitate affectuum variat, quæ ingreditur illorum formulas materia. Formulas tradunt Weckerus *Antidot. Special. cap. 49.* Sennertus & Mœbius

bius in *suis Institut.* Pharmacopoea Augustanorum & Zvvelferi. Dispensatorium Horstii *lib. 21. Thesaurus Pharmaceuticus* Schvvenckfeld-ti &c. Multas suffituum compositiones pro tussientibus & orthopnoicis reperimus apud Aetium *Tetr. 2. Serm. 2. cap. 56.* & apud Christoph. Benedictum Medicum nostrâ ætate in Angliâ doctissimum in *Theatr. Tabidor.* qui inter præsidia evaporationibus & suffitibus tanquam nobilioribus unicè in extremis angustiis confidendum scribit. Avicenna *lib. 2. Can. Tract. 2. cap. 247.* fumum thuris in oculi ulceribus proficuum esse scribit. Suffitus aromatum muliebria ciet, Hippocrates *lib. 5. Aph. 28.* & *in Comm. hujus* ait Galenus, per uterum totum corpus suffiri posse. Fumum inebriantem Scythis familiarem fuisse testatur Alexandr. *Gen. Dier. l. 3. c. 11.* quod de Thracibus etiam Pomponius Mela *lib. 2. cap. 2.* & Solinus *cap. 15.* referunt. Dioscorides *libr. 5. cap. 73.* sulphur, suffili nidore raptim per fistulam hausto, gravitatem auditus sanare docet. Tussilaginis aridæ cum radice fumus per arundinem haustus & devoratus veterem sanare dicitur tussim, ait Plinius *lib. 26. cap. 6.* Huc fumus Tabaci omnibus jam notissimus, ab Americanis in Europam & cæteras mundi partes propagatus refertur. Pituitæ è capite potenter subducendæ gratia fumus Tabaci vel per se, vel cum oleo anisi præparati aut aliis ingredientibus exaltati, & vel vulgari modô vel tubulis vitrô aquâ pleno immersis haustus benè expetitur, quo de vide sis Rolfinckium Medicin. *Special. lib. 6. Sect. 14. cap. 3.* & Magnenum, qui ex professo post Neandrum, & quidem doctius de Tabaco disserit *loc. cit. Exerc. 6. §. 8.* Qubus Tabaci fumus seu propter abusûs infamiam, seu propter foetorem infestus est, sequentem ego Catarrhosis pulverem gratum eadem ratione per fistulam trahendum commendo.

℞. *Mastichis* drachm. unam & semis.
Olibani scrup. duos.
Succini alb. drachm. unam.
Benzoi drachm. semis.
Santali citrini scrup. unam.
Storacis calamith. drachm. semis.
Flor. rosar. rubr. pugill. duos & semis.
Lavendulæ pugill. unum.

Spica

Spica nardi pugill. ſemis.
Calendulæ.
Cheyri.
Chamomill. Roman.
Rad. bryoniæ.
Raſuræ lign. buxi ana drachm. ſemis.
Miſc. Fiat Pulvis craſſior.

§. 4. Totum quæ reſpiciunt, ſudoris eliciendi & humorum vitioſorum evacuandorum gratia adhibentur. Corporis enim ſumma ab effluviis calidis accenſo combuſtili appropriato calefiunt, cutisque ſpiracula laxantur , unde humores in extrema corporis effuſi incaleſcunt, extenuantur & excluduntur, ac conſecutione quadam, ut *cap. præced.* monſtravimus, ex toto evocantur, ut toti æquè ferè ſuffumigia ac balnea aquæ calidæ ſubveniant. Itaque Sideritidi itidem ut aliis, puta, *cypero*, *caryophyllis*, *cinamomo*, *ligno aloes*, *baccis lauri*, *abſinthii* & cæteris non ſuperſtitioſis, locum concedimus, eamque in ſuffimentorum claſſem recipimus, non quòd putatitio vulgi faſcino ſuccurrat, ſed quia accenſa & corporis poros ingreſſa partium tenuitate humores vitioſos reſolvere & elicere, adeòque etiam Faſcinum naturale ob antipatheticam aut aliam qualitatem denegatâ perſpiratione, ortum tollere poteſt.

§. 5. Mulieres trepidô ſæpe ore ex Medicis de Sideritidis in balnea vel ſuffimenta referendæ uſu quærunt, exiſtimantes, quia faſcinum vulgare explodunt, etiam illius herbæ ad faſcinum commendatæ uſum Medicos rejicere, cùm non uſum, ſed abuſum, ſtolidamque illorum deteſtentur credulitatem, exiſtimantium, voce vel viſu infantes faſcinari ſeu lædi, læſionemque herbâ iſtâ profligari poſſe. Herbam iſtam, ut medium naturale medici omnes gratâ venerantur manu, & in ea etiam præſentiam ac omnipotentiam Dei, qui vulnera ſanandi herbæ huic extus & intus uſurpatæ peculiarem inſuper virtutẽ indidit (vid. Tabernæmontanus *Herbar. lib. 1. cap. 17.*) admirantur. Omnia à Medicis ſunt probanda, bona tenenda, mala, inter quæ ſuperſtitioſa quoque & ſpuria veniunt, rejicienda. Superſtitioſum eſt, raſuram liminis & apicum menſæ quadratæ pro ſuffimento adhibere. Nulla enim cùm ſit figuræ, adeòque nec liminis, menſæ & apicis efficacia, ſuperſtitioſa eſt ea curioſi-

curiositas. Si autem rei artificialis materia virtute pollet desideratâ, frustra in mensæ apicibus & limine quæris, quod in isto lignô ubique obviô habetur. Superstitiosum est, linteolo, quod natalitiorum tempore sub dio fuerat suspensum, pro suffumigio uti. Tempus è consecratione nativitati Salvatoris facta nihil virtutis accipit, nihil reddit. Spurca à pilis graveolentibus petitur medicina, cùm ejusdem virtutis gratiora suppetant. Qui numero quâ tali pertinaciter inhærent, viresque attribuunt, superstitiosorum numerum ipsi augent. Perennis itaque sit Sideritidis in abstergendis sordibus & evocandis humoribus pravis virtus & gloria, modò superstitionis pura in usu maneat. Ita sua herbæ, viris bonis ob pravam anicularum circa istam persuasionem invisæ, manet laus, quam à superstitione depuratam pace mulierum bonâ, quibus Sideritis quàm maximè est accepta, jam mittimus.

CAPUT XIII.

Ruta, Alyssum, Baccharis &c. an & quid ad fascinum conferant, & quas vires habeant? Cur Baccharis corona fascini remedium fuerit creditum? De Gagate.

§. 1. MItteremus veterum ad Fascinum, quo frustra perterriti fuerunt, è naturalium classe petita remedia, quæ *lib. 1. Part. 1. Sect. 3. cap. 4. §. 12.* vidimus, nimirum Rutam, Alyssum, Baccharim, radicem Satyrii, quæ Orchis fœmina dicitur, & corium frontis Hyænæ. Sed quia illorum considerationem hunc in locum rejecimus, conjectura præterea alicui suboriri potest, annon fascinationem, si non vulgarem, tamen naturalem aut magicam sublevare queant, intacta hoc loco ista relinquere nolumus.

§. 2. *Ruta*, à Græco ῥύτη, πηγάνιον Græcis dicta, & quidem hortensis (Sylvestrem, cùm omnia quæ de Ruta traduntur, de hortensi sint accipienda, præterimus) calida & sicca est in gradu tertio acri & amaro gustu, odoreque gravi, à sale & sulphure volatili, quo viridis abundat, sicca verò caret, teste Sim. Paulli *Quadrip. Botanic. p. 464.* inde partium suarum tenuitate digerit, viscidos & crassos humores incidit, flatus resolvit, menses & urinam movet, venenis resistit, ob sulphur, quod sedativum Herm. Grube *l. c. p. 54.* vocat, quo, ut Idem *p. 142.* loquitur,

quitur, *feliciter, vapores, & quicquid datur materiæ fermentationis discutere, adeoq; fermentum sopire possit:* propter hoc & Sal ejus volatile non ultimum inter diaphoretica alexipharmaca locum tenet. Hinc Mithridates Rex potentissimus, duarum & viginti gentium domitor ac Princeps, quarum omnium linguas teste Plinio, Solino & Valer. Maximô cognitas habuit, Ruta suam Antidotum, qua se contra lethalia venena tutatus est, ornasse dicitur.

§. 3. *Alyssum* herbam controversam, quam nemo probè hodie nec ante multos annos novit, ut ait Langius *lib. 1. Epist. Medic. 73. pag. 446.* præterimus. *Quot sunt Botanici, tot de Alysso diversæ sententiæ* inquit Sim. Paulli *l. 6. p. 18.* Quid ergò multam rei obscuræ operam in re seriâ navare conferret? Et *Baccharis* Dioscoridis quæ sit, cùm controvertatur, neglecta jaceat. Icon herbæ, quam Româ à Lacuna Matthiolus sibi transmissam scribit, Lobelio est species verbasci odorati in *Ad. p. 245.* & Lobelius se Romæ inquisivisse ait, sed Verbasci nomen audivisse. Ipse verò *in Obs. p. 308.* Baccharin exhibet, cujus figura Conyzæ majori à Matthiolo *p. m. 629.* propositæ competit, adstipulante Bauhino *in Notis:* qui itidem *in Pinace pag. 238* Horminum Sclarea dictum, aliis Baccharim Dioscoridis esse notat. Cur autem Baccharis corona Fascini sit Amuletum, hanc ex Fracastorio & Dioscoride dat Vincentius Alsarius *de Invid. & Fascin.* causam, quia nimirum ex illius sententiâ nimiæ laudes lætitiam, hæc autem spirituum pariunt dilatationem, ob quam anima nocumentum facilius in se recipit: Baccharis verò herba ex mente Dioscoridis odorifera est, constrictivam habens virtutem. Itaque coronam hacce herbâ contextam meatus constipare, & dilatationem, quæ à nimiâ laude nasci posset, prohibere censet. Sed quid de hoc sit sentiendum, ex iis, quæ supra *lib. 1. Part. 2. Sect. 3. cap. 1.* in fine diximus, colligere est.

§. 4. Satyrio appellationem Panes, & in Venerem Satyrorum prona juventus dederunt, ob causas, quas adducit Petr. Lauremberg. *Appar. Plantar. lib. 1. cap. 18.* Orchis autem Græcis id est, quod Latinis testiculi aut coles. An autem Orchis fœmina sit eadem cum Fuchsii orchide fœmina quæ Cynosorchis montana purpurea odorata Bauhino dicitur, non constat. Quicquid tamen hujus rei sit, Satyrium, cujus quàm plurima nascuntur genera, potissimum (ex signaturâ lasci-

va) ad virilem fortitudinem restaurandam, uterum confortandum, eumque ad conceptionem disponendum conferre produnt Botanicorum monumenta. Fascini vulgaris gratiâ veteres hoc adhibuisse non negabit, qui eosdem Priapum pudendi masculi formâ repræsentatum ceu fascini fugatorem coluisse mecum recoluerit. Priapum autem Satyrium seu Orchis testiculari radice ex parte, imo si caulis pars reliqua maneat, ferè totum refert. *Hyænam* lupi formâ, sed majorem, pedibus longioribus, humanis similibus, crassis, item suris humanis propioribus esse describit Scaliger *Exercit. 217. num. 7.* Asia hoc animal nutrit. Europa eo caret, quare nec obvia sunt de eo experimenta.

§. 5. De *Ruta* in Fascini vulgaris curatione quid sentiat Aristoteles, supra *Lib. 1. Part. 2. Sect. 2.* §. *2.* exposuimus. In naturali fascino curando aliquas ei partes non negavero, quia alexipharmacâ gaudet virtute & tenuium partium est, & proinde ratione sui salis ac sulphuris volatilis conclusos in corpore ob antipatheticam, extra advenientem humores digerere, & ad ambitum propellere, quæque transpirationi obesse poterat, spiraculorum occlusionem tollere apta sine dubiô nata est. *Alyssum* & *Baccharis* dictam ob causam transeant. Satyrium non tam vitalem quàm genitalem confortat virtutem, & partem, à qua viri dicimur, funeratam suscitat. Sed quia crassioribus partibus constat, & proinde discutiendis humoribus ac reserandis poris ineptum, fascinationi naturali id conferre, non ausim dicere: neque *Corium frontis Hyænæ*, cum experimenta de eo facere, animalis hujus nostris in oris absentia neget.

§. 6. *Gagaten* his adjicimus, quem ficæ figurâ insignitum inter antifascinatoria referri vidimus. Sed & quamcumque sive religiosam sive irreligiosam figuram virtute rem naturalem nullâ mactare vidimus abunde. Si quid verò in removendâ præternaturali corporis dispositione forsan præstat, molliendi, attenuandi & discutiendi ejus facultati, quam Galenus *lib. 6. Simpl.* & Dioscorides *lib. 5. cap. 103.* ei attribuunt, id debetur. Suffumigium ex eo epilepticis conferre scribit Avicenna *Tract. 2. cap. 316.* Contradicere ei videtur Dioscorides *l. c.* ubi suffitu sonticum morbum deprehendi ait, ejusque suffitu veteres servos emendos, an epilepsiæ essent obnoxii, explorasse notat Mercatus *de Morbis capitis.* Verùm quantitatis determinatio omne solvit dubium.

Magna

Magna halituum suffituumque aromaticorum, quos cerebrum avidè attrahit, copia clarificâ suâ vi tenuique quam junctam habent acrimoniâ crassos humores fundunt, liquant, & in vapores vertunt, qui suprema petentes caput replent, gravantque: ad principium verò nervorum delapsi epilepsiam pariunt, eò graviorem, quo majorem humorum copiam caput continet. Exigua verò aromaticorum suffituum quantitas non tantum gratâ odoris vi cerebrum ejusque spiritus recreat, sed & humores resolvit, resolutos discutit, aut ad partes inferiores transportat, atque ita cerebrum ab epilepticis insultibus immune præstat: ut proinde calida juxta Hippocratem *lib. 5. Aphor. 22. & 28.* capitis gravitatem & solvant & pariant. Itaque cùm in suffiendo facilis sit excessus, at humorum in capite præsentium quantitas nemini sit perspecta, veteres sine dubio lapidem hunc bituminosum inter amuleta, ut blanda fieret humorum ad extra evocatio & discussio, referre maluerunt. Ut homines nata ex ignorantia & metu curiositas ad superstitionem facile trahit; ita & eadem mulieres, ut præsentius ad fascinum remedium haberent, gagaten turpi ficæ figurâ induere compulit. Gutierrius suspicatur majores nostros medicatricem vim in lapide agnoscentes humeris illum infantum appendisse non sub indecenti ficæ forma pollice indici supposito, sed contra indice subjecto pollici pro crucis formâ, quæ sit non vulgaris tantum fascini, sed & averni destructio. Per abusum verò talem Christianam formam deletam & ficæ figuram inductam credit. Verùm à paganâ antiquitate superstitiosum illud remedium in Christianum orbem manasse, ritûs ipsius antiquitas, ut credamus, nos movet. Pia verò quorundam Christianorum pectora pro turpi istâ figurâ formam crucis deinceps substituisse, non negabimus (sicut & Christi fidelibus loco bullarum re turpiculâ signatarum aut aliter superstitionibus auctarum, quibus gentiles ad advertendas fascinationes fuerant usi, superstitione in religionem mutata ad illas abolendas placuit ex ceris bullas confici, quas Agni Christum præ se ferentis imagine insignitas geniti in Christo gestarent, notante Baronio *lib. 1. Annal. Ecclesiast. ad ann. 58. §. 76.*) eorum tamen nonnullos, ut sunt varia hominum etiam in Christiano orbe ingenia, superstitiosam figuram in sinu suo fovisse & ad posteros propagasse sentimus.

CAPUT

CAPUT XIV.

Consilium pro infantibus, in quibus signa fascini sic dicti vulgaris comparent: causæ externæ sunt removendæ: propter eorum voracitatem ad cacochymiam est respiciendum. Si malum est in principio & non satis cognitum, ad sudorifera, balnea calida & suffumigia confugere licet, modò non adsint prohibentia: quid intus exhibendum?

§. 1. Quid ergò agendum, si in infante vel puero fascini sic dicti vulgaris signa compareant, color mutatus, pallor in ore, sudoris in fronte salsedo, oculi demissi, virium languor, appetitûs prostratio, inquietudo, macies? Difficulter equidem morbi nonnulli in infantibus cognoscuntur, teste D. Sennerto *de Infantium Morbis Part. 2. cap. 1.* quia nec sermone, nec aliis indiciis suos exprimere possunt affectus, sed lacrymis tantum & ejulatibus de suis testantur passionibus. Proinde saltem στοχασμῷ erudito & signis obscuris ab experientiâ petitis in illorum affectuum cognitionem pervenimus. At verò ejusdem prudentiæ est, non tantum morbos curare, sed & τὸ εἰδέναι τῶν νόσων τὰ αἴτια *cognoscere morborum causas*, ait Hippocrates *Lib. de Arte.* Et Trallianus *lib. 9. cap. 8. Internotio recta curationis est fundamentum*, methodicæ scilicet & rationalis, quæ indicationibus tanquam curationis fundamento nititur. Itaque, quantum possibile, omnes causæ tam externæ quàm internæ curiosè sunt investigandæ & removendæ.

§. 2. Frigidiori auræ si justò diutiùs expositus fuerit infans, calidiori damnum recompensetur aere: si de antipathetica alicujus hominis qualitate suspicio oritur, consortium ejus vitetur. Præcipuè advertendum, cùm multarum affectionum, præsertim κακοχυμίας cruditas mater sit fœcundissima, an & hæc præsens sit, malumque foveat? Hac enim plerumque ob voracitatem infantes & pueri scatent. Voraces autem sunt, & quia nutriuntur, & quia augentur, & quia multum habent caloris nativi secundum Hippocratem *lib. 1. Aphorism. 13. & 14.* propterea etiam cruditatum evacuationi, consumtioni, & per habitum corporis discussioni pro earum exigentia invigilandum Medico. Evacuatio laxantibus peragitur: consumtio alimenti subtractione, & discussio sudoris provocatione,

catione, cujus gratiâ molli, rarô, laxo, atque aperto habitu infantes & pueros donavit natura. Denegatâ pororum transpiratione, sive ea sit ab aere frigido, sive ab antipatheticâ qualitate, cacochymia magis in sanguine & toto radicatur, indeque facilè omnia, quæ in quæstione fuerunt enumerata, mala oriuntur; quæ autem causâ sublatâ tolluntur. Tollitur ista per sudorifera, balnea calida & suffumigia, eoque in casu pronâ muliercularum manu Sideritis iterum porrigitur.

§. 3. Cùm malum est, ut dicitur, in herba, ut, quæ sit futura imminentis morbi species, non satis in primo accessu pateat, ad sudorifera, balnea calida, & suffumigia confugere licet, modò cætera sint paria, h. e. præter enumerata mala non adsint graviora istorum usum prohibentia, v. g. calor febrilis. Balnei enim calor & suffumigia majorem in sanguine fervente pariunt ebullitionem. Suffumigia etiam nocent macilentis, habentibus temperaturam calidam & siccam, his quoque, quibus adest pectoris angustia, vel propter vasa obstructa, vel quando destillat à capite, docente Fallopio *Tract. de Morbo Gall. cap. 69.* Macies à causa naturali orta (quæ est à supernaturali, jam non attenditur) non tam citò se ut alii affectus prodit, propterea nec de ea per istiusmodi remedia removenda cura mox subit. Quando verò oculis fit conspicua, causarum, quæ bene multæ sunt, ratio in curatione est habenda, nec quævis promiscuè in usum trahenda. Præstat tamen in primo morbi cujusvis accessu, ut parentum quoque desiderio satisfiat, cordialia alexipharmaca exhibere, atque ita Cor contra metuendos exhalationum malarum insultus præmunire, donec surgentis morbi facies magis magisque innotescat, ne Medicinæ mora, quæ malignitati latenti calcar addit, securo irreparabile vitæ damnum creet. Sic Grülingius *in Tractat. Germanic. de Morbis Infantium cap. 36.* ad morbum eorundem ignotum commendat sequens, etiam ad vermes, febres petechiales, variolas, morbillos, dysenteriam, vomitum & alia mala utile.

℞. *Hyacinth.*
Corall. rubr.
Boli Armen.
Terræ sigillat. ana drachm. unam.
Tormentill.
Diptamni alb.

Lll *Sem.*

Sem. citri.
Croci.
Myrrha.
Rosar. rubr.
Santalor. omnium.
Oss. de corde cervi.
Cornu cervi philos. præp.
Sem. acetos.
Portulac.
Rasura ebor,
Margarith.
Seric. crud. ana scrup. unum.
Fol. auri.
Argenti ana numero unum.
Camphora.
Mosch.
Ambra crud. ana granum unum.
Cum *Syrup. de limon.* quant. suff.
Fiat *Electuarium*, vel sine syrupo *Pulvis.*

Idem & hoc suffumigium ibi habet:

℞. *Asæ fœtid.*
Myrrha.
Thuris ana drachm. unam.
Flor. silig.
Cartham. ana pugill. unum.
Misc, Fiat Pulvis.

§. 4. His partem secundam de Fascinatione naturali finio, in qua Pyrrhonius fui & ζητικὸς, non (nisi fallor) σκεπτικός. An verò gravioribus doctiorum rationibus convictus sim futurus ἐφεκτικὸς vel ἀπορητικός, dies docebit. Meliora docentis ductum sequi non renuo.

LIBER

LIBER III.

De FASCINATIONE MAGICA ET DÆMONIACA.

PARS I.

FASCINATIONIS DIABOLICO-MAGICÆ NOMEN, EXISTENTIAM ET DEFINITIONEM INDAGAT.

CAPUT I.

Autor è foro Philosophorum ad Magorum forum progreditur: hoc isto est longè majus. Cur fascinatio hæc diabolica & magica dicatur? Vocis, Magus, derivatio, quid significet? A nativa significatione in alienam abiit. Nomen Diabolus explicatur. Fascinatio hæc Dardania appellari potest. Dardanus Magus. Magi olim Dardanarii dicebantur; non ita hodie. Nomen, Fascinatio Magica, hic in ampliori significatione capitur. Fascinatio magica & diabolica quomodo differant? Magi, non ut tales, etiam lædere possunt. Ad veneficium quid requiratur?

§. 1. E foro Philosophorum *ad Magorum* jam tendimus forum, examinaturi, quantum Magis & Sagis in Fascinationis opere sit tribuendum. Tantò magis autem huic incumbemus, quantò majus hoc forum est. Est autem amplissimum, hoc est, major est eorum numerus, qui ob tacitum vel expressum cum dæmone pa-

ctum fascinant, quàm eorum, qui ex naturali quadam & insitâ potentiâ citra Dæmonis adspirationem qualitatem inferunt perniciosam.

§. 2. *Diabolica* & *Magica* dicitur hæc Fascinatio à causâ *efficiente principali* & *instrumentali*. Hæc *Magus* est, ista *Diabolus*. Vox, *Magus*, origine Persica est, à qua Magicus, Magia, quæ significat rerum divinarum humanarumque scientiam, ad quam Aretius *lib. 44. pag. 430.* quatuor pertinuisse notat. 1. Cultum sacrum. 2. Cognitionem physicam. 3. Mathematicam rerum scientiam. 4. Politicam, seu populorum regendorum peritiam. Persicè sonat *Mog*, teste D. Elichmanno linguæ Persicæ studiosissimô, ac Civitatis Lugdunensis in Batavia Medico experientissimô, elogio Voetii *Part. 3. Disp. Select. pag. 540.* idque nomen proprium fuisse ipsius Zoroastri, primi autoris, vel saltem inter Persas Magiæ instauratoris, tradit iste. Ita Magus vi vocis originalis sapientem & rerum divinarum humanarumque peritum notat. Jul. Cæsar Scaliger *Exerc. 327. Nomen*, ait, *magi apud vulgum odiosum facit colluvies impostorum, at apud Persas nihil aliud, quàm sapientem notat.*

§. 3. Eustathius vocem istam Græcam facit, & à *μάσσειν*, i. e. φυρᾶν ἢ σπογγίζειν, hoc est, *subigere massam* seu *pinsere & abstergere* ducit. Isidorus ad Latinam vocem *Magnus* revocat *libr. 8. Orig. cap. 9.* ubi ait: *Magi sunt, qui vulgò malefici ob facinorum magnitudinem nuncupantur.* Nos disceptationem hanc nominum censoribus relinquimus, & commune Doctorum suffragium secuti vocem istam Persarum propriam fuisse censemus, apud quos, ut Cicero *lib. 1. de Divin.* testatur, *Magi genus sapientum & Doctorum habitum*, quos Suidas τὺς παρὰ Πέρσαις φιλοσόφυς καὶ φιλοθέυς vocat. Eorum doctrinam Laertius *in Proœmio Lib. de Vit. Philosophor.* tradit. *Sapientes suos ita vocabant Persæ Magos, quos Ægyptii appellabant Sacerdotes, Indi Gymnosophistas, Græci Sophos & Philosophos, Galli Druidas, Germani* die Pfaffen / *& dialecto Saxonicâ* die Papen / *à Papâ.* Beckmannus *pag. 839. Origin.*

§. 4. Horum mysteriis Persicæ potestates in rebus faciendis divinis solemniter utebantur; neque ad regium culmen adspirare contigit ulli, qui non ante Magorum disciplinam scientiamque percepisset. *Dan. 2. v. 11.* Magorum etiam fit secundum versionem Græcam & Latinam mentio. In Hebræo autem vox extat אשפין אשפים, quæ sapientiæ operantes, Philosophos, Astrologos significat. Sed honestissimum

hoc

hoc nomen temporis successu idem, quod aliæ voces optimæ, v. g. Tyrannus & Sophista senserunt, excepit fatum, ut à nativa in alienam significationis potestatem sub infelici abusus sidere fuerit raptum. Nam quia plerique specioso religionis & arcanæ scientiæ prætextu maleficas artes exercebant, uti Plinius initio *lib. 30. Hist. Nat. 9.* queritur, infamiæ nota nomini fuit inusta, ut communis sermo jam Magos pro maleficis & iis accipiat, qui inito cum Dæmone pactô artibus se tradunt illicitis. Idem Hieronymus *in cap. 11. v. 2. Danielis* commentatur. *Quos*, inquit, *nos hariolos, cæteri* Ἐπαοιδὺς *interpretati sunt, i. e. incantatores. Ergò videntur mihi incantatores esse, qui verbis rem peragunt : Magi, qui de singulis philosophantur ; Malefici qui sanguine utuntur & victimis, & sæpe contingunt corpora mortuorum. Porrò in Chaldæis* γενεθλιαλόγυς *significari puto, quos vulgus Mathematicos vocat. Consuetudo autem & sermo communis magos pro maleficis accipit : qui aliter habentur apud gentem suam, eò quòd sint Philosophi Chaldæorum, & ad artis hujus scientiam Reges quoque & principes ejusdem gentis omnia faciunt.*

§. 5. *Diabolica* dicitur à *Diabolo*, & hic, διάβολος à διαβάλλειν quod est *obtrectari, calumniari*, cujus appellationis triplicem rationem infra *Part. 3. Sect. 1. cap. 1. §. 5.* ex Chrysostomo trademus. Nomine hoc non tantum Princeps & caput malorum spirituum indigitatur, *Matt. 25. v. 41. Apoc. 12. v. 9.* sed & universus malignorum spirituum cœtus. *Luc. 8. v. 12. Actor. 10. v. 38.* quamvis in singulari nomen illud reperiatur, plus tamen scriptura, quando singulari numero pro plurali utitur, singularitate, quàm pluralitate indicat, secundum Augustinum *in Libris Locution. in Genes. & Exod.* Imò Magi & Sagæ idem cum Juda participare possunt nomen. Judas enim à Christo Diabolus vocatur *Joh. 6. v. 70.* quia nimirum Diaboli organum erat. Atqui ejusdem organa Magi quoque sunt & Sagæ.

§. 6. Ad mentem Columellæ, cui Dardaniæ artes magicæ sunt, *fascinatio Dardania* etiam dici posset à Dardano, quem Magum fuisse ex Apulejo constat. Sic autem Columella *de Cultu Hortor. lib. 10.* ait:

At si nulla valet medicina repellere pestem,
Dardaniæ veniant artes.

& Dardanarii Magi olim vocabantur, quorum maleficiis & venenis magicis annonam averti in eorum horrea, & in metiendo mensuram imminui,

minui, ejusque modio subtrahi creditum. Qui verò nunc Dardanarii dicuntur, Turnebus *lib. 9. Advers.* & quos Joh. Heringius *Mantiss. de Molendinis c. 3. n. 45.* citat, autores explicant, nim. παντοπῶλαι, Korn- und Wein-Juden/ die allerley auf- und vorkauffen.

§. 7. Fascinatio Diabolica & Magica patrio idiomate dici potest Verzauberung / zauberische und teuffelische Verblendung / Hexen-Wesen : secundum nostrates, angethanes teuffelisches Wesen / Krazwasser/ ideò sine dubio, quia aquarum infectarum in solum, per quod homines fascinandi ambulant, profusione quandoque fascinum infertur. Fascinatio hæc quidem usitatiùs & magis specialiter convenit præstigiatoriæ sensuum delusioni & deceptioni, imò κατ' ἐξοχὴν & sine addito pro Magicâ capitur : hic autem quamcunque mutationem & alterationem, sive ea vera sit, sive apparens, sive ad malum sive ad bonum tendere videatur, sive à Dæmone per se, sive Magi voluntate & cooperatione introductam notat, statumque vel supra conditionem naturalem elevatum vel infra eum dejectum exprimit. Fascinatio in omni magicâ actione occurrit, si non oculorum corporis, tamen mentis, quæ istâ gravior est, & periculosior.

§. 8. *Fascinatio Diabolica* & *Magica* quamvis ab autoribus promiscuè sæpè capiantur, *differunt* tamen, si rem exactiùs evolvimus, ut termini magis & minus communes. Omnis quidem Fascinatio Magica est Diabolica, quia Magi ut tales, sive in rigore propter fœdus cum Satanâ initum expressum, sive in latiori significatu propter implicitum pactum intelligantur, ad fascinandum & incantandum Dæmonis requirunt operam : Sed non omnis Fascinatio Diabolica est Magica, quia sine Magorum consensu & administratoriâ operâ Satanas per se, cum permissionem habet, lædere potest. Dixi *ut tales.* Multas enim Magi, non ut tales, sed ut agentia libera citra pacti ullius suspicionem edere possunt actiones, vel *vitiosas*, quando nimirum rebus non absurdis, nullâque ad fascinum inferendum virtute pollentibus, sed iis, quas natura adversis & malignis qualitatibus instructas ex sinu suo fundit, in proximi perniciem utuntur, eodem modô, uti quis napellô, arsenicô & aliis rebus venenatis abuti potest, ut faciunt latrones, fures, infanticidæ : vel *speciosas*, quando accuratissima naturalium scientiâ imbuti Magiæ licitæ edunt specimina, quæ præstigiatoria simplicioribus videntur, ut sunt

v. g.

v. g. quæ Opticæ beneficiô jucundiſſima oculis repræſentantur ſpectacula.

§. 9. Nullam quidem Magiam licitam inveniri nonnulli contendunt, inque malam ſolùm partem Magiam accipiunt: verùm generali vocis iſtius ſenſu præter Dæmoniacam etiam naturalem, ac, quam huc aliqui referunt, (aliis tamen ſub naturali comprehendentibus) artificialem contineri ex Veteribus Philo Judæus & Plinius, ex Recentioribus varii omnium facultatum Viri doctiſſimi tradiderunt. Ideoque *ut Veneficium* (ſeu faſcinatio Magica) *appelletur, neceſſarium eſt, ut Dæmon & Saga concurrant. Ubi enim Dæmon ſolus precibus & pacto ſagarum non inſtigatus, hominem affligit, id quod Jobo accidit, tum propriè veneficium aut actio magica non appellatur, ſed tum ſolùm veneficium dicitur, cum Diabolus in gratiam veneficæ & ejus precibus, vel pacto invitatus, homini nocet & damnum infert*, ait Sennertus *Libr. 6. Pr. Med. Part. 9. cap. 5.*

CAPUT II.

Faſcinationem Diabolicam & Magicam dari probatur. Reginaldus Scotus eam negavit: Voetius autem rationibus 10. probat. Gutierrio Faſcinationem Diabolicam, & quidem non rem, ſed nomen ejus impugnanti reſpondetur, & nomen vindicatur. Faſcinatio pro diverſo reſpectu diverſimodè definitur: id quod materiam præſentem diverſimodè tractandi anſam præbet.

§. 1. D*Ari Faſcinationem Diabolicam & Magicam* fateri tenentur, quicunque Magiam Dæmoniacam, Dæmoniſque in hominem, permittente Deo, poteſtatem agnoſcunt. Diaboli enim abjurati Dei & creaturarum omnium hoſtis proprium eſt, nocere, & ad hoc Magos, ne nocendi occaſionem unquam negligant, cogit. Magiam autem talem (naturali ſeu licitæ, quæ habitus eſt rerum abditarum, ſcientiâ operumque admirandorum arte conſtans, honeſtum in Philoſophiæ circo relinquimus locum) dari, non eſt, ut in eo probando operosè deſudemus, cùm jam antè bene multi hoc rei manifeſtæ onus in ſe ſuſceperint: præ cæteris Voetius *l. c. pag. 563.* argumentum hoc firmis ſuffulſit rationibus, & quidem ideò, quòd, referente eodem, ex lectione libri Reginaldi

naldi Scoti, Nobilis Angli (in quo Magiæ crimen apertè negavit, & ex professô oppugnavit, omnesque ejus mirabiles effectus aut ad melancholiam, aliosve naturales morbos, aut ad artem, industriam, & agilitatem hominum, figmentis & præstigiis suis illudentium, aut ad stolidas imaginationes dictorum Magorum, aut ad vanas nugas & fictiones eorundem magorum refert) ex quo in Belgicum idioma translatus est, non pauci ab illo tempore docti & indocti in Belgiô fluctuare, & de Magiâ σκεπτίζειν ac λιβερτινίζειν inceperint. Fulcra nos summatim hîc enumerabimus.

§. 2. *Saduceos* verò, *Peripateticos* illos, qui Aristotelem Dæmones nullos agnoscentem, absque Christianæ fidei mixturâ in omnibus sectantur, ut & *Platonicos*, qui Dæmonibus bonitatem attribuendo angelos bonos cum malis confundunt; *Anabaptistas* istos, quibus malus Angelus est potentia Dei ad nocendum exserta, *Atheos*, *Scepticos*, *Epicureos*, quibus, ut cum Tertulliano loquar, Deus venter est, pulmo templum, & aqualiculus altare; item *Quackeros* quosdam in Angliâ, omnesque eos, qui operationes & apparitiones aut ad causas naturales trahunt, aut tanquam fabulas rident, atque ita consequenter Fascinationem negant, ad autores, qui ex professô hanc materiam tractarunt, remittemus.

§. 3. Probat autem Voetius 1. à testimoniis S. Scripturæ. 2. à variorum affectuum vi admirandâ, naturæ potestatem excedente. 3. Decretis Conciliorum. 4. consensu Patrum. 5. consensu omnium Theologorum, quarumcunque partium illi fuerint. 6. legibus gentium, & Judicum praxi. 7. consensu gentium, cujuscunque religionis fuerint, imprimis Sapientum, Philosophorum, Medicorum, Poetarum, Historicorum, Oratorum, Judæorum doctorum. 8. ex Jure canonicô. 9. ex historiis & relationibus de Scholis Magorum. 10. à possibili, quòd non impossibilis sit, & contradictionem non implicet Magia aut ex parte Diaboli, aut ex parte hominis, aut ex parte modi paciscendi, aut ex parte Dei permittentis. Idem argumentum M. Bernh. Albrecht *Lib. de Magiâ cap. 1.* septem rationibus probat,

§. 4. Gutierrius licèt Magiam & Magicas operationes non neget, fascinum tamen Diabolicum impossibilitatem omnem habere ait, inscitiæque ac ruditatis omnes arguit, qui, cùm fascinum naturale ipsissimæ veritati

veritati repugnare admittant, fascinum nihilominus diabolicum adstruere contendunt, & ex certo antecedenti illationem legitimam inferre nesciunt. *Dæmon*, pergit *pag. 126. propria virtute nequit transmutare materiam corpoream, nisi adhibeat illi activa proportionata effectibus, quos intendit: sed implicat omni modo agens naturale fascinare aptum: ergo & quod Dæmon fascinationem operetur.* Hoc ita confirmat: *Dæmon*, inquit, *eo ipso comburit (ut exemplo utar) quia combustivum natura adest: at dato, quòd istud per illam implicaret, aut deficeret, quonam modo Dæmon ignitionem operaretur? at non est agens fascinativum, qua ergò virtute fascinabit ille? quo instrumento? Si & hæc & illud nec in abditissimis naturæ arcanis reconduntur.*

§. 5. Verùm enim verò ambabus 1. largimur, Fascinum, quod vi primævæ significationis & usurpationis voce vel visu fiat, non dari. Atque nullum, etiam habitô ad istum sensum respectu, dari fascinum Diabolicum nos ipsi admittimus. Admittimus 2. fascinum Physicum, quod effluviis fit putridis & corruptis, contagii rectiùs, quàm fascini nomen mereri: nihilominus tamen etiam aliâ ratione citra contagionis notam dari fascinum *lib. 2.* evictum dedimus, quod ipsum tamen ad Dæmoniacum accommodari non posse, nos itidem largimur. Et quamvis non daretur fascinum physicum, quod propriâ agentis naturalis potestate alteri communicari posset, non tamen propterea Diabolicum foret negandum fascinum. Licet enim non propria, sed alterius naturæ nimirum virtute objecta Dæmon, applicando activa passivis, alteret, ratio tamen causandi in eo non abest, veraque causa est, si non physica, tamen moralis, quia & intendit, & influxum præbet moralem. Victoria magna Regi tribuitur, licet non Rex ipse, sed milites eam verè reportarint: sic fascinatio seu læsio Diaboli potentiâ illata, licet non per se, sed naturæ potestate ille alterationem objecto impresserit, Diabolica rectè salutatur. Si quis verò contenderit, hoc fascini significatum à genuinô seu primitivô longiùs abire, & Magistratum, qui reum carnificis manu lædit, pluraque agentia moralia fascinatoris nomine absurdè fore indigitanda, propptereaque pro fascinô incantamenti vocem velit substitutam, cum eo quidem non pugnavero: sed quia usus communis dicendi magister, hunc significationis characterem voci isti indidit, ex quo ea jus togæ cum ea significationis potestate adepta, ut

pro læsione & alteratione à Diabolo, seu immediatè seu mediatè illatâ accipiatur, retinebimus probatum probatis autoribus nomen. *Vive moribus præteritis, & loquere verbis præsentibus*, dicit Favorinus Philosophus adolescenti apud Gellium *Noct. Attic. cap. 10.*

§. 6. Fascinum Magicum Delrio *Lib. 3. Part. 1. Quæst. 3.* & Rodericus à Castro *Medic. Politic. lib. 4. cap. 1.* describit, quod sit *perniciosa qualitas Dæmonum arte illata, ob tacitum vel expressum hominis cum Dæmone pactum.* Aretio *Probl. Theol. Part. 3. pag. 348.* & Vairo (referente Vossio) *2. de Fascino cap. ult.* fascinum κατ' ἐξοχὴν Diabolicum est, proinde *ille* describit Fascinum, quod sit *maleficium operâ Satanæ, Deo permittente, confectum ad destruenda opera Dei vel saltem ut destruxisse videatur.* Hic verò ita: *Fascinum est perniciosa qualitas Dæmonum arte illata, ob tacitum vel expressum pactum cum eisdem dæmonibus illatum.* Henr. Nicolai *Exercit. de Magic. Action. 8. pag. 184. Fascinatio propriè est actus Magicus, quo invidè aspiciente aut delaudante aliquem Mago Dæmon ex pacto cum eo occultè, modo sibi cognito lædit,* id quod Fascinum appellatur. Ita Fascinatio à nonullis angustioribus, à quibusdam latioribus circumscribitur terminis, his læsionem omni creaturæ modô à Satanicâ colluvie quocunque illatam innuentibus; istis eam saltem, quam homini Magorum oculus vel lingua, vel juxta nonnullos etiam contactus, item halitus, inferre putatur, respicientibus, his latitudinem actionis magicæ perpendentibus, istis primævam vocis, Fascinum, significationem attendentibus. Istorum ductum nos primò sequemur, visuri, an Magi visu & voce, item tactu & halitu homines fascinare queant. Deinde quæ eorundem in alia objecta Dæmonis auxilio sit potestas, examinabimus. Proinde nec de omnibus quæ Dæmon per se efficere valet, seu de absolutâ ejusdem à Deo in creatione datâ potestate, sed respectivâ hoc Libro tertiô nobis erit sermo, de eâ scilicet, qua ex Magorum consensu ac voluntate, Deique permissione agit & facit. Facit autem ea, quæ in Magorum potestate non sunt, vel esse saltem persuadet, Cacodæmone ipso tacitè interim omnia perficiente, Mago verò applicando in quibusdam activa passivis, in quibusdam signa saltem ponendo manus auxiliatrices vel quasi saltem conferente.

PARS

PARS II.

De

FASCINATIONE MAGICA
RATIONE PRIMITIVÆ ET STRICTÆ VOCIS, FASCINUM, SIGNIFICATIONIS.

CAPUT I.

Magos visu fascinandi potestatem habere, autoritate, ratione & experientia videtur posse probari. Sed impossibilitas in contrarium remonstratur. Quæ visu inferri putantur maleficia, à Dæmone fiunt. Sagæ in Persia corda hominibus devorant.

§. 1. HOmines visu, voce, tactu & halitu ex peculiari & naturali, non dæmoniacâ qualitate alios afficere & fascinare, adeòque per naturam maleficos esse, cùm multa suadere videantur, ea nunc evolvemus & diluemus, ut, qui in his latibulis degunt, absconditi, in lucem protrahantur Magi.

§. 2. *Visu* fascinandi potentiam se obtinere & sibi & aliis persuadent Magi, horumque Patroni. Pollicem his premere videtur Plinius, qui *lib. 7. H. N. cap. 2.* in Triballis & Illyriis familias esse quasdam effascinantium, qui visu effascinent, scribit. Item hujus generis fœminas in Bythia, & in Ponto Tibiorum genus geminâ pupillâ exitiosos esse aliis refert. Rationem hanc esse existimant, quod ex oculis suis radios velut jacula ad corda eorum, qui fascino sunt afficiendi, emittant, certumque corpus lædant. Experientiam suffragari putant mille historiis illustrem. Unicam jam ex Bapt. Codroncho *lib. 2. de Morb. Venef. cap. 2.* ab Autoribus, ut ipse ait, gravibus & certis relatam placet adducere, cujusdam videlicet mercatoris, qui, cum in partibus Sueciæ extra quoddam castrum animi causâ per quoddam pratum duobus famulis comitatus perambularet, à malefica quadam muliere ab uno ex conservis à longè cognitâ, admonitus est, ut signo sanctæ crucis se muniret, quoniam illius ditionis potior venefica, quæ solo intuitu malefi-

cia inferre sciret, ipsis obviam veniret. Quod monitum ipse parvipendens, & ista nunquam sibi timorem incussisse asseverans, cùm nondum ferè illa protulisset verba, in pede sinistro illatam læsionem expertus est, ita, ut, cùm pedem è loco amovere non posset, & dolore lancinaretur, ad castrum equo fuerit deductus. Ubi per triduum doloribus auctis, accersito quodam villicô, qui hujuscemodi curare mala profitebatur, factô periculô ex plumbo liquefacto & in aquam supra pedem projecto, morbum ex maleficô ortum duxisse, quibusdam prolatis verbis & tacto pede per aliud triduum curatus est.

§. 3. Verùm enim verò tantum abest, ut visu fascinent Magi, ut potius omnia ab eo maneant immunia, sive Magi ut tales, sive ut homines spectentur. Ut homines sunt, eundem (non alium) visionis modum, qui fit specierum receptione, obtinent. Ut tales verò, seu ut Magi spectati, nullam præ non magis à Dæmone accipiunt nobilioris visûs privilegium; neque, si velit, potest Dæmon visionis naturam invertere, & ex actione purè immanente, qualis est virtus visiva, transeuntem facere, quia contradictionem implicat, quæ omnia fusius *lib. 1.* sunt proposita, ubi quidem ex oculo, ut parte corporis, effluvia quandoque maligna emanare posse, sed pauca ea, minorumque virium esse, quàm ut distans objectum, & ex multis certum fascinare queant, diximus. Proinde frustranea est illa quorundam cautela, judices admonentium, ut maleficas ante se tergo adversas produci curent, ne judicem saga, si prior oculos in eum defigat, visu ita fascinet, ut mitior fiat ac ad absolvendum facilior. *Nonne naniæ hæ sunt pueriles? Quid virium habet aspectus maleficæ eò, quod primo vel secundo loco judicem viderit?* Delrio *Disq. Mag. L. 5. Sect. 7. p. m. 41.*

§. 4. Cùm ergò vi contradictionis jam allatæ impossibile sit visu nocere; quæ verò hominibus, brutis, arboribus & segetibus uno intuitu inferri creduntur, mala magna, sæpiusculè nullâ morâ interpositâ è longinquo illata ab effluviis derivari nequeant, ad aliud recurrendum erit principium. Aliud autem præter Dæmonem assignari nequit, qui, cùm ad nocendum dato nutu paratissimus sit, pravam per aerem circumstantem qualitatem, quæ non tantum hominem & brutum, sed & segetes & arbores lædit, diffundit: tenera autem infantium corpuscula cùm ob rariorem corporis compagem faciliorem halitibus

tibus malignis ingressum concedant, faciliùs afficiuntur. Ista Dæmonis facultas, & ad nocendum promtus ac occultus concursus, cùm & fascinantes & fascinatos sæpè lateat (multis tamen, præsertim his, qui per pactum expressum Satanæ sunt obstricti, eum patere, negare nolo) hinc visui oculorumque naturæ adscribunt, quod occultæ Dæmonis operationi erat tribuendam. Sic *saga quadam visum infantis cujusdam intuitu & afflatu suo cum verbis his in nomine amasii Stygii pronunciatis perdidit*, **Ich wolte daß du blind wärest/** Carpzov. Pract. Crimin. *Part. 2. Sent. Scabin. Lipsiens. 21. p. 445.*

§. 5. Ita etiam in Triballis & Illyriis familias visu effascinantium & hujus generis fœminas in Bythia tacitam Dæmonis cooperationem, vel latuisse, vel se latere simulasse, omninò existimamus. Pupillam geminam supra *Lib. 1. Part, 2. Sect. 1, cap. 2.* §. 5. spectavimus & examinavimus. Memorabiles sunt & lectu dignæ observationes ad materiam præsentem spectantes Petri della Valle *Itiner. Persic. Epist. 17.* à Nobiliss. Sachsio ex Italico in Romanum idioma translatæ, & Dn. Lic. Garmano communicatæ, quas hic *lib. 1. de Mirac. Mort. Tit. 3. §. 25.* recenset. *Nec hodie*, ait, *res insolita hîc* (in Persiâ corda hominibus devorare) *& pracipuè inter Arabes, qui habitant circa sinum Persicum ad littus ejus Occidentale, est res maximè familiaris. Et fit, ut venefica, quando volunt devorare cor hominis, ipsum per longum temporis spacium fixis aspiciunt oculis, murmurantes aliquot Diabolica verba, cujus incantationis vi aut operâ Diabolicâ faciunt, ut illa persona, licèt sana sit & benè constituta, statim incidat in ignotum & incurabilem morbum, instar hectici brevi consumatur & moriatur. Et interdum tam citò faciunt hanc operationem, ut illum, cui cor devorarunt (nam & hoc in artem exercent, ut aut totum, aut partem devorent, hoc est, statim consumant, aut ejus partes, vel citò, vel paulatim moriatur) sape inter paucos dies obeat.* Non minus lectu digna sunt sequentia, quæ ibi & §. *seq.* habentur: *Vocant hanc artem rustici mangiare il cuore, devorare cor, quia credunt, quod Diabolus veneficis faciat apparere & repræsentare invisibiliter, quando proferunt spurca ista verba vigore istius incantamenti, cor & interiora ægri exeant è corpore, quæ illa comedant. In quo opere existimant inveniri saporem suavissimum, & tantum, ut sapius absque pravia ulla inimicitiâ tali modo innocentes perimant, & ipsis conjunctissimos,*

simos, quia dicunt, quod illorum corda, quæ appetunt, ipsorum palato sint cibi sapidissimi. Refert idem Petrus della Valle *Fratrem Sebastianum Giesu Augustinianum Lusitanum hominem optimæ fidei se oculatum exhibuisse testem, quòd cùm in confinibus Arabiæ felicis vidisset Arabem captum, hujus nominis reum, qui, cum à Gubernatore loci Lusitano (quod in Mascat aut in Ormus fuerit) interrogatus fuisset, an, si, sicut præsumeret, se posse interiora viscera & cor hominis devorare, etiam posset ex ingenti cucumere absque illius dissectione interiora vorare, respondit, quod optimè posset. Adducto igitur cucumere in præsentia Gubernatoris diu ipsum aspexit, murmurans incantationes, pòst dicens jam totum esse absumtum, & reverà apertum cucumerem totum inventum fuisse vacuum.* Hæc ille.

CAPUT II.

Verbis non possunt Magi fascinare. Friderico I. Barbarossæ Magus quidam verbis non potuit nocere. Verba virtute à Dæmone non possunt imprægnari, ipse occultè operatur. Historia muris, qui verbis cujusdam natibus immissus credebatur. Varia ex abscessibus prodire quandoque observatum.

§. 1. VErba Fascinationis, quæ Magica esse putatur, causam esse potissimam, non pauci arbitrantur, rationibus, quas *lib. 1.* recensuimus, moti. Sed & ibi nos, rationibus iisdem discussis, nullam esse verborum potentiam evicimus, propterea tantum abest, ut voce Magi fascinent, ut potius omnia ab ea maneant immunia. Itaque *nec Fridericum I. Barbarossam dictum Magi Arabis minæ terruerunt. Hunc Mediolanenses, ut Imperatorem veneno tolleret, ablegarant: qua re cognitâ Arabem cepit Imperator, puniitque. Licet autem Arabs Magus graviter Friderico minitaretur; se illum verbis enecare, nisi dimitteretur, velle: nullo tamen modo commovebatur Imperator, verbis tantam non inesse vim sciens, propterea & acerbas alter dedit pœnas,* Wierus *lib. 6, cap. 12. pag. mihi 493.*

§. 2. Neque ea Dæmonis est potestas, ut verbis ipsis Magorum realem imprimere queat virtutem, cùm verba Magorum æquè ac non Magorum ex varia in organis vocis formationi dicatis diverberatione orian-

oriantur, quæ ut talia nihil virtutis nec à Dæmone, nec à naturâ accipere apta nata sunt. Virtutem autem moralem, quam significatio, vocis forma, possidet, in realem mutare itidem nescit. Si verò vocis materiam, quæ halitus est, Dæmonem virtute impraegnare dixerint, frustra jam verbis ipsis adscribi patet, quod accedenti principio seu agenti alieno est attribuendum. Dæmon ergo concessâ à Deo permissione & à Magis adstipulatione occulto modo infert id, quod se verbis inferre putant impia collegii Satanici membra, aut si non verbis promiscuè prolatis id se consequi sciunt, ex pacto tamen ab ipso Dæmone se impetraturos confidunt ejus clientes: quod quidem per pactum obtinent expressum. Niderus, *qui de sagis innumeris quæstionem habuit, unam à se visam ait, qua unicâ solùm voce homines enecaret*, Bodinus *lib. 2. cap. 8. pag. 273.* Absurdum! Unica voce etiam giganteo rictu prolatâ non potest vel muscam, nedum hominem enecare. Diabolus hîc omne punctum, si permissionem habet, absolvit. Per tacitum verò pactum acquirunt effectum, qui hostilibus susurris & admurmuratis verbis virtutem efficiendi tribuunt, propterea cum velut sacramenta Dæmonis ista, quæ ipse prædocuit & suggessit (licet hoc ignorent) sint, eidem se obstringunt, quicunque iis utuntur: siquidem qui primus à magistro infernali ea verba accepit, ea lege habuisse censetur, ut quicunque illis verbis uteretur, tacitè Dæmonem invocare intelligeretur.

§. 3. Historiam his subjungo recentem, in pago **Wolspach** huic urbi vicino notatam. Martinus **Bitsch** ejus loci incola in agrum rapis consitum alvum exoneraturus ingreditur. Vetula, cujus ager est, exonerantem procul conspiciens ei imprecatur & dira vovet, ut Diabolus rattos, & mures in ejus nates deducat, his verbis: **Daß dir der Teuffel Ratzen und Mäuse in Hintern führe.** Ex eo mox tuberculum in natibus Viri sinistris ortum majus indies cepit incrementum mensuræ capiendæ non impar. Chirurgus emolliendi gratia varia, sed frustra applicat. Rusticus aliquando: Magister, inquit, transfora locum, mus intus latet. Hoc contradicente ille instat, cujus periculô tandem corrosivum loco dolenti Chirurgus imponit. E foramine post biduum aperto quisquilias, milii instar à muribus corrosi instrumentô chirurgicô educit. Quò verò major istarum portio fuit expurgata, eò atrociores dolores cum sensu rei omnia intus corradentis & erodentis sunt secuti. Chirurgus

linteum

linteum unguento acriori oblinitum ad replendum sufficiens intrudit, ex quo majores oborti dolores patientem solo indusio munitum, ut varia lenimenti gratia in contubernio diverticula continuâ obamulatione quæreret, per bihorium impulerunt. Demum prope foramen arte apertum aliud oboritur, ex quo mus in terram cum strepitu decidit (fällt auf die Erde / daß es platscht) pilos rubros habens, macula alba in fronte insignitus, sed caudâ carens. Nisi gallina ovis tum incubans impetu suo, quem in murem mox fecit, in fugam conjecisset, internecioni eum rusticus tradidisset. Sanatis post quinque septimanas foraminibus novum prope ista oboritur tuberculum atrocioribus, quàm præcedentes fuerunt, cruciatibus stipatum. Quo pariter apertô, tertiô die uxor mariti sui ulcus deligatura linteum cœrulei coloris detritum extrahit: extractô hoc dolor placatur, & tandem ulcus cum sanitatis integræ restitutione consolidatur. Quis jam sagam verborum suorum potestate murem, linteum, istamque, quæ quisquiliarum fuit materia, rem immisisse dixerit? Totum hoc Dæmonis fuit, qui ex pacto ad verba imprecatoria, velut ad tesseram suam, accurrens, Deo sic permittente, solus absolvit.

§. 4. Varia equidem ex abscessibus quandoque prodire Naturæ Curiosi observarunt. D. de Sorbait ex abscessu in Bronchocele facto bufonem vivum exivisse, suis oculis vidit, quo *de Annus 1. Natur. Curios. Obs. 103.* Pisciculus probè efformatus in tumore digiti Piscatoris cujusdam à pisce Rascasse vulnerati post apertionem repertus est, formam illius, à quo vulnus inflictum fuerat, referens. Borellus *Cent. 1. Obs. 28.* ex Linscotto etiam notat, vermes longissimos in suris tibiarum Indorum quorundam generari, quos Dracones vocant. Excell. Dn. D. Strauss. *in Resolutione Fœtus Mussipont. pag. 95.* Bufonem intra Duacensis Puellæ dorsum genitum refert, & Hieron. Petruccius elegantes de eo versus citat:

Lecca fuit Virgo: genuit sub tergore Ranam;
Ranarum genitrix Lecca, lacuna fuit.
Enecat exuctam tunc facta Rubeta parentem;
Nata ferox, matri parcere debueras.
Sic matrem perimit Nero; non è Virgine nata hac,
Nata tuo Nero, de corde Rubeta fuit.

Agrip-

Agrippina suum scelus est confessa: Neronem
Quæ peperit Mater, debuit illa mori.
Nullum impune malum patitur Lex certa. Rubetam
Quæ peperit Virgo, digna perire fuit.

§. 5. Borellus in suis Observationibus ad vim seminalem in quibusdam per totum distributam recurrit, eamque alteri facilè communicari posse statuit. Eam quoque per vias nutritioni inservientes ad partes certas deferri D. de Sorbait censet, qui seminalem virtutem cum aquâ ad colli membranas exsudasse in suo exemplo suspicatur. Isthæc à ratione non prorsus aliena nos in dubium vocare nolumus; at per idem principium exemplum nostrum salvari posse, circumstantiæ reliquæ pressiùs examinatæ negant. Neque Vir prælaudatus Dn. D. Strauch. junioris felis ex abscessu cujusdam Equitis ruptô elapsi causam è natura petere *loc. cit.* audet. Borellus *Cent. 2. Obs. 86.* ex femore cujusdam frustula quædam materiæ cujusdam obduratæ, quæ & pilorum globos, & ranulas, & pisa cum siliquis retulerunt, exivisse scribit. Hæc omnia naturaliter facta fuisse, & non magicè existimat. Verùm quis crassiorem pisi substantiam per chyliferos & sanguifluos ductus (neque enim aliô modô istuc translatam fuisse dici potest) transferri statuat? Ergò si una res magicè fuit illata, de cæteris idem erit statuendum.

CAPUT III.

Tactûs efficientiam nonnulli probant exemplô Regis Pyrrhi; mulieris quæ Adriani Imperatoris genua osculata est: Petrus Borellus exemplo scribæ, N. Remigius aliis exemplis, videntur confirmare. Reges Galliarum, Angliæ & Hispaniæ solo tactu strumas sanare dicuntur. Amuleta, manus humani cadaveris, septimus fœtus masculinus, torpedo, Echeneis, item exempla duarum personarum tactus efficaciam adstruunt.

§. I. TActu Magos fascinare posse, rationem, ut statuat, experientia, similiaque in naturæ Theatrô, occurrentia exempla videntur cogere. Regem Pyrrhum tactu suo, & quidem pollice pedis dextri è liene laborantibus opem tulisse autor est Plutarchus *in Ejus vitâ*, & Plinius

Plinius *lib. 7. cap. 2.* De Vespasiano refert Suetonius hoc *in Ejus vita: E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis demonstratam à Serapide per quietem; restituturum oculos, si inspuisset: confirmaturum crus, si dignaretur calce contingere. Cùm vix fides esset, rem ullo modo successuram, ideoq; ne quidem experiri auderet: extremò hortantibus amicis, palam pro concione utrumq; tentavit: nec eventus defuit.* Idem quoque Æl. Spartianus in Adriani vita *cap. 14.* memoriæ prodidit: *Ea tempestate,* inquiens, *supervenit quædam mulier, quæ diceret, somnio se monitam, ut insinuaret Adriano, ne se occideret, quòd esset bene valiturus: quòd cùm non fecisset, esse cæcatam. Jussam tamen iterum Adriano eadem diceret, atq; genua ejus oscularetur, receptura visum, si id fecisset. Quod quum insomnium implesset, oculos recepit, quum aqua, quæ in fano erat, ex quo venerat, oculos abluisset. Venit & de Pannonia quidam natus cæcus ad febrientem Adrianum, eumq; contigit: quo facto & ipse oculos recepit, & Adrianum febris reliquit.*

§. 2. Petr. Borellus *Cent. 2. Observ. & Curat. Medico-Phys. 90.* hæc, quæ de Pyrrho, Vespasiano & Adriano sunt relata, naturali quadam virtute facta esse, eademque nonnullos homines, quosdam morbos præsentiâ & tactu suo curare posse scribit, quòd plantæ, vel mineralis vires ab ortu nonnulli possideant, & è contrà alii venenatis suis qualitatibus teneros pueros, agnos, pullosque recens natos interficiant. Idem ibi refert, Scribam quendam solâ brachiorum frictione febricitantes curasse, atque hanc proprietatem se habere sic percepisse, quòd omnes, quibus pericarpia admovisset, fuerint curati, tandemque neglectis iis, eodem pacto eos curari animadverterit. Huc accedat id, quod habet Remigius *lib. 1. Dæmon. cap. 2. p. 7.* ubi quasdam enumerat personas, quæ testatum suâ confessione reliquerunt, se virgis pulvere vel etiam unguine medicatis, aut re quapiam aliâ perniciali illitis, quas sæpius gestarint, per occasionem abigendi pecoris, quasi per jocum obvios percussisse homines, quos perditos voluerunt, tum etiam pecudes, nec equidem irritô atque innoxiô tactu.

§. 3. Reges Galliarum Christianissimi tactu strumas, quarum curatio Medicorum & Chirurgorum artem excedit, sanant, quo de singularem olim Andr. Laurentius Henr. IV. Archiater celebris edidit librum,

brum, cum inſcriptione: *de mirabili vi ſtrumas ſanandi ſolis Galliæ Regibus conceſſâ.* Actum ſolennem deſcribit Gœlniz *Ulyſſ. Belg. Gall. p. 143. Præeunt*, inquit, *cohors Helvetiorum, officiarii aulici, proximè ſceptrum regale cum liliò & ſceptrum cum manu juſtitiæ Regi præferuntur. Inſequitur Rex nudus capite, collo appenſa habens inſignia equitum S. Spiritus. Adeſt Regi, priusquam ſacram manum extendit, aliquis, qui tangendum manibus prehendit &c. Rex binis digitis frontem & tempora ſanandi leviter, efficaciter tamen tangit, cruceq́ capiti adpoſitâ infit: Dieu te geriſſe, le Roy te touche, au nom du Pere, du Fils, & du Sainct Eſprit.* Vox, *Solis*, in inſcriptione libri Laurentii jam citati aliis eſt inviſa, quòd etiam Regibus Angliæ, & Hiſpaniæ ſtrumoſos tactu ſanare ſit conceſſum. Nobiliſſimus â Mandelslo Carolum Magnæ Britanniæ Regem feſtô Epiphaniæ malô hoc laborantes tetigiſſe ipſe vidit, ſeque actui ſolenni interfuiſſe ſcribit *Itiner. Indic. lib. 2. cap. 15.* Hiſpaniæ Regibus tribuit Moura apud Gutierrium *pag. 154.* & hic propterea Laurentium impugnat, illudq́ue, *Solis*, ex libri titulo vult deletum.

§. 4. Similia alia eorum, quæ tactu afficiunt, natura ſiſtit. 1. Amuleta per ſolum tactum morbos in fugam vertunt, deſideratamque ſanitatis gratiam reducunt. 2. De hominibus fide dignis ſe obſervaſſe ait Bartholinus *Cent. 3. Hiſt. 66.* ſtrumas, aliosq́ue tumores aboleri, ſi pars affecta affricetur ad manum cadaveris humani: ita enim ſenſim evaneſcere tumores, prout ſenſim putreſcit cadaver, quod tardius hyeme, æſtate citiùs continget. 3. Septimus fœtus maſculinus vim habere dicitur peculiarem, contactu ſolô ſtrumas ſanandi, quæ ſex fratribus prioribus ſit denegata. Jacobus Arminius *in Epiſt. ad Joan. Uytenbogardum Epiſt. Eccleſiaſt. & Theolog. p. 193.* Antonii Anſaldi verba allegat, quibus dicit, *certâ conſtare experientiâ, infantem eum, qui continuatâ ſerie maſculorum ſeptimus in lucem prodiit, ſtrumas ſeu ſcrophulas vel ſolo attactu curare.* 4. Torpedini piſci tanta ineſt facultas, ut ſi, fuſcinâ vel haſtâ à piſcatore tangatur, hujus manum torpidam (unde & ei nomen eſt, & à Germanis Krampfiſch / & Zitterfiſch ab effectu dicitur) reddat, ſupernatantes piſces limo, quem amat, merſos corpore afficiat & ſic capiat. 5. Aquilarum pennæ pennis aliarum alitum miſtæ eas abſumunt. 6. Echeneis piſciculus parvus *navis ſecundo vento* (verba ſunt Æliani *lib. 2. de Animal. cap. 17.*) *& plenis velis propulſæ*

extremam puppim mordicus premens violentissimè ab impetu reprimit, & constrictam tenet, frustraq; ventis vela dantur, frustra venti afflant. Unde ἀπὸ τῦ ἔχειν ναῦν *à sistendo seu remorando navem* nomen habet. Hujus rei exempla tradunt Plinius *lib. 32. cap. 1.* Aldrovandus *lib. 3. de Piscib. cap. 12.* Cardanus *de Variet. cap. 37.*

§. 5. Similiter fateri necesse est, tactum alicujus hominis salubrem, alterius verò, adeòque quorundam & Magorum noxium esse & exitiosum. Experientia idem confirmat. Bapt. Codronchus *lib. 2. de Morb. Venef. cap. 3.* hujus rei binas adducit historias. Prima hæc est: *Mulier quadam nobilis, cùm uterum gereret, ab amicâ admonita, ne ex castro exiret, quia, veneficam celebrem noverat, qua solo tactu maleficia inferebat, & abortus parabat. Oblita consilii, visitandi gratiâ alias mulieres ad convivium congregatas prodiit è castro; dum autem sederet & confabularetur, accessit simulatè salutandi gratiâ quadam, qua mirô quodam artificio mulieri blandiendo, manibus ventri admotis, fœtus motum insuetum statim peperit. Domum igitur reversa fœtum in frusta comminutum summô cum discrimine vita ejecit.* Altera (ut, quæ prolixior est, contrahatur) alterius vetulæ veneficæ hanc facit mentionem, *quòd, cum manu ventrem puerpera cujusdam tetigisset, puerpera sex mensibus peractis gravissimos cruciatus circa ventrem inferiorem sentire caperit, tandemq; cùm alvum excernere vellet, spinas, ossa, ligni frustula, & multa alia per inferna rejecerit, & à torminibus libera facta fuerit.*

CAPUT IV.

Tactus quà talis, & per se nihil, at per accidens materialiter spectatus, aliquid efficit. Exemplum Pyrrhi alii ad fabulas, alii ad fiduciam, alii rectiùs ad fraudes Diaboli referunt: naturalis non fuit illa virtus, ut Borellus frustra pro hac laboret. Tactus hominis sani nihil præstat. An plantæ vel mineralis vires ab ortu homini insint, indagatur. Delrio, & alii hoc minus accuratè refutant, quibus Gasp. à Reies frustra succurrit. Exempla Borelli & Remigii examinantur.

§. 1. VErùm enim verò Tactus qua talis, sive sumatur pro potentiâ sentientis animæ, perceptivâ primarum qualitatum & aliquarum

rum aliarũ interventu primarum ex *Arist. 2. de Anim. c. 18.* sive pro conjunctione extremarum superficierum duorum corporum, nullum ad efficiendum, & proinde nec ad fascinandum confert momentum. *Prius* patet ex eo, quia tactus in istâ acceptione fit receptione speciei, digitusque mollitiem vel duritem objecti sentiens non realem ejusdem mollitiem vel duritiem, sed solam speciem, ut oculus rei visibilis, percipit. At verò recipere est pati, & à specie nulla est alteratio, & proinde nec fascinatio. *Posterius* inde constat, quia superficies quantitatis species est; quantitas autem est consequens materiæ, quæ ex se operari nescit. Si per se tactui conveniret, omnis cujusque corporis cum altero conjuncti contactus actionem inferret, & mutua, cùm se mutuò corpora conjuncta contingant, semper foret actio, id quod tamen rationi & experientiæ adversatur. Nec sagæ obvium quemque, sed cui malè cupiunt, ex arbitrio lædunt: læderent autem omnes, si tactus earum, qua talis, ex necessitate quadam fascinandi potestatem obtineret.

§. 2. Per accidens autem tactus pro ratione corporis, quod tangit, & quod tangitur ad alterationem facit. Cùm enim quævis corpora naturalia suam habeant & activitatem & activitatis sphæram à virtute eorundem dependentem: virtus verò in subjecto ipso fortior sit, sed quæ effluit, debilior; ideoque quò viciniora fiunt corpori activitate prædito, eò majorem ejusdem vim percipiunt, ut ignis ustilia remota non lædit, viciniora alterat, proximè admota quæ tangit, comburit. Quem homo lue venereâ laborans tangit, gravius efficit, quàm eum, qui halitum ejus ex ore manantem excipit. Itaque tactus formaliter spectatus nil confert; materialiter verò si consideratur, corpus tangens mediantibus effluviis, quibus gaudet, corpori tangibili alterari apto mutationem inferre potest.

§. 3. Jam exempla ad probandam tactûs efficaciam allata tangemus. Illud Pyrrhi suspectum reddunt verba *tradi* & *putari*, quibus in illius recitatione Plinius & Plutarchus utuntur. Vossius *libr. 3. Idolol. cap. 17.* pro figmento habet eorum, qui adulabantur Regi: vel si qui verè liberati sunt morbo, provenisse hoc putat ab ingenti fiduciâ, quam in Pyrrho reponerent. Delrio *Disq. Mag. lib. 1. cap. 3. Quæst. 4.* cum Anton. Mirandulanô mendaciis incredibilibus vel potius dæmoniacis hoc annumerandum esse censet. Camerarius *Oper. Subcisiv. Cent. 3. c. 43.*

& Conringius *Disput. de Incubat. §. 41.* ad præstigias & fraudes Satanæ homines seducentis referunt, nec malè. Viguit enim tempestate ævi eâ, imò omni, passim Diaboli cultus & dominatus, sibique animos mortalium miserrimos variis modis auceps infernalis devinxit, atque ut mirabilis in suis appareret, & haberent, de quo sibi eorum posteri gloriari & Christi sospitatoris mundi tactu quandoque solo opem ægris ferentis medendi gloriam dubiam reddere possent, suos excellente sanandi potestate ex κακοζηλίᾳ pravâ donare voluit, Dæmone ipso clam curationis negotium, si non verè, saltem apparenter, absolvente. Graviora sunt lienis mala, quàm ut solo contactu citra agentis naturâ superioris concursum sanari queant. Neque ea temperamenti reperitur in ullo excellentia, ut graves lienis affectus, vel cruris debilitatem brevi, solo contactu, domare queat. *Tametsi insolitus quidam status oriatur in temperamento, cui facultas ejusmodi deberi judicetur: tamen nisi longa & assidua illius perduret actio, quæ causam morbi removeat, & lentam alterationem promoveat, salus nulla erit*, ait Biermannus *de Magic. Action. §. 63.* A toto corpore si pedis pollex vel calx istam medendi facultatem obtinuit, non solus pollex in isto exemplo, & in hoc calx, sed & reliquæ totius partes eadem instructas fuisse facultate fatendum erit. Unde autem speciale illud, quo solum pollicem vel calcem natura donavit, provenerit, nemo dicere audebit. Cœlitùs verò pagani Regis pollici, & Imperatoris calci sputoque eam sanandi concessam esse potestatem, qui asserit, unde argumentum ostendat, non habebit. *Durum fortè fuerit dicere, Deum verum prædicta Diabolo sub specie falsorum Numinum suâ virtute voluisse affirmare*, ita Bœclerus *Dissert. in Sueton. p. 136.* Cujus ergò pretii sit illa ab Ægyptiorum Deastro, Serapidem puto, commendata per quietem medicina, facilè jam constat, ejusdem scilicet, cujus omnia sunt Magorum vel Dæmonis remedia. Tertullianus *in Apologetic. cap. 22.* credibile esse, non malè suspicatur, *totum illum morbum fuisse à Diabolo, qui insidens in oculo unius & alterius tibiâ impediebat usum eorum membrorum, idque eo fine, ut videretur sanare, cum desineret nocere.* Ne tangam Vespasianum Apollonium Thyaneum expertissimum Magicorum scelerum Magistrum, qui γοὴς καὶ μάγος ἀκριβὴς Dioni dicitur, Alexandriæ degentem in familiarem admisisse usum, à quo superstitiosa, eaque, quæ sua natura ad curandum absurda, quin fuerit edoctus,

doctus, nemo dubitet. Ex dictis quid de eo, quod de Adriano Ælius Spartianus refert, sit judicandum, patet.

§. 4. Frustra itaque pro Pyrrho, Vespasiano & Adriano laborat Borellus. Ab ortu licet nonnulli plantæ vel mineralis vires, quibus alteri queant nocere, possideant, ex hoc tamen tactus ad sanandum potentiam inferre non licet. Sanitatis facies uniformis, morbi difformis est, seu, ut Pythagorici docebant, bonum est finitum, malum infinitum. Sanitas medium quoddam perfectum est, ad quod difficilis est gradus; ab eo deviatio facilis, & modis ad extremum, nempe ad morbum, fit infinitis: sicut à virtute ad vitia pronus & varius est lapsus. Sanitatis facies ad debitum similarium partium temperamentum, concinnam organorum dispositionem, ac utrorumque continuitatem sub unâ formâ restringitur: morbus verò ad intemperiem, vitiatam organorum dispositionem, & continuitatis dissolutionem sub variis formis diffunditur, prout infiniti sunt à recto recessus. Itaque propter latentem corruptionem in variis partibus variam, quacunque ex causa illa orta sit, tactu mediante, seu potius per contagium adversam alteri qualitatem inferri posse, admittitur: quia homo sua natura corruptibilis alterationem noxiam faciliùs, quàm salutem, percipit: sed quòd homo in statu sanitatis, cujus excellentia ad certum punctum est restricta, per contactum sanitatem, seu vires medicamentosas alteri inferre queat, nondum satis confirmatum.

§. 5. Nam 1. nihil hic organi, videlicet manus dispositio, partiumque in ea unitas, ut talis, sed ejus sine dubio temperies omne præstat: at temperiem manus non propriam, ut Cor, hepar, testes &c. habet, sed à corde vel hepate accipit. Verùm cum non manibus solùm sed & pedibus ac partibus subcutaneis cum sanguine in orbem redeunte ejusdem temperamenti virtus communicetur, cur non & istæ partes sanandi virtute evadunt celebres. 2. Plantæ, vel mineralis vires ita dicuntur, quia plantæ vel mineralibus ratione modi agendi respondent, vel quia à plantis & mineralibus cum cibo assumtis manant. Si *prius*, probandum erit, tantam aliquem virtutem obtinere, ut mineralium & vegetabilium ad instar per contactum sanet. Plurima illorum certum temporis spatium, ut in actum virtus deducatur, requirunt, id autem in tactu, non attenditur. Venenorum autem ad morem tactum brevissimô

villimô temporis ſpatio communicare ad propellendum morbum ejusque cauſam qualitatem efficaciſſimam, ut credam, adduci nondum posſum, cùm genuinum in homine ſanô ſubjectum, à quo talis qualitas ſit derivanda, nominari nequeat. Ab ægroto autem poteſtatem alterum ſanandi nemo expectat. Si autem *poſterius*, & à plantis ac mineralibus cum cibo aſſumtis virtutem iſtam manare dixeris, admittam hoc; ſed cùm nemo in planta illa vel in minerali ſecundum totum applicatis ſimile obſervarit, quî ergò virtutem illam cum alimentis (neque enim aliâ ratione derivari in hominem virtus talis poteſt) ingeri poſſe conjicias? Quæro deinde itidem, cur non & cæteræ partes, cum eodem nutrimento, quod ſanguis eſt, omnes gaudeant, eandem obtineat? Puella illa Alexandro M. ad perdendum miſſa, quia napello enutrita, toto corpore, non ſolâ manu vel ore venenata fuit. Ad hæc ſi craſſior mineralium & vegetabilium (venenata excipio) ſubſtantia extrà corpori admota vel tenuis eorundem eſſentia intus aſſumta, ut virtutem ſuam largiri queant, tempus ad actuationem requirunt amplius, non certè minima ejus in ſanguine latentia & per tactum communicata tantam virtutis gloriam ſibi vendicare poterunt, quaſi tempore iſto longè breviori morbum ejusque cauſam profligare queant.

§. 6. Delrio, Villalpandus, Schottus & Gutierrius, ut negent virtutes in homine mineralium & vegetabilium inveniri, opponunt, disparem eſſe rationem, quod virtutes illæ in totâ ſpecie plantæ aut lapidis reperiantur, à temperamento certo toti ſpeciei communi ortæ: temperamentum autem illud hominis naturæ nullo modo convenire ajunt, aliàs etiam in cæteris dari deberet, cùm omnes ejusdem ſint ſpeciei, aut ſi in aliquibus ſaltem darentur, hi ab illis ſpecie differrent. Verùm bonam cauſam malè agunt tanti viri. Non major eſt temperamenti diverſitas & latitudo in ſpecie humana, quàm in ſpecie plantæ aut lapidis. Temperamentum his, ut mixta ſunt, competit, idque ratione ſpeciei certum eſt & unicum. At homo, præter hoc, quod ſibi ut mixtum quoddam eſt, vendicat, aliud, quod vitale dici poteſt, à ſanguine & ſpiritibus influentibus dependens, participat. Hoc mirum quantum variare præter experientiam, ratio & ſenſus teſtantur. Ex iſtâ autem temperamentorum varietate non licet inferre ſpecificam differentiam, cùm non à formâ hominis ſpecificâ, ſed ſubordinatis ejus

formis

formis qualitatum diversitas promanet. Quàm multæ in hominibus reperiuntur antipathiæ & idiosyncratiæ, quæ, quia à specificâ hominis formâ non veniunt, propterea non omnibus sunt communes. Itaque qualitas certa, salvô specificæ naturæ charactere, huic individuo propria, alii aliena esse potest. Et propterea licet in hoc mineralis aut cujusdam plantæ virtus detur, non tamen, ut & in cæteris reperiatur, aut homo talis specie à reliquis differat, necesse est.

§. 7. Casp. à Reies in suo *Elysio Jucundar. Quæst. Campo*, insufficientiam illius responsi, quod citati viri dederunt, advertens, ut iisdem succurrat, melius sic responderi posse ait, *quod, licet in hominis natura multò major sit diversitas & latitudo, quàm in cæteris speciebus, non tamen tanta sit, ut qualitates aliquas sortiatur, quæ talem sanandi effectum producere valeant: non ex primis, quarum effectus non transcendit propriam naturam, non ex occultis, quia quæ in homine hujusmodi observantur proprietates, respectu ejusdem corporis operantur, non in alienis, & licèt lapides & plantæ hoc præstant, plerumq; tamen faciunt intra corpus sumptæ. Quod si per contactum aliqua operatio admiranda in aliquibus conspiciatur, hoc non peculiare illius plantæ aut lapidis est, sed totius speciei propria est operatio & virtus, quam à summi Creatoris benedictione accepit, qui eam sic donavit, ut ex toto illorum temperamento sic operarentur: ita omne rhabarbarum purgat bilem, omnis magnes ferrum trahit, & sic de cæteris. Hominis verò natura tantam mutationem subire non potest, ut lapidis aut plantæ induat naturam vel vires: nec enim quodlibet ex quolibet fit, sed determinatum à determinato: nec respectu proprii temperamenti tale quidpiam obtinuit, quia hominem non creavit Deus, ut foret materia medicinæ, imò subjectum morbis illum fecit, nec etiam ex individui aliqua peculiari conditione talis affectus evenire potest, quia nec humana species hoc requirit, & illius temperamentum improportionatum est, ad illud producendum.* Hactenus Reies.

§. 8. Sed neque hoc responsum satis tutum. Nam 1. quod occultas, quæ in homine observantur, qualitates attinet, variant & istæ, earumque nonnullæ in alienis operantur, v. g. cum homo sympatheticè vel antipatheticè afficit, non in se, sed in alterum operatur. Idem in plantis & lapidibus observatur. 2. Lapidum quidem & plantarum virtus specifica est & propria, quæ propria hominis esse nequit, cum, quod

uni speciei proprium est, alteri propter absentiam ejus, à quo proprietas specifica manat, proprium fieri nequeat. Nihilo tamen minus id, quod huic proprium est, alteri accidentarium vel subordinatum citra transmutationem fieri potest, ob principium alteri adveniens, id quod de hominibus veneno nutritis evidens est, qui venenositatem à vegetabilibus aut mineralibus contraxerunt, non tamen propterea plantæ vel mineralis naturam induerunt. 3. Temperamentum hominis proprium calidum est & humidum, & ut tale, virtutes istas non continet. Continet autem ex aliâ ratione ob principii mixtionem individualem subeuntis diversitatem peculiarem proprio illi non adversam sed subordinatam. 4 Finis quidem hominis per se non est, ut sit medicina, per accidens tamen fit, ut materiam Medicinæ subministret, quam Schröderus *in Pharmacop.* & Beckerus *in Microcosm. Medic.* ostendunt. 5. Ratio ista, cur ex individui aliqua peculiari conditione talis effectus evenire nequeat, est infirma, quia multæ, autore ipso teste, in individuis occurrunt proprietates, quas species humana de se non requirit, & si requireret, propriæ speciei essent, adeoque omni individuo communes. Jam cùm accidentariæ sint, communes esse nequeunt. Temperamentum autem his ad effectum illum producendum improportionatum esse, in quæstione esse dixerunt contrarium sentientes, aut de temperamento speciei, ut tale est, non autem de eo, quod individuo certo proprium est, concesserint.

§. 9. Scribam illum apud Borellum sola frictione brachiorum febricitantes curasse, ne credam, gentis Gallicanæ ad Venæsectionem, alterantium potuum, clysterumque usum, obortô in Microcosmô incendiô mox decurrentis, indoles suadet. Malo tamen in re controversâ & dubiâ, ubi omnis circumstantiarum apparatus nondum satis exploratus est, τὸ ἐπέχειν arripere, quàm temere judicium cum rationis offensione ferre. Non tangam hîc hodiernam multorum fingendi libidinem; non addam quorundam in supprimendo in agente supernaturali malô fucum & fraudes, quia suspicio in virum bonum cadere non debet: hoc saltem adjicio, perpendendum, num virtus seu vegetabilis, seu mineralis incendio tollendo apta frictione solâ communicari queat. Amuleta carpis admota (vix tamen sola) fermentationem tollunt vi, qua pollent, refrigerante & adstringente: at partium similium in manu scribæ

bæ illius quis conjiciat? asserere autem minima per brachium frictione communicata ad internam febrilis materiæ sedem penetrasse, eamque diruisse, assertum est rationem diruens.

§. 10. Quæ ex Remigio de sagis afferuntur, ea Satanæ ad sua signa, quæ sunt virgæ pulvere vel unguine quodam illitæ, effectivè concurrenti & mortem ex Dei permissione inferenti sunt adscribenda. Neque omnes sic lethaliter fuisse percussos, eædem sunt fassæ, sicut & autor subjungit: *nisi si qui fortè ab eorum injuriis tuti sunt benignitate aliqua Numinis singulari.*

CAPUT V.

Reges Franciæ, Angliæ & Hispaniæ strumosos solo tactu curare, cur in dubium vocetur? Gutierrius pro Rege suo infeliciter pugnat. Nullum, licet vera ista sint, exinde subsidium pro tactus efficaciâ procuratur. Exempla de Comitibus de Habsburg & Balliolis notantur.

§. 1. CHristianissimos *Franciæ* Reges Strumas tactu sanare, multa variorum autorum monumenta loquuntur. Variorum de hoc judicia me non latent. Wolff. Franzius *Histor. Animal. Part. 4. cap. 1.* ad fabulas hoc refert. Anton. Bernardus Mirandulanus *Lib. 20. Disput.* citante Sachsio *Gammarolog. pag. 808.* ad imaginationem recurrit, eamque facultatem naturalem movere statuit, ut perfectiorem ad strumas sanguinem deducat. Pauci virtuti alicui naturali, sive ea à cœlestium corporum influxu, sive à longo aromatum esu, sive à victu tenuante sit contracta, sive ab oleo quodam efficacissimo, quo extremitates digitorum regiorum ante contactum illinuntur, dimanet, curationem tribuunt. Plurimi τὸ θεῖον, manumque Regis Regum cœlestis singulari gratia conjunctam agnoscunt.

§. 2. Nobis autem, ut ingenuè fateamur, totum hoc negotium in tribus supra citatis Galliæ, Angliæ & Hispaniæ Regibus potentissimis est suspectum: siquidem quod *Galliæ* Reges clangosô famæ tubicine præ cæteris ob hanc curationis gloriam celebratos attinet, Historiographi, Annaliumque Francicorum conditoris celeberrimi Scipionis Dupleix (Plessæi) hæc ab aliis verba citari invenio: *Ego nullum adhuc documen-*

tum, nullum vestigium ejus gratiæ in duobus primis Regum nostrorum familiis vidi: nec verisimile est, si eâ curatione præditi fuissent, quin ejus temporis Historici in scribendis multis miraculis minoris momenti satis curiosi præteriissent istud tam nobile & gloriosum familiæ Regum Franciæ. Petrus de Crescentiis Medicus Gallus referente Th. Lansio *in suis Consult. Orat. contr. Gall. pag. mihi 259.* & ex eo Joh. Heringo *Mantiss. de Molendin. cap. 1. num. 585.* testatur, multoties se quidem Reges vidisse pro more tangere strumosos, sed qui inde sanatus fuerit, neminem: ut præstet strumas in Moraviam ad Zabarovicenses aquas deportari, ubi bitumine, sale, chalcantho, quæ in istis sunt, profligantur. Hubert. Morus *de S. Un. lib. 3. cap. 5.* refert, *Henricum III. Franciæ Regem hominem sibi dilectissimum, strumarum morbo graviter laborantem, sæpiùs licet repetito contactu, sanare tamen nunquam potuisse.* Ex ore Jurisconsulti cujusdam eximii, qui varias Europæ partes peragrando perlustravit, accepi, strumosos, postquam Rex eos tetigit, Medicorum deinceps curæ relinqui. Quid horum curâ opus, si tactus per se sanandi gratiam obtinet?

§. 3. De *Angliæ* Regibus dubium subministrat Voetius *Dispp. Sel. Tom. 3. pag. 1030.* ubi scribit, se à quodam Theologo simul & Medico Anglo audivisse, homines curationem illam petentes prius fuisse visitatos à Medicis Regiis & medicamentis ad curationem præparatos, si non curatos: illos autem, quorum morbum putabant huic scenæ non inservire, ablegatos cum hoc judicio, non esse genuinas strumas, seu morbum à Regibus curari solitum.

§. 4. Quod *Hispanorum* Reges concernit, hanc eorum gratiam in adulationem potius, quàm in supernaturale donum convertit Sebastianus de Soto Medicus Curialis *Libell. de Monialium clausura ob morbos licitè reseranda*, fatente Gutierrio *Dubio 7. num. 13. p. 155.* qui tamen pro Rege suo dimicaturus Sebastianum istum malè ab actu negativè ad potentiam colligere scribit, & pergit, *quasi diceret*, inquiens, *Deus non produxit creaturas possibiles, imò non producet. Ergò non est illarum productivus. Hæc illatio undiq; falsa est. Sed Reges nostri humili Majestate ducti illius virtutis exercitio non intendunt, omne hujuscemodi jus sacris Sacerdotibus relinquentes, tum quia minus, quàm exteri, his novitatibus Hispani delectamur.*

§. 5. Verùm 1. hanc Regum Hispanorum potentiam unquam

in

in actum fuiſſe traductam, exemplis ſaltem aliquibus (quia una hirundo non facit ver) uti Deum ſuam producendi potentiam in glorioſo creationis opere probaſſe conſtat, confirmare decebat Gutierrium: ſiquidem potentiam ſpeciali gratia conceſſam ex actibus judicamus. Jam cùm nullum virtutis exercitium, quod in gloriam Regis, in gratiam propriæ nationis, in confutationem adverſarii, & in confirmationem argumenti ſui debuit, attulerit, ex hoc ſilentio adulationem præconum cum ejus ſympatriotâ colligimus meritò. 2. An virtus ſanandi ſtrumas Regibus divinitùs conceſſa in Sacerdotes translata eſt unquam? An ex placito humano transferri apta eſt? quibus exercitiis aptitudo illa probabitur? quæ exempla & quos Sacerdotes in ſcenam producet Gutierrius? 3. Humilis Majeſtas gratiam cœleſtem non ſpernit, ſed quia ſe à ſumma Majeſtate ſic dignatam agnoſcit, eam, ne neglectu ſupprimere videatur, exercitiis evehere ſtudet. 4. Novitatibus, quibus vanitates ſunt admixtæ, nemo delectatur meritò: ſed novitates, quas antiquus dierum ſingulari gratiâ ornatas ſiſtit (quò certè admiranda illa per contactum ſtrumas ſanandi methodus referenda venit) venerari omnemque contemtus ſuſpicionem uſu & exercitio extinguere decet. Et quis credat Hiſpanos his, ſi domi natæ eſſent, novitatibus non delectatum iri, cùm, quæ gloriam gentis ſuæ mactare queunt, innatô faſtu anxiè quærant, ut de iis jure id, quod Senex Peleus filio ſuo Achilli apud Homerum *Iliad. 11.* præcepit, uſurpari queat:

Αἰὲν ἀριςεύειν καὶ ὑπέροχον ἔμμεναι ἄλλων.

Semper bene-rem-gerere & eximium eſſe præ cæteris.

At miraculoſus ille ſanandi modus divinæ Majeſtatis radium quendam præclarè referens, gloriam perſonæ in celſiſſimo dignitatis gradu conſtitutæ inſigniter auget; modumque illum ſtrumoſi, quos in Galliam Hiſpania, ut ibi curentur, transmittit, non poſſunt non venerari & ſuſpicere. Proinde vereor, ne blandâ adulationis ſpecie iſtam virtutis ſanandi opinionem Regibus magnis aulici impreſſerint, & impreſſam in majorem ſuæ gentis gloriam per ſimulationem fovere, & per manus ſub ſacra fide tradere, ut ſubditorum animi felicius per iſta incantamenta caperentur, perrexerint, uti Tacitus, feciſſe illud Veſpaſianum *vocibus adulantium inductum, ut cuncta fortuna ſua patere oſtenderet*, quamvis id pro vero venditet, diſſimulare nequit. Talis quoque fuit Anaxarchus,

chus, qui ad Alexandrum M. cùm subitò in itinere conuisset, dixit: *Nunquid tu hoc fecisti, ô fili Jovis?*

§. 6. Deum sanè celsissima populorum Capita largò specialis gratiæ flumine rigare posse, ut è contra consumente specialis iræ suæ fervore quandoque potentes potenter perdit, admittimus, non tamen ex Dei potestate ejusdem voluntatem elicere & commentis tueri licet. Clodoveo primùm sacram strumas sanandi facultatem divinitùs fuisse datam, concessero: sed an ab eo ad liberos & posteros Gallorum Reges ista fuerit transmissa, dubium per ea, quæ adduximus manet. Quicquid autem hujus rei sit, etiamsi tantis Regibus non indignum, miraculosum sit istud curationis opus, non tamen manus, quique manu perficitur, tactus de se id facit, cùm manus solùm instrumentum sit & symbolum: instrumentum autem in opere miraculosô obvium quodque esse potest, etsi tum in se, tum in respectu virtutis naturalis spectatum absurdum sit & impertinens. Propterea nec Comitum de Habsburg, aut Ducum Austriæ, nec Balliolorum in Gallia exempla divini muneris plena nobis obsunt. Ab istorum manibus quicunque strumosus potum accepit, mox sanum, aptum & gracile guttur reportasse, autor est Felix Fabri *Histor. Suevor. lib. 1. cap. 15.* Balliolorum familia insigni divinæ providentiæ beneficiô ossa, seu prolapsu, seu violentiâ, seu ictu fracta, aut luxata nervosque & artus contusos vel quovis modô sede suâ amotos, vi tacitâ sanare, & in pristinum vigorem roburque restituere in more positum habet, ut refert Scævola Sammarthan *Elog. lib. 5. p. 155. in Elog. Nicol. Balliol.* Quanquam de priori, *fides sit penes autorem*, scribat Camerarius *lib. 3. Oper. Subsis. cap. 42.* qui alibi de hac prærogativa domus Habsburgicæ vel Austriacæ, hujusve doni usu se nihil legisse fatetur: Balliolos autem ad chirurgiam quasi natos accuratâ ejusdem scientiâ, manuumque agilitate & dexteritate cæteris in curandi methodo palmam præripere ex iis, quæ dictus Familiæ præco *loc. cit.* subjungit, colligere licet.

CAPUT

CAPUT VI.

De contactu Amuletorum, manûs cadaveris humani, septimi fœtûs masculini: de Torpedine, de Echeneide & reliqis cap. 3. in oppositum prolatis, agitur, omniaq; fusiùs examinantur.

§.1. Reliqua, quæ tactûs efficaciam vindicare videntur, ut tangamus, (1.) *Amuleta* non nudâ superficierum suarum ad corporis humani superficiem applicatione, sed qualitatum sibi propriarũ virtute in corpus agunt, modo, quem supra *l.1.P.2.Sect.2.c.19.*§.*7.* indicavimus. (2.) *Manum cadaveris humani* affrictam conferre non negavero, id tamen non propter solum attactum, sed ex antipathiâ quadam determinata, quæ inter frigidum mortuum & calidum vivens intercedit, sine dubiô contingit, & quia ita partis affectæ venæ à manûs mortuæ frigiditate quasi constringuntur, ne uberior fiat humoris strumam generantis affluxus, id verò, quod affluxit, à sanguinis in venis per partem tendentibus contenti calore sensim discutitur. Quibus verò ad transplantationem hoc referre placet, per nos integrum maneat.

§. 2. (3.) Eum, qui continuata serie *masculorum septimus* in lucem prodiit, strumas seu scrophulas vel solo attactu curare, & docti & indocti credunt. Talis in urbe hac degit puer, filius Andreæ Bachenschwantz concivis nostri, qui inter vivos nuper esse desiit. Istum strumosos ad curam tangendo perficiendam passim invitare, & ab iis sic curatis sostra referre inaudivi. Ego ut in rei veritatem devenirem, pueri illius matri fictam aperio sponsionem, quâ provocatus statuerim non omnes strumas à filio in eadem serie septimô contactu sanari. Negativam finxi, ne forsan, quòd meô consiliô olim usa esset, reticendo verum mihi affirmativam tenenti in totum suffragaretur, & auribus meis aliquid, invitâ veritate, daret. Ista verò se hactenus exiguam hujus curam habuisse, neque in attactus effectum se inquirere voluisse, ne quæsitum in blandam ad remunerandum compellationis speciem verteretur, reposuit. Hoc tamen ingenuè fassa est, Typographi nostri filiam strumosam, & aliam quandam in pago Ober-Wolspach sperato manualis medicinæ effectu fuisse destitutam, id quod & Typographus mihi porrò inquirenti confirmavit, asserens, biennio demum post, musse-

mulieris cujusdam cinerem spongiarum aliaque exhibentis atque externa applicantis consilio & auxilio strumam in filiâ suâ tandem recessisse. An verò plures filii manus sic frustrata, se equidem nolle vel affirmatum vel negatum ire, illius mater adjecit. Ideò eò lubentius jam prolixis rationibus, quas Medicus eximius Primorosius *lib.4. de Vulgi in Medicina Erroribus cap. ult.* doctè proponit, locum concedimus amplum, quando sic disserit: *Id naturale esse vix quisquam credet. Quod enim naturale est, ab intimis pendet principiis, omniq; individuo illius speciei, si incolumne illud sit, & naturaliter sese habeat, convenit, ut omne Rhabarbarum purgat bilem, omnis homo risibilis est. Nec pendet à numero, siquidem numerus nullam habet agendi vim secundum Philosophos: actiones enim sunt suppositorum, & à forma rerum dependent. Verùm septimus iste fœtus vim habere dicitur peculiarem, quæ sex prioribus fratribus denegata est, quia scilicet septimus est. Necesse igitur ejusmodi vim aliunde dependere, cùm nec à formâ, nec à numerô proficiscatur. Non quidem à contactu, quoniam tactus quà tactus vim solam habet tangendi. Quod si virtus quædam vel noxia vel salutaris inest corpori, ea per tactum quidem communicatur. Verùm ipse tactus eam vim non possidet. Præterea cùm omnium morborum curatio solius causæ depulsione perficiatur, strumas pariter isti thaumaturgi non nisi sublatâ causâ tollunt. Cùm autem strumarum causa secundum Medicos pituita sit, in glandulis confirmata, quæ in aliis partibus alios morbos parit, eodem contactu, eadem virtute aliis morbis ab eadem causa profectis posset opitulari. Quod cùm non fiat, necesse est, vel miraculosam esse curationem, vel ægrotantis imaginatione totam inniti. At cùm ægrotantium imaginatio variè sese habeat, in quibusdam fortior, in aliis imbecillior sit, incertus haud dubiè ex incertâ causa eventus sperari debet. Miraculosam igitur necesse est, aut falsam & Dæmoniacum. Miraculosam esse non facilè credendum est. Contactu olim sanabant Apostoli & primi Christiani ad majorem Dei gloriam & Christianæ religionis incrementum. Verùm non temerè ad cujuslibet arbitrium miracula fieri vult Deus, sic quod olim fecerunt Apostoli, non propriâ virtute, sed Domini nostri Jesu Christi nomine se perfecisse docuerunt.* Et postea: *Nec reperitur ulla promissio à Deo facta septimo fœtui, nec ante religionis Christianæ prima incunabula, nec postea,*

& mirum,

& mirum, nullos fuisse Apostolorum tempore septimos fœtus, qui cum ipsis de virtute patrandi miracula concertarent, cùm tamen haud dubiè plurimæ familiæ numerosissima sobole luxuriarint. Propterea certius est Diabolicam esse ejusmodi curationem, si ulla est. Hactenus Primorosius.

§. 3. Prærogativa ergò illa filio in generationis serie eadem septimo gratis affingitur, & vel Dæmon, ut in aliis morbis solet, per agentia naturalia, quorum vires habet cognitas, morbum hunc citissimè sanat (quod idem facere possent Medici, si omnis naturæ virtus ipsis foret explorata) vel nullus, ut exemplis ostendimus, vel per accidens & casu saltem effectus sequitur tactum, quando nimirum vel post usum medicamentorum (quæ nemo facilè omninò prætererit) causam morbificam non negligentium; sed tardiùs saltem depascentium tangentis manus accedit, cui deinceps curationis honor defertur, vel natura ipsa suâ sponte morbum tollit, id quod Primorosius quoque in fine ibidem notat. *Notandum est*, inquit, *morbum hunc pueris esse magis familiarem, atque fieri à pituita, quæ ætatum successione ex caloris incremento dissipatur, morbusque sponte cessat, quod multis & puerorum morbis est familiare; quod si contingat, non tangentis cujuslibet incertæ virtuti, sed naturæ tribuendum, quæ morborum medicatrix ab Hippocrate vocatur.* Satis de hoc: cui hoc unum adjicimus, filium scilicet posthumum verrucas tactu sanare posse, nostratibus pariter persuasum esse, Medicus autem hic posthumus ad aquam fluvialem verrucosum deducere, eumque ter in nomine S. Triados lavare tenetur. Verùm hæc magicam superstitionem redolere, omnibus librum tractatûs hujus primum evolventibus fit manifestum.

§. 4. (4.) *Torpedo* piscis non per tactum, sed per qualitatem stupefactivam atque nervis inimicam, per hastam aut baculum ad piscatoris manum transmissam, adeòque ratione antipathiæ naturalis piscatorem afficit. Ex hoc fonte (5.) *pennarum aquilinarum* vicinas sibi aliarum alitum pennas absumentium vim deducimus. (6.) *Echeneidem* tantæ virtutis esse, ut naves retineat, aut retardet, fabulosum est solertissimo naturæ scrutatori Athan. Kirchero *Lib. 3. Art. Magnet. Par. 6. cap. 2. §. 3.* ejusque sequaci Casp. Schotto *Phys. Curios. lib. 10. cap. 14.* qui productis in medium rationibus assertum confirmantibus retentionis ac retarda-

retardationis navium causam, quæ Echeneidi adscribitur, probabiliter æstum maris non stabilem, sed extemporaneum, tunc exortum fuisse statuunt. Sed licet ejusmodi proprietate piscem illum præditum esse concedatur, quid commune habet ille cum homine? quo pacto ex ipsius naturâ hominum virtutem ac proprietatem metiri possumus? Tactus de se alteri nec salubris est, nec noxius, talis autem ex accidente, ut supra innuimus, evadere potest: salubris tamen, qui ex causâ naturali sit morbi profligator, vel non, vel non nisi rarissimè occurrit; sæpe noxius ob causam vel internam, vitiosum nimirum humorum corruptorum apparatum, uti per omnes corporis partes, ita & per tactus organum μιάσματα prava transmittentem: vel externam, quæ vel naturalis est, ut sunt pulveres, unguenta & linimenta venenata venenatis ex rebus parata, manuque contra veneni vim præmunitâ, aliis inuncta; vel supernaturalis occultè concurrens. Effectus tamen omnis, qui contactum noxium sequitur, probè examinandus, an viribus naturæ respondeat, an verò easdem superet? Si effectus viribus naturæ major est, suspicio de agentis alterius tacitè concurrentis influxu oboritur meritò. Sic in duobus illis exemplis *cap. 4. §. 5.* allatis, & quidem in primò tactus solus vel manus, quomodocunque etiam rebus malignis ex naturæ fundo desumtis fuerit præparata, efficere non potuit, ut fœtus tam brevi temporis spatiô in frusta comminueretur & ejiceretur: neque in secundo, ut spinæ, ligni frustula & alia absurda producerentur & excluderentur, quæ certè satis de Dæmonis, qui ex pactô cum sagis istis concurrit, tacitô influxu testantur, eumque in sequenti historiâ observamus.

§. 6. *Saga quædam in Ducatu Wirtenbergensi jamjam Magiæ pœnam cum complicibus persolutura, & marito suo in carcere valedictura hoc in sui memoriam ejus dorso impressit signum: nimirum discedentis dorsum manu percussit & addidit:* Lieber Mann dabey gedenck meiner. *Maritus pro amoris signo plagam interpretatur, sed malevolentiæ signum ex subsequente ibi loci tumore cum atrocissimis doloribus, recurrente præsertim Lunæ mutatione, non potuit non colligere,* David Mederus in der Hexen-Predigt *pag. 63.* Plagam sine dubio in nomine infernalis sui doctoris saga inflixit: siquidem ut Bartholom. de Spina *Quæst. de Strig. c. 8.* notat, *ad hoc vetulæ malignæ invocant Diabolum, verbis inordinatissimis,*

mis, & in nomine ejus osculantur pueros ad perdendum eos, ut per earum legitimas confessiones cognovimus. Quæ ex re debent omni studio prohibere parentes, ne vetulæ infames vel suspectæ pueris appropinquent, vel eosdem osculentur, aut quicquam eis offerant vel tradant. Hoc enim malefica valdè desiderant, ut eos inficiant, & dæmonibus obsequantur.

§. 7. Sprengerus *in Mall. Malefic. Tom. 1. Part. 2. Quæst. 1. c. 13.* prolixam de Sagâ quadam obstetrice historiam refert, quæ nocte puerperæ cujusdam ventrem manu tetigit. Sex mensibus, ut malefica ipsa prædixerat, ad punctum evolutis internorum viscerum tortura subitò ipsam tam dira invasit, ut nec diebus nec noctibus clamoribus omnes inquietando abstinere potuerit. Die verò quadam ad opus naturæ perficiendum se accingens, ossà, ligna, spinas rosarum in longitudine unius palmæ & varia innumera excernit. Maleficium hoc non nudo tactu sed Dæmonis concursu hîc fuisse patratum, nemo non advertit. Sic Johannem Egolphum Augustanum Saga quædam hospitalis, cui inter plures alias in primo ingressu ante portam manum dederat, solo tactu fascinavit & intoxicavit, Zeilero *Epist. 534.* ex Stengelii *Rer. Augustan. Vindel. Comment.* referente. *Alia saga frustulum quoddam ceræ instar quod à Diabolo acceperat, manu premens fœminæ cujusdam brachium tangit & ait: Proh! quàm tenuia tibi sunt brachia! intra se verò hoc dixit: Hoc te in æternum fascino. Ex quo perpetui secuti sint dolores. Ex literis cujusdam amici.*

CAPUT VII.

Pro halitus efficaciâ licet proferantur rationes & exempla, halitum tamen de se noxium non esse probatur 1. ab ejus materiâ. 2. indifferentiâ. 3. ab exspirationis fine. Halitus impuritatem habet vel ab extra vel ab intra. Ea quæ Borellus in medium adduxit, examinantur.

§. 1. FAscinum *Halitu* posse immitti fidem itidem multa facere videntur. Halitus enim cùm detur salubris, etiam insalubrem dari ratio colligit meritò. Prius constat & confirmat Petr. Borellus *Histor. & Obser. Medic. Cent. 3. Obs. 58.* quam *de Insufflatione* inscribit. Eam totam transcribere placet: *Quemadmodum legimus Deum in corpus*

Adami animam insufflasse, sic etiam animalibus insufflationem vitalem concessit, adeoq; quædam est in India Medicorum secta, quæ morbos omnes solâ curat insufflatione. Sicq; solent apud nos gallinæ ano admoveri ægrotantium, ibiq; detineri, donec suffocentur, & quasi animam in ægri corpus expiraverint, unde asseritur, ægros concamatos sæpissimè revocari ad pristinum habitum. Sed magis memoranda est historia famuli cujusdam, qui cùm è rure rediret & Dominum mortuum invenisset, jamq; sepulturæ condendum, voluit illum diutissimè exosculari, dumq; supra illum flens & halitus fundens in os ejus esset, paulatim illum ad vitam tanquam Propheta revocavit. Sic enim Prophetæ olim in mortuos resupinos ipsi proni in eos inspirantes recumbebant. Hæc Borellus. Ita è contra halitus datur noxius & insalubris, ut est eorum, qui lue Venereâ laborant, teste Dn. D. Sebizio *Manual. Pract. Tom. 2. Part. 9. cap. 2.* Halitum peste infectorum, item eorum, qui in ultimo mortis articulô versantur, nemo non fugit. Phthisici similem labem halitu suo in dispositum propagant. Sprengerus *loc. cit. cap. 1.* hanc recitat historiam. *In diœcesi Constantiensi*, inquit, *& territorio Nigræ Sylvæ, malefica dum per lictorem super struem, lignorum pro incendio sibi parato à terra elevaretur, dixit: Dabo tibi mercedem: & sic insufflando in ejus vultum statim lepra horribili per totum percussus, paucis ex post supervixit diebus.*

§. 2. At verò *Halitus* de se noxius non est, & proinde, ut talis, fascinum non infert. Probat hoc ipsum 1. *ejus materia*, sive ea aer solus sit, sive aer vaporosus, seu atomis refertus aqueis. *Aer ratione substantiæ omnis malitiæ & contagionis est expers ob summam sui subtilitatem, qua & naturam ætheris & ignis, quæ inquinari non possunt, imitatur*, ut loquitur Kircherus *de Peste Sect. 1. cap. 3. §. 2.* Aqua etiam in statu & collectionis & dispersionis, cum, in minima resolvitur, de se malitiæ omnis pariter est expers. 2. *halitûs indifferentia*, cùm jam gratus, jam salubris, jam insalubris, ob partium scilicet aeri immixtarum varietatem, experientiâ teste, evadat. Proinde talis exspiratione redditur, qualis inspiratione fuit attractus. Si purus attrahitur, purus (cæteris paribus) redditur: si impurus, impurus ex ore redit. 3. *exspirationis finis*, qui non est fascinare, sed vitam custodire, & calorem tueri; qui quidem finis primarius est, secundarius autem, voci & locutioni materiam submini-

§. 3. *Im-*

§. 3. *Impuritatem* autem *halitus* vel ab extra vel ab intra habet. *Ab extra*, quoties aer ipse nos circumstans, quem inspiratione attrahimus, vaporibus & quisquiliis pravis ac malignis est infectus & adulteratus: *Ab intra*, quando vel ipsa massa sanguinea, vel partes respirationi inservientes peccant. Massa enim sanguinea vitiosa in circulari suo motu, cum pulmones transit, non potest non aerem ad exspirandum praesentem fuliginibus seu minimis atomis corruptis & pravis impraegnare, ut in peste, in lue venerea, in elephantiasi &c. fieri observamus. Sic Helena illa venenis enutrita & Alexandro M. ad perdendum dono data vel solo halitu procos interfecit. Idem contingit, quando partes respirationi dicatae putridae evadunt. Hinc phthisicorum, qui pulmones exulceratos habent, halitus foetidus est & noxius. Sed qui ex naturali causa vitiosus est halitus, noxam quidem infert, sed ea successivè & cum mora quadam increscit: itaque in illo Sprengeri exemplo lepra post insufflationem statim oborta non ad naturalem, sed supernaturalem causam, Daemonem scilicet est referenda. Dei nimirum permissione Diabolus ipse invisibilis sagae halitum ex tempore conspurcavit, & lepriferam immisit auram, quam tamen callidè ante occultarat: prout experientia testatur, Diabolum formâ visibili apparentem, ubi evanuit, foetorem gravissimum, ante disparitionem à nemine observatum, reliquisse. Non itaque ex ipsius anhelitûs virulentia tantùm, ut malè arbitratur Bodinus, sed ex Daemonis pactô ad halitum, ut ad signum concurrentis maleficium est obortum, quod & Torreblanca *lib. 2. Daemonol. cap. 39. n. 11.* notat.

§. 4. Quae Borellus de Insufflatione adducit, tanto Viro sunt indigna. Nam 1. ex inspiratione divinâ Adamo factâ non licet similem in animalibus insufflationem colligere. Siquidem spiraculum vitae, quod in nares Adami Creator flavit, anima fuit; at spiraculum hominis aer est, ex pulmonibus exclusus: Illud spiraculum vitae fuit essentialiter; at vitalis animalium insufflatio vitalis principii effectus est, qui vitam manifestat, non producit. 2. Non ideò, quia Deus insufflationem vitalem concessit, ex vitali medicinalem licet inferre facultatem, aliàs omnes homines eâdem praeditos esse foret inferendum, quia omnibus vitale principium inest. 3. Morbos omnes in India à quadam Medicorum secta sola insufflatione (naturaliter) curari posse, quis in re fide

majore & secundum omnes circumstantias ignotâ Viro experientia & testimoniis authenticis destitutô fidem adhibeat? Ne adhibeamus, & insufflationis natura & morborum diversitas prohibet. 4. Gallinas ano admotas quasi animam in ægri corpus expirare dicit. O si Palladis ori suum admovisset autor, & veritatem in tenera discentium pectora feliciori sidere expirasset! Admoventur ano, capiti pedibus, & aliis hominis partibus gallinæ, non ut quasi animam suam in ægrotantis corpus expirent, sed ut malignitatem attrahant, causamque morbificam discutiant. Hinc vel vivæ bubonibus pestilentialibus vel dissectæ in phrenitide, cephalalgiâ, epilepsiâ &c. capiti imponuntur, teste Schrödero *Pharmacop. lib. 5. cap. 55.* 5. Famulum rure redeuntem mortuum quendam halitu suo Prophetæ instar in vitam revocasse ait. Paganus si hæc dixisset, Rusori ut supplicaret, per jocum impellerem. Ab hoc enim, si quid ex iis, quæ quis possederat, amissum esset, opem poscebant gentiles. Axioma hoc: *A privatione non datur* (naturaliter) *ad habitum* (eundem numero) *regressus* (adeoque nec à morte ad vitam) in Philosophiæ fundo collectum bonus Autor præcipiti cursu amisit, quem latere non debuit, respirationis & vitalium animaliumque actionum detentionem non statim vitæ ipsius extinctionem arguere, quia anima, sive actus primus sine secundo adesse potest, quod exempla hystericarum, strangulatorum, suffocatorum, & peste extinctorum quorundam, quos obvii quique ex ea causa mortuos judicarunt, satis testatum fecerunt, apud Theodor. Zvvingerum *Volum. 2. lib. 7. fol. 505.* Schenckium *libr. 4. Obs. 288.* Paræum *lib. 23. cap. 46.* Forestum *lib. 15. Obs. Medic. 25.* Prophetæ quidem in mortuos resupinos proni inspirarunt, sed animam ipsam non immiserunt, quia alterius animam Prophetæ non habuerunt. Si verò aliam inspirassent, non idem homo in vitam rediisset, nova anima alterius habitaculum derelictum subiisset, anima prior corpore proprio careret, cum quo in παλιγγενεσίᾳ sit uniendum: animam ipsam Propheta vel generasset vel creasset, quorum neutrum dici potest; ne plura ex asserto illo manantia absurda tangam. Cur autem Viri illi Dei mortuos resuscitaturi ritibus & ceremoniis istis fuerint usi, Theologis exponendum relinquimus. Famulum verò illum Virum Dei fuisse, Prophetico spiritu & munere & in vitam resuscitandi virtute peculiari donatum, Borellus veridico spiritu prodat, & erit nobis magnus Apollo.

PARS

PARS III.

De

FASCINATIONE MAGICA

In sensu generaliori spectatâ

SECTIO I.

De

CAUSA EFFICIENTE PRINCIPALI FASCINATIONIS MAGICÆ.

CAPUT I.

Actiones Magicæ ad Dæmonem tanquam causam principalem reducuntur. Multa in sacris Dæmon dabet nomina. Dæmones unde dicantur? Omniscii non sunt, sed multiscii. Triplex datur in iis scientia: Idem nomen tribuitur etiam Angelis; item animæ à corpore separatæ. Diaboli Etymon. Item vocum Satan, Belial. Beelzebub unde & cur dicatur? Cur Diabolus Deus vocetur? Varia Dæmones sibi ipsis nomina imponere ex actis Judicum punctum veneficii concernentibus legere est.

§. 1. MAgos de se nec visu, nec voce, nec tactu, nec halitu nocere & fascinare posse, sed omnia eorum facinora, quæ præsertim naturæ genium transcendunt, occultô Dæmonis efficaciter cooperantis influxu absolvi, hactenus ostendimus. Jam plura, quæ in Fascinationis Magicæ latifundiô occurrunt, evolvemus. Quod ut feliciùs fiat, secundum quatuor causarum genera, vel secundum requisita actionis progressum faciemus. Est enim Fascinatio Magica actio. *In omni* verò *actione* occurrit *agens* seu *efficiens causa*, (efficiens enim propriè dicta & agens sunt idem) *objectum* sive subjectum patiens, quod efficienti seu agenti subjicitur, & actionem recipit, *modus agendi*, qui rationem formalem tuetur, & demum *terminus* seu *finis* actionis.

§. 2. *Agens*

§. 2. *Agens* seu *Causa efficiens* Fascinationis Magicæ est vel principalis, vel instrumentalis. *Principalis* est *Dæmon.* Actiones enim magicæ admirabiliores & majores sunt, quàm ut modô naturali fieri queant. Si hoc, potentioris causæ beneficiô eas perfici fatendum erit. Potentiores autem sunt Deus & Angeli tum boni, tum mali. Sed neque Dei, neque bonorum Angelorum auxilio istiusmodi actiones absolvi ex eo liquet, quòd, quæ tentant Magi, ordini à Deo præscripto prorsus repugnent, media ad lydium veritatis lapidem affricta vana & absurda deprehendantur, nullam eadem à Deo in sacris promissionem habeant, & finis hominum actionibus magicis planè immersorum tragicus & funestus esse soleat.

§. 3. Multa, in sacra præsertim pagina, Fascinator stygius sortitus est nomina. Vocatur enim Dæmon, Diabolus, Satanas, Belial, Beelzebub, Deus hujus seculi, *2. Corinth. 4. v. 4.* Princeps mundi, *Joh. 12. v. 31.* Dominus mundi, *Ephes. 6. v. 12.* Princeps aeris, *Eph. 2. v. 2.* Principatus & potestates, *Coloss. 2. v. 15. Eph. 6. v. 12.* sibi ipsis Dæmones multa & varia imponunt nomina.

§. 4. *Dæmon* dicitur quasi δαήμων, ὅτι φρόνιμοι καὶ δαήμονες ἦσαν, ut loquitur Socrates apud Platonem *in Cratylo*, *quod vocabulum græcum est, ob scientiam dictus*, ait Augustinus *lib. 9. de C. D. cap. 20.* Ubi Ludov. Vives *in Comment.* Δαίμω, inquit, *Græcis olim fuit*, ἐπίσαμαι καὶ γινώσκω, *scio & novi. Inde* δαίμων *quasi* δαήμων, *ut inquit Autor Etymologici magni,* πάντα ἐπιστάμενος καὶ γινώσκων, *omnia sciens & noscens.* Quod tamen sic intelligendum, non quod omniscientes verè sint Dæmones; (hoc enim prædicatum soli Deo debetur) sed quòd pro talibus à suis haberi velint. Multa tamen sciunt, quæ multiscientia omniscientiæ opinionem in simplicioribus parit. Et quidem triplex datur in iis scientia, notante Dn. Rauppio *Loc. Theolog. Tom. I. de Angel. Tract. poster. cap. 8. pag. 191.* 1. *naturalis*, ex spiritualis naturæ subtilitate: ex sensus acrimonia & motus celeritate. 2. *Experimentalis*, ex longi temporis experientia. *Est enim Doctor non promotus, sed expertus*, ait Lutherus. 3. *Supernaturalis*, quæ complectitur 1. Deum. 2. bonos Angelos, & procedit ex revelatione superiorum potestatum. Macrobius *lib. 1. Saturn. cap. 21.* præter istam derivationis rationem aliam adducit, quando etiam ἀπὸ τοῦ δεομένου, i. e. καιομένου, sive ἀπὸ τοῦ δαιομένου, i. e. μεριζομένου Dæmones dictos scribit.

Quidam

Quidam παρὰ τὸ δαιμαίνω, quod *exterreo, & pavefacio* significat, eos vocari putant. Tribuitur hoc nomen etiam Angelis, qui tamen cum addito boni Dæmones vocantur apud Augustinum *lib. 9. de C. D. cap. 19.* Diaboli è contra κακοδαίμονες, ut sit etiam in nominibus differentia, nominantur. Plato *in Timæo* Diis inferioribus, seu ministris unius supremi Dei, quem ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦ παντὸς vocat, Dæmonum nomen imposuit. Animæ quoque à corpore separatæ tribuit idem nomen Servius *Comm. in Virg. 6. Æneid.*

§. 5. *Diabolus*, ut supra *Part. 1. cap. 1. §. 5.* indicavimus, à διαβάλλω, *trajicio, culpam falsò in alium trajicio, calumnior*, dicitur, quia calumniator noster est, & accusator fratrum nostrorum, *Apoc. 12. v. 9.* Chrysostomus *Hom. 2. in 2. Cor.* triplicem appellationis hujus rationem proponit. 1. *Quia Deum incusat* apud homines, quando videlicet divinæ misericordiæ insidias struit, & ad desperationem homines solicitat. 2. *Homines incusat apud Deum, Apoc. 12.* quando peccata, in quæ eos præcipitavit, coram divinô judiciô exaggerat. 3. *Homines calumniatur inter se invicem*, quando unius scilicet ejus, qui calumnias profert, linguam, & alterius, qui calumniis delectatur, aures occupat, atque hac ratione alicujus tertiæ personæ famam insuper lædit. Isidorus *lib. 8. cap. 11. Græcè*, inquit, *Diabolus criminator vocatur, vel quod crimina, quæ ipse injicit, ad Deum referat, vel quòd electorum innocentiam criminibus accuset fictis.* Ionicè dicitur διάβολος ζάβολος. Hinc spectrum in Riphæis montibus Riphenzabel appellari nonnulli conjiciunt. Ζάβολον tamen quidam dictum volunt inde, quia ζαβὰ λάει *curva vult* Diabolus. Est enim ζαβὸν στρεβλὸν, & λάειν θέλειν. Non enim, quod rectum est, seu verum, sed curvum h. e. falsum sectatur.

§. 6. *Satan* שָׂטָן à studio nocendi *Adversarius*, à rad. שָׂטַן *adversari, odio habere, Matth. 4. v. 10. Zach. 3. v. 1.* quia hostili animô se nobis opponit & adversatur; quam vocem Paulus videtur reddidisse, *1. Tim. 5. v. 14.* per ἀντικείμενον. Cur autem Dæmonem hominibus adversarium constituerit Deus, ex Lactantio & Theophylacto notat Wierus *lib. 1. cap. 20.* Lactantius *de Opific. Dei cap. 19. 20.* ait: *Hunc constituit homini Deus adversarium nequissimum & falsissimum spiritum, cum quo in hac terrestri vita sine ullâ securitatis requie dimicaret. Nam ut victoria constare sine certamine non potest; sic nec virtus quidem ipsa sine hoste. Ita quoniam*

 virtu-

virtutem dedit homini, statuit ei è contrario inimicum, ne virtus torpens naturam suam perderet. Noluit enim Deus hominem ad immortalem illam beatitudinem delicato itinere pervenire. Theophylactus *in Marc. cap. 5. Quia certamen est vita nostra, noluit Deus extra hanc vitam dæmonas esse, ut certantes nobiscum nos probatiores monstrarent. Nam si non essent adversarii, neque corona essent, uti subjicit,* in *Luc. cap. 10.*

§. 7. *Belial* à בְּלִי *absque* & יָעַל, quod in Hiphil, *prodesse*, significat inutilem & perniciosum. Nomen hoc de rebus *Deut. 15. v. 9.* & de personis prædicatur, tribuiturque Satanæ, tanquam proprium *2. Cor. 6. v. 15. Qua concordia Christo,* qui est bonitatis omnis fons & origo, *cum Belial,* abysso omnis malitiæ & perditionis, qui *Matth. 13. v. 17.* appellatur τὸ πονηρὸς *ille malus?*

§. 8. Βεελζεβοὺλ *Matth. 12. v. 24. Luc. 11. v. 15.* Item Beelzebub, vel Baalzebub, quod nomen Accaroniticæ Idololatriæ olim fuit proprium, *2. Reg. 1. v. 2.* & significat *dominum muscæ.* Nam בַּעַל *Dominum,* & זְבוּב *muscam* notat. *Dicitur ita, quia ejectus cum satellitio suo universo ex cælo & sede beatorum ac sanctorum Angelorum, Deo præsenti intuitu ministrantium, volitat ac habitat crabronum instar in aere,* ut loquitur Simon Majolus *Tom. 2. Canic. Dier. Colloq. 3. vel quia omnibus retia tendens muscam saltem, i. e. infirmum capit,* ait Wierus *lib. 1. cap. 5. §. 3.* Bodinus *lib. 1. Dæmon. cap. 3.* sic dictum censet, quod nulla in templo illius musca degeret, quemadmodum in Venetiano palatio nulla esse dicitur, & in Toletano unica. Lutherus existimat, Beelzebub Judæos Satanam dixisse contemtûs & ludibrii gratiâ, quasi esset impotens, & posset ventilabro sanctitatis Pharisaicæ tam facilè pelli, ut manu muscas abigere licet. Pro Bahal autem omisso ע dixére etiam βάαλ & βέελ & contractè βᾶλ & βῆλ, notante Vossio *Idolol. lib. 2. cap. 4.* ubi insuper notat, Phœnices Solem, quem solum Deum existimarunt, vocasse *Beel-samen,* cœli Dominum; Hebræos autem (quorum lingua à Phœnicia dialecto solùm differt) בַּעַל־שָׁמַיִם *Baal-Schamaim*, i. e. dominum cœli. In civitate verò Phœniciæ Accaron dicta Solem nominatum fuisse *Baal zebub,* Dominum muscæ. *Quod nomen,* subjungit, *ab Hebrais accommodatum principi dæmoniorum, magno justoque Accaronitica Idolomania odio. Imò fortasse ne nomen quidem Israelita integrum reliquere. Nam veri similis*

mihi

mihi semper visa est conjectura ingenio doctrinaq; eximii Scaligeri, *qui* נעל־זבוב Baal-zebub, *per contemtum factum esse putabat* ex בעל־זבחים Baal-zebahim; *quod significat* sacrificiorum, *sive* victimarum dominum. *Nempe simili ratione, ac ex* Bethel, *quod est* domus Dei, *postquam idololatria istic ad lapidem, ubi recubuerat Jacob, exerceri cœpit*, *fecére* Betha-ven, *i. e. domus vanitatis.* Nam בית domus, און, mendacium, vanitas, iniquitas. Plura de vocabulo Βεελζεβούλ & Beel-zebub vide apud Dn. D. Ernest. Gerhardum in Tract. quem inscripsit, *Umbra in Luce §. 36.* ubi etiam icon antiquissimæ cujusdam Phœnicum monetæ muscæ figuram ex uno latere habentis exhibetur. Item Seldenum *de DIS Syris Syntagm. 2. cap. 6.* Martin. *in Lexico Philolog. pag. 134.* Dn. Rauppium *Lex. Theolog. pag. 41.*

§. 9. Diabolus *Deus* dicitur, *non verè*, sed putatitiè, quia cum filii hujus seculi, mancipia Diaboli, Deum esse putant: *non simpliciter*, sed *secundum* quid, hujus seculi, ubi suum in cordibus fidelium dominium quærit, iisdemque divinitatis suæ opinionem ingenerare studet: *non ratione creationis*, quia hæc infinitæ virtutis est actio, quæ creaturæ finitæ non competit; sed ratione tum *gloriationis*, quia talem se deituriens spiritus inter suos jactat, sibique divinitatis gloriam impudenter arrogat: tum *dominationis*, quia potenter ex justo Dei judicio ejusque permissione in hoc seculo dominatur, & in filiis incredulitatis est efficax, *Ephes. 2. v. 2.* D. Balduinus *Comment. super 2. ad Corinth.* ait: *Impiorum Deus est Diabolus nomine, non Numine; opinione, quia illi pro Deo eum colunt, non autem rei veritate; subjectione spontaneâ, quia suggestionibus ejus magis obtemperant, quàm divinis mandatis, non dominatione quadam necessaria.*

§. 10. Varia sibi ipsis Dæmones nomina imponere, quibus mancipia eos præsentes appellare queant, ex actis Judicum criminalibus legimus, v. g. **GOtt/ Sibyllen/ Lucifer / Hans / Caspar / Lucas / Stephan/ Schwartz/ Strauß/ Rausch/ Schönhans/ Hainzlein / Juncker Buhl / Juncker Hahn/ Juncker Hans/ Juncker Hans Bastian/ Juncker Jacobus/ Süßholtz/ Leschhorn/ Flederwisch/ Grauröcklein/ Federwisch/ Schnurbusch / Unglück / Machleyd / zum Waldfliegen / Hornuar / Kraushärlein/ 2c.** testibus Carpzovio, Lercheimero, Freudio, Wiero, & aliis. Mulierem Ebingrodensem in Silesia dolore dentium laborantem & ex impatientia sibi imprecan-

precantem sic: Ich wolt daß der Teuffel in die Zähn führ / sex Dæmones obsederunt horum nominum. 1. Schalck der Warheit. 2. Wirck. 3. Wiederrraut. 4. Myrrha. 5. Knip. 6. Stüp. Seilerus *Dæmonom. pag. 51.*

CAPUT II.

Diaboli omnium hostes. Eorum potestas magna est. Potestas ea est vel physica vel moralis, & hæc vel positiva, vel negativa. Dæmon amisit dotes gratiæ non naturæ. Potestas ejus non est infinita vel illimitata. Cur Dæmon, cùm per se fascinare & lædere queat, Magorum sagarumq; requirat consensum?

§. 1. DIaboli postquam à concreatâ sanctitate, à qua liberè & malitiosè defecerunt, jurati Dei & creaturarum *omnium hostes* omnes evaserunt, inque hominis ad Dei imaginem conditi perniciem nunquam non conspirarunt, &, ut in mortales cunctos vel per suos complices seu Magos apertè vel occultè, visibiliter vel invisibiliter fascinandi & lædendi potentiam, quæ magna est, continuò exerceant, nullo non tempore quærunt.

§. 2. *Magnam esse spiritus mali potentiam* Spiritus S. ipse in suo Codice prodit *Luc. 21. v. 21.* ubi fortem armatum eum vocat. Leo rugiens *1. Petr. 5.* nuncupatur. Principatus & potestates, ut vidimus, *Apoc. 7.* dicitur tenere ventos, & accepisse potestatem nocendi terræ, mari & arboribus: & *cap. 14.* potestatem habere super ignem. Ejusdem potentiam exacta Behemoth & Leviathan cum Dæmone allegoria, quam Theologi ex *Job. 40.* probant, confirmat.

§. 3. *Potestas* ejus vel physica est, sive naturalis, vel moralis. *Physica* dicitur, quia ab ejus essentiâ & velut internâ naturâ, quam à Deo in creatione accepit, manat, estque virtus agendi, quæ in se bona est, mala autem ex abusu fit. Hanc potentiam semper habet, eamque ad actum transfert, quoties opportuna adest materia, in quam vires suas exerat Dæmon, aut si nullus obsistat. Hac virtute Diabolus corpus ab uno loco in alium transfert, meteororum materiam congregat, sensibilia variè disponit &c. *Moralis* distinguitur in positivam & negativam. *Positivam vocant illam*, explicante Schotto *Physic. Curios. lib. 1. cap. 13. §. 2. per quam vel consilium vel aliqua moralis facultas datur*

vel

vel obligatio imponitur, vel aliquid hujusmodi fit, ut Dæmon ad utendum dictâ physica potestate inclinetur vel ordinetur. Negativam vocant illam, quæ relinquitur in voluntate liberâ, per hoc solum, quòd non impeditur, sed sinitur agere, quod aliàs potest absolutè, etiamsi non possit licitè. Priorem non dat Deus Dæmoni, sed solùm posteriorem, permittendo scilicet, ut hominem tentet, & suâ potestate naturali utatur. Et quia in lege gratiæ Deus minus permittit Dæmonibus, quàm in lege antiqua, ideò dicitur, quòd illorum potestas nunc sit ligata, moralis scilicet negativa, non physica & positiva, quæ æquè nunc magna est, ac olim. Hoc etiam sensu magis ligata dicitur potestas Dæmonum respectu Christianorum quàm Ethnicorum, saltem ordinariè. Hæc ille.

§. 4. Cujusmodi verò sit naturalis illa Diaboli potestas, explicat B. Gregorius *lib. 34. Moral. cap 17. Potestas ejus*, inquit, *super terram cunctis eminentior perhibetur, quia etsi actionis suæ merito infra homines cecidit, omne tamen humanum genus, naturæ Angelicæ conditione, transcendit. Quamvis enim internæ felicitatis beatitudinem perdidit, naturæ tamen suæ magnitudinem non amisit, cujus adhuc viribus humana omnia superat, licet sanctis hominibus meritorum suorum dejectione subjaceat.* Nimirum, naturalia, quæ in creatione acceperunt, Dæmones per lapsum non amiserunt, sed retinuerunt integra. Amiserunt dotes gratiæ, non naturæ. Potestas autem activa passivis applicandi, corpora movendi &c. donum gratiæ non est, sed naturæ. Imò in naturalibus non solum pares esse Dæmones bonis Angelis, sed & quibusdam longè superiores existere, ait Theod. Reinkingk *Respons. Juris num. 26.* quod tamen cum granô salis sine dubio venit intelligendum: siquidem Angelos malos à bonis superari & expelli in aprico est.

§. 5. Quamvis autem magna sit Diaboli potestas, ea tamen infinita & illimitata non est. Habeat lædendi voluntatem, quam semper ex se habet, non tamen nocendi potestatem, nisi à Deo permittente, habet, propterea *egena potestas* Augustino dicitur. Augustus hic Ecclesiæ Pater *lib. 3. de Trinit. cap. 3.* postquam narravit, Magos defecisse in tertio signo: *Unde*, inquit, *datur intelligi, nec ipsos quidem transgressores Angelos & aereas potestates, per quas Magicæ artes possunt, quidquid possunt, valere aliquid, nisi datâ desuper potestate. Datur autem vel ad fallendos fallaces, sicut in Ægytios, & in ipsos etiam Magos data est,*

est, ut in eorum spirituum seductione viderentur admirandi à quibus fiebant, à Dei veritate damnandi, vel ad admonendos fideles, ne tale aliquid facere pro magno desiderent, propter quod etiam nobis Scripturæ autoritate sunt prodita, vel ad exercendam, probandam, manifestandamq; justorum patientiam. Et paulò post: *Nec ideò putandum est, istis transgressoribus Angelis ad nutum servire hanc visibilium rerum materiam, sed Deo potius, à quo hæc potestas datur, quantum in sublimi & spiritali sede incommutabilis judicat.* Facit itaque Dæmon, permittente Deo, quod potest, non facit, prohibente Deo. Huc spectant elegantia Augustini *Serm. 197. de Tempore* verba: *Si alligatus Diabolus est, quare tantùm adhuc prævalet? Verum est. Fratres charissimi, quia multum prævalet, sed tepidis & negligentibus, & Deum non timentibus in veritate dominatur. Alligatus est enim, tanquam canis innexus catenis, & neminem potest mordere, nisi qui illi se mortifera securitete conjunxerit. Jam, videtur, Fratres, quia stultus est homo ille, quem canis in catenâ positus mordet. Tu te illi per cupiditates & voluptates seculi noli conjungere, & ille ad te non præsumet accedere.*

§. 6. Cur autem Dæmon, cùm per se fascinare & lædere queat, Magorum, Sagarumque requirit consensum & operam? Sanè Veteratorem illum suo Marte fascinare, mentis oculorumque aciem perstringere, morbos infligere, pecora perdere, & plura alia operari posse, ex historiâ Jobi aliorumque nemini non constat. Sæpius tamen ad mala patranda malitiosæ mulieris consensum, sermonem & actum ut impetret, quovis modo, sive blanditiis, sive minis, eum laborare, acta judicum loquuntur, ut proinde ad malitiæ suæ scopum sine Dei, & huic subordinato hominis consensu eum non semper tendere posse videatur. Imò ex consensu, quem à piis etiam quærit (qui sæpe propter objecti vilitatem primâ fronte facilis & permissibilis æstimatur) Dæmonis ad operandum potentiam promoveri ac suffulciri, colligere quis potest, v. g. E virgine obsessa apud Fincelium, *libr. 3. de Mirac.* (ex quo historiam Majolus *Colloq. 3. p. 159.* etiam recitat) Dæmon, antequam exiret, à puellâ petiit unicum saltem corporis membrum, in quo moraretur, sibi communicari, hinc unguiculum digiti, tandem unicum pilum, quod omne tamen denegatum. Sic & è Virgine quadam, quam in Silesiâ inhabitarat, Satan abitum meditatus, sibi veniam à Sacerdote

te quæſivit introeundi in porcum ſenem, deinde in putridum quendam truncum ſaligneum, tertiò in culmen ſtramineum, tandem in granum hordei &c. quam tamen M. Tob. Seilerus pio zelo denegavit, referente eodem *Dæmonom. ſeu Relationis ſuæ Hiſtoric. p. 5.*

§. 7. Quæſtio hæc ad forum Theologorum ſpectat, ad quod jam abire placet. Docent autem Theologi, Diabolo in primô lapſu vires nocendi ſic ademptas & cohibitas eſſe, ut, niſi accedat nova aliqua voluntas, ſive conſenſus hominis malefici, non poſſit inferre noxam; *Si enim ſuæ permiſſus eſſet licentiæ, in nos vel noſtra ſæviendi, exitialia prorſus damna foret præſtiturus. Non igitur poteſt furere Satan pro lubitu, ſed vel à Deo impetrata poteſtate, vel conſenſu hominis (à quo aliàs Deus permittit lædi vicinos homines) elicito. Hinc acta teſtantur veneficarum 1. ipſos Diabolos voluntatem, ac conſenſum Sagarum blanditiis primùm ac promiſſis, poſtmodùm verò minis & ſuppliciis morte gravioribus impetrare. 2. ſæpius urgere ſagas, ut liberos ſuos ipſis adducant, elocent, obſtringant. Non poterant igitur, niſi impetrato ipſarum conſenſu, quicquam vel in illas, vel liberos ſtatuere. 3. ſiqua venefica nocere noluit, neq; nova damnorum exempla profert, quæ dederit, ſolet duriſſimè vapulare, cùm quidem per ſe nocendi ſtudium exercere potuerit Satan; ſed defuit humanus aliquis conſenſus. Ideoq; magnam quidem iram ſemper habere dicitur, Apoc. 12. 12. non autem ſemper potentiam ſeu licentiam; ſemper quærere, quem devoret, ſed non ſemper invenire 1. Pet. 5. 8.* Hæc Dn. D. Carpzovius *Part. 1. Prax. Crim. Qu. 48. n. 62. pag. 417.* Remigius *lib. 2. Dæmon. cap. 9. pag. 254.* ita hac de re diſſerit: Verùm quòd priusquam id aggrediatur facere, ſuorum ille ad hoc aſſenſum ſæpe poſtulat, quaſi aliter debiles ejus vires futuræ ſint, non parvam dubitationem ſemper attulit exiſtimantibus multis hoc inde eſſe, quod pridem, ſi, quæ vult, arbitratu ſuo faceret, peſſum iiſſent omnes mortales, quibus is nunquam non fuit hoſtis infeſtiſſimus: Ideoque illi à Deo jam à primô, quo è ſtatu ſuo dejectus eſt, tempore occluſam fuiſſe, omnem contumeliis libidinem, nec hominis niſi per homines ullam illi eſſe nocendi relictam facultatem. Quæ quidem etſi defendi poteſt opinio, nec ea etiam ſententia malè ſtare videbitur, quæ Satanam, uti carnificem, & miniſtrum iræ Dei pleraque omnia in hominum perniciem per ſe agere ac moliri aſtruit: cumque conſenſum conſulto atque

ea

ea de causâ illum exigere , ut in sceleris societatem conscientiamque suos asciscat gratiamque aliquam promereatur; dum ejus, quam tantoperè concupiverunt, ultionis compotes facit, potentiam suam ostentet ac venditet: dum ea præstat, quæ omnes omnium hominum vires vincere, ac superare videntur, à sortilegis denique omnem noxiæ suspicionem avertat, atque amoveat, dum eam infert illis absentibus, ac ne digito quidem opus adjuvantibus. Atque hæc Remigius ibi pluribus documentis commonstrat.

SECTIO II.

De

INSTRUMENTALI FASCINATIONIS MAGICÆ CAUSA.

CAPUT I.

Causa instrumentalis Homo est, qui non est purum instrumentum. Synonyma Magorum & Magarum. Venefici & veneficæ cur dicantur? Veneni Vox in bonam & malam partem sumitur. Malefici, maleficæ. Maleficium sumitur hic strictè. Sortilegi & sortilegæ. Lamiæ unde dicantur? In ventre piscis Lamiæ Jonas fuit. Lamia Regina in Libya crudelis. Fera in Africa Lamiæ nomine. Voces Sagæ & striges explicantur. An strix, avis nocturna sit fabulosa? Suctionem sanguinis adolescentis Ficinus suadet senibus, cujus tamen autoritate & ratione Sanguinis Transfusores frustra nituntur. Magæ etiam dicuntur Tegulariæ, Veratrices, Alrunæ. Appellationes Magorum & Magarum Germanicæ variæ adducuntur & explicantur.

§. 1. CAusa *instrumentalis* est Homo, qui ex pacto cum Diabolô, seu manifestô seu tacitô, subsidiarias eidem ad fascinandum operas, saltem ut instrumentum morale, confert. Diabolus autem solus propriè & formaliter agit, & operatur ea, quæ vires & artes humanas superant.

§. 2. Licèt autem Dæmon possit dici quasi minister hominis, qui illum

cum

cum illo inito pacto mediante ad maleficium faciendum veluti conduxit ; tamen ipse homo est veluti instrumentum Dæmonis ad illud damnum perpetrandum, quia est veluti causa moralis exhibens signum, sine quo dæmon non operaretur, Svarez *lib 2. de Superstit. c. 14. n. 11. fol. 351.* Instrumentum est non purum, veluti malleus fabri & organa inanimata, quæ merè passivè se habent, actionemque agentis solũ recipiunt; sed Magus quoq; potentiam quandam efficiendi habet, quam, quantum in se est, malis operibus & actionibus pravis exerit , Deum nimirum blasphemat, Sanctis maledicit, proximo imprecatur , homines lædit, pecora perdit, venena applicat, complicum numerum auget, & plura alia tantò curiosius patrat, quantò gratius se Satanæ officium exhibere advertit ; ut proinde Wierus veritati malè litet, cum Lamias instrumenta revera esse negat, &, si sint, passivè se per omnia habere scribit. Contrarium & ratio per jam dicta, & experientia firmat, quæ Magis crematis vel mortuis, fascinum fuisse sublatum testatur.

§. 3. Homines quoque, qui nomen militiæ magicæ ad fascinandum dederunt, appellationibus variis indigitantur, præsertim fœminæ, quarum major semper in hoc bello est numerus. Vocantur autem *Magi* & *Magæ*, quod nomen supra *Part. 1. hujus Libri cap. 1. §. 2.* enucleavimus, *Venefici* & *veneficæ* , à venenis malis, quibus homines vel jumenta è medio tollunt , aut insignem noxam inferunt. *Malis* dico, quia veneni vox & in bonam , & in malam partem olim accipiebatur, ut ex Cajo *ad Leg. 12. Tabb. de Verbor. Significat.* constat, ubi ait : *Qui venenum dicit, adjicere debet, utrum bonum esset, an malum.* Sagas autem venenis in actionibus magicis uti , acta in foro plurima testantur. Huc illud Tragici de Medea spectat, qui postquam varia lethalia, graminum & serpentum genera ab ea usurpata recitasset, subjungit:

Addit venenis verba non istis minus
Metuenda.

Sic & Virgilius:

Miscueruntq; herbas & non innoxia verba.

Tibullus *lib. 1. Eleg. 8.*

Num te carminibus, num te pollentibus herbis
Devovit tacito tempore noctis anus?

Atque hoc genus hominum φαρμακοὺς, φαρμακοποιοὺς, φαρμακεύτας καὶ φαρμακεῖς

κεῖς & φαρμακευτρίας mulieres illius artis conscias, quales Thessalicæ mulieres fuerunt, hoc maleficio excellentissimæ, Græci; Latini veneficos, venenarios & artem ipsam veneficam, veneficium vocarunt. Qanquam φαρμακεία in se spectata à Magicâ sit distincta, teste Plinio *lib. 38. cap. 2.* Vid. quoque Camerarius *de Divinat. Generibus p. 108.*

§. 4. *Malefici* & *Maleficæ* à maleficiô & nocendi studiô vocantur, cùm omnia sua studia & actiones in perniciem hominum & brutorum instinctu & jussu abjurati Dei & hominum hostis dirigant. Proinde maleficium hîc non sumitur *latè* pro damnô seu peccatô quovis, sed *strictè*, pro signô effectivè magicô atque superstitioso, quo qui utitur, maleficus, qui verò læditur, maleficiatus appellatur, & describitur à Delrio, quòd sit Magiæ species, qua quis ope dæmonis alteri damnum parat. Ad quod, eodem notante, tria concurrunt, Deus permittens, Diabolus perficiens, prava malefici consentientis & cooperantis voluntas. Atque hoc ipso nullum magiæ genus Cacodæmonem magis delectat, quia *mortalium calamitates convivia sunt malorum dæmonum*, juxta Synesium Ptolemaidis Episcopum, notante Jordano *lib. de Divin. cap. 12.*

§. 5. *Sortiarii*, *Sortilegi & Sortilegæ* dicuntur à *sorte*, non *consultoriâ*, quæ aliquando permittitur, nec *divisoriâ*, quæ semper licita; sed *divinatoriâ*, quæ occultô Dæmonis concursu celebratur, suntque Isidoro *lib. 8. cap. 9.* qui sub nomine fictæ religionis per quasdam, quas Sanctorum seu Apostolorum vocant sortes, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque scripturarum inspectione futura prædicunt. Sortes variæ sunt, puncta, figuræ jactatæ, taxillorum jactus, plumbeæ figuræ in aqua projectæ, in apertum librum repentinus oculorum intuitus, occursus alicujus sententiæ ex improviso, & alia vesaniæ indicia, quæ uno sortium nomine comprehenduntur, tradente Wiero *libr. 2. cap. 13. §. 2.*

§. 6. Fœminæ magicis deditæ majorem nominum apparatum ferunt. Vocantur enim *Lamiæ*, cujus vocis natales in Latio quidam, quidam in Græcia quærunt. A verbo *Lanio* Penotus eam derivat, quod scindant & lanient. Quæ tamen derivatio longiùs tracta videtur. Alii [illegible] τὸ λίλαμμαι aut à voce λαμὸς, quæ ingluviem significat, Unde & piscis λάμνης dictus, ob terribilem oris vastitatem Lamia Latinis dicitur,

quia

quia tantô est oris rictu, ut totum deglutiat hominem, ut Lamia propterea Vossio *Idolol. lib. 4. cap. 7.* videatur id ceti genus, in cujus ventre divinitùs conservatus Jonas Propheta fuit. Aliis Lamia dicitur à formosa illa & crudeli in Libyæ locis reginâ, quæ fuit Beli & Libyes filia, præstanti forma insignis, quam posteritas belluinam finxit, propter illius ingenii feritatem. Nam referente Erasmo *Adag. Chiliad. pag. m. 752.* ex Diodoro Siculo Historicorum veracissimo, *cùm proles ejus omnes, quas partu extulerat, diem obirent, casum hunc illa iniquissimo animo ferens, invidensq́ aliarum fœminarum in educandis liberis felicitati, rapi ad cadem è matrum ulnis proles & è vestigio interfici jussit.* Plura de hac tradit ibidem, & insuper è Philostrato *lib. 4. de vita Apollonii* notat, fœminas quasdam esse Empusas, quas Lamias & μορμολυκίας, h. e. larvarum Lemurumve spectra vulgus hominum existimet, carnium præsertim humanarum appetentissimas. Mirabilem etiam ex Philostrato recitat historiam Camerarius *Cent. 1. Horar. Subcisiv. cap. 70.* Atque hinc sine dubio factum, ut nomen Lamiæ Sagis fuerit inditum, quia carnibus humanis, præsertim infantium non baptizatorum fœminæ, quæ sacramentum Dæmoni dixerunt, inhiant, & Gnosticorum more humanas eviscerationes seu Thyestæas cœnas adornant, proprios infantes devorantes. Est & in Africa fera Lamiæ nomine, à qua eadem Dæmonis mancipia idem nomen trahere quidam existimant. *Ista*, ait, Fr. Torreblanca *lib. 2. Dæmon. cap. 28. muliebri facie uberibus ac toto pectore adeò speciosa, ut homines alliciat, & captos devoret, ut tradit Dionys. in Histor. Afric. Unde eas mammas alii appellant, ut tradit Alciatus lib. 8. Parerg. cap. 22. quia ut pueros alliciant, solent mammas ostendere, ut sic eorum singultus ac ululatus comprimant, dum eos vivos è cunis rapiunt, vel injecta culcitra præfocant*: & ita intelligitur, illud D. Hieron. *Threnor. 4. Nudaverunt Lamiæ mammas suas.* Hæc ille. Vid. quoque Delrio *lib. 1. D. M. c. 3.* Lavaterus *de Spectris Part. 1. cap. 1.*

§. 7. *Saga*, ut autor est Penottus à *satagendo* nomen habent, quia nimirum de multitudine rerum Dæmoniacarum satagunt. Alii à *sagiendo* vocem derivant, quia sagire, i. e. acutè sentire, rerumq́ue multarum notitiam habere videntur. Melanchthon *libr. 1. Chronic. Carion.* deducit ab Hebræo *Sagan*, quod Sacerdotem vel Vatem, i. e. Prophetam interpretatur, ut habet Freudius *loc. cit.* vel ut sint quasi Antistites & vates

benedicentes, die da segnen/ per ἀντίφρασιν, si Philologorum filiis placet, ut habet Jo. Ern. Pfuel *Elect. Phys. de Magia p. 88.*

§. 8. *Striges* appellantur ab ave nocturna & infausta, qua de Ovidius *6. Fastor.*

Nocte volant, puerosq́; petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta suis.
Carpere dicuntur lactentia viscera rostris,
Et plenum poto sanguine guttur habent.
Est illis strigibus nomen: sed nominis hujus
Causa, quod horrenda stridere nocte solent.

Et Q. Serenus Sammoniacns:

— — *premit strix atra puellos,*
Virosa immulgens exertis ubera labris.

Plinius quidem *lib. 11. Hist. Nat. cap. 39. Fabulosum*, inquit, *arbitror de strigibus, ubera eas infantium labris immulgere. Esse in maledictis jam antiquis strigem convenit, sed qua sit avium, non constare arbitror.* Dn. Lic. Garmannus *libr. 1. de Miracul. Mortuor. Tit. 3.* §. *10.* cum Plinio & Schvvenckfeldio negat, quod lac capris, infantibus sanguinem etiam subtrahant aves. P. Bellonio tamen *lib. 1. Obs. 10.* ubi ista Ovidii verba allegat, fabulosa avis non est, sed Caprimulgus est cuculi ferè magnitudine & crassitie, in celsis turribus & templorum foraminibus nidulans, de quo hæc ibi tradit: *Cretenses*, inquit, *in scopulis mari imminentibus, ubi magnum damnum pastoribus, qui capras sub tectum noctu cogere non solent, inferunt, quoniam è caprarum uberibus lac exsugunt.* Gasp. Schottus aves has noctu caprarum stabula intrare, & caprarum uberibus advolantes tantum lactis exsugere, ut ubera emoriantur, & capræ excœcentur, scribit *Phys. Curios. lib. 9. cap. 25.* Nos aves istas etiam infantium sanguini insidiari, si detur occasio existimamus. Jam verò cùm earum præsentia in cubiculis animadverti & præcaveri queat, experimentum etiam observatu haud erit facile. Si quæ verò suctio infantes fatigat, ejus alia dari potest causa naturalis, quam *loc. cit.* tradit Dn. Lic. Garmannus, qui tamen præter naturalem veneficia non excludit. Et ad hanc refert suctionem in admiranda historia, quam recitat Dn. D. Bartholinus *Cent. 1. Hist. Anat. 9. sub tit. Caprimulgus, de tribus infantibus Pastoris cujusdam, qui in cubiculo consueto dormientes se mulgeri à*

quodam

quodam senserunt. Puerorum suspicionem, inquit, *firmarunt papillæ diligentiùs à Parentibus tractatæ, quæ lactantis fæminæ in morem eminebant. Ad averruncandum fascinum hoc alexipharmacis amarisq; aliis illitæ fuêre. Hinc umbilicus illorum tam vehementi suctione attereba-tur, ut non tantum manifestè promineret, sed & oris sugentis magnitudinem impresso velut vestigio monstraret. Extra cubiculum hoc delati infantes, ab omni amplius suctione immunes requieverunt, præsertim ulnis gestati.*

§. 8. Ab ave istâ maleficæ mulieres, quæ antiquitùs, teste Festo, volaticæ vocabantur, nomen Striges acceperunt. De his scripsit etiam Marsilius Ficinus Florentinus *de Studiosorum Sanitat. Tuend. lib. 2. cap. 11. Communis*, inquit, *quædam & vetus est opinio, aniculas quasdam Sagas (quæ & striges vulgari nomine nuncupantur) infantium sugere sanguinem, quò pro viribus rejuvenescant.* Ex quibus & sequentibus verbis, nostrô seculô Transfusionis Sanguinis Patroni ostendere laborant, superiori jam seculô etiam fuisse, qui recentis atque vivi sanguinis usum homini etiam, & præcipuè senibus non inutilem fore censuerunt. Dabimus & reliqua Ficini verba: *Cur non & nostri senes omni videlicet auxilio destituti sanguinem adolescentis sugant? valentis, inquam, adolescentis, sani, læti, temperati, cui sanguis quidem sit optimus sed fortè nimius. Sugant igitur more hirudinum, ex brachii sinistri venâ vix apertâ, unciam unam aut duas.* Sed Sanguinis Transfusores Ficini autoritate & ratione frustra niti præclarè ostendit Excell. Dn. D. Georg. Abrah. Merclinus Jun. Medicus Noribergæ Exercitatissimus, Amicus noster Horatissimus, in suis *de Transfusione sanguinis Lucubrationibus*, quas manus quidem nostræ, nondum autem typi viderunt, atque ut istæ in typis lucem videant, suasores sumus amici.

§. 9. *Tegularia* appellantur; quod nomen, Tegularia, substantivè & adjectivè capitur. Dicuntur autem sic, quòd supra tegulas sacrificent. Ita Glossarium Isidori: *Tegellaria maleficia, eò quòd supra tegulas sacrificent.* Quam locum Filesacus *de Idol. Magic. p. 59.* corrigit, & legere jubet *Tegularia. Veratrices* veteribus Romanis sunt dictæ, quòd divinandi scientiam profiteantur, *ut solent illæ feces, quæ se jactant Ægyptias: colluvies omnium populorum ac nationum.* Delrio *lib. 1. D. M. c. 2.*

§. 10. *Alruna*, Aliorumnæ, Aliorunæ, Alironiæ vocantur Lamiæ. Quo de locum ex Jornande *de Rebus Geticis cap. 24.* Martinius in suo *Lexic. Philol.* annotat: *Filimer Rex Gothorum & Candarici magni filius, post egressum Scanzia insula jam quinto loco tenens principatum Getarum, qui ut terras Scythicas cum suâ gente introisset, reperit in populo suo quasdam magas mulieres, quas patriô sermone Aliorumnas ipse cognominat, easq; habens suspectas de mediô sui proturbat longèq; ab exercitu suo fugatas in solitudinem coegit terræ, quas spiritus immundi per eremum vagantes dum vidissent, & earum se complexibus in coitu miscuissent, genus hoc ferocissimum* (Hunnos) *edidere.* Plura vid. ap. Eliam Schedium *de DIS German. p. 431.* qui vocis, *Alironia*, Etymon descendere conjicit ab Hebræo אל, quod *excelsum*, & רנן *canere* significat, quasi *excelsorum excantatrices*, quod Heroum Martios animos clamoribus suis ad prælium animarent, fortiaque gesta eorum celebrarent. Nostrates, cum tales vocant Alraun / Alraunzen / ad Latinam appellationem videntur alludere, qui tamen potius ad radicem Mandragoræ magicè collectam, quâ Sagæ nonnullæ gaudent, quæque Germanis Alraun / dicitur, respiciunt. Unde autem vox Germanica ista suam habeat originem non constat.

§. 11. Germanis Magi & Magæ dicuntur Drüdner und Druten; quæ vox à Druidibus videtur nomen trahere, qui fuerunt Magi, Sacerdotes Gallorum, maximô apud eos in honore habiti. De quibus Cæsar. *Belli Gallici lib. 6.* Ammian. Marcellinus *lib. 10.* Schedius *l. c. pag. 256. & seqq.* Archontologia Cosmica *pag. 110.* Druidæ autem secundum receptiorem opinionem dicuntur è δρῦς h. e. *quercus* ob illa Plinii verba *lib. 16. cap. 43. Nihil habent Druidæ (ita suos appellant Magos) visco, & arbore, in qua gignatur (si modo sit robur) sacratius. Jam per se roborum eligunt lucos: nec ulla sacra sine ea fronde conficiunt: ut inde appellati quoq; interpretatione Græca possint Druidæ videri.* Doctissimus Vossius tamen *lib. 1. Idolol. cap. 35. p. m. 135.* vocis hujus originem Celticam esse quærendam contendit, quod Græcis Druidæ fuerint ignoti, & Gallos è Britanniâ accepisse eos creditum sit. *Quamobrem,* inquit, *non dubium est, quin origo ejus vocabuli peti debeat è lingua Celtica: qualis & Britannica ac Gallica vetus, Britannis verò, uti & Germanis, Dru, fides; pro quo alii trou dicunt. Unde, & Deus veteribus*

bus Germanis Drutin sive Trudin: ut videre est ex Othfridi Evangelio. Itaque Drudin signet divinus aut fidelis. Utraq; vox Sacerdotibus conveniens. Hæc Vossius. Proinde vox Drütner / Drut à voce antiqua Germanicâ Drutin Deo ejusque Sacerdotibus communi, ad Sagas non inconvenienter fuit translata, quia Deo suo infernali sunt fideles.

§. 12. Zauberer und Zauberinnen quasi Zoroasterin/ dieweil es fast gleich lautet Zoroastres, Zoborastres, oder Zauberer / unde Zeberer / Zawberer / quo modo auf & off in Dialectis Germanorum miscentur. Freudius *Quæst. 2.* Nicolai *de Magicis Actionibus cap. 1. Exerc. 1. th. 6.* Saxones mutatâ dialecto dicunt Töversche / Töberer / fascinare tooveren.

§. 13. Milch-Dieb/ Milch-Diebin; quia lac ex uberibus vaccarum furantur Dæmonis ope. Segensprecher / Segensprecherin; quia benedictionibus superstitiosis ægrotos curare laborant. Wettermacher/ Wettermacherin; quia tempestates ciere creduntur. Crystallenseher / Crystallenseherin; quia in cristallis vel speculis res quæsitas per verba vel imagines à Dæmone repræsentatas vident. Gabelreuter / Gabelreuterin; quia furcis insidere & per aera ad conventicula deferri solent.

§. 14. Magi vocantur insuper Schwartzkünstler/ non quidem ab atrô colore, aut atra magiâ, quæ Goetia est, quam minus cautè nonnulli Theurgiæ seu magiæ albæ per commentitiam distributionem contradistinguunt, sed ab Atrace, qui eam primus in Thessàlia tradidisse scribitur, teste Beroaldo *in Apulejum de Aur. Asin.* ut habet Sennertus *libr. 6. Pr. Med. pag. 390.* aut ita dicuntur secundùm D. Dieterich *Part. 2. Concion. in Sapient. pag. 1025.* Weil sie solche Kunst von dem schwartzen Casperle dem Teuffel gelernet/ welcher/ weil er ein Fürst der Finsterniß/ wie er genennet/ *Ephes. 6. v. 12.* gemeiniglich auch in schwartzer scheußlicher Gestalt erscheinet/ darbeneben zu den Wercken der Finsterniß Lust hat / und sie treibet/ der Schwartze genennet / und gemeiniglich schwartz gemachet wird; Theils weil sie solche Zauber-Kunst in dem Schwartzen oder Finsterniß heimlich im Verborgen/ durch Hülffe der schwartzen Teuffel/ üben und treiben; Stulbinder / quia ex iis multi morborum curationes saltem sedilium obligationibus & ligaturis superstitiosis absolvunt. Item, Hämmerleinsfahrer/ Ringschleiffer / Dunstmacher / Verblender / Teuffelsbanner / Spieß- und Degen-Artzt. Plura vid. apud Prætorium von Zauberey und Zauberern *cap. 9. pag. 59.*

§. 15. Ma-

§. 15. Magæ insuper appellantur Hexen / forsan ab Heza, Amazonum Duce, Venefica celebri, cujus filiæ sagæ hodie etiam dici possunt. Martinius *Lexic. Philolog. pag. 3288.* putat, dici quasi Hecateiam ab Hecate. Est autem Hecate, quam ex Perse Solis filio natam fabulantur, quæ ad venena mortifera conficienda summum studium impendit, ut est apud Diodor. Siculum *libr. 5. cap. 3.* Subjicit tamen hoc, simplicius esse, si Häxe (quod Angl. hegge) ducatur ab ἁγὴς, i. e. sacra, scelesta, vult sacra & venerabilis esse, sed est sacra, seu detestabilis. Ab ἁγὴς vel ἁγία ergò etiam saga esse possit. Est & Hecken modere, ut faciunt animalia venenata: puto quæ in vepretis & dumetis (quæ Hecken) latitant. *Hac Martinius.* Unholden vocitantur, quasi ohne Huld / denen niemand huld ist / propter deformitatẽ & animi & corporis, quam ex familiaritate cum Dæmone contrahunt; Drachen-Huren / quia cum infernali Dracone rem habent; vel Draconem volantem per caminum noctu sæpe ædes subeuntem habent hospitem; Wickhersen / à voce Saxonicâ Wicken / quod idem est, ac Wahrsagen; Weise Frauen / vel quòd præ cæteris in divinando & curando sapere videantur, vel per antiphrasin, quasi minimè sapientes, dum Deo Diabolum, luci tenebras, Christo Belial præferunt.

§. 16. *Definitionem Magi* tradit Bodinus *lib. 1. Dæmon. cap. 1.* mox ab initio: *Magus est, qui sciens prudens Diabolicis modis ad aliquid conatur pervenire.* Modi Diabolici eidem sunt superstitiones & impietates, quas Diabolus excogitavit, & servos suos docuit ad perdendum humanũ genus. *Mulier Maga* Thom. Erasto *Disp. ult. est, quæ abjurato prius Deo & religione verâ Cacodæmoni manifesta se stipulatione mancipavit, ut (præter alias pollicitationes ac spes) ab eo doceatur carminibus, herbis, rebus aliis, per se innoxiis, elementa turbare, tempestates ciere, hominibus, jumentis, agnis, frugibus nocere, aliaq; mirabilia & natura impossibilia facere.* Aliam Lamiæ definitionem Wierus *de Præstig. Dæmon. libr. 3. cap. 1.* tradit, quam Bodinus acri & acerbo stylo, ut fuit igneum ejus ingenium, oppugnavit *Opin. Joh. Wieri Confutat. pag. 503.* Aliter quoque Gödelmannus, qui Lamias per aerem volitare, cum Dæmonibus concumbere, & tempestates excitare cum Wiero negat, definit *lib. 2. de Lamiis cap. 2.* Sed & ipse propterea eandem cum Wiero reprehensionem incurrit.

CAPUT

CAPUT II.

Primus Magicæ superstitionis inventor Zoroaster: Unde dicatur? Zoroastres plures fuerunt, ex quibus famosus, fuit Cham filius Noæ. Quis primus ante diluvium fuerit Magus, incertum. Cum Idololatria quasi eodem ovo prognata videtur. A Cham & ejus filio Misraim orta, in Ægypto & Persia radicata. Ab Ægyptiis non tantum Hebræi sed & Græci, & ab his Romani labem istam contraxerunt. Sponte nonnullis in locis Magiæ zizania succreverunt. In omni Hierarchia Magos fuisse scriptura monstrat. Bileamus Magus. Radiante Evangelii luce à Magia etiam doctos, quin & Sacerdotes quandoque infici mirum. Cur nostrâ ætate in medio Ecclesiæ Christianæ sinu tot reperiantur fascinatores & fascinatrices?

§. 1. HOminum autem, quos causam Fascinationis Magicæ instrumentalem diximus, magnus semper fuit numerus, eorumque ducem & coryphæum, seu primum magicæ superstitionis inventorem, & primum Diaboli instrumentum in Oriente, & quidem in Perside Zoroastrem fuisse, inter Doctores ita convenire scribit Plinius *libr. 30. cap. 1.*

§. 2. Nomen hoc nonnulli à Græcis vocabulis ζῶον & ἄστρον derivant, ut sit idem ac vivens astrum: quidam à Chaldaico צוּרָא, quod *formam, figuram, imaginem* significat, & Græco ἀστὴρ *sidus.* Kircherus vocabulum esse Chaldaicum contendit, & derivat à nomine *Tsura*, quod figuram notat, vel à verbo *Tsujar*, i. e. est figurare, & ab *aster*, quod ignem absconditum significat. Sed an unus hic (Zoroaster) fuerit, an postea & alius, non satis constare scribit ibi Plinius: Verùm plures variis temporibus variis in regionibus Zoroastres fuisse, historici notarunt. Delrio *loc. cit. cap. 3.* ex eorum monumentis sex legit. *Primus* est ille Chaldæus: *secundus* gente Bactrianus, qui cum Nino bellum gesserit: *tertius* genere Pamphilus Erus dictus Armeni filius, juxta Clementem Alexandrinum, aut Oromazi juxta Platonem: *quartus* Armenius genere, Hosthanis nepos: *quintus* Persimedes: *sextus* Proconnesius.

§. 3. Famosum autem illum apud Scriptores Zoroastrem Magiæ

illicitæ inventorem *Cham* fuisse, filium Noæ, inter Doctores jam convenit. Sic Gregorius Turonensis *lib. 1. Historiæ Francic. Cham autem*, inquit, *totius artis Magicæ, imbuente Diabolo & primus Idololatriæ repertor, primusq; statuam adorandam statuit; stellas & ignem de cœlo labi Magicis artibus, ei adscribunt, vocatusq; est, cùm ad Persas transiisset, Zoroaster, quod stellam viventem interpretantur.* Clemens Alexandrinus *lib. 4. Recognit.* ait: *Docuerunt* (mali Angeli) *homines, quod Dæmones artibus quibusdam obedire mortalibus, id est, magicis invocationibus, possent; ac velut ex fornace quadam & officina malitiæ totum mundum subtracto pietatis lumine, impietatis fumo repleverunt. Pro his & aliis nonnullis causis diluvium mundo introductum est, & omnes, qui erant super terras deleti sunt, exceptâ Noe familiâ, qui cum tribus filiis, eorumque uxoribus superfuit: ex quibus unus Cham nomine, cuidam ex filiis suis, qui Mezraim appellabatur, à quo Ægyptiorum & Babyloniorum & Persarum ducitur genus, malè compertam Magicam tradidit disciplinam.*

§. 4. Qua verò ratione ad posteros magica ejus doctrina fuerit propagata, tradit Cassianus *Collat. 8. cap. 21. Sciens* (Cham) *nullum se posse super his memorialem librum in arcam prorsus inferre, in quam erat unà cum patre justo ac sanctis fratribus ingressurus; scelestas artes ac profana commenta diversorum metallorum laminis, quæ scilicet aquarum inundatione corrumpi non possent, & durissimis lapidibus insculpsit, quæ diluvio peracto, eâdem, quâ celaverat, curiositate perquirens, sacrilegiorum & perpetuæ nequitiæ seminarium transmisit in posteros.*

§. 5. Quis verò primus ante mundi cataclysmum maleficam artem, incantationes & alia nefariæ artis præcepta à Diabolo acceperit, & aliis tradiderit, definitè ostendi nequit. Hoc saltem in genere affirmari potest, cum Idololatria quasi eodem ovo prognatam esse artem magicam, Voetius *lib. 3. Dispp. Select. pag. 598.* Viguisse *ante* diluvium, periisse *in* diluvio, revixisse *post* diluvium, & apud Chaldæos, Persas & Ægyptios potissimum floruisse Freudius *Quæst. 9. numer. 3.* benè inculcat.

§. 6. Ita degener Patriarchæ optimi Noæ filius Cham, magicâ spurcitie infectus, filium suum Misraim eâdem quoque infecit, qui strenuus patris æmulus positis ab eo illicitarum artium fundamentis plura indies instinctu ducis infernalis superstruxit, ut tandem magicæ sodalitatis

tatis membra in Ægypto & Perside in immensum creverint. Hebræi vicini Ægyptiorum & Persarum consuetudine longâ usi eandem contraxerunt labem, tantam quidem, ut crescentem Magorum, Ariolorum & Incantatorum numerum divinæ Majestatis leges & sanctiones vix reprimere potuerint. Ex Ægypto quoque Græci Philosophi peregrinationes illuc suscipientes portentosæ artis semina domum reportarunt, à quibus Romani, & ab his Septentrionalium regionum populi plenâ manu eadem acceperunt. Quin & citra exemplarem seu traductivam propagationem in variis terrarum angulis indefessô Dæmonis studiô Magiæ zizania in animabus securitatis somno sepultis, quasi sponte sua succreverunt, eorumque lætiorem proventum quandoque curavit Dæmon, quando divinitatis veræ opinionem in superstitiosorum pectoribus de se plantavit, & ad horrendas idololatrias occasionem subministravit. Ut adeò nullis non in oris & regionibus instrumenta Satanæ, Magi & Fascinatores fuerint reperti, & adhuc reperiantur.

§. 7. Magicæ Fascinationis subjecta seu instrumenta infamis artis omnis Hierarchia, omnis status, professio, sexus, ætas, omneque ævum suppeditavit, quæ omnia, vel quæ saltem publicis literarum monumentis continentur, (ne acta judicum manuscripta tangam) quis enumerabit? E statu *Ecclesiastico* sacra pagina producit Bileamum *Numer. 22.* Vir hic avarus, artiumque magicarum studiosus verbis magicis populum Israeliticum incantare, & precariam Mosis victoriam, precariâ incantatione eludere voluit. *Sceleribus autem suis tantum Dei nomen prætexuit, cùm revera Satanâ autore sua moliretur*, inquit Henr. Nicolai *in Mag. Action. cap. 1. Exerc. 1.* §. 3. Ubi istud fusiùs contra Eugubinum, Eucherium, Drusium, Calvinum aliosque Bileamum à Magiæ crimine absolventes probat. Sic & Biblia Ernestina ad *Num. 23. vers. 3.* Bileam ist ohne Zweiffel ein Zauberer gewesen/ der durch seine teuffelische Beschwerung aus Verhängniß Gottes viel Schaden hat thun können. Vid. Freudium *Quæst. 12.* In statu *Politico* est Rex Manasses *4. Reg. 21. traducens filium suum per ignem, observans tempora & auguria, & constituens Pythonem & Magos.* In *Oeconomico* est Pythonissa in Endor, quæ necromantica fuit, & larvatum Samuelem pro vero quasi ex inferis evocavit, *1. Reg. cap. 28.*

§. 8. Mirari autem satis nunquam potui, post Christi & Apostolorum

lorum tempora, quibus ad nostra usque Dominus verbum Evangelizantibus virtute multa dedit, salutare suum notum fecit, & justitias judiciaque annunciavit, qualiter non fecit omni nationi, homines præsertim eos, quos ad majorem pietatis sensum eruditio deducere potuit, imò etiam mysteriorum Dei dispensatores quandoque eò vesaniæ delabi, ut Christo Belial, luci tenebras, infinito finitum, bono malum, vero apparens, pulchro deforme, æternum temporario præferre pergant, neque quærant, quomodo de luto, in quo cum præsentissimo animæ periculo hærent, emergere, & è servitute, quæ inclementissima injustissimaque apud Diabolum est, ut Remigius *lib. 1. cap. 23.* variis exemplis probat, ad suave jugum Christi animabus requiem sub eo gratissimam largientis, confugere queant. Quæ certè fascinatio est maxima.

§. 9. Mamorius *in Libello de Lamiis* de M. Guilhelmo Linensi Doctore Theologiæ annotavit, referente Bodino *in Præfat. Dæmon.* eum accusatum condemnatumque confessum esse, se per noctem cum Magis aliis persæpe deportatum esse, ut diabolum adoraret, modo humanâ specie, modò hircinâ conspicuum, & religioni toti renunciasse: quin etiam penes ipsum instrumentum obligationis contractæ cum Satana fuisse deprehensum, quo sponsiones reciprocæ fuerint contentæ: inter alias autem hæc, *Doctorem obligatum esse, ut publicè concionetur, quicquid de Magis prædicetur, fabulam esse, non posse fieri, nullam fidem sermonibus istis haberi oportere, atque his concionibus*, inquit Bodinus *augebatur mirum in modum Magorum numerus, & se confirmabat, dum ab illis persequendis cessarent Judices.* Reperiuntur adhuc hodiè quoque, qui Magorum Dæmonumque actiones risu excipiunt, & inter fabulas referunt. Isti certè non levem de se occultissimi istius criminis, aut atheismi suspicionem prudentum animis imprimunt, neque, ut meo ista percipienti eadem non imprimeretur, cavere unquam potui, licet, quod corde volvo, ore non exprimam.

§. 10. Cur autem nostra ætate in tanta Evangelii claritate, & in medio Christianæ Ecclesiæ sinu tot reperiantur Fascinatores & Fascinatrices, Magi & Magæ, Samsonius in der 2. Hexen-Predigt in Dei justissimi judicium refert, qui non patris, sed judicis instar justi & irati ob maximam & pertinacem ingratitudinem, inobedientiam, & contemtum verbi salvifici, spiritus gratiæque suæ subtractione puniat & in reprobam mentem

mentem homines tradat, *Rom. 1. v. 28.* ac pro eo, quod dilectionem veritatis non receperunt, in efficaciam illusionis labi sinat, ut mendacio credant, *2. Thess. 2. v. 11.* Neque enim Deus mala fieri permittit, quin ad bonum, præsertim ad promovendam & manifestandam suam gloriam iis uti sciat. Quando igitur magicas artes permittit, eaque iræ vasa connivendo patientissimè tolerat, laudatur propter divitias bonitatis suæ ac tolerantiæ, lenitatisque, per quam ad pœnitentiam perversos invitat. Quando superbos, obstinatos, & impœnitentes Magos de sedibus deturbat, atque in totius mundi conspectu confundit, omnipotentia ejus divina ex hoc cognoscitur & extollitur. Quando fascinatos liberat, justitia ejus & veritas commendatur. Quando eos, qui veram pœnitentiam agunt, in gratiam recipit, gloriosa fit misericordiæ Dei proclamatio.

CAPUT III.

Instrumentalis causæ subjecta quædam particularia in sequentibus enumerantur. Mosen Plinius & Apulejus pro Mago habuerunt. Unde persuasio orta. Atheistis quibusdam in cœtu Christiano ea quoque insedit persuasio. Vannini mors. Mosen non fuisse Magum probatur, licet fuerit in Scholis Ægyptiorum enutritus. Regis Persarum filio quatuor præfecti sunt. Mosi Magiæ notitia fuit, non usus. Non quia ad dividendum mare & dulcescendam aquam rebus absurdis Moses usus, hinc Magiæ est accusandus. Plinii lapsus triplex. Jannes & Jambres Pharaonis Magi. Unde eorum nomina resciverit Apostolus? Fuerunt Sacerdotes. An eorum opera mira præstigiatoria fuerint, an verò quoad hypostasin vera? quomodo fuerint producta?

§. 1. MAgorum & Fascinatorum Scholam jam ingrediamur, visuri organa Diaboli celebriora, quæ primam classem occupare fama prodidit. *Mosen* Fascinatorum seu Magorum classem occupasse Plinius *lib. 30. cap. 1.* imposuit, inquiens: *Est & alia Magices factio, à Mose, & Jamne & Jotape Judæis pendens, sed multis millibus annorum post Zoroastrem.* A Plinio non abit Apulejus *Apol. 2.* ubi aliquot insignes Magos recitaturus ait: *Ego ille sum Carinondas, vel Damigeron, vel is*

Moses, vel Jannes, vel Apollonius, vel ipse Dardanus, vel quicunque alius post Zoroastrem & Hostanem inter Magos celebratur. Sed iniquô calamô Plinius & Apulejus fascinô ipsi paganô laborantes hæc scripserunt. Atque hæc persuasio & calumnia sine dubio ad varias gentes jam olim manavit à Pharaone, qui Mosen pro Mago habuit, admirandis ejus, quæ edidit, operibus & prodigiis permotus, *iratus sceleratum eum appellat, qui Ægyptiorum olim fugitivus, nunc magicis præstigiis instructus ad reliquos decipiendos venerit*, ut habet Josephus *lib. 2. Antiquit. Judaic. cap. 5.* Pollicem tamen his premunt (quod dolendum) Viri ex Ecclesiæ sinu prodeuntes docti, Autor Libri famosissimi *de tribus Impostoribus* (Petrus Aretinus Italus putatur) Mosen inter eos primum ponens, & Jul. Cæsar Vanninus Neapolitanus, Theologus Pontificius, Atheorum Cæsar Mersenno, aquila aut Homerus quis inter eruditos Atheos Voetio dictus, qui blasphemo ore iniqua de Viro Dei eructant: item Brunus iste Patriâ Nolanus ex regnô Neapolitanô, professione Dominicanus, qui docuit, Mosen miracula sua per Magiam operatum fuisse, in quo plus profecisset, quàm reliqui Ægyptii.

§. 2. Nos paganos, istos cum toto Atheorum in cœtu Christianô degentium grege sensu seu potius stupore suo abundare permittimus, manuique Dei gravissimis suppliciis iniquitatem vindicantis relinquimus: prout celeberrimum & doctissimum illum Atheismi Antecessorem & Apostolum Vanninum Tholosæ convictum, exsecta prius blasphemâ lingua vivicomburium Dei judicio passum esse, historiæ testantur, Voetius *Tom. 1. Dispp. Select. pag. 136.* Meliora nos edocti Mosen communem omnium Prophetarum Præceptorem, quo titulo eum Patres mactarunt, à Magiæ crimine audacter absolvimus. Ab ipso enim Deo princeps & redemptor populi Israelitici fuit constitutus, *Act. 7. v. 35.* Majestatis divinæ contemplator, arcanorum divinorum Referendarius, & in omni divini Numinis domo fidelissimus, *Num 12. v. 7.* qui se Christo venturo (salva tamen autoritate, quam præ Mose Christus habuit) æquiparavit, dicens: *Prophetam de gente tuâ & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies, Deut. 18. v. 15.* Ad quod Moysis de se testimonium etiam Christus ipse provocavit *Joh. 5. v. 46.* *Si credidissetis*, inquit, *Mosi, credidissetis mihi; de me enim ille scripsit.* Ad magum autem, seu Satanæ mancipium

um Christum provocasse, divinæque Majestatis contemplatorem & internuncium Magum fuisse, nemo, cui vel mica pietatis est, asseret.

§. 4. Mosen quidem πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων *omni Ægyptiorum sapientiâ* eruditum fuisse, *Act. 7. v. 22.* legimus. Thermutis quippe Filia Pharaonis eum adoptatum Sacerdotum curæ tradidit, qui nihil non eorum, quibus sapientia acquirebatur, instillarunt futuris regni candidatis. Jam verò in tanto apud Ægyptios habitus fuit Moses pretio, si Philoni fides, ut Junioris Regis titulum reportarit; proinde Mosen in omni Ægyptiorum disciplinâ, adeoque & in Magia fuisse institutum, vero fit simile. Nam Plato *in Alcibiad.* scribit, Regis Persarum filio quatuor præfectos esse pædagogos, primum σοφώτατον *sapientissimum*, qui Magiam Zoroastri de cultu Deorum agentem, & simul βασιλικὰ doceret, secundum δικαιότατον, *justissimum*, qui doceret Regem ἀληθεύειν totâ vitâ: tertium σωφρονέςατον, *temperantissimum*, qui animum Regis contra voluptates muniret: quartum ἀνδρειότατον *fortissimum*, qui illum intrepidum & impavidum redderet.

§. 4. Verùm Mosen ut à crimine isto absolvamus, non facimus cum Autore *Quæstionum & Responsionum ad Orthodoxos*, qui Justinus Martyr creditur, asserente, Mosen non Astronomiam, Astrologiam & Geometriam, quæ inter vulgaria habentur, sed quæ Solis Regibus & Sacerdotibus discere concessum fuit, videlicet Hieroglyphicas disciplinas addidicisse. Sed ingenuè respondet Nobiliss. Conringius *Hermet. Medicin. lib. 1. cap. 14.* non esse verisimile, neglecta ista fuisse à Mose quòd portio fuerint Ægyptiacæ Sapientiæ. *Porrò*, inquit, *Geometria quidem & Astronomia præclaræ sunt scientiæ, & liberali animo dignæ, nihil sanè in se habentes vetiti, aut à bonis morbus ac pietate alieni. Eoq; in his quidem institutum fuisse Mosen verisimilius est, quàm eundem ab iis abstinuisse. Judiciaria Astrologia reprehensionem meretur: fuit autem nihilo melior Hieroglyphica quavis doctrina. Si hanc itaque potuit discere Moses, potuit & illam. Par enim utrobiq; excusatio habet locum.* Itaque nec eorum stat sententia, Mosen didicisse artes eo dignas, qui in spem regni educabatur. Nam & ipsos Ægypti Reges Magiam magni fecisse & excoluisse constat. Optimè omnium Conringius *l. c.* disserit, *fuisse Mosi ejus notitiam, etsi non usum. Et multorum liberalis est scientia, quorum usus aut nihili est, aut noxius. Multa*

ta scire interest tantum ut scias, quæ decet fugere. Medici venena norunt, quæ testudineo gradu vitæ fontem exsiccant, quæ abortum provocant, quæ sterilitatem inducunt, notitiam tamen usu nefariô conspurcare pii fugiunt. Judices in sagarum examinibus Satanæ sacra auscultando addiscunt, neque tamen ad usum quisquiliarum scientiam transferunt. Logicus sophismata callens sophista non audit, nisi scientiâ per exercitium practicum abutatur.

§. 5. Neque tamen Mosen scientiam ad praxin & usum retulisse ex eo quis colligat, quòd virgâ mare, ut divideretur, percusserit, & lignum in aquam amaram, ut dulcesceret, injecerit, adeoque rebus ad efficiendum absurdis more Magorum fuerit usus. Naturalem enim in istis ad efficiendum talia virtutem abfuisse largimur, & supernaturalem, non autem dæmoniacam sed divinam potentiam agnoscimus, quæ factum, quod jussu & mandato divinæ Majestatis Moses percutiendo ita mare, & lignum in aquam injiciendo patravit, miraculoso effectu coronavit. *Absq; hoc præcepto Dei peculiari si fuisset, nunquam Moses vel virgam ad mare dividendum, vel lignum ad aquarum dulcedinem adhibuisset. Quia verò Deus ita fieri præceperat, ideò factum Mosis utrumq; non pro veneficiô, sed divinô beneficiô, & pro singulari miraculo habendum est. Ac differt à Magiâ vel maximè. Magi enim creaturis, præter peculiare mandatum Dei ad insolitos effectus non sine præstigiis diabolicis & insigni superstitione abutuntur. Moses verò expressum habuit Dei mandatum*, ait Freudius *l. c. Quæst. 8.* Itaque virga signum tantum fuit & medium, ad cujus præsentiam & motum Deus ex pacto per Mosen operatus est. Nugæ autem sunt, quibus Phantasiam propriam pascunt Rabbini, fingentes baculo Mosis jam ante insculpta fuisse miracula, sive decem plagas Ægyptiis post inflictas, inscriptumque שם המפורש sive nomen tetragrammaton, atque inde miracula patrandi virtutem accepisse.

§. 6. Plinium in istis suis verbis, quæ *§. 1.* citavimus, tripliciter fallere ostendit M. J. Christian. Isingius *Colleg. Hist. Disp. 7. §. 4.* quod 1. Mosen Magis Ægyptiacis accenseat, quem tamen ab iisdem segregat Scriptura. 2. duos illos Ægyptiis Magos vocet, unum quidem Jamnem, alterum verô Jotapen, quos tamen Apostolus *2. Tim. 3. v. 8.* appellat Jannem & Jambrem. 3. dicat, Moysen multis millibus annorum fuisse post

post Zoroastrem, cum tamen inter Zoroastrem & exitum Israelis ex Ægypto quingenti tantum circiter anni intercesserint. Dilherrus *Tom. I. Dispp. Acad. p. 273.* dignum, nec immeritò, Plinium existimat, ut litera K ei imprimatur, quem magis interdum laborare observavit, ut multa scriberet, quàm ut accuratè scriberet.

§. 7. Nos tandem Magi nomine Mosen indigitari posse largimur, sic tamen ut cum addito naturalis sive Philosophus dicatur, quia numeros & Geometriam, universamque Musicam cum practicam, tum contemplativam, insuperque occultam omnem Philosophiam literis hieroglyphicis descriptam Moses ab Ægyptiis Magistris accepit, notante ex Philone Judæo *de Vita Mosis* Dn. D. Conringio *l. c. p. m. 160.*

§. 8. Ad *Jannem* & *Jambrem* Principes Pharaonis Magos, qui Sanctissimo Viro Moysi, miracula divinitùs edenti se opposuerunt, teste Paulo *2. Tim. 3. v. 8.* jam tendimus, Horum nomina in *Vet. Testamento* non extant, hinc, unde Apostolo ea innotuerint, docti non immeritò quærunt, an nimirum ex traditione Majorum, an ex profanorum scriptorum monumentis, an verò ex divinâ inspiratione? quæ ultima sententia magis placet, quia πᾶσα γραφὴ est θεόπνευς@, proinde Paulus θεοπνεύςως istud scripsit, & à Spiritu S. ipso nomina ista didicit, quo de Dn. D. Waltherus *in Harmon. ad h. l. pag. 1244.* Fuerunt autem Jannes & Jambres Sacerdotes Ægyptiorum. Sic enim Pharao apud Josephum *lib. 2. Antiq. Judaic. cap. 5. habere se quoque, ait ad Mosen, Sacerdotes, qui eadem ostenta repræsentare nossent, non minus peritos hujusmodi artium, nec esse, cur se Moyses jactare debeat, quasi solus divinâ præ cæteris virtute polleat, atque ita apud rudem multitudinem quasi supra mortalem positus se venditet.* Sacerdotum autem nomine olim Philosophi apud priscos Ægyptios venerunt, autore Strabone *lib. 17. Quàm maximè*, inquit, *Astronomi & Philosophi appellantur, qui illis sunt Sacerdotes.* Laertius *libr. I. Ægyptii Philosophi Sacerdotes ac Prophetæ appellantur.* Sacerdotes istos Pharao convocat, & ut Magorum sibi invicem magicis suis operationibus adversantium more Moysis conatum per majora vel similia facta eluderent, imperat, mortem illis, nî efficerent, Deorumque fanis ruinam minatus. Atque hi adeò præpotentes fuerunt, ut Musæo Judæorum Duci, viro Deo conjunctissimo, soli resistere posse à cunctis judicati sint, teste Numenio

apud Eusebium *de Præpar. Libr. 9. cap. 3.* Itaque cum Thaumaturgo Mose congrediuntur, & cum Moyse, coram Pharaone baculos in serpentes mutasset, aquam in sanguinem vertisset, ingentemque ranarum multitudinem produxisset, idem Magi illi fecerunt, *Exod. 7. v. 11. 22.*

§. 9. Hæc Jannis & Jambris opera mira an præstigiatoria fuerint, an verò quoad hypostasin vera, non eadem omnium est sententia. Quidam veros ac naturales serpentes seu dracones, verasque ranas: nonnulli verò serpentes ranasque simulatas, & ad spectantium oculis illudendum confictas fuisse existimant. Utriusque sententiæ Patronos sistit Gasp. Schottus *Phys. Curios. libr. 1. cap. 20.* qui ipse in sententiam priorem inclinat, rationibus pro eâ allatis motus. Rationes sunt. 1. quia Scriptura S. iisdem verbis utitur narrando transmutationem virgarum Magorum in serpentes. Sed Moses produxit veros serpentes & veras ranas. E. & Magi. 2. quia eâdem Scripturâ testante, draco Aaronis devoravit dracones Magorum, utique verè, & non phantasticè: neque enim in divinis hisce Mosis portentis ulla fuit illusio, alioquin vanis spectris lusisse Mosen Ægyptios fatendum foret; veri ergò dracones fuerunt, qui à Magis producti, & à dracone Aaronis devorati sunt. 3. quia in tertio signo ciniphum defecerunt Magi, & non potuerunt illos producere; ergò priora duo signa de conversione virgarum in serpentes, & aquæ in sanguinem, verè fecerunt; non enim defecerunt in phantasticis rebus producendis, sed in veris. 4. si non fuissent veri serpentes, & veræ ranæ, Moses detexisset fraudem Magorum, illosque confudisset; cùm ergò nihil tale fecerit Moses, signum est, non fuisse simulata, sed vera animalia. 5. dæmon potest producere veros serpentes & veras ranas, ut vidimus; ergò illos tunc produxit per Magos, quia sciebat, si non produceret veros, sed fictos, Mosen fraudem detecturum, magnâ suâ & Magorum ministrorum suorum ignominiâ. Confer insuper hujus sententiæ fautores doctissimos Dn. Freudium *l. c. Quæst. 175.* D. Danhauer. *Melet. de Mirac. p. 65.* Quomodo verò Magi isti produxerint veros serpentes, an Dæmonum operâ occultâ virgas, ut materiam conversionis in veros serpentes transmutando, quæ sententia est Cajetani *in cap. 7. Exod.* & Delrii *lib. 2. Quæst. 6.* an veros serpentes aliunde celerrimè virgarum locô substituendo, quod Lyra, Tostatus, Pererius & alii sentiunt, Schottus *loc. cit.* disquirit, posterioremque sententiam,

quæ

quæ & noſtra eſt, amplectitur. Cur autem Magis iſtis, ut Moyſi contradicerent, Deus permiſerit, vide infrà *in Cauſæ ſine qua non Faſcinationis Magicæ* enodatione, *Sect. 3. cap. 1. §. 8.*

CAPUT IV.

Magos Chriſtum adorantes verè Magos, & inſtrumenta Satanæ fuiſſe, multi, etiam ex Patribus, ſtatuerunt. Eorum fundamenta. Contrarium alii ſentiunt. Buntingus eos in libro & naturæ & Scripturæ verſatiſſimos fuiſſe probat. Vocantur ab aliis reliquiæ Scholæ Danielis. Vocis, Sibylla, etymon & homonymia. Varia eaq; ſacra oracula Sibyllæ ediderunt. Nihilominus eas organa Dæmonum fuiſſe oſtenditur. Naturalis cauſa prophetiæ fruſtra aſſignatur. Sibyllinos libros ſuppoſititios eſſe Caſaubonus probat. An Cyprianus fuerit Magus? Quia & negativa & affirmativa ſententia patronos habet magnos, deciſio quæſtionis in medio relinquitur.

§. 1. AN *Magi*, qui *ex Oriente* venerunt, & recens natum Chriſtum Bethlehemi adorarunt, *Luc. 2.* Magi fuerint, & Faſcinatorum ſedem obtinuerint? hîc quæritur. Ex Patribus multos fuiſſe, qui putarunt, eos Hariolos, Maleficos, Deo maximè adverſarios, Diabolicos & Dæmoniis obnoxios fuiſſe notat Max. Rever. Dn. D. Reinhardus Bakius *Expoſit. Evangel. in Feſt. Epiphan. Domin. pag. 250.* citatque Theophylactum *in cap. 2. Matth.* Hilarium *lib. 4. de Trinitat.* Ambroſium *in Lucam*, Origenem *l. contr. Celſum &c.* Hujus etiam ſententiæ Theophr. Paracelſum fuiſſe ſcribit ex Zvvingero *in Theatr. Tom. I. pag. 212. & Tom. II. pag. 253.* dicentem, Magos iſtos Dæmonibus vectoribus tantum itineris emenſos eſſe tam brevi temporis ſpatio. Atque hanc ſententiam nonnulli ex ipſa voce *Magus* probare contendunt, pro qua Matthæo facilè fuiſſet ponere vel vocem σοφὸς aut φιλόσοφος, niſi deſcribere voluiſſet maleficos: ſicut & in Hebræo Matthæi Evangelio *Mecaſchephim*, Præſtigiatores ſignificat, & putant, ait D. Bakius, hujus ſententiæ Patroni, hoc Magorum ſive Hariolorum adventu confirmatam eſſe Servatoris noſtri aſſertionem, quòd videlicet in mundum venerit non propter juſtos, ſed propter peccatores, *Matth. 9. v. 13.* eosque maximos, *1. Tim. 1. v. 15.*

Hic vir prælaudatus doctè reponit, Evangelistam expressè innuere, Magos istos non ex Ægypto, sed ex Oriente advenisse, indeque constare, Magos fuisse Persas sapientes. Buntingus *Itinerar. Sacr. Scriptur. Part. 3. pag. 283.* eos Viros in libro non tantum Naturæ, sed & Scripturæ versatissimos fuisse scribit, idque probat 1. ex sincera eorum in Christum fide. Atqui fides est ex auditu; auditus autem per verbum Dei. Ex hoc itaque vacivas aures iis, qui verbum Dei prædicarunt, Magos dedisse, sedulâque manu sacras literas evolvisse colligit. 2. Ex ejusdem fidei constantiâ, quam nec itineris longitudo, nec Jesuli pauperies, nec Judæorum oscitantia fregerat. *Communiter existimatur, hos fuisse reliquias Scholæ Danielis*, notante Dn. Rauppio *Lexic. Theolog. pag. 264.* Quicquid sit, *unusquisq; videtur de iis loqui ex suo favore*, ingenuè ait Dn. D. Libavius *Exam. Philosoph. nov. Sect. 19. pag. 35.* & subjicit: *Veteris Testamenti Magi non benè audiunt: Quidni Idololatras, & consuetis in Oriente studiis deditos converterit Deus ad filium, cùm Esa. cap. 60. v. 5. multitudinem maris & fortitudinem gentium ad Ecclesiam conversum iri dicat &c. Et Abrahamum ex media Idolomaniâ evocaverit? Consentaneum tamen est, ut Abrahamus non omninò probavit gentilium Deorum cultum, ita & Magos istos fuisse probiores.* Hæc Libavius.

§. 2. An *Sibyllæ* Dæmonum fuerint instrumenta, adeoque & Fascinatricum classem occuparint, jam dispiciemus. Nomen, *Sibylla*, ex Hebræo quidam deducunt, & quidem Delrio *lib. 4. cap. 2. Quæst. 3.* à voce קִבֵּל, quod significat *accepit, recepit.* Unde Kabbala Patriarcharum doctrina ore & voce vivâ tantùm posteris tradita: alii à סָבַל *portavit*, quasi sint portatrices Dei. Hornius *Histor. Philos. lib. 2. cap. 1.* ex eo, quod Sibyllæ, Persica & Erythræa Babylone orta fuerit, aliam derivationis rationem colligit. Antiquissimos in Oriente Deos בעלים sive Belos nominatos esse scribit. Inde בעלה, vel pro Diva & Junone, ut Seldenus vult; vel pro Sacerdote & Beli vate, quæ *1. Sam. 28. v. 7.* בעלת vocatur. Ubi vocem בעלה non possessionem tantum notare ait, sed & Sacerdotem, quæ responsa Beli sive Pythonis procurare solet: cum quo si שׁ demonstrativum jungas, fieri שבעלה, quod magnam affinitatem cum Sibylla habet. Quidam ex Græco vocem derivant, & compositionem ex Σιός (pro θεός mutatione θ in σ, & ι in ε Æolicô modô factâ) *Deus*, & βυλὴ, *consilium, mens, sententia*, agnoscunt, quasi mens Dei dicta sit Sibylla,

bylla, vel consiliarius aut consilium Dei, Epitheto filii Dei, qui *Esai 9. v. 6.* consiliarius, seu Consilium dicitur. Servio *Comm. ad lib. 3. Æneid. v. 445. Sibylla dicitur omnis puella, cujus pectus Numen recipit.* Proinde nomen generale est, & tribuitur omni mulieri fatidicæ, sicut omnis vir prophetans propheta dicitur, ut tradit Isidorus *libr. 8. Etymolog. cap. 8.*

§. 3. Nomen autem hoc tribuitur etiam Dæmonibus, seu spectrorum generi, quod in nemoribus & aliis amœnis locis se ostentat, apud Delrium *lib. 2. D. M. Q. 27. Sect. 2. pag. m. 250.* Et Dæmon in specu Nursino habitans, quam & Scotus famosus Necromanticus accessit, Sibyllæ nomen habuit, teste eodem *loc. cit. pag. 241.* Sic quoque larvarum spectra in specu quodam Frisiæ subterraneo frequentia Sibyllæ albæ, nymphæ, albæ mulieres, & vulgari gentis illius sermone Witte Wyven fuerunt dicta, referente eodem *lib. 6. cap. 2. Sect. 3.* ex Cornel. Kempensi *lib. 3. de Orig. & Situ Frisiæ cap. 31. Quæ verò, & quot Sibyllæ, quibus temporibus, quibus locis fuerint, non convenit,* ait Ludov. Vives *Comm. ad lib. 18. de C. D. cap. 23.* ibique decem Sibyllas Varronis percenset, ut à Lactantio ponuntur, additis quibusdam partim ex Latinis scriptoribus, partim ex Græcis, quæ ibi videantur: suntque Persica, Libyca, Delphica, Cumæa, Erythræa, Samia, Cumana, Hellespontiaca, Albunea.

§. 4. Multa autem Sibyllæ oracula, & inter ea etiam vaticinia de Christi adventu, nativitate & personâ; item de Deo uno & trino, de Baptismo & similibus fidei Christianæ capitibus ediderunt. Qui hodiè sub Sibyllarum nomine exhibentur Libri numero VIII. extant in Bibliotheca Patrum, quos Viri non infimi commatis inspiratione divinâ esse conscriptos contendunt. Augustinus quoque ad Civitatem Dei *lib. 18. cap. 23.* eos conferre, & Lactantii autoritate uti non dubitavit, ut adeò ex societate magicâ Sibyllas eximendas esse, quis existimare possit.

§. 5. His tamen non obstantibus ad Dæmonis instrumenta Sibyllas, earumque oracula ad ejusdem instinctum edita fuisse asserimus. An omnium? Non adeò quidem constat, quia quomodo oracula ediderint, de omnibus non constat. Sed vereor, ne & hîc illud Comici obtineat: *Si unam noris, omnes noveris.* Ratio fatidicæ & inspirationis & prolationis satis prodit, cujus spiritus fuerint illæ. Siquidem divina-

trices vel halitu quodam subterraneo replebantur, vel spiritus ipse in corpus ingressus mentes alienabat, furibundasque reddebat vates: vel sumto certo potionis genere acquirebant divinandi facultatem. Proferebatur responsum, seu futura prædicebat vates tribus modis, referente Servio *loc. cit. aut voce, aut scriptura, aut signis, i. e. quibusdam notis, ut in Obelisco Romæ videmus:* vel, ut alii dicunt, notis literarum, ut per unam literam significaretur aliquid. Inde Æneas apud Virgilium *lib. 6. Æneid.* oraculum istud Sibyllinum percontaturus, ne foliis responsa velit inscribere, petit hisce:

> — — *foliis tantum ne carmina manda,*
> *ne turbata volent rapidis ludibria ventis.*
> *Ipsa canas oro.*

§. 6. Honestas offendunt aures, quæ de Pythia muliere traduntur. Chrysostomus *Homil. 29. super cap. 12. 1. Epist. ad Corinth.* id enunciat. *Dicitur,* inquit, *ipsa Pythia mulier quadam sedere in Apollinis tripode diductis cruribus, inde malus spiritus è subjecto specu redditus & (sit venia verbis) per genitales ejus partes transiens furore mulierem implere: hanc autem crines solvere & debacchari, & spumâ ora perfundere, ebriaq; & insana verba proferre.* Fatidicæ insuper mulieres cessante furore nullam eorum, quæ prædixerant, memoriam habuerunt, aut reminiscentiam. *Propheta autem*, inquit Chrysostomus ibidem, *non ejusmodi est, sed sobriâ mente, & modesta & firma, quæ loquitur, omnia, ut decet, novit.* Ita Sibyllæ divinæ inspirationis opinione, & à Dæmone fuerunt fascinatæ, & alios fascinarunt. *Ita Satan, ut sub Prophetico prædicationis veræ prætextu sua mendacia in doctiores ex insidiis etiam spargeret, nonnullas excitavit Sibyllas,* Wierus *lib. Apologet. §. 35.* Frustra autem sunt, qui ex incalescentia humoris melancholici naturalis causam derivare laborant: aut ad certam terrarum exhalationem recurrunt, eò quod in antris quibusdam phanaticorum sedes conspiciatur, ut de Delphico oraculo narrat Cicero *lib. 1. de Divinat.* ejus divinitatem cessasse, quòd terræ exhalatio desierit, quæ furorem inspirabat. Res enim purè naturalis, ut est melancholia, aut subterranea exhalatio mentem hominis ultra sortem propriam ad divinam, aut Angelicam evehere nequit; neque, in ullius potestate esse, beneficium Prophetiæ conferre,

solidè

ſolidè probari poteſt. Vide Peucerum *de Divinat. Tit. de* θεομαντεία. Torreblancam *Dæmonolog. Append. cap.* 14.

§. 7. Sibyllinos quod concernit libros, eos ſuppoſititios eſſe cum Iſaaco Caſaubono *Exerc.* 1. *contr. Baronium*, rationibus ejus moti ſtatuimus, quia 1. verbo Dei contrarium eſt exiſtimare, tam profunda myſteria clariùs fuiſſe propoſita (prout fit in oraculis Sibyllinis) quàm illi populo, quem Deus Opt. Max. ut peculiariter ſuum dilexit, & ſua nec ipſius, & fidelium ſuorum ſervorum voce erudiit, cùm conſtet, myſteria Chriſtiana ante Chriſtum fuiſſe abſcondita. 3. quia veteres Græci nihil horum cognoverunt. 3. quia ſolenne fuit primis Eccleſiæ temporibus, bono fine falſos libros fingere. 4. quia ejusmodi ſcripta cùm primùm prodierint, plurimis fuerunt ſuſpecta. 5. quia Sibyllæ paganicam ſuperſtitionem ſemper ſuaſerunt, quæ omnia fuſiùs ibi Caſaubonus exponit. Conſule inſuper Majolum *Tom.* 2. *Dier. Canic. Colloq.* 2. Balduinum *lib.* 2. *Caſ. Conſc. cap.* 1. *Caſ.* 11. Dn. D. Mœbium *de Oracul. cap.* 2. *in fine.* Voetium *Part.* 2. *Diſpp. Select. pag.* 612. Salmuth *in Comm. ad lib.* 2. *Panciroll. de Rebus Deperd. tit.* 12. Wierum *l. c.* Auguſtinus ipſe Sibyllarum ſcripta in dubium vocat *lib.* 18. *de C. D. cap.* 46. *Proinde*, inquit, *cum Scripturis noſtris non credunt, complentur in eis ſua, quas cæci legunt; niſi fortè quis dixerit, illas Prophetias Chriſtianos finxiſſe de Chriſto, quæ Sibyllæ nomine vel aliorum proferuntur, ſi quæ ſunt, quæ non pertinent ad populum Judæorum.* Non tamen negamus, potuiſſe Sibyllas inſpiratione Diabolicâ futuros prædicere eventus, quædam de Chriſto vaticinari, quia profunda de Meſſiâ vaticinia non latuerunt Dæmonem, *qui* (ut ore Wieri loquar) *Prophetas noverat, qui Patriarchas audierat concionantes, qui ante lapſum æternitatis ſecreta quadantenus noverat, qui aliquot millium annorum experientiam habebat, qui promiſſiones è patribus intellexerat, qui Adami delictum Virginis partu expiari debere, facilè præſciebat ex omnium promiſſionum prima in tertio cap: Gen. facta, dein ex Eſai.* 53. *aliisq; locis quàm plurimis*, exinde tamen non ſequitur factum, vel Deum id permiſiſſe: ſiquidem ſine creatoris permiſſione, placitô vel juſſu creatura & ſpiritus iſte degener ne quidem jota vel reticere vel profari poteſt. Neque hoc in controverſiam veniat, an Sibyllis tanquam organis ſeu inſtrumentis Deus uti potuerit; Nam etiam per Bileamum, quem tamen Idololatram & Dæmonum

monum cultorem fuisse, supra vidimus, Deum vaticinatum esse, literæ sacræ testantur, divinoque instinctu *interdum Caiphas est opportuna locutus*: Sed hoc in quæstione manet, an positis illis, quæ supra explicavimus, dicendum sit, Sibyllas ex inspiratione divinâ edidisse miracula, & quidem ista, quæ hodie extant? Negativam nos arripimus, rationibus jam antè in medium propositis moti. De Sibyllarum oraculis plura qui desiderat Wolffium *Tom. 1. Lection. Memor. à p. 50. ad 59.* evolvat, item Voetium *Tom. 2. Dispp. Select. p. 611.*

§. 8. *An Cyprianus* fuerit Magus? Litem hanc non faciam meam, cùm celeberrimos ab utraque, & affirmantium & negantium parte Viros videam. Pro affirmativâ stant gravissimi Dnn. Consultatores Coburgenses im Rechtlichen Bedencken wegen deß Hexen-Proceß apud Dn. Joh. Leib *Consil. Respons. & Deduction Juris 1, pag. 53.* freti autoritate Nicephori, Gregorii Nazianzeni, Prudentii in hymno, ubi ita canit:

Unus erat Juvenum doctissimus artibus sinistris,
Fraude pudicitiam perfringere, nil sacrum putare;
Sæpe etiam magicum cantamen inire per sepulcra,
Quo geniale tori jus solveret &c.

Ita & Max. Reverendus Dn. Dn. Finckius, Superintendens quondam Generalis hujus loci meritissimus, *in Resolutione Quæstionis hujus: An Saga, venefica, lamia &c. apud Deum in gratiam recipi possint, Syllog. 1. Quæst. Illustr. Theod. 20. pag. 162.* scribit, Cyprianum à pueritia magicis artibus deditum fuisse, & crimen læsæ Majestatis divinæ (sic enim Magiam Lutherus definit) commisisse, inque iis tantos fecisse profectus, ut vix parem habuerit, attamen *gratiosam veniam indeptum, factumq; fuisse Episcopum Carthaginensem, & Doctorem suavissimum, ac Martyrem beatissimum*, ut vocatur ab Augustino *libr. 2. de Doctr. Christiana cap. 40.* Eandem sententiam tenet Fr. Suarez *in Oper. de Virtute & statu Religion. Tom. 1. Lib. 2. cap. 17. fol. 365.* Joh. Filesacus *de Idolol. Magic. pag. 40.*

§. 9. Negant autem alii. Ita Jac. Billius *in Orat. 18. Naz. ad Lectorem* citante Freudio *Quæst. 381.* scribit: *Multa alia sunt, quæ in eum* (Cyprianum) *nullo modo cadunt. Primùm enim de Magicæ artis studio & facultate nullum apud Pontium Diaconum verbum, qui vitam ipsius*

ipsius literis consignatam ad nos transmisit, *imò contra devotum ipsius pectus bonas artes ante Christianæ religionis professionem imbibisse refert.* Negat & Dn. D. Gerhardus *Patrolog. pag. 163.* & ait : *In libro de Pœnitentia, qui Cypriano asscribitur, sed falso, dicitur fuisse Magus. At hoc falsum. Fuit enim professione Rhetor, teste Hieronymo in Catal. & super Jonam cap. 3. qui de Magia nihil, nec Cyprianus ipse in descriptione conversionis suæ Libr. 2. Epist. 2. nec Pontianus Diaconus ejus in vitâ Cypriani.* Gelasius ipse *c. Sancta Romana Dist. 15.* hunc liberum pro apocrypho habet.

CAPUT V.

Simon Magus Fascinator celebris, pro Deo habitus. Ejus opera mira. Ex aere, in quo à Dæmonibus vehebatur, in terram Petri precibus præcipitatus perit. Ob id Petrus supplicio à Nerone afficitur. Circe venefica famosa, ejus parentes, regnum, exilium; homines transmutavit in bestias. Inter fabulas Circe refertur. Joh. Trithemius Magus. Caroli Bovilli de Steganographia judicium. Eum Naudæus & Tannerus frustra absolvunt. Ignatius Lojola Magus. Item Wierus, quod rationibus è Bodino desumtis probat D. Tabor. Cingari Magi. Eorum nomen & origo investigatur. Sunt fascinatores, fures, mendaces. Historia Virginis molam extra uterum in abdomine gerentis: Cingaræ autem clavos & pilos esse falso edixerant. Carnifices plerumq; Magi. Obstetrices veneficæ Diabolo accepta sunt organa, quia infantes vel necant, vel clam Diabolo consecrant.

§. 1. CElebris Fascinator fuit *Simon Magus*, qui incolas civitatis Samariæ multo tempore artibus magicis sic dementavit, ut propterea dictus fuerit ἡ δύναμις τοῦ θεοῦ ἡ μεγάλη, *Virtus Dei magna*, *Actor. 8. v. 8. 9. 10.* Romæ quoque sub Claudio Cæsare inter duos pontes hoc titulo simulachrum publico consecutus fertur decreto : SIMONI DEO SANCTO. Sed Baronius ostendit, falsam esse inscriptionem & legendum : *Semoni Sango Deo*, qui antiquitus erat *Hercules*, annotante Dn. D. Libavio *Exam. Philosoph. novæ pag. 35.* Mira ejus opera refert ex Anastasio Nicæno *Q. 23. in Sac. Script.* Delrio *lib. 2 Quæst. 6. Statuas*, inquit,

quit, *faciebat ambulare, & in igne volutatus non urebatur, & in aere volabat, & ex lapidibus panes faciebat, serpens fiebat, & in alias aliquas bestias transformabatur, duas habebat facies, in aurum convertebatur, in conviviis exhibebat spectra omnis generis: vasa quæ erant in ædibus faciebat videri tanquam quæ sua sponte moverentur ad ministerium iis, qui portabant, non visis: efficiebat, ut multæ umbræ eum præcederent, quas dicebat esse animas defunctorum.* Sed condignas temeritatis tandem luit pœnas. Cùm enim per aerem magna spectantium admiratione à Dæmonibus vectus aliquando vagaretur, divus Petrus Dæmones Magum destituere jussit: qui protinus è sublimi deorsum præcipitatus miserè periit. Ob quam rem Petrum à Nerone, qui hunc Magum magnifecerat, supplicio affectum esse Cedrenus tradit. Majolus *Tom. 2. Dier. Canic. Colloq. 3.* Schottus *Phys. Curios. Libr. 1. cap. 16.* Freudius *Quæst. 119. & 389.*

§. 2. In Poetarum, præsertim Homeri, Virgilii & Ovidii, monumentis famosa est *Circe*, venefica & fascinatrix insignis, Veneficæ non minus maleficæ, Hecates scilicet, & Æetæ filia. Hæc artibus maternis imbuta & ipsa herbariam venenaque tractavit. Ætate matura Sarmatarum Regi nupsit, eoque paulò post venenis extincto sola regno est potita. Sed regiô sceptrô abusa gentes subjectas crudeliter tractavit. Hinc regno pulsa in Italiam profugit, & in promontoriô, quod ab ipsa Circæum postea dictum, consedit. Homines Circe in varia brutorum genera mutavit, quo de Virgilius *lib. 7.*

Hinc exaudiri gemitus, iræque leonum
Vincla recusantum, ac serâ sub nocte rudentum
Setigerique sues, atque in præsepibus ursi
Sævire, ac formæ magnorum ululare luporum:
Quos hominum ex facie Dea sæva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.

Quomodo Ulyssis socios in feras subitò mutarit, cum tamen Ulyssem transformare non potuerit, exponit Homerus *lib. K. Odyss.* Nos Circen, quia Plinius *lib. 25. cap. 2.* Ludov. Vives *Comm. ad Augustin. lib. 18. de C. D. cap. 17.* aliique ad fabulas eam referunt, pluribus depingere supersedemus. Qui plura de ea desiderat, Natalem Comitem Mytholog. *libr. 6. cap. 6.* & Majolum *Dier. Canic. Tom. 2. Colloq. 3.* evolvat. Maximam

mam

mam tamen eorum partem in aliarum veneficarum factis nefandis suum habere fundamentum, indeque fingendi occasionem fuisse mutuatam, vero manet simile.

§. 3. *Johannes Trithemius* Abbas Spanhaimensis Magorum numerum auxit. Hic, ut loquitur D. Meisnerus *Phil. Sobr. Part. 2. Sect. 2. Qu. 1. p. m. 821. quoniam novit, multa clandestina & sanguinolenta consilia à Papistis agitari, quæ occulta manere, & tamen suis communicata volunt, ideo ipsis gratificaturus peculiarem artem effinxit, quam Steganographiam, h. e. rationem occultè scribendi, & scripta revelandi intitulavit.* De hac Steganographia tale fecit Carolus Bovillus judicium, recitante Wiero *lib. 2. cap. 6. §. 1. Ad Trithemium diverti, quem reperi Magum, nullâ philosophiæ parte insignem. Ejus Steganographiam evolvi velitatim nonnullorum capitum perlegens initia. Vix horas duas librum in manibus habui: abjeci enim eum illicò, quod terrere cœperant me tantæ adjurationes, ac tam barbara, atq; insolita spirituum (ne dicam fortè Dæmonum) nomina.* Idem Bovillus Trithemio occurrit in Epistola ad Boscium scribendi, *verba esse plana, lucida, sine omni literarum aut vocabulorum transpositione, ita ut omnes legant & intelligant; secretum tamen illius, qualecunq; erit, manere ignotum: hactenus*, ait, *vera est locutus.* Nam in tota hujusmodi Steganographiâ passim sanctissimas ac piissimas orationes inserit, quæ ad amicum epistolarum loco mittantur: re autem vera lachrymæ sunt Crocodili. Id enim facere mihi videtur, quod D. Dionysius in epistola ad Sosipatrum de Apollophane sentit. Divinis adversus Deum nefariè utitur, ac per mundanam inanemque sapientiam divinam sapientiam evacuare molitur. Quod autem sine adjutorio spirituum, omnia pollicetur se facturum, rectè (ut ait Daniel) in caput suum mendacia confingit; manetque, puto, angelus Dei bonus, ut secet eum medium dissolvatque fœdus iniquum, quod cum nocentibus angelis iniisse ac sanxisse, palam ex ipso opere declaratur. Plura legas *loc. cit.* & apud Hier. Wolffium *Tom. 2. Lect. Memorab. pag. 592.*

§. 4. Naudæus quidem & Tannerus Jesuitæ, referente Schookio *in Judic. Oper. Wieri*, & Voetio *Disp. Select. lib. 3.* Trithemium ab omni Magiæ crimine (invitô Delrio, qui *lib. 2. Quæst. 3.* ad prohibitos libros Trithemium rejicit) absolvere conantur. At *Trithemius absolvi nequit,*

Uuu 2 *etiamsi*

etiamsi Jesuitæ cum Tannero suo, qui orationem apologeticam pro Trithemio edidit, centum orationes declament. Trithemius enim libros Agrippæ approbat, ut patet ex epistolâ iis præmissâ, Voetius *l. c. p. 613.*

§. 5. Ignatium Lojolam Societatis suæ Autorem quomodo Jesuvvitæ absolvant, potius laborent. De eo enim Hasenmullerus, qui Jesuvviticæ sectæ membrum non infimum fuit, *in Historia Jesuitici Ordinis cap. 11. pag. 427.* scribit, se audisse ex Turriano Jesuvvita celebri, ipsius comitem assiduum usque ad Missæ aram fuisse Dæmonem, à quo etiam sæpè ita fuerit agitatus, ut in magna copia frigidissimum mortis sudorem fuderit, & postquam cum tremore obierit, mortuum nigerrimo vultu conspectum esse. Cùm anno 1554. corpus Lojolæ ad templum ab Alexandro Farnesio extructum transferre vellent Jesuvvitæ, ossa cadaveris non sunt inventa, fingentibus ipsis, ea per Angelos forsan esse translata, id quod si de Angelis malis intelligatur, lubentissimè à nobis conceditur, dicimus cum Meisnero *l. c. p. 825.*

§. 5. Ad Magorum castra abiisse *Theophr. Paracelsum* supra *lib. 1. Part. 2. Sect. 2. cap. 9. & 21.* item *Cornelium Agrippam loc. cit. cap. 21.* ostendimus. De *Wiero* Agrippæ discipulô jam quæremus, an & hic inter Magorum complices veniat? Medicus hic superiori seculo anno decimo quinto in oppido Gravia dicto circa Mosam ad Brabantiæ limites sito, natus, celebris eâ ætate fuit, Vir undiquaque doctissimus, qui autem, quòd in suis de Præstigiis Dæmonum libris acta & pacta Lamiarum melancholicæ earundem imaginationi tribuerit, Magosque capitali supplicio, nisi hominum & pecudum vitam ac sanitatem læserint, puniendos non esse scripserit, non modò Magiæ Diabolicæ fautor & patronus, sed & ipse ad Magorum ordinem meritò relegatus creditur. Martinus Schoockius *in Judic. Oper. Ejusd.* licet ista jure meritò in Wiero argui, cum Orthodoxis, Pontificiis & Calvinianis sentiat, propterea tamen Magiæ crimen ipsi impingendum esse negat, aitque Thomam Erastum, Medicum & Philosophum incomparabilem ac Theologum judiciosum, qui eodem anno 1578. mox ad argumenta Wieri respondit, eum Magiæ propterea non arguisse, sed ut Virum doctum commendasse. Verùm Wierum non levibus de causis suspectum reddit Bodinus. *lib. 4. Dæmonom.* quas Nobiliss. Dn. D. Tabor *Diss. de Tortur. cap. 5. §. 40. pag. 74.* certo ordine digessit, cujus ut viri doctissimi de doctissimo Viro judicium inter-

interponere malo, quàm meum ferre. *Causæ sunt (1.) quod fateatur se Agrippæ discipulum fuisse*, welcher der allergröste Zauberer war / so zu seiner Zeit gelebt. *Ita interpres Bodini Germanicus. Congemina tradit Thuanus lib. 89. Histor. pag. 174. in Anno 1588.* ibi: *Johannes Wierus nobili Zelandiæ inundatæ familiâ ortus, philosophicis studiis egregiè à pueritiâ instructus, Heinrico Cornelio Agrippæ homini cumprimis erudito, & magicis superstitionibus infami, ante 50. annos, Gratianopoli apud nos defuncto operam in pueritia navavit. Hæc Thuanus. Cùm autem Wierus hoc argumento utatur contra Paracelsum, quod Rogerio Bachone Anglo, insigni Mago, præceptore usus fuerit, in Apologia contra Leonem Suavium, non injuria Bodinus contra Wierum eodem detonat. Alterum argumentum hinc sumitur, (2.) quod hujus Præceptoris artificia diligenter didicerit & exscripserit. Sic enim de se ipse Wierus lib. 2. de Præstig. c. 6. Steganographiæ Trithemii partem scriptam cum figuris & spirituum nominibus apud Henricum Cornelium Agrippam felicis memoriæ (en quomodo Magus Magum laudet!) ego ipse olim legi, atq; ipso inscio (tam avidus erat scientiarum diabolicarum) exscripsi: contra præceptum Phocylidis; (*φάρμακα μὴ τεύχε, μαγικῶν βιβλίων ἀπέχεσθαι*) & sacratissimas leges, quæ ejusmodi libros statim corrumpi volunt, l. 4. §. 1. Fam. ercisc. l. 6. §. 1. C. de hæret. Novell. 42. c. 1. Cujac. in Comment. ad tit. C. de Malef. & Mathem. (3.) Quia toto libro de præstigiis id agit, ut evincat*, die Hexen und Hexenmeister seyen keines wegs zu straffen / sie hätten denn jemand umgebracht. *Quam sententiam cum multis aliis damnat & refutat Dn. Balduin. lib. 3. de Casib. Conscient. cap. 5. cas. 13. Non obscuram etiam notam Magiæ reputat Bodinus d. lib. 4. pag. 665.* Wenn einer die Straff oder Abstraffung der Zauberer hindert und aufhalten thut. *Confer Dn.* Waldschmidt von der Zauberey *Concione 1. p. 2. & 3. ubi etiam de Alciato & Ponzinibio. Quàm stolidè autem & vehementer sententiam l. multi 6. C. de Malef. & Mathem. simulq; verisimilem expositionem D. Brentii impugnarit, apparet ex Apologia Wieri pag. 832. Unde P. Gregorius lib. 34. Syntagm. c. 9. monitum contrarium elicuit, observare judices jubens, quantam pestem in Republ. foveant, dum in sortiarios & lamias & maleficas non animadvertunt; existimantes eas tantum mentis alienatione (hæc Wieri erat sententia) ludificari, neq; quidquam reipsa exequi. Conf. Lansium in Orat. contr. Galliam pag. 271. Horsum pertinet Bodini (4.) ratio adversus Wierum mota,*

ta, quod nempe idem Wierus lib. 3. cap. 11. planè neget, Diabolum Sagas ad conventus diabolicos aliquando verè efferre, sed meram illusionem subesse: in qua sententia etiam alii fuerunt : Vid. *Augustinum* Lerchheimer im Christlichen Bedencken von Zauberey *cap. 17. pag. 213. cùm tamen ex Evangelio constet, Diabolum ipsum Christum, Deo permittente, subitò in pinnaculum templi extulisse: Bonos etiam Angelos Prophetas sæpe corporaliter de loco in locum transtulisse, vid. Balduin. d. c. 4. cas. 8. pag. 735. Confer Dn.* Waldschmidt in der 4. Predigt von der Zauberey *pag. 75.* (5.) *Quòd sub prætextu relationis & specie detestantis non tantum Libro 5. & passim, sed etiam libello peculiari Pseudomonarchiæ Dæmonum, formulas invocandi & conjurandi familiares spiritus sive Diabolos,* Vid. Dn. Waldschmidt *in Pythonissa Part. 2. Conc. 2. pag. 453. & seqq. formaliter doceat. Ut ita multa Magiæ indicia, inprimis autem primum, tertium & quartum Const. Carolin. Art. 44. in ipsum exactè quadrent. Quis itaque dubitet, torturæ in tales Doctores locum fore, Thom.* Metzger *Tract. de Tortura Reorum Conclus. 127. (6.) Nec sublevarent ejusmodi Magum crebra protestationes in contrarium adhibitæ & magiæ detestatio, vid. l. 1. c. 8. & passim, quoniam protestatio ista tantum simulata est, & facto contraria: & hæc solennis magorum & sagarum consuetudo est.* Hæc Dn. D. Tabor.

§. 6. In Fascinatorum seu Magorum prædicamento non infimi sunt *Cingari*, Zingari, Zigeuni, Ægyptii communiter, Germanis Zigeuner dicti. Polydorus Virgilius *lib. 7. cap. 8.* Italis Cilices vocari ait, quòd ex Cilicia, quæ teste Plinio Syriæ proxima est, proficiscantur. Unde autem primùm Zigeuni sint nominati, inter tot, quæ à variis afferuntur, & à Doctissimo Thomasio *Dissert. de Cingaris §. 11.* proferuntur, natalia vix certi quid asserere licet. Arridet autem maximè ea derivatio, quam Vir jam laudatus, ibi *§. 9.* more suo doctè & ingeniosè adducit. Vero simillimum, *inquit*, nobis videtur, corruptum esse hoc nomen ex Ægyptianis. Tales enim, qui primùm has oras attigerunt, haberi voluisse, & habitos etiam, *th. 29.* ostendemus. Non igitur alio nomine debuerunt à nobis appellari, quàm postea à Belgis, Gallis & Hispanis, Græcis, qui constanter suâ linguâ Ægyptios vocant. Et Hispani quidem Gitanos ex Ægyptianis facientes prima syllaba eos mulctarunt. Sed majores nostri, decurtandorum nominum supra Hispanam gentem artifices, duabus demptis syllabis pro Ægyptianis primò Cianos nominaverunt,

mox

mox Ciganos ad hiatum evitandum : quo nomine disertim utitur Andreas Presbyter Ratisponensis, antiquissimus, quod sciam, inter vulgatos typis scriptores, qui de Cingaris injecerint mentionem. Vixit enim temporibus Sigismundi, quo imperante primùm in Germania visi sunt Cingari. Ejus verba sunt hæc *pag. 122. Chron. Bavar.* Eodem anno (1433) venerunt ad terram nostram quidam de populo Ciganorum, qui dicebant, se esse ex Ægypto. Porro ut pro Italianis Italienos pronunciare nobis solenne est: ita ex Ciganis quoque Cigenos fecimus, (Aventino Scriptori Germano expresse sunt Zigeuni) & ut diphthongorum sumus amantes in superiori Germania, Cigeunos, sive Zigeunos. *Hæc ille.*

§. 7. Erraticum hoc hominum genus unde originem ducat, diversi diversa sentiunt, quorum sententias ferè omnes ita Voetius *Tom. 2. Dispp. pag. 654.* conciliat, *quòd errones illi primò calamitate bellica ex Nubia & conterminis locis expulsi, & jam ante Nomadico vitæ generi assueti post longas vagationes in Danubianas regiones se infuderint, ibiq; ad tempus erraverint, atq; inde per Hungariam in Bohemiam, & ex Bohemia in Germaniam, Galliam &c. descenderint, quodq; progressu temporis varii errones ex Gentibus illis, quarum regiones transibant, & in quibus ad tempus commorabantur, eorum catervis & manipulis hinc inde sparsis se immiscuerint.* Hactenus Voetius. Hinc primi Cingari Ægyptii rectè fuerunt salutati, quia ex Nubiæ regione inferioris Ægypti partibus contermina prodierunt. Hodierni verò errones variarum gentium sunt sentina & colluvies, nihilque minus à nativitate quàm Ægyptii. *Nam interrogati nec sciunt quidem, quid Ægyptus, aut ubi minor vel major*, inquit Delrio *lib. 4. D. M. cap. 3. Quæst. 5.* Furtô, rapinâ & divinationibus victum quæritant, & quidem, ut Münsterus *lib. 3. Cosmograph. pag. 267.* refert, anus eorum Chiromantiæ & divinationi intendunt, atque interim, quô quærentibus dant responsa, quot pueros, maritos aut uxores sint habituri, miro astu & agilitate crumenas quærentium rimantur & evacuant. *Si quis illis ex sacco vel capsa unicum nummum largiatur, omnes nummi, qui in eadem capsa vel sacco inerant, migrasse, quò unicus ille, non rarò deprehenduntur, quod apertum est maleficium,* ait Delrio *loc. cit. pag. m. 203.* Sensus ita fascinant, ut nec tunicam sibi detrahi, quæ divinationis gratia eas consulunt, ancillæ sentiant, quod cuidam evenisse memini. Ignem, quem in horreis alunt, fascinant, ne vel stramen, vel fœnum adjacens

jacens ejus rapacitatem experiatur. Propterea quia veneficii & fascinationis nomine hoc hominum genus est invisum, &, ut loquitur Balduinus, diabolo magistro utitur in multis, eorum præsentiam & consortium pii quique meritò fugiunt, iique neque in imperio tolerantur, neque liber illis commeatus permittitur.

§. 8. Veritatem ore jactant, sed in ore saltem veritatis nomen versari, à re ipsa autem veritatis vim abesse experientia sæpè testatum fecit. Jactant apud eos, quibus ad veritatis ipsius cognitionem vel via vel facultas denegatur. Exemplum hujus est casus singularis, quem Spectatissimo Naturæ Curiosarum Collegio communicavi. Habetur is *Ann. 2. Observ. 17. Virgo hic Coburgi in suburbio fuit florentis & ætatis & constitutionis, pinguioris naturæ, quæ sub onere in aquam de ponte decidit, &, ut ego conjicio, casu casum sibi funestum acceleravit. Accrescentis lienis specie primùm Chirurgo imposuit tumor levis lienis regionem occupans, cui majus indies incrementum capienti remedia ille adhibuit, sed successus & ægram & medentem destituit. Affectus post semestre mihi à matre dijudicandus domi meæ committitur, sed quia ille suetum naturæ ordinem nimium quantum superare mihi videbatur, ægræ præsentiam meam, quam expetere illa non fuerat ausa, ultrò commodavi. Accessi, & circumstantiis omnibus bene expensis, in abdomine excrescentiam quandum, qualis etiam illa sit, sive molam quandam, non in utero, sed extra hunc latitare dixi, nullumq; ulli medicinæ locum fore prædixi. Menses interea ordinis sui fuerunt tenaces. Præter appetitum prostratum, virium imbecillitatem, & circa dorsi medium dolorem, symptomata notatu digna nulla infestarunt ægram jam sedentem, jam decumbentem. Zingaræ aliquando ex improviso accedentes virginem fascinatam totumq; ejus abdomen clavis & pilis refertum esse indicant, quæ narratio Virginem corpore, parentes animo laborantes amplius turbasset, nisi majorem verbis meis adhibuissent fidem. Narrationis falsitatem abdominis post pia Virginis fata sectio prodidit. Isto enim aperto pinguem quandam molam in sinestrô præcipuè latere latitantem & intestinis incubantem inveni, sed Ossis Ilii superiori extremitati, à qua resecabatur, connatam, quæ bilanci imposita decem libras ponderis civilis æquabat. Tota massa pinguedo fuit, venis passim dispersis instructa: nullos autem clavos, pilos vel quisquilias alias, ut mendaci ore zingaræ edixerant, inveni.* Plura de

de Cingaris qui legere cupit, adeat præcipuè Thomasium ut & Voetium, Delrium, *locis citatis*, Camerarium *Cent. 1. Oper. Succis. cap. 17.* & *Cent. 2. cap. 75.* Zeilerum *Cent. 1. Epist. 71.* Freudium *Quæst. 88.* & quos hic *in fine* citat, plures alios. Nos ad alia properamus.

§. 9. Magicæ artis subjecta etiam *Sedem Romanam* fovisse historiarum monumenta produnt. Idem Bodinus *libr. 4.* Cardinalis Bennonis Naucleri & Platinæ autoritate fretus edicit. Papas à Sylvestro II. ad Gregorium VII. fuisse Magos Wolffius *Lect. Memor. Tom. 1. p. 96.* notat. Magiam etiam exercuerunt Benedictus IX. Johannes XIII. Sergius IV. Gregorius VII. &c. *Si tam multi Papæ, capita scilicet Hierarchiæ Ecclesiasticæ fuerunt monstra magica, quid de Cardinalibus, Episcopis & reliquis membris, quæ illi creabant aut fovebant, sentiendum?* argutè colligit Voetius *Desperat. Caus. Papat. Lib. 1. Sect. 4.* Lansius in *Oratione contra Galliam* de sacrificulo sub patibulo in gratiam Diaboli missificante refert. Bodinus quoque passim Theologorum & sacrificulorum ex hoc censu exempla adducit. Erasmus ad Lambertum Grunnium, scribam Apostolicum de isto vitæ genere hoc prodidit. Eos qui in sacrâ veste incedunt, indulgere quotidianæ temulentiæ, gulæ servire & ventri, scortari clam & palam, luxu profundere Ecclesiæ pecuniam, sortilegiis aliisque maleficis artibus dare operam, & tamen laudari probos Monachos, & vocari ad Abbatias, &c. Epistolam totam Pontifex cum Cardinalibus legisse & approbasse memoratur *in vitâ Erasm. p. 82.* Fusius de magicæ societatis membris ex Pontificum & Pontificiorum ordine agit Nobilissimus Dn. D. Tabor, *Dissert. de Tortur. pag. 80. & 251.* ubi etiam Onuphrium & Bzovium, qui Sylvestrum II. excusatum eunt, confutat. Laudatus jam Autor insuper cum Joh. Conr. Dieterricho *in Imper. Saxon. & quidem Othon. III. p. 9. & seqq.* item cum Bœclero *Comm. de Rebus Secul. 9. & 10. pag. 375.* Sylvestrum istum minimè Sylvestrum seu magum fuisse asserentibus, si placet, conferri potest. Utriusque enim partis in hoc puncto adversæ fundamenta ob oculos Lectoris hoc loco ponere, instituti ratio non permittit.

§. 10. *Carnifices* & *Obstetrices* grata & accepta sunt Fascinatori Stygio subjecta, quæ societatis suæ membris adsociare omni studio quærit. *Carnifices* in sagarum examinibus justò curiosiùs in sacra Mago-

rum inquirentes promtam habent acquirendi Magiæ notitiam occasionem. Scientiam pietatis scuto mens non satis munita, & affectuum turbine abrepta facilè ad usum transfert, & sensim à Magiæ indirectæ tramite ad directæ viam abit. Hinc & Sennertus Vir Experientissimus carnifices plerumque Magiæ deditos esse scribit *Pr. Med. Part. 4. c. 4. p. 521.* Perniciosius longè reliquis est hoc hominum genus. Narravit mihi, ait Autor Cautionis Criminalis *Dub. 11. p. 49.* nuper vir fide dignus, de carnifice quodam, item ultimô suppliciô plexo, cujus inter alia gravissima scelera & hoc unum erat, quod, cùm Magiæ non imperitus esset, id quadam suâ arte efficere soleret, ut quoscunque tandem sub manu recepisset, nemo omnium non fateri cogeretur, quicquid rogavisset, itaque innocentes plurimos ad ea edicenda impulisse, quæ fortasse ne cogitatione quidem attigissent. Magistratus autem ex hoc monitum & cautelam hanc sibi sumat, ut in ipsorum carnificum, sagarum examini præficiendorum vitam & famam sagaciter inquirant, ne magicis eorundem, ad placitum Dæmonis viventium fraudibus innocentes fascinentur, tormentis morte ipsâ gravioribus exponantur, & cruciati in fide infirmi ad desperationem, quam Dæmon quærit, adigantur.

§. 11. Per *obstetrices* non tantum immaturam fœtuum mortem ne ad sacrum regenerationis fontem deferantur, Dæmon procurat, sed & earundem auxilio recens natos furtim sibi consecrari gestit. In diœcesi Basiliensi & oppido Dann quædam incinerata fassa est, ultra 40. pueros se necasse per modum talem, ut, quando ex utero egrediebantur, acum capitibus eorum per verticem usque in cerebrum defigeret. Altera in diœcesi Argentinensi pueros absque numero, puta quia de numero non constabat, se interemisse fassa fuerat: ita autem fuit deprehensa. Nam ubi ex uno oppido in aliud ut mulieri cuidam obstetricaretur vocata esset, officio suo completo, dum ad propria redire volebat, ubi portam oppidi exivit, casu brachium pueri recenter nati ex linteo, quo præcincta erat, cui & involutum brachium fuerat, ad terram cecidit, quo viso ab his, qui intra portam sedebant, dum illa præteriisset, levatam è terra, ut putabant, peciam carnis cautiùs intuebantur, & cùm non peciam carnis, sed brachium pueri per articulos membrorum agnovissent, consilio cum Præsidentibus habito, & invento,

quòd

quòd infans ante baptiſmum deceſſerat, brachioque careret, Malefica capitur, quæſtionibus exponitur, & crimen detegitur, ſicque ut prædictum eſt, absque ejus numero, ſe infantes interemiſſe cognovit. Ita Sprengerus *Mall. Maleficar. Tom. 1. Part. 2. Quæſt. 1. cap. 13. p. 344.* Et *pag. ſeq.* ſcribit, ubi infantes non interimunt, tamen illos Dæmonibus execrandâ malitiâ per hunc modum offerunt. Nato enim infante obſtetrix, ubi puerpera Malefica per ſe non exiſtit, tum quaſi quid operis pro infantis refocillatione actura, ipſum extra cameram deportat, & ſurſum elevans principi Dæmoniorum, ſcilicet Lucifero & omnibus Dæmonibus immolat, & hoc in loco coquinæ ſuper ignem; cujus hiſtoriam ibidem tradit.

CAPUT VI.

Numerus Sagarum Magorum numerum ſuperat. Cauſa generalis eſt ſexûs illius fragilitas: ſpecialis, curioſitas & credulitas, vindictæ cupiditas, libido, egeſtas. Fœminæ in augendo complicum numero viris ſunt potentiores. Sagæ ſunt allectatrices, & ſuperſtitioſa ac abſurda varia ad Dæmonis mandatum ad alios propagant, quorum formulæ quædam proponuntur.

§. 1. VAria Magorum & faſcinatorum ſubjecta è ſexu maſculino produximus, quem tamen fœmininus longô numerô omni ſeculô ſuperavit, ut in Proverbium apud Hebræos abierit: *Quò plus mulierum, eò plus ſagarum, Libro Pirke aboth*, notante Freudio *Quæſt. 18.* Plinius jam olim *lib. 25. Nat. Hiſt. cap. 25.* mulierum ſcientiam in veneficiô prævalere ſcripſit. Hinc in lege *Exod. 20. v. 18.* de veneficis puniendis vocem Hebræam in fœminino notanter poſitam eſſe, quam vulgatus malè in maſculino reddidit, advertit Dn. D. Mœbius *Tract. de Oraculis cap. 2. pag. 35.* Remigius Dæmonol. *lib. 1. caput 15.* ita inſcribit: *Frequentes ex omni genere homines ad nocturnos Dæmonum coitus convenire, ſed majori ex parte fœminas.* Itaque & inter illos octingentos ejus criminis, quos in Lotharingia inter annos ſedecim, à quibus rerum capitalium judicia exercuit, manifeſtò compertos ibi ſcribit, fœminas viros longo numero ſuperaſſe colligimus. Codronchus *de Morb. Venef. lib. 3. cap. 3. ex quinquaginta veneficam artem exercentibus vix unum maſculum reperiri ait.*

§. 2. *Causa* autem, *cur plures sint fœminæ magæ, quàm Viri magi*, vel generalis est & communis, vel particularis. *Generalis* est sexûs hujus fragilitas & mollities, à qua mulier etiam, quasi mollier, nomen trahit. Vas infirmius mulier *1. Petr. 3. v. 7.* vocatur. Impotens naturâ & indomitum animal Livio *lib. 34. cap. 2.* Eleganter Chrysostomus *Part. 2. Homil. in Matth. 23. Sexus*, inquit, *mulierum incautus & mollis est; incautus, quia non omnia, quæ videt aut audit, cum sapientia & ratione considerat; mollis autem, quia facilè flectitur, vel de malo ad bonum, vel de bono ad malum.* Quintilianus *Declam. 2.* ait: *Sunt & fœminis ad scelera vires, cum habent causas virorum. Quinimò si interroges, faciliùs hæc pectora metus, odium, ira corrumpunt, & quoniam non habent roboris tantum, unde vitia mentium vincant, plerumque facinus infirmitate fecerunt.*

§. 3. *Particularis* causa est curiositas & credulitas, vindictæ cupiditas, libido & paupertas. Pro subjectorum diversitate, quam, ut & cogitationes, si non intuitivè & à priori, tamen à posteriori, ex gestibus & operibus versutus hostis cognoscit, laqueos & retia variat, eò quidem lubentiùs, quo proniores in vitia mulieres invenit. *Curiositati* omne novum & admirandum in pretio est, ejusque appetitus cùm sit caninus, sæpe ad inordinata, hoc est, superstitiosa ruit, quorum noxa supinitate occultatur, ita ut pravarum opinionum cruditates pro Dæmonis balneo demum accumulentur, quæ in lethalem animi morbum, accedente causâ externâ, magico consortio, facilè erumpit, ut in mulierculas rerum admirandarum curiosas illud Plutarchi *de Audit.* quadret: οἱ θαυμαστικοὶ καὶ ἄκακοι μᾶλλον βλάπτονται. *Ad admirationem propensi atque simplices faciliùs damno afficiuntur.* Non tamen damno afficerentur, si curiositas in investigationis via credulitatem non haberet comitem ad superstitiosa & mala etiam frequentem, cujus suasu & impulsu filiæ, matris primæ Evæ exemplum secutæ, blandienti Satanæ ejusque ministris ex cordis levitate vacivas præbent aures: in quibus si resonaret semper illud Ignatii *Epistol. 10. ad Heron.* credulitati poneretur meta. Μὴ πᾶσι πίστευε, μὴ πᾶσι θάῤῥει, μηδὲ ἄν τις ὑποκορίζηταί σε. Πολλοὶ γὰρ ὑπηρέται τοῦ σατανᾶ. Καὶ ὁ ταχὺ ἐμπιστεύων, κοῦφος τῇ καρδίᾳ. *Ne omnibus credas, ne omnibus confidas, neque si quis blandiatur tibi. Multi enim sunt ministri Satanæ. Et qui citò credit, levis est corde.*

§. 4. *Vin-*

§. 4. *Vindictæ cupiditas*, aculeus corrupti affectus & impatientis animi stimulus, fœminas sæpe adigit, ut cùm nec per se, nec alterius ope licitâ ulcisci inimicum queant, auxilium infernalis potestatis per se, vel per ejus organa implorent, & sic cum his familiaritatem, quæ viam ad Magicum sodalitium sternit, contrahendo, Domino mundi, qui Satan est, demum familiares fiant. Exemplum hujus horrendum recitat Lercheimerus im Bedencken von Zauberey *cap. 19. p. m. 235.* & ex eo Freudius *Quæst. 17. p. 27. de ancillâ quadam, quæ vindictæ cupiditate flagrans, cùm ulciscendi occasionem non inveniret, in hæc horrenda erupit verba: Si Deus ad vindictam juvare renuit, juvet Diabolus. Huic extemplo præsenti, suumq; in vindicando auxilium promittenti, suum & ista obsequium mox promittit.*

§. 5. *Libidinem* furiis agitatam ignominiæ metu temperare quidem nonnullæ student, sed cùm totam reprimere nesciant, faces occultissimo Magiæ crimine extinguere conantur, æternam animæ infamiam minus attendentes. Pronæ sunt ad hoc maleficæ à suo Magistro satis ad hoc, ut lenociniis & congressibus flagrantia corda ad dæmonum commercia invitent, instructæ: ipsi verò Dæmones sub ementitiâ venustissimorum juvenum formâ præsentes nihil non, quod gratiam & intimam conjunctionem promereri queat, faciunt, donec corpore ad commistionem, toto verò homine ad pactum potiantur. Sic Proverbii veritas confirmatur: Junge Huren/ alte Hexen.

§. 6. *Deforme malum & sceleri proclivis egestas*, ut loquitur Petr. Arbiter, auri sacram famem ad insaniam usque sæpe numero parit, quam absurdis, h. e. Satanicis mediis sedari posse humo affixa, & à cœlo abstracta pectora sperant, aliorum exemplis erecta, qui cùm faventibus inferis divitias colligant, nec sibi eosdem factâ sponsione defuturos censent: qui tamen grandibus promissionibus lactati sæpe se à patre mendaciorum decipi, & aureos, quos mente conceperant, montes in lutum vanitatis resolvi cum æterno animæ damno percipiunt. Tantum de particularibus caussis. Generali superaddimus id, quod Peucerus de θεομαντείᾳ in suo *de Divinat. Gener. Comm. p. m. 133. b.* nervosè tradit. *Sexus iste*, inquit, *imbecillior est naturâ simpliciorq;, & minus vel cavere insidias, vel intelligere astuta consilia, vel reniti impulsui, vel commissa celare po-*

 test,

test, quodq; ad permovendos ac persuadendos alios accommodatiora pluraq; adjumenta habet.

§. 7. Alii causam, cur veneficiis fœminæ frequentiùs, quàm Viri, operam navent, notante Balduino *lib. 3. Cas. Conscient. cap. 5. pag. 714.* referunt ad providentiam Dei, qui, sicuti facultatem Satanæ concedit plerumque in creaturas indigniores, ut serpentes, muscas & similes: ita & pestilentissimam artem magicam à sequiore sexu exerceri permittit. Verùm præterquam quòd ita per decretum Dei æternum huic malo sexum fœmininum esse destinatum, non sine impietatis nota dicatur, ista fœminarum cum abjectioribus animalibus comparatio inclementior est, quàm ut à pio adstrui debeat.

§. 8. Fœminæ quantò in refrænandis affectibus sunt impotentiores, tantò in inferendis malis & ad placitum Principis mundi in augendo complicum numero potentiores sunt & pertinaciores, ut in hoc palmam Viris præripiant. Has Diaboli Nymphas Allectatrices jure dixeris. Allectatrices aves vocat Aristoteles eas, quæ aluntur, ut alias alliciant, & ad congeneres capiendas Aucupes adjuvent. Sagæ sagaces sunt allectatrices, quæ in Satanico regno sustentantur, ut alias per superstitiosas voces alliciant, & ad congeneres capiendos Aucupes infernales adjuvent. Atque ad horum mandatum abjectissimam hanc hominum fecem non tantum benedictiones aniles, quarum formulas supra dedimus, sed & sequentia promulgasse omninò mihi persuadeo, v. g. Mulierculæ in Thuringia, ut habet Melander *Tom. 2. Loc. Ser. 130.* linum serentes, pro feliciori ejus proventu, voce, quantâ possunt maximâ, novies sequentia religiosè recitant:

Jch säe itzunder meinen Lein
In das gedüngte Land hinein:
Und wünsch/ daß er nicht ehe blüh/
Bis daß er mir reicht an die Knie;
Krieg auch nicht ein'n einigen Knott
Bis er mir geht bis
Also nun wachs/
Mein lieber Flachs.
So wirst du gut und lang/
Verdienst um mich gar grossen Danck u.

Sic

Sic Satyrus Stygius pro feliciori lasciviæ proventu petulantiæ semina in animos superstitiosos immittit, & ut plus verbis, quàm Dei benedictioni tribuatur, curat.

§. 9. Nonnullæ, quia cum pulicibus præliari sæpe coguntur, ut præliorum finem inveniant, seminatorem quærunt, eoque viso in hæc erumpunt:

Da seh ich meinen ersten Säemann/
Ich häng ihm meine Läus und Flöh an 2c.

Et sanè narravit quidam agricola, seminatores quosdam à pediculis & pulicibus magnâ copiâ per imprecationem illatis immane quantum infestari. Ita humani generis hostis dilectionem proximi, aureamque Salvatoris regulam; *Quod tibi vis fieri &c.* in animis superstitiosorum obliterat.

§. 10. Gravedine laborantes quædam supremam ædium contignationem conscendunt, & prætereuntem anum ibi expectant: qua visâ, nares digitis emungunt, & muci projectione, quasi malum in eam dejiciunt, dicentes: **Ich hab den Schnuppen und den Schnaupen / fahr der alten Huren in die Hauben / 2c.** Ita senectutem, quam venerari jubet altissimus dierum, veterator ille contemtui & ludibrio habere superstitioso isto medio docet.

SECTIO III.

CAUSAM SINE QUA NON ET IMPULSIVAM FASCINATIONIS MAGICÆ TRADIT.

CAPUT I.

Causa sine qua non Fascinationis Magicæ est Dei permissio. Ad actionem magicam Deus concurrit mediatè & immediatè. Concurrit etiam permittendo. Ex non impeditione nulla in Deum recidit culpa. Deus non semper permittit. Permissio Dei non nuda est, sed cum praxi & operatione aliqua conjuncta. Fascino etiam limites Deus ponit; probatur exemplo Jobi. Actuositatem

tem permissionis divinæ probat ejus in certum finem directio. Actionibus suis limites à Deo poni, Dæmon ipse quandoq; fatetur. Exemplum horrendum. Permissionis divinæ limites jam sunt contractiores jam ampliores. Cur Deus Magis Pharaonis prodigia exercere permiserit.

§. 1 CAusa sine qua non Fascinationis Magicæ est *Dei permissio.* Dæmonis conatus omnes imbelles sunt & imbecilles, ut sine Dei permissu nihil operari vel efficere, neque ultra limites sibi à Deo præscriptos in re concessa vel latum unguem progredi queat. Jobo ne pilum quidem lædere potuit, nisi impetrata prius à Deo potentia. Nimirum Deus permittit, Diabolus efficit, Magus consentit & cooperatur. Ad actionem Magicam Deus concurrit; siquidem *non solum in Deo sumus ac vivimus, sed etiam operamur ac movemur, Act. 17. vers. 28. Concurrit* non tantum *mediatè*, per causas secundas, quibus talem in primâ creatione indidit virtutem, per quam operari queunt, sed etiam *immediatè*, dum proximè in actionem causæ secundæ, & cum actione in effectum efficaciter influit. Concurrit ad magicam actionem *in se* quatenus hæc actio seu ens est, non autem quatenus moraliter mala seu magica est, Magum ad sic agendum impellendo, sed Magus ipse, ut homo, liberè se determinat ad hanc potius, quàm ad aliam speciem producendam.

§. 2. Versatur etiam Deus circa actiones magicas *permittendo*, seu eas à Magis & Sagis fieri permittit, quia per omnipotentiam suam homines peccatores ab actione vitiosa non retrahit, quæ ipsa non-retractio seu non-impeditio est permissio; ac quædam divinæ voluntatis & potentiæ remissio. *Permittit Deus* (verba sunt D. Gerhardi *Tom. 2. LL. Theol. de Provident. §. 90.*) *malas sagarum & veneficarum actiones, eas non impediendo, quamvis enim illas nequaqnam vult, tamen illas quoq; non impedit, quæ non-impeditio est ipsa permissio. Et quamvis permittat volens & non invitus, tendunt tamen ejus permissio & voluntas ad diversa objecta: nam permissio refertur ad ipsum peccatum, voluntas verò ad finem ultimum, quem pro suâ sapientiâ ex illo novit educere.*

§. 3. Nulla verò in Deum ex ea non-impeditione recidit culpa, quippe qui agit secundum naturæ ordinem, quem ab æterno instituit, & juxta

& juxta leges suæ providentiæ servat. Naturæ ordo divinæ providentiæ congruus est, ut v. g. pedibus ad ambulandum, brachiis & manibus ad amplectendum & apprehendendum homo utatur, qui usus in se legitimus & à Deo est; abusus verò seu vitiositas actioni naturali adhærens, à Satana & propria naturæ malitiâ. Neque tamen ordini naturæ sic Deus alligatus est, ut, quando velit, contra illum agere nequeat. Sagæ ipsæ sæpe sunt confessæ, se suo in fascinando fine frustratas, & per piorum preces impeditas fuisse, id quod specialem Dei ad impediendum fascinum concursum arguit.

§. 4. Quamvis verò Fascinum Magicum Deus permittat, permissio tamen ea nuda non est, sed cùm providentiæ divinæ pars sit, non potest non & ipsa cum praxi & operatione aliqua conjuncta esse. Quo de in genere merentur legi verba D. Balduini *in Epist. ad Rom. c. 9. Quæst. 7. Non intelligimus*, inquit, *permissionem nudam, quæ Deum faciat otiosum scelerum spectatorem, sed ut sæpe declaratum est, talem permissionem, quæ scelera ipsa detestatur, prohibet, impedit, & furenter ruentes ad suam ipsorum perniciem ab interitu revocat, & tandem redire nolentibus limites proponit, ultra quos non grassentur, deniq; etiam salutares fines constituit.*

§. 5. Quapropter etiam circa actiones fascinatorum peccaminosas permisio Dei actuositatem exerit, modum nimirum permissioni suæ & fascino permisso limites ponendo, ne pro arbitrio societatis Magicæ actiones vitiosæ in infinitum abeant. Hiobum quidem Satanas ex permissione Dei filiis, servis & pecoribus privavit; ast ipsum sancti viri corpus attingere non licuit. Sed ubi etiam circa corpus, ut illud fascinaret, potestatem à Deo impetravit, hæc ipsa tamen ad corpus solum, non ad vitam fuit restricta, ultra quem terminum, quamvis voluerit, non debuit. *Tentandi voluntatem habet Diabolus* (quemadmodum & magi fascinandi) *sed nec ut faciat, & quomodo faciat in potestate ejus est*, ait Augustinus *lib. 11. de Gen. ad Liter. c. 27.*

§. 6. Actuositatem permissionis divinæ insuper directio fascinationis in certum finem, quem Deus sibi proposuit, probat. Finis is est, ut fascinum magicum impiis in pœnam, piis autem in salutem cedat. *Aut ad pœnam malorum*, ut loquitur Augustinus, *aut ad laudem bonorum. Tam bonus enim est Deus, ut nullo modo permitteret malum, nisi*

inde eliceret bonum. Plura causas permissionis divinæ concernentia dabimus inferius. Neminem verò ad negandum fascinum permissorum absurditas impellat: siquidem multa fiunt permittente Deo, etiam quæ absurda, imò impia nobis videntur. Quid absurdius excogitari poterat, quàm Filium Dei abducendum à Satana, atque à Judæis cruci affigendum esse, quod tamen contigisse sacræ literæ commemorant, dicimus cum Voegtio *Deliciar. Physicar. c. 7. p. 253.*

§. 7. Ex dictis autem colligere est, permissionis limites jam ampliores jam contractiores esse. Actionibus suis limites à Deo poni, Dæmon ipse quandoque fassus est, ut supra *Libr. 8. Part. 2. Sect. 2. cap. 10.* ostendimus. Propriæ suæ confessionis exemplum aliud hoc loco dabimus. Hoc Delrius *libr. 3. D. M. Part. 1. Quæst. 7. p. m. 73.* tradit, idque horrendum suâ ætate, recenti ferè memoriâ, multis notissimum fuisse scribit; Loci nomen tacet, sic autem recitat: In Flandriæ comimitatu prioratus est. Tres ibi nominetenùs *Monachi* degebant, re ganeones & concubinarii. Sua cuique erat, nec pudor ullus aderat, simul helluari & libidinari. Quadam die in seram noctem compotatione protracta, unus, qui minus scelerosus; sat (ait) Baccho Ventrique datum: Deo gratias saltem. Ego verò, subinfert alius procacior, Cacodæmoni gratias ago, & agendas censeo, cui operamur: & cum risu mensa relicta, ruitur in cubilia: singuli cum scorto: vix decubuerant, ecce tibi in triclinium vi januâ reseratâ Dæmon magni, atri, & trucis viri specie, habitu venatorio, & cum eo coci duo parvuli, obambulat, & lectos circumspicit torvô vultu: deinde horrenda voce: Ubi, qui mihi gratias egit? adsum, referam. Lectô abstrahit pavitantem, & fermè præ metu animam efflantem, traditum cocis jubet infigi veru, & luculento igne probè assari, parent promptè, assatur infelix, emoritur planissimè, cæteri ferè præ formidine; assi corporis nidore cubiculum impletur. Demum venator ad superstites sub stragulis trepidantes vix vivos, digni vos etiam (ait) pari supplicio, nec deest voluntas mihi. Vetor vi majore. Invitus abeo & moneo: resipiscite, aut manent terribiliora. Disparent larvæ: nec tamen his aliis animus rediit vel vox, nisi clarâ jam luce. Ubi surrexére, collegam inveniunt mortuum, & (ne visum inane putes) plenè assum. Haud scio an ab aliquot seculis quidquam ad exemplum utilius acciderit: scio locum & ordinem, sed utrumque silentio involvo.

involvo. *Hactenus Delrius.* Quò longiùs verò homo à tramite pietatis recedit, eò longiùs à gratia Dei recedit. Recessus à Dei gratiâ parit accessum ad Satanæ ludibria. Qui die dominicâ opus Dei negligenter, res verò humanas potenter faciunt, permissionis divinæ laxitatem Dæmoni, sagarum spontaneâ confessione, procurant. Qui Spiritus Sancti præsentiam contemnunt, & spiritus familiaris seu Dæmonis assistentiam quærunt, Dæmonem inveniunt facilem, adeò ut se in musca, formica, vel gryllo, quem subit, sistat. Qui extra vocationis & officii limites temerario gradu vagantur, Dæmonis crudelitatem, Deique permittentis inclementiam facilè sentiunt, ut ex hoc uno patet: *Cùm Bohemiæ regnum tumultu, ac cædibus propter enatas hæreses concuteretur, temporeq́ue nocturno versus vallem quandam clamores sæpius audirentur, viriq́ue equestres coloribus variis induti subinde viserentur; fuerunt tunc duo armigeri, audaces satis in castro non multùm distanti à loco monstrorum; qui omninò scire volentes, quid veritatis sibi visa portenderent, nocte quadam versus vallem, ubi solita videri conspexerant, iter arripiunt. Antequam autem iis appropinquare auderent, compunctus unus dixit alteri: Sufficiat nobis ista vidisse, ego iis non approximabo: dictum est veterum, cum talibus nullum debere jocari. Quem alter velut pavidum increpans, equum pupugit, & cum eo congressu omnibus antè dictis exercitibus appropinquavit: de quibus unus egrediens caput illi amputavit, & ad suos rediit: quo viso ille, qui timidus substiterat, fugam iniit, & funesta nova nunciavit. In crastino autem truncatus reperitur, & caput quidem in valle, ubi acies visæ fuerant, nullius autem hominis vel equi vestigium repertum est; sed tantummodo in lucosis locis signa quædam & vestigia avium visa sunt.* Hæc Majolus *Tom. 2. Dier. Canic. Colloq. 3. pag. 175.*

§. 8. Cur autem Deus permisit Magis istis, qui coram Pharaone Mosi contradixerunt, prodigiorum exercitium, quod tamen & divinam virtutem per Mosen efficacem obscurare videbatur, & Pharaonis animum magis in perfidiâ ac inobedientiâ obfirmatum obstinatumq́ue reddebat? Pererius *in fine lib. 1. de Mag. pag. 157.* quæstionis hujus resolutionem ex Chrysostomo & Theodoreto petit, quorum judicio & nos cum Pererio acquiescimus. Chrysostomus *Homil. 46. in Acta Apostol.* ita respondet: *Permisit Deus Magis aliquot adversus Mosen, ne Magus*

putaretur esse Moses: Permisit illis docere omnes, quantum Magia imponat sensibus: ultra autem non deceperunt, sed ipsi se victos confessi sunt: & non potest, inquit, *sine certamine clara esse victoria, & quò potentior est hostis, eò illustriorem reddit ejus gloriam, à quo se victum esse ipse confitetur: sicut Magi victos se à Mose confessi clariorem ejus gloriam effecerunt.* Theodoretus *in Quæstion. suis in Exod. Quæst. 18.* Ne quis, *inquit*, suspicaretur Mosen arte Magicâ mira illa fecisse, permisit Deus Magos similia aliqua facere, ut quantum inter divinam virtutem & magicas operationes interesset, tum evidentia rerum, tum etiam Magorum confessione, clarissimè innotesceret. Mutat Aaron virgam in serpentem, mutant etiam Magi virgas suas in serpentes: sed serpens Aaron prævalens Magorum serpentes devoravit. Mutant Magi aquam in sanguinem: sed non rursus possunt sanguinem mutare in aquam, sicut fecit Moses: producunt ranas, sed eas auferre, sicut Moses non possunt: & qui majora animalia fecerunt, minora, id est, ciniphes facere non potuerunt. Denique nec ulcera ipsi cavere, nec ulcerum dolorem, quo vehementer affligebantur, mitigare, nedum auferre potuerunt. Quamobrem Mosen longè superiorem, quàm ipsi essent, & divinam virtutem, quæ operabatur, artibus suis magicis, præstantiorem confessi, dixerunt. *Digitus Dei est hic.*

CAPUT II.

Causa impulsiva Fascinationis Magicæ datur ex parte & Dæmonis, odium nimirum ac invidia; & Magorum sagarumque, estque vindictæ cupiditas, infernalis Ducis mandatum & voluntas, famæ & existimationis dignitas, egestas & tenacitas, voluptas, metus.

§. 1. CAusa *impulsiva* datur & ex parte Dæmonis, & ex parte Magorum. Ex parte *Dæmonis* est partim ἄσπονδον & flagrantissimum in Deum Deique imaginem, quæ Homo est, *odium* quod ex ignominiosa sui è cœlesti sede exclusione concepit, cumque in Creatorem ipsum odii malitiæque suæ virus evomere nequeat, in ejus contumeliam creaturas, harumque nobilissimam, Hominem scilicet, deformare semper laborat: partim alienæ infelicitatis *invidia*, quæ eum impulit, ut mox

primam

primam parentem Evam adoriretur, eamque astu quam blandissimo & pollicitationibus in spem majorum ornamentorum erectam, ad execrandam à Creatore suo defectionem pelliceret, & sic humanum genus totum æterni exitii socium redderet. Hoc verò rursus per mulieris semen in gratiam recepto ferociùs eidem insidiari, vitiorum facibus mortalium pectora inflammare, & per varia machinationum genera ad defectionem denuò trahere conatus est, & adhuc conatur, ac corpus & animam hominum ad pietatis exercitium segniorum, subministratâ per securitatem occasione fascinat, ut anima fascinata excellentissimis dotibus per Christi meritum recuperatis excidat: cujus autem corpus fascino conficitur, is vel per impatientiam ad desperationem adigatur, vel per auxilii magici implorationem ad damnationis sedem disponatur.

§. 2. Ex parte *Magorum* & *Sagarum* est 1. *vindictæ cupiditas*, ut illatas sibi ab aliis injurias injuriis & majori damno ulciscantur, utpote quibus est vindicta bonum vitâ jucundius ipsa. 2. *Infernalis Ducis mandatum & voluntas*, quam in conventiculis his verbis intimat: Ulciscimini vos, alioquin moriemini: sæpe etiam nocendi pensum suis Dæmon indicit, & si proximo nocere nequeunt, sibi ipsis dammum quoddam inferre coguntur, solten sie auch nur einen Topff zerbrechen. 3. *Famæ & existimationis dignitas*, ut Deituriens ille Simon Magus per varias præstigias, quibus spectantium oculos ad se rapuit, Diis associari voluit. 4. *Egestas & tenacitas* Sagas ad illicitas compellit artes, ut Dæmonis ope vaccas proximi fascinent, & ex uberibus illarum lac furentur. 5. *Voluptas magna*, quam ex præstigiarum varietate & raritate animus hominis capit. 6. *Metus gravitas*, cum v. g. insequentis hostis furorem reprimere nesciunt, Magi apparentem militum exercitum præstigiatorio modo sistunt, quo viso hostis perterritus fugam arripit.

PARS IV.

De

OBJECTO FASCINATIONIS MAGICÆ,

SECTIO I.

De

PRIMARIO EJUS OBJECTO.

CAPUT I.

Objectum Fascinationis variat: Quod Agrippa ligationis nomine per exempla indicat. Objectum primarium homo est, quem Dæmon per se etiam, Magus autem non sine Dæmonis concursu fascinare potest. Dæmonis Christo in alto monte omnia regna ostendentis actio fascinatoria quidem fuit, Christum autem non fascinavit. Spiritus non fascinatur, ipse sponte captivatus possessores suos captivat. Perditionis & infelicis possessionis exempla. Spiritus hominem fascinat. Hominis præ Spiritu excellentia. De potestate Dæmonis potissimum circa hominem agitur. Magi consensum ad omnem fascinationem Dæmon non requirit. Fascinat Dæmon totum & partes, Animam scilicet & corpus. Anima ratione essentiæ non fascinatur, sed ratione facultatis propriæ & officii, ut est forma hominis informans. Obsessio spiritualis quid? Corpus fascinatur vel totaliter vel partialiter. Transformationem à Dæmone non fieri posse probatur.

§. 1. HActenus causam efficientem tum principalem tum instrumentalem, item causam sine qua non & impulsivam tractavimus. Jam objectum, seu id, quod fascinantis actioni substernitur, & subjectum patiens vocatur, spectabimus. Hoc autem non unum est, sed varium & multiplex. Corn. Agrippa *lib. 1. Occult. Philos. cap. 41.* ubi Ligationis nomine pro Fascinationis voce utitur, ligaturarum, seu eorum, quæ

quæ ligantur, catalogum quendam exhibet. *Restat*, inquit, *nunc videre rem magnæ mirabilitatis, & ipsa est ligatio hominum in amorem vel odium, in ægritudines & sanitates, ac ejuscemodi: Item ligatio furum, & latronum, ut in aliquo loco furari non possint: ligatio mercatorum, ut in aliquo loco emere, vel vendere nequeant: ligatio exercitus, ut metam aliquam transire non possit; ligatio navium, ut nullâ vi ventorum, etiam infinitis velis per ventum tensis portu egredi minimè valeant: item ligatio molendini, ut nullo impetu volvi possit: ligatio agri, ut fruges in eo produci nequeant: ligatio loci alicujus, ut in eo nihil ædificari possit: ligatio ignis, ut in aliquo accendi non possit, & quod aliquod combustile apposito fortissimo igne non ardeat: item ligatio fulgurum & tempestatum, ut nocere non possint: item ligatio canum, ut latrare nequeant. Ligatio avium & ferarum, ut volare vel fugere nequeant, & horum similia vix credibilia, quæ tamen experientia sæpius cognita sunt.*

§. 2. Nos melioris distinctionis gratia *objectum* in *primarium* & *secundarium* distinguimus. *Illud* Homo est: *hoc* res homini inservientes. Hominem quidem per se, non consentiente Mago ullo, Dæmon impetrata à Deo venia fascinare potest: Magus autem sine efficaci Dæmonis concursu ad fascinandum est impotens.

§. 3. CHRISTUM θεάνθρωπον Dæmon fascinare voluit, quando ei in altô monte constituto omnia mundi regna ἐν στιγμῇ χρόνου *in momentô temporis*, ostendit, *Matth. 4. v. 8.* Jam cum nullius montis altitudo esse possit, ex quo omnia totius mundi regna conspici, & illorum gloria commonstrari queant, fascinum intercessisse affirmandum. Intercessisse Chrysostomus quidem negat, qui annotante B. Chemnitio *Harmon. Evangel. libr. 2. pag. 47.* hanc monstrationem ita interpretatur, quòd Diabolus quasi intendens digitum tantum monstraverit, in qua parte orbis sita tunc fuerint potissima regna mundi, & quod verbis narrando exposuerit, quæ esset cujusque regni potentia, divitiæ & magnificentia: idque confirmat partim ex eo, quod Syrus habeat verbum חוי, quod significat *nunciare, indicare, declarare, demonstrare.* Sed ex Luca responder Chemnitius, quod expresè dicat monstrationem factam esse in momentô temporis. Quomodocunque autem monstratio fuerit facta, sive omnium regnorum imagines in aere à se condensatô per varias fulgoris Solis refractiones instar pictoris quasi

pinxe-

pinxerit & repræsentarit, uti volunt ex commentatoribus Theophylactus, Jansenius, A Lapide, referente Voetio *Tom. 1. p. 962.* quæ sententia etiam arridet B. Chemnitio, Voetio & aliis: sive in phantasiam Christi egerit, & ibi per phantasticam visionem (h. e. illusionem) non verò sensibilem externam repræsentarit Christo omnia regna, quæ quorundam est sententia, actio quidem ista fascinatoria fuit, Christus tamen, si rem exactè æstimare velimus, non fuit fascinatus, quia Satanæ fraudem in inferendis præstigiis ipse Deus omniscius & præscivit & cognovit. Qui autem præstigias advertit, & ab aliis discernere novit, fascinatus dici nequit, actio tamen fascinatoria ratione modi, & finis intenti salutari potest. **Der Teuffel hat zwar ein Blendwerck vor den Augen gemacht / aber darum Christum nicht verblendet.**

§. 4. *Spiritus* se fascinare, adjurationibus cogere, vitris annulisque includere, & ad servitia promtos reddere posse, vana quidem quorundam, sed temerariorum & Magorum, qui tales in conspectu publico audire renuunt, est persuasio. Ast cùm nulla verborum omnium sit potestas physica, nullum etiam corpus, nedum spiritus, verbis lædi, fascinari aut cogi, à Magis etiam famosissimis, possunt. Spiritus ipsi cum maleferiatorum hominum mentem fascinarunt, & ad istam persuasionem seduxerunt, verbis & ceremoniarum rituumque ineptiis se cogi fingunt, sponte obtemperant, ut plures irretiant, & irretitos teneant. *Licet Magi putent, se Crystallis & Beryllis includere Dæmones posse, tamen simulatam inclusionem, non veram, repræsentationemque per phantasma, & non per Systasin corpoream esse, indicat natura corporum in uno loco proprio simul non existentium: item historia ejus, qui cùm annulum, cui inclusus spiritus erat, in ignem conjecisset: Diabolus ex hoc in ipsum intravit. Quæ verò inclusiones in sacris leguntur, ea spirituales sunt, non corporea aut mundana.* Ita D. Libavius *Disp. de corpore Angelor.* §. *53. Ita fit* (ait Delrio) *ut & maleficus Dæmoni confidat, cui se putat imperare, & Dæmon simulet se imperium agnoscere, cum tamen odit eos acerbissimè, & facit potius, ut arctiùs irretiat, devinciat, & perdat certiùs celeriusque.* Perditionis certæ exemplum tradit Heidfeld. *in Sphing. cap. 44. Doctor quidam Medicinæ magna felicitate morbos curans, cùm aliquid ipsum ignorare puderet, confugit ad Diabolum, quem in vitrum inclusum de rebus dubiis consulebat, qua impietate magnas opes corrasit,*

ita

ita, ut hæredes supra 26000. flor. ipso mortuo consequerentur. Voluit ante agonem pœnitentiam agere; at instar Ajacis furere cœpit, & semper istum suum consiliarium vocavit, horribilesq́ blasphemias protulit, atq; ita hinc excessit. Possessionis infelicis historiam subministrat etiam Bodinus *lib. 2. cap. 3. Nobilis in annulo, quem ab Hispano percarè emerat, familiarem habebat Dæmonem, cui ex sententia animi volebat imperare, & velut mancipium subjicere: cumque mendacia plerumque effaretur Dæmon, annulum in ignem injecit homo, tanquam si eodem injici potuisset Dæmon & annulo hærere teneretur: sed ex eo tempore furiosum hominem effectum diabolus exagitat.*

§. 5. Non homo spiritum, sed spiritus hominem fascinare potest, quia homo inferioris est ordinis, & ratione naturalium spectatus, spiritu impotentior. Hanc tamen ignobilitatem egregiè gratia Dei per adoptationem in filios Dei merito Christi factam compensat, ut jam major sit hominis regeniti, quàm Spiritus degeneris, excellentia. Sit in spiritu major essentiæ nobilitas, eam tamen superat dotium gratiæ in homine dignitas. Naturalia tamen sua in homine pro libitu exercere, eumq́ue fascinare, sine Dei permissione, non potest.

§. 6. Quia verò totum, quod in actibus Magicis prodigiosè efficitur, Dæmonibus principaliter, Magis verò instrumentaliter adscribendum venit, ideò de potestate potissimum Dæmonis ad operandum circa homines agemus, ex quibus, quid Magi illius ope circa homines in fascinando valeant, intelligi potest. Non tamen ad omnia, quæ circa homines fascinandos operatur, Magi consensum & cooperationem requirit; nam ut anima humana ejusq́ue facultates, intellectus & voluntas fascinentur, per se satis potens est. Sufficit ipsi strenua eorum ad corpus humanum & ea, quæ homini inserviunt, fascinandum opera.

§. 7. *Fascinat* autem Dæmon *hominem* vel *totum* vel ejus *partes*, Animam & Corpus. *Totum*, nimirum corpus & animam, quando & spiritualiter & corporaliter hominem obsidet. Nam & spiritualem & corporalem obsessionem, in uno subjecto concurrere posse fatentur Dn. D. Dorscheus *Disput. de Obsess. Satan. Sect. 1. Explic. §. 6.* Dn. D. Danhauer im Scheid- und Absage-Brieff *Part. 1. Quæst. 8. pag. 93.* & ex eo Freudius *Cas. Conscient. de Obsess. Satan. Quæst. 25.*

Zzz §. 8. *Par-*

§. 8. *Partes* & quidem *Animam* Hominis quod attinet, ea tripliciter consideratur; *vel* ratione essentiæ, ut est spiritus: *vel* ratione facultatis propriæ, ut est rationalis: *vel* ratione, officii, ut est forma informans. 1. Anima Hominis ratione *essentiæ*, ut est spiritus, non fascinatur, quia spiritus omnis mutationis essentialis est expers. *Vid.* §. *ult.* 2. Ratione *facultatis propriæ*, ut est rationalis non in actu primô, sed secundô, fascinatur vel *immediatè* in obsessione spirituali, vel *mediatè*, per phantasmata absurda, quia à corpore objectivè quoque dependet. Cognitio enim omnis à sensu incipit, *Vid. cap. seq.* §. 2. *& seqq.* 3. Ratione *officii*, ut est forma informans, fascinatur ita, ne debitè officiô suo in informando fungatur, & facultates communes, quæ sunt vegetare & animalitatem, seu sensum motumque largiri, exercere queat. *Obsessio spiritualis*, *ut* Dn. D. Dorscheus *loc. cit.* loquitur, *nihil aliud est*, *quàm Diaboli ad peccandum persuasio.* Ii ergo sunt spiritualiter obsessi & fascinati, qui à Satanâ reguntur, & peccatis delectantur, quorum intellectum obsidet Diabolus, ne lumen Evangelii videant, & quæ ad salutem ipsorum faciunt, intelligant 2. *Cor.* 4. *v.* 4. Obsidet eorum voluntatem, ut malis consentiant, appetitum, ut venenatas peccatorum delicias summâ cum voluptate desiderent. Scriptura de his dicit, quòd Satanas eorum cor ingrediatur, *Luc.* 22. *v.* 3. *Joh.* 13. *v.* 27. illudque impleat, *Act. Apost.* 5. *v.* 3. & νοήματα excæcet 2. *Cor.* 4. *vers.* 4. Anima, *ut est forma hominis informans*, fascinatur, cum corpus debitè informare prohibetur, id quod non contingit *ratione ubi*, ut è corpore pro fascinantis placito educatur & reducatur: talem enim vitæ & mortis anomaliam inferre, sub potentiam creaturæ & finiti agentis non cadit, *nec* ratione *proprietatum communium in actu primo consideratarum*, quia necessarius & talis istarum sic spectatarum ad suum proprium subjectum est respectus, ut nullo fascino tolli queat: sed ratione *proprietatum istarum in actu secundo*, & sic per accidens fascinatur, læsis nimirum organis, in quibus proprietates communes & potentiæ naturales exercentur, atque ad actum secundum traducuntur.

§. 9. *Corpus*, non Animam fascinat in corporali obsessione; atq; idem vel *totaliter*, cum id totum permeat & occupat: vel *partialiter*, cum artus quosdam vendicat, v. g. linguam *Marc.* 5. *v.* 12. linguam & oculos, *Matth.* 12. *v.* 22. Dæmon autem hominem, Deo ex justô judiciô

ciô id permittente, ingreditur, vel per se, vel Magis eum per imprecationes immittentibus, id quod ex historiâ, experientia, & confessionis Satanæ & veneficarum evidentiâ omni tempore innotuit. Simon Magus Dæmonibus subjicere solitus est eos, qui ipsum præstigiatorem dicerent, referente ex Anastas. Nicæn. *Quæst. 23.* Petr. Thyræo *Tom. 2. Part. 1. cap. 16. pag. 41.* B. Hieronymus refert in vitâ Hilarionis, arte Vatum Æsculapii Dæmonem in Virginem, quam Juvenis quidam perditè amabat, fuisse immissum, & miris modis illam dementasse, Thyræus ibid. *Anno Christi 1581. vixit in Urbe Annonajo regionis Vivaresia venefica quadam, qua multis hominibus dæmonia immisit*, Delrio *lib. 3. D. M. Part. 1. Quæst. 4. Sect. 7.* Dorscheus *l. c. Quæst. 12.* Danhauerus *loc. cit. pag. 122.* Schottus *Phys. Curios. libr. 4. cap. 4.* Voetius *Part. 1. Dispp. Select. pag. 1023.* Sic Dæmon ex juvene apud Fernelium *Lib. 2. de Abdit. Rer. Caus. cap. 16.* confessus est, se injectum esse à quodam, cujus nomen non efferret. Bodinus *Libr. 3. Dæmon cap. 6. pag. 362.* ait, *Amsterodami pueros triginta Anno MDLVI. dæmoniacos compertos fuisse, à quibus nullo exorcismo Dæmones potuerint expelli: id autem sortibus & maleficiis contigisse, judicatum fuisse, quòd ferramenta, vitra, fragmenta, capillos, acus, pannos & similia excreverint, qua solent ex sortilegiis homines affecti ejicere.* Vide quoque supra *Libr. 1. Part. 2. Sect. 2. cap. 13. §. 2.*

§. 10. *Totum* quoque fascinatur in Strigiportio, quia corpus humanum varia in aere sublimi loca non per vim naturalem, sed Satanæ potestatem occupat & mutat. Anima autem quia regni Satanici membrum est, fascinata est, & spiritualiter obsessa. Nam obsessio spiritualis est quædam fascinatio. Errant autem, qui totum per transformationem sic à Dæmone fascinari posse statuunt, ut non solum corpus humanum in belluinum, sed anima etiam rationalis in irrationalem, atque adeò totus homo in bestiam commutari, & ex homine verus lupus, verus asinus, aliave bestia fiat, moti non tantum exemplis quibusdam, sed & figura exteriori, operationibus, feritate, viribus & vivendi ratione. Nam 1. talis penes utramque compositi naturalis partem immutatio, quæ speciali nomine Transsubstantiatio dicitur, ad creationem secundam accedit, quæ solius creatoris est actio, cujus omnipotentiâ baculus in serpentem abiit, & hic rursus in illum: *Exod. 4.*

v. 4. aqua in vinum *Joh. 2.* Creandi autem & miracula faciendi potestatem creaturæ nulli adeoque nec Dæmoni Deus indidit. Bene Freitagius *Noct. Medic. cap. 37.* *Determinata*, inquit, *est Dæmonum potentia negatione & privatione: ob illam non possunt aliquid ex nihilo facere; ob hanc nequeunt aliquid ex aliquo facere perpetuò, cùm quidvis ex quovis facere etiam infinitatem denotet, atq; si quid ex nihilo fiat.* Unde rectè adserimus, Dæmonem non posse homines in lupos transformare. Præterea 2. immortalis est anima hominis & immaterialis, quam in mortalem & materialem, & sic in specie diversam formam transformare, nec Deus, licet possit, vult, nec Diabolus, licet velit, potest. Deus quidem potentia absoluta transformare potest, & transformavit uxorem Lothi in statuam salis: at potentiâ ordinariâ omne, quod fecit, quia bonum est, in suâ essentia servat, quam non nisi secretô consiliô & rarissimè immutat. 3. Corporis humani pars in nihilum redigeretur, & nihil in aliquid rediret, si hominem in felem, bufonem, muscam, & rursus muscam, bufonem, felem in hominem commutari dixeris, quia humani corporis moles major est, quam felis, bufonis, muscæ, quam sanè ex parte potissimâ in nihilum, & hoc iterum in aliquid tali transmutatione abire, non potest non colligi. At verò ut Dæmon nihil creare, ita & nihil potest in nihilum redigere. 4. Sequeretur, in transformatione tali fieri essentiæ immutationem. At essentiæ rerum sunt immutabiles, Scaliger *lib. 2. de Caus. Lingu. Lat.* *ubi dicit*, *essentiam rerum mutari qui dixerit, scuticâ esse dignum.* 5. Talis transformatio importat privationem formæ prioris totalem. A privatione autem totali ad habitum non fieri regressum, inter edicta Philosophiæ reperitur. Quod enim in aliam specie formam transit, mutatur & proprium suum esse amittit. Rationes verò pro transformatione Diabolicâ pugnantes nihil evincunt. Vel enim per phantasticas illusiones & somnia hæc fiunt, quæ magi revera facta esse putant: vel Dæmonis, ista omnia partim præstigiatoriis fraudibus, partim potentia propriâ complentis, subsunt commercia. Vide Deusingii *Dissert. Select. 3.*

§. 11. Johannem Bodinum virum cæteroquin exquisitè doctum, JC, & Historicum eximium, ut pro transmutatione verâ acriter pugnaret, quid moverit, indicat ipse *Dæmonol. lib. 2. cap. 7. pag. 250.* hisce: *Homines in bestias verti constat, formâ, & ratione integrâ permanente, sive potentiâ*

potentiâ Dei solâ efficiente, sive per Satanam effectorem atq; administrum voluntatis ejus. Nam si veritatem historiæ sacræ apud Danielem, si uxoris Lothi in saxum immobile versæ confitemur, certum est, æquè posse hominem in bovem, lapidem aut animantes alias transformari. Verùm 1. à Dei potentiâ ad ejusdem voluntatem malè laudatus Autor colligit. Multa sub Dei potentiam absolutam cadunt, ita ut ratio etiam fateatur, ea omnipotentis Numinis manu posse effici; non tamen, quæ potest, etiam vult efficere. 2. An Dæmoni potentiam Deus dederit, ut, si velit, mediante ea corpus hominis, servatâ animâ, in ferinum verè transformet, nondum evictum. Substantialis corporis in diversam naturam mutatio est quædam creatio, quia ex nihilo, si non negationis, tamen indispositionis aliquid fit: at talem creandi virtutem Diabolo communicatam esse negatur. 3. *Mutatio* est vel substantialis, vel accidentalis. *Substantialis* est, quâ res naturalis secundum essentiam ita mutatur, ut in aliud diversæ speciei corpus abeat. Cùm autem essentiam rei naturalis materia & forma constituat, hinc substantialis in totalem & partialem, & hæc in materialem & formalem subdividitur. *Totalis* est, quando penes utramque sui partem substantia mutatur, & vocatur Transsubstantiatio, ut quando baculus Mosis in serpentem abiit, & hic rursus in illum, *Exod. 4. v. 4. Materialis* est, quando permanente formâ mutatur subjectum; ut cum ex ovo necydali fit eruca, quæ transit in bombycem, & hæc rursus fit necydalus. *Formalis*, quando manente subjecto forma mutatur, uti Licetus statuit, animam in cadavere animalis tanquam in loco remanere cum aliquo gradu caloris, licèt ad ejusdem substantiam nihil pertineat, atque tandem in inferiorem gradum deprimi, speciem aliam constituendo; quæ tamen sententia à Sennerto rejicitur. *Accidentalis* est, quando res naturalis permanente essentiâ solùm penes qualitates variatur, & ponit alterum ac alteratum, ἀλλοῖον; uti illa aliud, ἄλλο.

§. 12. *Mutatio illa Regis Nabuchodonosoris* non fuit substantialis ex parte formæ, & per consequens neque totalis, quia Rex ipse dicit sensum sibi redditum, & hoc, non forma ipsa, hactenus se caruisse ostendit. Et si totalis fuisset mutatio, ac per veram metamorphosin in bovem Rex fuisset conversus, non idem, qui peccasset, sed bos fuisset punitus. Mutatio autem *accidentalis* in eo facta est ex parte tum animæ

cum corporis. *Ex parte animæ*, quia ejus intellectus, voluntas & imaginatio ita fuerunt vitiata, ut se verum bovem esse existimaret, ad sylvas excurreret, hominum consortium fugeret, & societatem bestiarum quæreret. Hinc ablatum ab eo fuisse cor humanum dicitur, quia usus rectæ rationis in ferinam insipientiam transiit: *Ex parte corporis*, quia bestialis fuit ejus 1. *temperies*, non tantum ventriculi, sed & aliarum partium, quia gramen concoquere, & in succum alimentalem vertere potuit. 2. *Sensus*, tum *gustus*, quia palato ejus fœnum sapuit: tum *odoratus*, quia fragrantiam graminis secutus, tum *tactus*, quia frigora & æstus, roremque cœli super se cadentem non sensit. 3. *Gressus*, quia ad similitudinem ferarum pronus & incurvatus humum spectavit, manibus pedibusque reptans. 4. *Habitus*, ob barbæ & capitis pilos capillis Leonum, ut septuaginta Interpretes vertunt, aut, ut vulgata habet, pennis aquilarum similes; ob ungues, qui in modum unguium aut aquilarum excreverunt; ob incessum, quia manibus quadrupedis instar nudus incessit. Fuit itaque mutatio ista Regis οὐ κατὰ σῶμα, sed καὶ εἶδος φαινόμενον.

§. 13. Metamorphosin, quam *Lothi uxor* perpessa est, quod concernit, ea non accidentalis sed *substantialis* fuit, & quidem *partialis*, ex parte corporis, non animæ, quia nimirum altera compositi naturalis pars, corpus scilicet humanum desiit esse, & in substantiam diversissimam, in salinam statuam facessit. Anima non fuit transmutata, quia anima utpote spiritus, immortalis & incorporea, transmutationis ejusmodi incapax est, nisi statuere velimus, Deum miraculosè animam subtractâ gratiâ suâ reddidisse mortalem. Si enim Angeli secundum Damascenum ἀθάνατοι sunt οὐ φύσει, ἀλλὰ χάριτι, id de animabus, quæ spiritus sunt incompleti, veriùs dici potest. Jam idem probandi onus incumbit iis, qui hoc uxoris Lothi exemplum urgent, & demonstrandum, Deum talem transformandi virtutem Dæmoni communicasse, ut, si velit, mediante hac in bestias homines penes alteram essentiæ partem transmutet. Nos miraculosâ solius Dei, qui mirabilia solus facit, *Psal. 72. v. 18.* manu istam in utroque exemplo mutationem factam esse concedimus; per Satanam autem administrum Deum aliquid fecisse negamus, & hodie mutationes hominum in lupos, feles &c. per eundem fieri, inficias imus. Extraordinaria Dei manus rara est; transmutatio-

nes

nes autem magicæ frequentes, præstigiatoriæ sunt, ex κακοζηλίᾳ Dæmonis ortæ, quibus manus Dei immiscenda non est.

CAPUT II.

Intellectum Hominis Dæmon fascinat. Phantasmatum falsitas unde? Dæmonem immediatè & directè in intellectum hominis agentem agere, & species intelligibiles imprimere posse probatur. Dæmon mancipia sua scientiæ, prudentiæ, artiumq; notitiâ imbuere potest, non tantum præceptorum externâ traditione, sed & luminis intelligibilis internâ præformatione. In hoc statu homo non, ut in obsessione, purè passivè se habet. Dæmon per causam naturalem scientiam non potest infundere. Dæmon substantialiter non implet animam intelligentis, sed solus Deus. Diversimode Deus & Dæmon species intelligibiles menti imprimunt. Voluntas fascinatur: Quæ intellectum movet non effectivè, sed moraliter. Pro qualitate objecti ab intellectu apprehensi qualificatur etiam voluntas. Hæc per appetitus etiam sensitivi impetum fascinatur. Risus fascinatur, item sermo. Historia fœminæ à furibus, ne loqueretur, fascinatæ. Dæmon obsessorum lingua abutitur: non hominis solum, sed & brutorum vocem exprimit. Obsessi imperiti Græcè & Latinè locuti; sed propter notitias congenitas ab humoribus suscitatas id contigisse negatur.

§. 1. CUm verò totum in suis partibus tale sit, partes autem omnes animatæ, quæ in suo conceptu quidditativo animam includunt, proinde ipsam animam, ut est forma hominis informans, secundùm suas potentias, in subjecto suo, quod ab ea animatum denominatur, spectare, & quibus homo in ea consideratione fascinationibus obnoxius reddatur, dispicere placet. *Animam* autem hominis considerabimus secundum *potentias* tum proprias, tum communes. *Propriæ* eæque primariæ sunt *Intellectus & Voluntas*: *secundariæ Sermo* & *Risus*. *Communes* sunt facultates sensitivæ & vegetativæ.

§. 2. *Intellectum* Hominis fascinat Dæmon, ut apprehendat ea, quæ non sunt, & non apprehendat ea, quæ sunt, h. e. ut verum putet, quod falsum est, & falsum, quod verum est, vel certum pro incerto, adeoq; in judiciô noeticô & dianoeticô erret. Fascinat autem tum internè, tum exter-

externè. *Internè* vel mediatè vel immediatè. *Mediatè* phantasmata hominis naturalia & præsentia per morbosam corporis dispositionem, vel *externè* per externorum sensuum illusionem turbando, decipiendo & confundendo: *immediatè* phantasmata nova eaque falsa & absurda phantasiæ suggerendo. A phantasiâ enim dependet intellectus, licet non quoad actum, saltem quoad objectum, juxta illud Philosophorum, *oportet intelligentem phantasmata speculari.* Phantasmata autem falsa fiunt, vel quia falsæ species phantasiæ offeruntur; vel quia species veræ in phantasmata falsa abeunt. *Prius* fit, quando sensus externi fascinantur & decipiuntur: hinc falsæ species sensibus internis cognoscendæ offeruntur, per quas intellectus ipse fallitur. Nihil enim est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu, & quod malè repræsentatur, malè judicatur. *Posterius* fit, quando vitiosa cerebrum laborat dispositione, propter quam species à sensibus externis receptæ, quæ materia sunt phantasmatum, depravantur: siquidem in cerebro fiunt phantasmata, juxta quæ formantur species intelligibiles. Utrumque autem Dæmon efficere potest, nimirum & sensus fallere, & cerebri dispositionem turbare: ne dicam, ipsum etiam citra organi læsionem phantasmata vera turbare & confundere, adeoque in falsa mutare posse. Per philtra non tantum appetens, sed & rationalis facultas sive intellectus fascinatur, & *blandiuscula Pellices Magnatum etiam ita dementant mentes, ut malint cum suis scortillis comedere fel, quàm cum Christo mel*, ut loquitur Bartholom. Anhorn *Magiolog. pag. 958.*

§. 3. Jam quæritur: *An immediatè etiam, & directè Dæmon agere in intellectum hominis agentem, & species intelligibiles tanquam principia intelligendi per modum objecti imprimere queat?* Scholastici plerique negant: Nos autem cum Voetio *lib. 1. Dispp. Select. p. 962.* affirmantem sententiam tenemus, rationibus ejusdem non levibus moti, ex quibus insuper intellectum fascinationi Dæmoniacæ posse subjici, non obscurè patet. *Istud autem colligi posse*, ait, *1. partim ex locis Scripturæ, quæ de solâ operatione in phantasiam & mediante illâ in intellectum exponere, nimis coactum. 2. partim ex spiritualibus tentationibus, injectionibus & suggestionibus earum propositionum, discursuum de Deo & rebus divinis, quorum minima fama aut notitia ad homines illos pios* & idiotas, qui inviti *colaphos illos Satanæ patiuntur, nunquam ante il-*

lud

lud tempus pervenit. 3. partim ex cognitione multarum rerum particularium, quæ alibi tunc geruntur, aut nuper in remotis orbis partibus gestæ sunt, quas tamen Magi aut Enthusiastæ aut Pythonici illi per naturam aut artem & industriam hominum scire non poterant, nec diabolus externè ipsis proponit, nec phantasia ipsorum ita imprimit, ut intellectus inde desumat & intelligendo discat: Est enim phantasia per se & qua talis incapax continuatæ orationis & prolixi colloquii, qualia sæpe referunt. Relinquitur ergò illa immediatè menti ipsorum imprimi & communicari. 4. Partim ex cognitione rerum philosophicarum, aut Theologicarum, aut exoticarum linguarum, quas nunquam ante tenuerunt homines, nec tam brevi tempore multiplicatis exercitiis & actibus intellectus discere potuissent, formando scilicet species intelligibiles earum. Angustum enim illud tempus non est tam longo operi proportionatum, ut nec vires humani cerebri & spirituum &c. 5. Partim ex sermone angelorum cum angelis, dæmonum cum dæmonibus, quem ex sententia communi peragunt imprimendo immediatè alterius menti speciem intelligibilem, quæ intuitivè repræsentat propriam & internam ipsius cogitationem &c. Breviter: Dæmon agit in intellectum dæmonis, angelus in intellectum angeli, uterq; in animas separatas, & hæ in se invicem, intellectualiter loquendo, & immediatè communicando & afficiendo absq; mediâ phantasiâ aut phantasmatis, in qua sola immediatè & directè agere à vulgo Scholasticorum affirmari videtur. Quidni ergò Dæmon in intellectum cum corpore conjunctum agere possit sive mediatè, sive immediatè proponendo & imprimendo species intelligibiles? Hæc Voetius.

§. 4. His ita sub conditione permissionis divinæ præsuppositis, quærenti jam: *An Dæmon, si vult & à Deo permittitur, mancipia sua scientia, prudentia, artiumq; notitiâ imbuere queat?* nos affirmativè respondemus. Non tantum Dæmon si in forma visibili appareat, & homini loquatur, voce & opere præcepta & artificia, quibus scientiæ & artes tradi aliàs solent, docere potest; (Nam Scholas quandoque clandestinas ille aperuit, & docentis munus sustinuit: eum quoque suetam Scholasticis & artificibus methodum suos discipulos docuisse, vel saltem docere potuisse, rationem, quæ contrarium suadeat, non videmus) sed & lumen, si loqui ita licet, intelligibile seu species intelligibiles tanquam principia intelligendi per modum objecti internè præformare & imme-

diatè communicare potest, quibus ita, absque omni studiô comprehensis, homo ad conceptum formalem de scibili ante ignoto promptè formandum & ad eliciendam intellectionem aptus reddatur. Ita de Juliano Cæsare scribit Ammianus Marcellinus *lib. 16. Julianus nocte dimidiâ semper exsurgens, occultè Mercurio semper supplicabat : quem mundi velociorem sensum esse, motum mentium suscitantem, Theologicæ prodidére doctrinæ. Post quæ ad procudendum ingenium vertebatur : & incredibile, quo quantoque ardore rerum principalium notitiam indagans, & quasi patula quædam ad sublimiora scandenti conquirens, per omnia philosophiæ membra prudenter disputando currebat.* Hanc mentis illuminationem & eruditionis collationem Fascinationem Diabolicam vocamus. Ut enim homines deformitate insigni laborantes si formosi sibi & circumstantibus per Satanæ præstigias apparent, fascinatos, & omnes, qui id asserunt, sic appellamus, eò quòd, sublato præstigiarum fuco iidem se pristinas turpitudinis suæ notas recuperasse fateantur, ita & homines sic à Satana illuminatos, etiamsi magnos eruditionis & prudentiæ thesauros in se recondi & sibi & aliis videantur, fascinatos, &, qui id credunt, omnes ita vocare licet, quia sublato Satanæ influxu in priori inscitiæ luto hærent. Id quod ex verbis, quæ de Socratis Dæmonio facit Marsilius Ficinus *lib. 13. Theol. Platon. cap. 2.* patet, ubi ita : *Aristides & Thucydides, aliique permulti, quamdiu Socrati propinquabant, etiam Socrate ipso tacente, in Philosophiæ studio proficiebant quamplurimùm dæmonis illius instinctu, & quantò longiùs recedebant à Socrate, tantò reddebantur ad Philosophiam ineptiores.* In hoc autem statu homo non, ut in statu obsessionis corporalis, purè passivè se habet, in quo Dæmon agens solitarium est : homo verò linguam accommodato saltem Dæmoni submittit, intellectu in totum ferias agente. Accedit & hoc, quòd Dæmon intellectum quoad functiones meliorem reddere & quæ impedimento esse queunt organo ad actus feliciùs eliciendos, humorum vitia per motum localem transferre, vapores crassiores discutere, & spiritus à terris fuliginibus depurare queat. Quò enim interna organa, sensibus internis ac phantasiæ subservientia, meliorem acquirunt temperiem & constitutionem, eo expeditior ad intelligendum fit intellectus & ad differendum accommodatior.

§. 5. Suarez *Tr. 2. de Superstit. cap. 16. n. 12.* hac de re ita differit:

rit : *Dæmon non potest scientiam infundere subito , quia hoc non potest fieri per causam naturalem. Quando ergo tale aliquid facere videtur, præstigio utitur. Ut interdum facit Dæmon , ut is, qui prorsus divinam scripturam ignorabat , repente facto aliquo signo , vel sumto aliquo cibo totam illam memoriâ tenere & intelligere videatur : Sic de Anabaptistis refertur, quod sumpto bolo illius panis , quem ipsi pro Eucharistiâ sumunt, repentè de scripturis disputent, & illas se nosse glorientur; Re tamen vera illi non consequuntur illam scientiam , sed Dæmon ipse præoccupans hominem, ejus linguam movet, ut loquatur & phantasmata ejus ita excitat , ut putet se illa scire. Quòd autem illa actio sit Dæmonis , probatur ratione sumpta ex ejus impotentia ad infundẽdos habitus vel species, & ad applicandum tam subitò omnia phantasmata, & faciendum omnes actus internos necessarios ad illam scientiam acquirendam; tum etiam experientiâ: nam si talis homo Dæmonem deserat & convertatur ad fidem, abstineatq; ab illa hæretica cœna , invenitur tam rudis, sicut antea erat , quia Dæmon etiam illum deserit, quod etiam referunt , qui illud experiri potuerunt.* Hactenus Suarezius, qui nobis contrariari , & hoc sentire videtur, non intellectui species intelligibiles imprimi, sed saltem linguam ad eas proferendum à Dæmone regi.

§. 6. Verùm contrarius nobis non est. In eos enim calamum stringit, qui à Dæmone scientiam per causam naturalem subitò infundi posse contendunt, id quod & nos ipsi impugnamus. Siquidem in nullius rei naturalis potestate est, amplissima scibilium dona simul & semel conferre. Nam scientiæ terminis, usu & arbitrio hominum receptis, traduntur & proponuntur , ad quorum comprehensionem tempus requiritur: & cùm iidem moralitatem prodant, in naturæ potestate scientiarum productionem subitaneam non esse, hoc ipso satis indicatur. Neque saltum natura ab uno extremo ad alterum, ab ignorantia crassa ad eruditionem sublimem , quodcunque etiam medium è naturæ sinu tractum adhibeatur, facere potest. Licèt autem quandoque naturalia scientiæ repentè acquirendæ gratiâ à temerariis usurpentur, ea tamen signa tantum sunt, quibus ex pacto Dæmon præsens est, & actionem complet. Neque inficias imus , Dæmonem linguâ ad proferendum ea , quæ sibi ex permissu Dei placent , quandoque abuti ; non tamen propterea negare licet, Dæmonem aliquod intellectuale lumen communicare, & τὸ

 scibile

scibile manifestare posse, sive id verum sit, sive falsum, sive verbale, sive reale, sive notionale. Hoc enim ejus potentiam transcendere, rationes, quibus id probetur, non videmus.

§. 7. Quid autem de Dæmoniacâ ista scientiâ sit sentiendum, eruditè tradit Majolus *Dier. Canic. Tom. 2. Colloq. 3 pag. 169.* sequentibus: *Suggeri illis hominibus minimè dubium est à talibus spiritibus multa de iis rebus vel artibus, quas exquisitè norunt. Multa reipsa sæpe vanissima, ad speciem veri tamen ingeniosa, sed sophistica subtilitate componi, sicut aliis artes malas & consilia perniciosa, facie prima præclara & salutaria subjiciunt. Præstigia tamen & impostura tantùm sunt, quales sunt argutiæ Averroisticæ, in Philosophia, quæ non ut dona divina excellentium artificum artes condunt & excolunt: nec in eis veritatem divinam illustrant ac stabiliunt, sed illas depravant ac labefactant: hanc dubiis implicant & obruunt. Illa quæ à Deo sunt in excellentibus ingeniis rectis, & naturis Heroicis, Diabolo ἀμίμητα, non imitabilia sunt.*

§. 8. Hic verò modus operandi Satanæ immediatus non infert substantialem ejusdem in animam hominis influxum & omnimodam præsentiam, plenumque ejus super illapsum dominium, quia hoc ei impossibile, & per hoc libertati arbitrii ac divinæ providentiæ detraheretur; ne dicam ex hoc fluere, Diabolum hominem ad peccandum & obsequendum suis suggestionibus necessitare, quod Theologiæ placitis contrarium. Solus Deus animæ illabi, eam secundùm substantiam implere, & scibilium omnium habitu intellectum subitò induere potest, qui quoque recedente speciali divini Numinis præsentiâ manet. Habitum autem Dæmon, quia saltem per modum existentiæ entis ad eas substantialiter præsens est, non infundit, sed species intelligibiles percipiendas menti saltem objicit: recedente eo scientiarum apparatus & lumen intellectuale perit. Habet se in eo casu Magi intellectus instar speculi, species quidem objectas recipientis, sed non retinentis. Tamdiu species in eo percipiuntur, quamdiu objectum præsens est. Istis autem pereuntibus, perceptæ cessant. At Deus intelligentiæ sedem, animam rationalem suorum, quos speciali gratiâ respicit, implens, pertinacem & immobilem mox ei imprimit specierum intelligibilium omnium habitum, nulli injuriæ obnoxium.

§. 9. Si intellectum hominis Dæmon, ut probavimus, fascinare valet,

valet, etiam *Voluntatem* eundem fascinare, ut appetat id, quod malum est, & non appetat, quod bonum est, colligere licet, quia voluntas consequenter ad actionem & motionem intellectus operatur, ita ut intellectus voluntatem moveat, *non* quidem *effectivè*, uti Deus, qui tanquam causa prima in agentem & actionem influit; sed *moraliter*, & per modum suasionis per antecedentem objecti & finis notitiam, unde non tantum actio voluntatis simpliciter, sed etiam talis & talis actio oritur. Siquidem voluntas ab intellectu non modò quoad exercitium actûs, verùm etiam quoad speciem movetur. *Intellectus enim proponit voluntati objectum, à quo tanquam à principio formali externo actus voluntatis speciem sumunt*, uti præclarè itidem Voetius *loc. cit. pag. 836.* disserit & probat. Judas proditor lucri cupidissimus, utile honesto præferendum esse fascinatâ mente judicavit. Fascinato intellectu etiam voluntas ejus fuit fascinata, ut pecuniæ accipiendæ gratia ad summos Sacerdotes abierit, operam ad proditionem obtulerit, & præmium aliquod sibi dari postulaverit. Quo de Harmonia Evangelistar. Chemnitio-Lyserian. *cap. 170 pag. m. 1341. seqq.* habet: *Quod Diabolus in cor Judæ proditionis propositum immisisse dicitur, illud non solùm de fascinatione intellectus, sed etiam extrema depravatione voluntatis accipiendum, quòd Diabolus non solùm ipsius mentem ita fascinaverit & excæcaverit, ut non videret, quantum scelus machinaretur, sed etiam ipsius voluntatem ad immane illud facinus efficaciter impulerit, quia phrasi scripturæ cordi & intellectus & affectus tribui consuevit.*

§. 10. Pro qualitate ergò objecti ab intellectu apprehensi qualificatur etiam voluntas, & si intellectus decipitur, voluntas quoque non potest non decipi, etiam cum sanæ rationis ductum se sequi & optimum prosequi putat. Hoc in incautis & simplicioribus advertimus, qui, quando objectum satis intelligere nequeunt, illud credunt; quæ credulitas autoritate vel rationum apparente specie suscitata cognitionis vicem sustinet. Verborum quandam esse efficaciam vulgus per observationem & experimenta varia se intelligere existimat. Intellectus hoc medium tanquam bonum ad sanitatis recuperationem voluntati ostendit, & ut in id tendat, idque prosequatur, suaviter movet. Verùm & intellectus & voluntas decipitur, quæ deceptio fascinatio quædam est, à Dæmone originaliter manans, qui vana ista persuasione superstitiosos & simpli-

ces, præsertim paganos, à Spiritu S. non illuminatos, experimentorumque rationem non satis evolventes, facilè fascinat. Intellectus fascinatur, ut falsum pro vero apprehendat; voluntas, ut malum (morale seu bonum apparens) appetat.

§. 11. Sed quamvis per intellectum fascinatum voluntas non seducatur, aliâ tamen ratione, & quidem *per appetitus sensitivi impetum* fascinari potest. Imperium quidem in istum voluntas habet, sed civile hoc est, non despoticum; regit eum suadendo, non cogendo. Suasionem autem sæpe appetitus iste eludit, hinc crebræ illæ inter appetitum & rationem dimicationes. *Sceptrum & diadema voluntati Deus dedit, ut appetitum sensitivum regeret ac gubernaret. Hic autem velut subditus rebellis arma adversus principem sumit. Hic ut equus petulans equitem ejicere attentat subinde. Cum voluntas intellectus sequitur dictamen, virtutes amat, vitia fugit, sed appetitus hic intellectum repudiat, sensuumq; judicium præfert*, ut Cl. Sperlingius *lib. 1. Anthrop. cap. 4. pag. 223.* disserit. Hunc voluntatis subditum Dæmon ita fascinat, ut susque deque habeat intellectum & voluntatem contemnat, imò verò demum seducat & fascinet.

§. 12. *Risus* fascinari potest spectatus *non in actu primô*, ut potentia est, sed *in actu secundô*, quando nimirum organis risus læsis in cachinnum inconditum & supra humanam indolem abit, quod fit, cùm spiritus ad cor, diaphragma, & musculos circa oris latera degentes Satan impetuosiùs in obsessis commovet. Sed parvi momenti est hoc fascinum, majoris sequens.

§. 13. *Sermonem*, ut pro *actu secundô* sumitur, *non primo*, (qui in mutis etiam est) fascinat Dæmon organa sermonis lædendo, aut iisdem abutendo, ut vel vocis formationi inservire impediantur, vel dæmone sic impellente, incondita & blasphema, futura & aliena conditionem humanam transcendentia effutiantur. *Illius* exemplo esto Dæmoniacus ille *Luc. 11.* cujus linguam Dæmonium, ne verba faceret, adstrinxerat, quod postquam Salvator ejecisset, locutus est mutus. (*Dæmonium* ibi *mutum* dicitur ac surdum, quod non formaliter, sed effectivè intelligendum venit, quod hominem spiritus obsidens surdum ac mutum reddiderit.) Notatu dignum fascinati sermonis exemplum habet Philander *in Expert. p. 633. Vidua quadam H. ad Mœnum militis*

tis cujusdam præsidiarii thalerum solidum minoris sortis nummis permutatum abit. Eam miles usque ad januam cameræ per hypocaustum sequitur, quod ipsi terrorem quendam injecit, nihil tamen amplius in mentem ejus venit. Elapsis paucis diebus fœmina in lecto vigil, nullo somno oppressa jacet, post erecta sedet, sed nullum verbum, quamdiu quatuor milites, per fenestras ingressi, adfuerunt, profari potuit. Isti ex tunicâ in ipsius conspectu lecto detractâ claves petunt, cistam reserant, & ablatis 1400. thaleris obserant, clavibusque sacco intrusis tunicam lecto imponunt. Regressis verò per fenestram iisdem mulier protinus loqui & clamare incipit.

§. 14. *Hujus* exempla passim occurrunt. Sicut enim Bileami asina angeli ministerio asinino ore formavit vocem, & Stygius ergastularius cum Eva locuturus serpentino ore verba fecit: ita ejusdem Dæmonis influxu obsessorum lingua, his invitis, format verba. Sibilat ut serpens, rugit ut leo, mugit ut taurus, balat ut agnus, grunnit ut porcus, latrat ut canis. Non humanâ solùm voce è virgine quadam obsessâ locutus est Dæmon in illo exemplo, quod ex Fincelio recitat Majolus *Dier. Canic. Colloq. 3. pag. 158.* sed etiam persæpe, in specie cuculi, corvi, crabronum, aliarumque avium apparuit, earumque vocem per omnia expressit. *Diabolus, cùm per obsessam mulierem loqueretur, & ob solœcismum commissum à circumstantibus irrideretur, respondit minimè mirum esse, quòd erraret: mirum potius quòd loqueretur, cùm linguam mulieris grossissimam difficulter ad loquendum, nedum ad expeditè & correctè loquendum movere possit*, Schottus *Phys. Curios. Libr. 4. cap. 7. pag. 640. Mulierem Dæmon, quem S. Bernardus ejecit, non solùm auditu & visu & loquelâ privarat, sed ejusdem linguam sæpè in modum proboscidis elephantinæ protuserat, & adeo faciem deformarat, ut non pro homine, sed pro teterrimo monstro haberetur*, teste Wilhelmo Abbate *lib. 2. cap. 3. Vitæ S. Bernardi*, citante Schotto *l. c. p. 607. Dæmoniacam mulierem, vir doctus* (is Melanchthon est) *scribit, à se in Saxoniâ visam nescientem legere aut scribere, quæ Græcè tamen & Latinè loquebatur, & sævum illud Saxoniæ bellum prædixit his verbis:* ἔςαι ἀνάγκη ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ὀργὴ ἐν τῷ λαῷ τούτῳ, *l. c. p. 157.* Ita Dæmon ut forma assistens linguâ hominis arreptitii utitur non magis, quàm illius canis, qui Simonis Magi fuit, quem humana voce locutum & pro foribus adstantem arcuisse

quos

quos Simon ingredi nollet, alios verò admisisse commemorat Nicephorus *lib. 2. cap. 22.*

§. 15. Levinus Lemnius humores atroces & violentos melancholicis, maniacis & phreneticis linguas peregrinas ac notiones rerum congenitas, quas Plato etiam agnoscit, extorquere contendit. Verùm utrumque, nimirum notiones rerum nobis esse congenitas, easque, si vel maximè dentur, humoribus suscitari posse, rejicitur. Platonis errorem de reminiscentiâ jam dudum confutasse Tertullianum *Libr. de Anim. cap. 14.* Arnobium *lib. 2. contr. gentes*, S. Irenæum *lib. 2. cap. 59. & 60.* S. Augustinum *lib. 10. de C. D. cap. 15.* & alios notat Schottus *Phys. Curios. lib. 4. cap. 12.* Linguarum certè peritia ingenita esse nequit, quia verba rebus ex arbitrio imponuntur varia: hinc varia etiam idiomata, quæ non ingenii, sed memoriæ beneficio & usu addiscuntur. Adhæc humores, non possent notiones, si vel maximè congenitæ adessent, ordinatè eas exprimere. Tantum enim abest, ut humores ad caput tendentes atroces spiritus animales, qui sunt præcipuum animalium actionum instrumentum, ad actuandum notiones innatas disponant, ut potius eos perturbent & confundant, ac propterea mentis ideas confusas reddant. Accedit & illud, quod ex Carpentario *l. c.* Schottus notat, si Energumeni à morbosa qualitate corporea excitarentur ad loquendum peregrino idiomate, non aliter loquerentur, quam interventu motus naturalium vocis organorum, quæ sunt os, lingua, palatum, dentes, guttur &c. At constat, multos energumenos, illos præsertim, quos præcedenti capite appellavimus, loqui non modo linguâ immotâ, sed ore omninò clauso, peregrino etiam idiomate. Confer quoque Vallesium *de Sacr. Philos. cap. 28.* Sennertum *lib. 1. Pr. Med. Part. 2. c. 15. Quæst. 1.* Voetium *lib. 1. p. 1043. & 1054.* Jonston. *Thaumatogr. lib. 10. 6. 7. Art. 1.*

CAPUT III.

Inter inferiores Animæ Rationalis facultates primo Cognoscentis Facultatis fascinatio explicatur. Fit ea in ecstasi Diabolica. Ecstasis quid? Ecstasis vel naturalis est, cujus exempla adducuntur, vel supernaturalis, eaq́ divina vel diabolica. Sopor Adami

dami Ecstasis fuit. Ecstasis Diabolica quid? ejus exempla. Bodini & aliorum error, statuentium, animas ἐκστατικῶν verè emigrare refutatur. Cardanus se suspectum reddit. Ecstasis Diabolica fit ex κακοζηλία Dæmonis. Lycanthropia. Horum, qui Lycanthropiâ laborant, non unam esse rationem exemplis docetur. Plinius transformationem negat, cui tamen Thomasius distinctione succurrit.

§. 1. INferiores seu Animæ quidem sensitivæ proprias, at animæ hominis communes facultates jam spectavimus, nempe cognoscentem, appetentem & loco moventem. *Cognoscens sensus* dicitur, qui vel externus, vel internus est. Interni sunt sensus communis, & Phantasia, cui famulatur memoria. *Externorum* quinque sunt. Visus, Auditus, Olfactus, Gustus & Tactus.

§. 2. *Cognoscens* fascinatur in Ecstasi Diabolicâ. Ἔκστασις, *Latinis Excessus sive emotio mentis, est, cum quis abstrahitur ab actu sensuum, sive externorum tantum, sive etiam internorum ad aliqua supernaturaliter videnda, visione sive purè mentali seu intellectuali, sive etiam imaginaria*, Voetius *Dispp. Selectar. Part. 1. pag. 1040.* seu *est privatio officiorum animæ sentientis, moventis & intelligentis*, Sennertus, *lib. 1. Pr. Med. Part. 2. cap. 30.* ubi ἐκστατικοὺς vulgò vocari ait eos, qui omnibus animæ sentientis, moventis ac intelligentis functionibus privati & quasi mortui jacent, & sæpe, postquam evigilant, mira, quæ audiverint, & viderint, narrant. Quanquam si mira illa conditionem humanam transcendant, ut sunt incognita, præterita aut futura, concinnâ veritatis specie prolata, tunc non naturæ solius, sed alterius agentis genium subesse pronunciandum. Siquidem

§. 3. *Ecstasis* vel naturalis est, vel supernaturalis. *Naturalis* etiam *Catoche* sive κάτοχος & κατάληψις (à κατέχεσθαι *detineri* & καταλαμβάνεσθαι *prehendi*) & in genere *Stupor* dicitur, qui à spirituum animalium fixatione oriri putatur: cujus exempla duo refert Fernelius *lib. 5. de Part. Morb. & Sympt. cap. 2. Unus dum literis & chartis sedulò invigilat, repente catalepsi perculsus ita quidem obriguit, ut sedens, calamumque digitis premens, oculis in libros defixis, putaretur in eorum studia incumbere, donec vocatus & impulsus deprehensus est, omni sensu motuque carere.*

 Alterum

Alterum mortui ritu jacentem invisi qui neq; cernebat, neque audiebat, neq; compunctus sentiebat quicquam, facilis tamen inerat inspiratio, & quicquid in os inferebatur, promptè vorabat, è lecto sublatus solus consistebat, impulsusq; incedebat, & quocunq; vel brachium vel crus vel manus inflecteretur, illic, quasi fixum & stabile permanebat, expressam quandam dixisses larvam, aut arte progredientem statuam.

§. 4. *Supernaturalis* vel divina est, vel diabolica. *Divina* est, cum spiritus divini ope, mens ita ab omnibus sensibus & sensibilibus abalienatur, ut tota ad contemplationem & cognitionem rerum supernaturalium feratur, & cœlestibus rebus quasi uniatur. Ita κατ' ἔκστασιν *in Actis revocatur Petrus ab opinione de observandis discriminibus ciborum, quæ visio consentiebat cum Prophetiis multò ante prolatis de tota Politiâ Judaica abolendâ,* Peucerus *loc. cit. p. m. 140.* Sopor ille, quem Deus Adamo *Gen 2. v. 22.* immisit, ἔκστασις fuit, id quod aliquot ratiotionibus probat D. Danhauerus *Colleg.* ψυχολ. *Disp. 5. Controv. 1.* Vossius *lib. 3. Idol. cap. 34. hoc* ἐκστάσεως *argumentum certum esse*, ait, *quòd Adamus mentis oculis viderit costam sibi adimi, atq; inde firmari Evam, unde experrectus continuò in hæc verba prorupit: Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea. Sed non si ecstasis sit, eò sopor non erit. In somno quippe divinitùs sic elevata est mens Adami, ut videret, quæ fierent à Deo.* Hæc Vossius.

§. 5. *Diabolica* est, cum Diabolus internorum & externorum sensuum organa ita fascinat, ut anima à functionum exercitio vel in totum quandoque ferietur, quandoque autem intellectus ac phantasia varias à Dæmone accipiat formas, ut homo putet se ibi esse, ubi non est, & verè patrare aut pati, quod nec patrat, nec patitur. Exemplum hujus tradit J. Bapt. Porta *lib. 2. Mag. Nat. c. 26.* Dum hæc pensiculatius perquirendo operam navarem (ancipiti enim immorabar judicio) incidit mihi in manus vetula quædam, quas à strigis avis nocturnæ similitudine striges vocant, quæque noctu puerulorum sanguinem è cunis absorbent; sponte pollicita, brevi mihi temporis spatio allaturam responsa. Jubet omnes foràs egredi, qui mecum erant acciti testes: spoliis nudata tota se unguento quodam valde perfricuit, nobis è portæ rimulis conspicua. Sic soporiferorum vi succorum cecidit, profundoque occubuit somno. Fores ipsi patefacimus; multum vapulat,

tanta-

tantaque vis soporis fuit, ut sensum eriperet. Ad locum foras redimus. Jam medelæ vires fatiscunt flaccescuntque. A somnô revocata, multa incipit fari deliria, se maria montesque transmeasse; falsaque depromens responsa. Negamus; instat: livorem ostendimus; pertinaciter resistit &c. Vid. *cap. seq. §. 4.* Olaus Magnus *lib. 3. Hist. Sept. cap. 18.* & ex eo Majolus *Colloq. 3. p. 165.* de Magis Lappis sequentia tradit: Si quis peregrinus cupit de suorum conditione certi quid cognoscere, præstant: ut intra viginti quatuor horarum spatia rescis cat, quid cum illis agatur; si vel trecentis milliaribus absint, hoc modo: Incantator postquam usitatis ceremoniis Deos suos compellavit, subitò collabitur, & exanimatur, quasi extinctô illo revera excedat è corpore anima. Neque enim aut spiritus in eo reliquus esse, aut restare cum vita aliquis sensus aut motus videtur. Sed ut adsint semper aliqui oportet; qui projectum & exanime corpus custodiant: quod cum non fit, dæmones id abripiunt. Horis 24. elapsis, revertente spiritu ceu è profundô somnô, cum gemitu expergiscitur exanime corpus, quasi revocetur in vitam ex morte, qui conciderat. Postea sic restitutus ad interrogata respondet, & ut fidem faciat percontatori, recenset aliquid quod agnoscat ille, & certò sciat, in ædibus suis aut cognatorum fuisse.

§. 6. Bodinus quoque aliquot ejusdem census producit exempla *lib. 2. Dæmonom. cap. 5.* Qui tamen autor, cæteroquin celebris, graviter in placita Philosophica impingit, quando statuit animam è corporibus ἐκςατικῶς verè emigrare, & deserere ipsum corpus, aliis in locis in terra versari separatam, & demum in proprium suum domicilium redire. Quam sententiam jam olim Plato *lib. 10. de Republ.* fovit, ubi ait: *Eren Armenium, genere Pamphylum, cùm inter cadavera cæsorum in prælio decem diebus jacuisset mortuus, domum relatum: secundo post die cùm esset imponendus rogo, revixisse, ac prodigiosa quadam narrasse, quæ illo tempore apud inferos vidisset.* Similem fabulam de quodam Clazomenio notat ex Origene *lib. 3. c. Cels.* Delrio *lib. 2. D. M. Q. 25. p. m. 188.* quem narrant Plinius *libr. 7. c. 52.* Plutarch. *in vitâ Romuli ex Herodoto*, multoties defunctum revixisse, & animam, quoties voluit, resumere potuisse, ita ut assistentes animam corvi effigie ex ore evolantem viderent. Sed hæc errorum portenta saniores Philosophi rationum pondere dudum oppresserunt. Corpus anima privatum mortuum est.

Mors enim est, animæ à corpore separatio. A privatione autem totali ad habitum non datur regressus. Mortuo vitam sive animam reddere est resuscitare, quod solius est Dei omnipotentis reservatum, spiritui creato nulli commune. Itaque ut cum Tertulliano *lib. de Anim.* loquamur, *delirium est, hanc licentiam animæ sine morte fingere.* Idem *lib. de Resurrect. Carnis* : *Nusquam anima sine carne est, quamdiu in carne est.* Propterea magni nominis Theologum D. Balduinum *libr. 3. Cas. Consc. cap. 5.* eandem cum Bodino fovere sententiam alii non immeritò mirantur. In hoc verò nos Bodinus habet adstipulantes, Magos esse, qui per ecstasin se extra corpus rapi, adeò ut corpus maneat ἀναίσθητον, affirmant, ut de se scripsit Cardanus, *lib. 8. de Variet. Rer. c.43.* qui seipsum suspectum facit, quando patrem suum triginta annos spiritum familiarem habuisse refert. *At plerumque patres sortilegi informant liberos, ut in mentis excessum rapiantur, subdit Bodinus.* An huc Presbyter ille, cui Restituto nomen fuit, apud Augustinum *lib. 14. de C. D. c. 24.* referendus, qui quando placuit, ita se à sensibus abstulit, ut mortuo simillimus jacuerit.

§. 7. Hanc sensuum omnium fascinationẽ Diabolus instituit ex insolita κακοζηλίᾳ & imitatione τῶν ὀπτάσεων καὶ ἀποκαλύψεων, quibus usum ad Prophetas Sanctos & Apostolos Spiritum Sanctum literæ sacræ demonstrant, & usurum ad electa Ecclesiæ membra Joel Propheta vaticinatur, inquiens: *Filii vestri visiones videbunt. Certat enim ex superbia & ambitione cum vero Deo, insidiatur gloriæ Dei, nec ulla in parte eo videri vult inferior,* Peucerus *de θεομαντείᾳ p. m. 139.*

§. 8. Sensus interni & externi etiam fascinantur in *Lycanthropia*, voce hac *latè*, pro hominis in brutum quodvis conversione sumta: sicut & vox eadem, quatenus morbum significat, non modò eum notat, cùm quis in lupum se conversum putat, uti Græcum nomen sonat, sed etiam, qui in vaccam aut felem, advertente Vossio *lib. 3. Idolol. p. m. 542.* Et quidem Magos ita quandoque Dæmon dementat, ut se veram bestiæ, v. g. lupi formam in se videre, de se lupi ululatum audire, lupino odore se instructos, & lupinum tactum gustumque in devoranda brutorum, quæ ipsi dilaniasse creduntur, carne per transformationem obtinere existiment. Ita fascinatio propagatur, quam sensus externi percipiunt, speciem falsam sensus communis, deinde imaginatrix, demum intelle-

ctus,

ctus, qui ab ista in dijudicandis per species repræsentatis rebus dependet, ut veram apprehendit. Apprehensionem autem spiritus occultus artificiosâ simulacrorum, seu rerum repræsentandarum efformatione & inspirationibus frequentibus confortat.

§. 9. Non una tamen horum est ratio. Quidam enim & sibi & aliis lupi videntur, ut & hi & isti fascinô laborent: quidam autem tales sunt per solam phantasiam in sopore fascinatam: sopore autem excusso hujus ignari se lupinum habitum humano permutasse censent. Exempla utrorumque passim prostant. Priorum hæc sunto: *Russiæ Dux quidam cùm audivisset in ditione sua esse hominem, qui se in eam, quam vellet, formam mutaret, accersitum illum, ac prius catenis constrictum, jussit in hoc artem suam properè ut ostenderet: quod cùm ille dixisset, se quidem lubenter facturum, modò in propinquo conclavi liceret soli paululum esse, idq; illi esset concessum, è vestigio egressus lupi quidem nativa specie, sed iisdem quibus antea catenis impeditus in magnam omnes, qui aderant, sui admirationem traduxit: sed in ferocissimos duos canes, quos Dux in insidiis ad id collocaverat, incidens miser discerptus, dilaniatusq; est. Nec quicquam ad sui tutelam alioqui commodissima ea lupi forma adjumenti afferre potuit*, Remigius *lib.2. Dæmonom. cap. 2. pag. 228.* Vincentius *in Speculo lib. 3. cap. 109.* referente ex eo Bodino *lib. 2. cap. 6. duas in Germania hospitas fuisse sagas*, narrat, *quæ hospites solebant in bestias interdum vertere. Cùm itaque histrionicum adolescentem in asinum convertissent, qui (ut erat rationis compos) voluptates mille viatoribus exhibebat, hunc magno fuisse à vicino emptum: illas tamen dixisse, se non esse præstituras: nam eum, si flumen accederet, amissum iri: asinum itaq; die quodam elapsum in lacum proximum abiisse, & simul, ac fuisset immersus, formam recepisse. Id Petrus Damianus Vir sua ætate inter primos numerandus, cùm rem sciscitatus esset diligentissimè ex hero, ex asino, ex mulieribus sagis confessis factum, & ex iis, qui asinum elapsum ac restitutum viderant, Leoni VII. Papæ narravit, & postquam diu in utramque partem coram Papa fuit disputatum, hoc tandem posse fieri fuit constitutum.*

§. 10. Posteriorum exempla petimus ex Augustino *lib. 18. de C. D. cap. 18.* Quidam nomine Præstantius patri suo contigisse affirmabat, ut venenum illud per caseum in domo sua sumeret, & jaceret in lecto

suo quasi dormiens, qui tamen nullo modo poterat excitari. Post aliquot autem dies eum velut evigilasse dicebat, & quasi somnia narrasse, quæ passus est, caballum se scilicet factum, annonam inter alia jumenta bajulasse, militibus, quæ dicitur retica, quoniam ad retia deportatur. Quod ita, ut narravit, factum fuisse compertum est, quæ tamen ei sua somnia videbantur.

§. 11. Plinius *lib. 22. N. Hist. cap. 8.* fabulas censet, non historias esse, quæ de hominibus in bruta mutatis circumferuntur. *Homines*, inquit, *in lupos verti, rursumq; restitui, falsum esse confidenter existimare debemus, aut credere omnia, quæ fabulosa tot seculis comperimus.* Et paulò post: *Mirum est, quò procedat Græca credulitas! nullum tam impudens mendacium est, ut teste careat.* Sed Excell. Dn. Thomasius *Profess. Eloq. Lipsiæ Celeberrimus Disput. de Transformat. Hominis in bruta §. 64.* miratur meritò, Plinium, qui aliàs non invitus mendacia summa credit, huic de Transformatione fidem adhibere noluisse. Distinctione tamen Plinio laudatus Vir succurrere laborat, quando verba ejus dupliciter explicari, & sic duplici quoque modo responderi posse ait: Si nimirum Plinius de Transformatione hominum in lupos substantiali loquitur, respondemus concedendo, cùm ita nobis contrariam non foveat opinionem. Si verò de Transfiguratione in genere accepta, sicut nos sumimus, verba intelligenda ejus sunt, respondemus eodem fermè, quo antea, modo, opponentes ei simul autoritatem historicorum antiquorum, ut Herodoti, Pomponii Melæ, Solini, Strabonis, Dionysii Afri, & M. Varronis, qui omnes Transformationis exempla posteritati relinquentes, ea simul suo approbant calculo.

CAPUT IV.

Sensum communem fascinari posse probatur. Sensus per se non errant, sed per accidens. Requisita sensus. Phantasiam sæpius fascinat Dæmon, & in eam agit vel immediatè vel mediatè. Lamiis transportationis opinionem impressurus somno eas sepelit, & per insomnia fallit. Historia. Lamias tamen etiam corporaliter quandoq; ad conventicula transferri conceditur. Consultatores Coburgenses adversus D. Taboris insultum vindicantur. Exemplum

emplum phantasticæ delusionis & realis transportationis. Memoria trifariam fascinatur. Memoria etiam aliquid luminis intellectualis à Dæmone accipere potest. Studiosi Patavini memoria naturalis in dubium vocatur. Ars memorialis subsidia magna naturali confert: hujus exempla traduntur: non tamen ita eam perficit, ut aliquot millia nominum semel audita vel lecta reddere queat.

§. 1. ITa sensus externos & internos simul in ecstasi & transformatione Diabolicâ fascinari vidimus. Jam singulos seorsim, ut fascinationi sunt obnoxii spectabimus. *Sensum communem* facilè fascinari posse, ex ejus à sensibus externis dependentia & officio patet. Hoc in eo consistit, ut omnes sensuum externorum species recipiat, sensibilia propria à se invicem & à communibus distinguat, tandemque species, quas confusiùs cognovit, phantasiæ tanquem superioris subsellii judici examinandas tradat. At si sensus externi decipi & fascinari possunt, ut inferiùs demonstrabitur, etiam sensum communem eidem fato exponibilem esse ultrò sequitur. Sensus quidem non errant, scilicet per se & positis omnibus ad sentiendum requisitis. *Cognoscens enim facultas sensus est. Cognoscentis autem est, rectum à curvo, verum à falso, bonum à malo discernere. Nulla rerum certitudo, nulla ratio veritatis esset, si cognoscentes facultates fallerent*, Sperlingius *Zoolog. posthum. lib. 1. cap. 4. Axiom. 12.* Per accidens tamen variis ex causis errores nasci requisitorum ad sensum evolutio prodit. Requisita 4. sunt, anima, organum, objectum & species, quò etiam medium referri debet. Anima hominis, etiamsi per organa debito modo species sensibiles deferantur, in errorem seduci & fascinari potest; quia, ut in intellectum Dæmonis, ceu probatum dedimus, immediata actio conceditur, ita in sensum communem idem immediatè agere, adeoque etiam species recentes phantasiæ jam communicandas per aliarum efformationem & impressionem confundere & turbare potest. Organum, objectum, species & medium fascinantis potentiam non evadere, sed ab hoc variè omnia adulterari, alterari & mutari, si non essentialiter, tamen accidentaliter (quod ad fascinandum sufficit) sequentia indicabunt. Sensata etiam varia ex exemplis, spectaculis & sermonibus objectis in sensu communi oriri facit.

§. 2. *Phan-*

§. 2. *Phantasiam* impostor infernalis sæpiùs stuprat, ut phantasticarum in ea delusionum patrem Dæmonem, phantasiam matrem, pravam voluntatem obstetricem jure dixeris. Istud autem quomodo fiat, circa modum enodabimus. Jam saltem dixisse sufficiat, (quod etiam ex dictis nemini non patet) Dæmonem phantasiam fascinaturum, in eam partim immediatè, partim mediatè, per objecti, medii & organi inordinationes agere. Mirè autem Lamiarum tum vigilantium tum dormientium Phantasiam agitat Dæmon, præsertim translationis ad conventicula veræ opinionem iisdem impressurus alto eas somno sepelit, iisdemque dormientibus magnam agendorum seriem, & varia objecta, velut ad vivum expressa distinctè & accuratè per insomnia subjicit, ut somno excusso de commessationibus, saltationibus congressibusque cum Dæmonibus splendidè nugentur, phantastica omnia actionis & essentiæ veritatem habuisse constanter & firmiter credant. Memorabilem hujus historiam vide suprà *cap. 3. §. 4.* Similem tradit Godelmannus *lib. 2. cap. 4. num. 23. Mulier quædam Megapolitano cuidam Nobili diu & fideliter inserviens à veneficis paulò post crematis sortilegii accusata est, & quod aliquoties cum ipsis in monte Bructerorum fuerit. Id Dominus, qui alioquin fœminam propter sedulam rei domesticæ administrationem amabat, ægrè primum tulit. Post vix adduci potuit, idem ut crederet. Tandem cùm famulam ea de re alloqueretur, respondit stolida, confessionem de migratione in montem Bructerorum veram esse, imò sequente nocte necessariò cum reliquis eò ipsi transvolandum esse. Nobilis noctu adjunctis sibi pastore & domesticis, mulierem diligentissimè in conclavi custodit, exploraturus, utrum transvolare velit. Sed ecce! Postquam unguentis corpus suum illevit, in profundum somnum ita incidit, ut nec illa nocte, nec sequente die, excitari potuerit. Altero autem mane interrogata respondit, se in montis Bructerorum conventu cum reliquis veneficis revera fuisse, nec aliud sibi persuaderi stolida passa est.* Lercheimerus im Bedencken von Zauberey *cap. 13. pag. m. 117.* Doctorem Joh. Geilerum à Käisersberg Monasterii Argentoratensis Pastorem historiam recitasse sequentem scribit, quam nos Latinis verbis jam dabimus; *Pastor quidam pro concione edixit, strigiportium non verè & corporaliter, sed phantasticè saltem per insomnia fieri, & per ea sibi Lamias imaginari, se ad aliena loca deportari, singularia ibi videre, audire & efficere, quæ aliis postea referant*

rant & commendent. Vetula quædam venefica contemptum artis magicæ ægrè ferens Pastorem è templo exeuntem alloquitur, & se, si secum domum abire non fuerit dedignatus, strigiportium somnium non esse, reipsa demonstraturam. Pastor euntem comitatur. Hæc mactræ scamno impositæ insidet, & unguento se inungit. Mox obdormit, & inter dormiendum se commovet, manus quoquoversum jactat & in altum, quasi avolatura tendit, tumultuatur, salit, quasi ad saltandum composita. Hæc tam diu continuavit, donec è mactra, quam inverterat, in terram procidit. Hic ubi aliquandiu jacuit, & se commovit, evigilans & in pedes se erigens: Ita sanè, inquit, *me vidisti evolantem & redeuntem. Imò vel quasi, ait Pastor, evolasti: in mactra aliquandiu degens dormivisti, post hæc in terram delapsa ibi quoque ad tempus breve, donec somno redires, jacuisti. Tange modò oculi superiorem partem; hanc lapsu vulneratam cruentam efficisti. Ita vetula vanæ persuasionis convicta, Pastor verò in sua opinione, strigiportium nullum esse confirmatior evasit.* Saga quædam apud Sprengerum *Mall. Malefic. Tom. 1. Part. 2. Quæst. 1. cap. 3.* ait, si sagæ casu aliquo nollent corporaliter transferri, scire tamen vellent omnia, quæ in concione illa ab earum consodalibus agerentur, tunc talis ab eis servaretur modus, ut illæ in nomine omnium Diabolorum ad latus sinistrum se reponerent ad cubitum: & tunc quasi vapor quidam glaucus ex ejus ore procederet. Unde singula, quæ ibi agerent, perlucidè considerarent.

§. 3. Quæ omnia hactenus allata phantasiæ sagarum à Dæmone fascinatæ sunt argumenta, quibus tamen non eorum probamus sententiam, qui Lamias ad solemnia sua conventicula, quæ Sabbatha vocant, transportari, & realiter unquam translatas fuisse obstinatè negant, quorum, ut & contrarium sentientium catalogum Schottus *Phys. Curios. libr. 1. cap 23.* & Gothof. Wiglius *Deliciar. Physicar. c. 7. Sect. 1. §. 1.* exhibent. Sagas enim quandoque ad conventicula verè & personaliter deferri, quandoque autem istarum conventus illusiones esse Dæmonum omninò statuimus, & de eo etiam inter Doctores jam convenit. Sed an illud, an hoc, ut plurimùm vel frequentiùs fiat, nos, quia quæstio hæc est facti, in medio relinquimus. Dn. D. Reinking *in Respons. Jurus n. 67.* posterius arripit, & operosè rationes eorum, qui Striges corporaliter ad choreas deferri contendunt, (licet aliquando eas sic de-

portari non neget) solvit. Sed Criminalistis & Judicibus doctis id expertis, qui in circumstantias omnes exacte & sagaciter inquirere possunt & debent, hujus decisionem committimus. *Non enim* (ut verba Bodini *libr. 3. cap. 5.* mea faciam) *aliunde veritas melius cognosci potest, quàm ex judicibus in hac causa versatis, & frequentibus quæstionibus habitis certissimam adeptis exercitationem.* Philosophus utriusque possibilitatem agnoscit, facti verò frequentiam è forô judiciali recognoscit.

§. 6. Eandem quoque viam tenet Illustris, qui hic loci fuit, Scabinatus in Consiliis à Dn. Joh. **Leib**/ Advocato Seniore & Practico Exercitatissimo, ἐν ἀγῶσι, collectis, & typis Francofurti anno 1666 impressis *Consil. 1. pag. 27.* ubi hæc habentur: **Die dritte und sicherste auch die gemeinste** Opinion **gehet dahin/ es könne beedes seyn/ und bezeugt die Erfahrung/ daß gleich wie es offtmals** illusiones diabolicæ **sind/ also werden die** conventicula **und** choreæ **bisweilen warhafftig gehalten.** Idem asserit *pag. 30.* Quia verò ad alterum latus, quod Ponzinibius, Fachinæus & alii tenent, magis (non in totum, sed per τὸ ut plurimum, **offtermal** in tantum) Consultatores Coburgenses inclinant, Magnif. Dn. D. Tabor *Dissert. de Tortur. & indiciis p. 280. & seqq.* mordaci calamo in eos invehitur, quasi denunciationi qualificatæ & generalitati Constitut. Carolin. in Artic. 3. **P. H. G.** præsertim per canonem Episcopi *12. Caus. 26. Quæst. 5.* vim omnem eripere conentur, cùm tamen tota in consilio isto disputatio sit κατ' ἄνθρωπον, contra eos mota, qui, quòd personæ ab una vel pluribus sagis delatæ sive nominatæ, in carcerem non fuissent detrusæ, sinistra in suggestu & forô vulgi cum negligentiæ & injustitiæ insimulatione tulerant judicia, qui tamen & ipsi prudentem in re arduâ circumspectionem, ne innocentis fama cùm vita pari passu ambulans jacturam pateretur, requisiverant. Quare prudentissimi Dnn. Consultatores toti in eo sunt, ut ostendant, denunciationes per se solas absque adminiculis aliis non posse haberi pro claris probationibus & ut in fine concilii loquuntur, **daß sie die jenige Personen / auf welche zwey / drey oder viermal bekennet worden / in Manglung anderer und redlicher** Indicien **zur** Captur, **und** in conventum **zugleich zur** Tortur, **sicherlich nicht hätten verurtheilen können.** Prudenter autem & circumspectè in puncto denunciationis complicum procedendum esse, rationibus 12.

pro-

probant, quarum quartam ab illusionibus & phantasticis repræsentationibus (quas frequenter, non semper fieri agnoscunt) petitam, fusè tractant, eamque Lutheri, Augustini, Welleri, postea etiam concilii Anquirensis sive Ancirensis autoritate utut controversa (ad morem tamen disputantium, eorumque, qui autoritatem illius ratam habent, adeoque uberioris illustrationis gratia) muniunt. Neque eos distinctio denunciationis in simplicem & qualificatam latuit: qualificatam tamen in re conscientiam & vitam concernente curiosiùs medicandi occasionem per hæc verba *pag. 52.* tam verè, quàm piè & justè, voluerunt subministrare: **Wiewol hiebey / wann viel** Confessiones **gleich auch in allen Umständen der Zeit / deß Orts / und anders eintreffen solten / ein neue** Difficultas **entspringet / dieweil der böse Feind als ein Tausendkünstler / so bald viel Personen / als wenig betriegen / und beydes die Haupt-Lügen vielen einbilden / als auch alle deren Umständ / dadurch er desto listiger betreugt / zugleich** præsentiren **kan /** per hactenus deducta. Sed strepitum hunc, quem prudentissimis manibus fecit Vir magnus (an magno contradicendi pruritu adactus? judicent alii) à sagacibus Jurium Sacerdotibus sopitum iri nulli dubitavimus.

§. 7. Exemplum utriusque & phantasticæ delusionis & realis transportationis in vero subjecto recitat Otho Melander *Tom. 1. Joc. Ser. 15.* de milite quodam. *Hic*, ait, *deperibat quandam honestam fœminam, cujus pudicitiæ quotidie variis blanditiis insidiabatur. Quum autem voti compos fieri non posset, reluctante pudica fœmina, litabat Diabolo, ut is sibi in hac re auxilio esset. Diabolus ergò quadam nocte dormienti offert somnium, quòd fœmina illa, quàm perditè amabat, ad se veniret, sponte ingrederetur lectum, atque eum amplexa sit. Ille vicissim occasionem optatam nactus satisfacit suæ libidini, sed manè evigilans, jacet deportatus à Satanâ in turpissimo cœno extra urbem amplectens & osculans cadaver asini fœtidissimi.*

§. 8. *Memoria* etiam fascinatur, & quidem tripliciter, ratione *vel* objecti, *vel* subjecti, *vel* officii. *Objectum* sunt species cognitæ sensuum externorum ad memoriam tanquam thesaurum & custodem earum referendæ. Nam à sensibus omnia sua habet memoria, cùm nihil in memoria etiam sit, quod non prius fuerit sensibus objectum. Sensibus itaque per species fascinatis, memoria quoque consequenter

fascinatur. *Subjectum* cerebrum est, in cujus posteriore parte memoria viget. Læso & fascinato cerebro per accidens etiam memoria læditur & fascinatur. Illud autem afficitur, quando 1. ejus temperies vitiatur, ut vel nimis calida sit, quæ species consistere non patitur, vel nimis humida, in qua species facilè obliterantur, vel sicca nimis, quæ ægrè species sibi imprimi patitur. 2. quando spiritus cognitioni & impressioni inservientes obscurantur, obscuræ quoque species efficiuntur, & in thesauro isto asservantur. *Officii* ratione, quod est species retinere & reddere, fit fascinatio, quando specierum magicarum cum voluptate receptarum copia memoria obruitur, speciesque bonæ obliterantur vel plane auferuntur, istarumque ablatione oblivio inducitur. Ita Dæmon fascinat Magorum memoriam beneficia à Deo Patre per creationem, à Dei Filio per redemptionem, à Spiritu S. per regenerationem collata, specierum Magicarum, Phantasiæ gratissimarum, ubertate sensim obscurando, & reminiscentiam impediendo. Memorandum fascinatæ memoriæ exemplum legere est in illo Codronchi, infra *c. 8. § 4.* adducendo.

§. 9. An aliquid luminis intellectualis etiam à Dæmone memoria (non cujusvis sed ejus, qui Magorum classem subire gestit) accipiat, ut suô officiô splendidissimè fungi videatur, & quas momento ab isto accepit, species promptissimè reddere queat, obscurum. Continuâ suggestione & inspiratione rerum à spiritu malô factâ memoriam speciosissimam & excellentissimam videri, probabilius videtur. Illud tamen Voetio placet, quò exemplum Studiosi illius Patavini, qui 36000. (alii 33000. ponunt) vocabula semel audita ordine se repetiturum gloriatus & insigni aliquo specimine fidem fecit apud Muretum *in Variis Lection. libr. 3.* refertur. Sanè quicunque propriæ memoriæ reculas explicat & evolvit, quamvis eam infra excellentiam deprehendat, ut aliis palmam facile relinquat, tot tamen nomina semel audita memoriâ per naturalem aptitudinem solam comprehendi posse, vix assensum meretur. Magnum est, nec centesimo imitabile, quod Hippias Major de se apud Platonem *in Dial.* jactat, se semel audientem quinquaginta nomina memoriter repetere, item, quod de Joanne Gatto Siculo Wolfius *Tom. 1. Memor. Cent. 15. p. 823.* refert, eum, quicquid perlegit semel atque iterum, memoriter deinde protulisse. Protulit autem sine dubio

bio non ordine, ſed verbotenus; ſed quaſi confusè, non verba ſingula enumerando, ſed ſenſum exprimendo. Plura & ſtupenda excellentisſimæ memoriæ exempla (ſi vera) collegit Schottus *Phyſic. Curioſ. lib. 3. cap. 95.* quæ tamen maximam partem ita comparata ſunt, ut & phantaſia ad feliciorem omnium comprehenſionem ſymbolum aliquod conferre potuerit, imprimendo ſibi rerum cum maximâ attentione perceptarum cohæſionem: at 36000. vocabula barbara, nullam inter ſe per ſenſum quendam cohæſionem habentia, eo quo quisque velit, ordine ſtatim absque ullâ hæſitantiâ, etiam poſt annum quenquam recitare poſſe, quacunque etiam adjuvetur arte, hoc, fateor, à fide mea eſt alienum. *Crediderim Simonidem Lyricum artis memoriæ licet rudibus initiis inventorem: quin ipſum etiam Metrodorum Scepſium, artis conſummatorem cum Ovidio dicturum, nimium à veri diſſident illa fide*, ait Jordanus *lib. de divin. cap. 9.*

§. 10. Magna quidem & ampliſſima ars *memorialis* memoriæ naturali confert ſubſidia, quâ in Academiâ Regiomontanâ tum temporis, quo & nos ibi literis dedimus operam, florentiſſima admirabilem ſe reddidit Vir Cl. M. Joh. Buno, Præceptor quoque noſter in Collegio Hiſtorico-Chronologico per tabulas mnemonicas habito, Honoratiſſimus, ſub cujus moderamine etiam commilitones duo, Studioſi tum temporis Præſtantiſſimi Regiomontani Anno hujus ſeculi 48. Henricus Fries & Georgius Colbius (Juvenis hujus & amici tum mei eruditionis ac candoris nomine chariſſimi, cujus in ipſo Juventutis flore extincti obitum præmaturum etiamnum doleo, memoriam ſine publicô amoris cultu dimittere hic non poſſum) præclara artis mnemonicæ ſpecimina publicè ediderunt. *Ille* enim Syllabum Patriarcharum, Judicum & Regum cùm Populi Iſraelitici, tum trium Monarchiarum, priorum, videlicet, Aſſyriæ, Perſicæ, Græcæ, itemque virorum celebriorum, Epocharum præcipuarum rerumque memorabilium; *hic* verò Imperatorum Romanorum, Virorum celebriorum, rerumque præcipuarum Syllabum annos regiminis & ſucceſſionis cujuslibet Imperatoris annexos habentem, memoriter ſuperiorum conſenſu recitavit. Ac verò & ipſa ars mnemonica uſu & intuitu locorum ac imaginum crebrô, ut res per imagines indicatæ, obſtetricante Phantaſia memoriæ imprimantur, opus habet: neque ad tantam ea pervenire poteſt perfe-

ctionem, ut tradat modum aliquot millia nominum semel lecta vel audita memoriæ firmiter ita imprimendi, ut, quo tradita fuerunt, eodem etiam ordine reddi queant.

CAPUT V.

Fascinum somni & vigiliarum. Somnia vigilantium. Somniis Diabolicis Turcæ fugitivos vigilantes retrahunt. Dormientes fascinantur partim sopore profundissimo partim insomniis variis, Exempla illius. Maleficium taciturnitatis. Dæmon somniis lucidis potens responsa etiam in somniis dedit. Ephialtes quid? est balneum quoq; Dæmonis. In Ephialte Dæmon hominibus illudit. Fauni & Satyri Ephialtes dicti. Ephialtes vel naturalis vel præternaturalis. Hujus exempla duo, quorum alterum ridiculum.

§. 1. SEnsationibus omnibus conjunctim spectatis *Somnus & Vigiliæ* accidunt, quæ ipsa quoque Fascinum Diabolicum non evadunt, quando nimirum ad immoderationem à causa supernaturali reducuntur, & somnus ac Vigiliæ somniis adulterantur. Ad enormitatem reducuntur per causas naturales, sed vehementiores à Satana per potentiam loco motivam applicatas, quarum seriem exponunt Philosophi naturales hic non recolendam. Talis certè ἀγρυπνία fuit Duffi Scotiæ Regis; Mecænatis illa triennalis; Nizolii Ciceroniani decennalis; alia triginta quinque annorum apud Hieron. Montuum, Medicum Gallum, nobilis cujusdam Matronæ secundum Hieronym. Jordanum *de divin. cap. 10.*

§. 2. *Somnia vigilantium* eruditè more suo proponit Dn. Dd. Casp. Posnerus *Prof. Jenæ Celeberrimus, Differt. de Somniis Vigilantium*, qui *cap. 4. §. 2.* postquam divisionem somniorum vigilantium in physica & supernaturalia tradidit, hæc subjungit: *Minime negandum, somnia talia* (supernaturalia) *modo inusitato apparere posse, veluti si Diabolus, prout variis artium machinis instructus est, phantasiam percellit, ut præsertim ii, qui timidiores sunt, putent se spectra videre. Et sæpe tale quid in solitudine & locis desertis errantibus obtingit; tum enim aliis impedimentis remotis faciliùs eorum phantasiæ species horribiles imprimi*

primi possunt, ut adeò putent, se revera spectrum; aut aliud horribile videre, quod tamen nusquam adfuit. Hieron Jordanus *l. c. cap. 9. Et sic sæpe*, ait, *vigilantes somniamus, aut instar phreneticorum sentimus ea, quæ neutiquam obvia sunt.* Quò meritò idem refert Turcarum illam incantationem, qua servos fugitivos retrahunt, nomine eorum in schedulâ scriptô, eoque suspensô & diris devotô, Bartholomæo Georgievizio *Libell. de Morib. Turcar.* memoratam. Nempe fit vi dæmoniacâ, ut fugiens putet, sibi in itinere vel Leones vel Dracones incurrere, vel mare, vel flumina contra se exundare, vel omnia tenebris nigrescere, iisque terriculis repulsus ad herum redit.

§. 3. *Somnus* seu potius *Homo somno correptus* sæpius fascinatur partim causarum somnium procurantium gravitate, partim insomniorum à Dæmone immissorum varietate. Somnus seu sopor tantus nonnunquam magicis artibus efficitur, ut nulla ratione, donec causa Dæmonis nomine posita removeatur, profligari queat. Fascini somni exemplum tradit Freudius *Quæst. 190. num. 7.* ex Meigero memorabile, *de fure quodam, qui media nocte surgens candelam* (sine dubio magicè præparatam) *in nomine omnium Diabolorum accendit & ait: Qui dormit, profundè dormiat. Inde qui in domo dormiverunt (dormiverunt autem omnes excepta hospita) somno ita fuerunt sepulti, ut, quandiu candela, quæ ab hospita nulla ratione, ab alio verò Mago sequenti die levi negotio extingui potuit, arsit, nullo etiam repetito aliquoties conatu, excitari potuerint. Fur verò nocturnus candela accensa egressus, cum occluso ab Hera hypocausti ostio regressu prohiberetur, per fornacem ingressum quærens, dignam luit malefici facinoris pœnam capitis amissione, à fœmina masculum animum sumente securi facta.* Delrio *lib. 3. D. M. Part. 1. Quæst. 3. pag. m. 14.* sequentem recitat historiam: In urbe quadam Hispaniæ magni nominis concionator, qui, cùm aliis prædicaret, ipse reprobus vel factus vel permansit, familiaris erat cuidam viro nobili, cui formosula uxor, sed casta matrona. Hanc cœpit hircus ille efflictim deperire, nec diu ignem sinu fovit occultum, aperit animum, & mulieri flagitium nititur suadere. Illa certa tuendæ sanitatis, sedulò conatur ad saniorem mentem revocare à dementia. Sed erat oleum camino addere. Ut naphtam accensam vehementiùs aqua injecta exasperat, ut gliscat incendium: sic admonitiones hunc ultrò inflammabant. Nec

desiit

desiit urgere, donec pertæsa molestiam, statuit ulcisci nebulonem, rem totam pandit marito, quem non minus, quàm Atridas talis dolor urebat. Ejus jussu uxor tempus addicit: venit nox optata malè amanti. Maritus cum aliquot famulis egregiè armatus erat in propinquo conclavi, familiarem hunc haud familiariter excepturus. Operiebatur adventum matrona. Tandem en tibi! seculari habitu, accinctus gladio & pugione deducentem illam audacter subsequitur, & postquam consedisset, veterem cantilenam iterat. Mulier refutat & negat, ut solita, fecerant audaciorem tenebræ nocturnæ mœchum, & vim parat, vis vi repellitur: tandem verita mulier, exclamat, & condictum marito signum contenta voce tollit. Surdo (quod ajunt) fabulam, nec maritus, nec quisquam accurrit. Quid ageret? fugeret? tenebatur brachiis fortioribus, consentiret? mors probro & potior honestate, ungues ergo & dentes, arma stringit muliebria, & faciem deformat: sed præ furore hæc ille vix sentiebat. Gladium deposuerat dorso, pugiunculus hærebat: ut advertit matrona, inter luctandum manu eripit à tergo: districto mucrone perforat adversarium & vita privat, collabitur cadaver, victrix vix sui compos accurrit in conclave, ubi maritum abdiderat: invenit illum & famulos omnes mortuis, quàm vivis similiores, clamat, vellicat, trahit, nihil non agit, ut expergefaciat, at illi consopiti manebant. Suspicata (quod erat) maleficio id fieri, & videns sibi in seipsa spes omnes locatas, cadaver domo effert, & in plateam abjicit cum gladio & cruento pugione. Interea dum ibi jacet, circuitores nocturni in cadaver incidunt, ferunt in carcerem, facie lotâ, etsi non facilè, tamen agnoscitur concionator. Prætor seu (ut vocant) Corregidor prudentia pollet: silentio imperato præsentibus, summo manè adit cœnobium, evocat Priorem, ait, se de re maximi momenti cum ipso coram totâ familiâ agere optare; jubeat omnes ad unum in capituli locum convenire. Facit Prior, convenére vivi omnes, nam mortuus ille solus deerat. Prætor ait, videri sibi aliquem deesse. Re animadversa Prior: verè (inquit) omnes adsunt, excepto tali (& nominabat) qui fors nunc se ad proximam parat concionem, ipse quoque subdit ille, vocetur, mora haud longè futura, currunt nonnulli, ut vocent: cubiculo clauso, pulsant ostium, nemo respondet. It ergò cum Priore ipse Prætor, & januam vi reserant. Nemo erat in cella, duntaxat fax ardens & obscurum lucens,

lucens, defixa erat in camino. Mirari omnes & stupere. Tum Prætor Priori & conventui narrat, ubi & quale inventum cadaver. Et dum illud auferunt è cadavere, ut profanæ sepulturæ (quam SS. asini sepulturam vocat) meritò tradatur: ecce tibi! Nobilis ille cum uxore, & rem omnem narrant. Conferuntur momenta temporis: reperiuntur evigilasse, quo fax exstincta. Sic & perfidia hypocritæ detestatione omnium & mulieris castitas atque fortitudo laudibus totius viciniæ celebrata: non facilè ex illic habitantium memoria delebitur.

§. 4. Lamiæ etiam in tortura à Satana soporantur, ut ne quidem atrocissimis doloribus, quos carnifex variis tormentorum generibus excitare laborat, excitentur, quod *maleficium taciturnitatis* appellant, quia ob soporis profunditatem insensiles maleficio Diabolico factæ ad interrogata tacere atque ita facta, acta & pacta silentio occultare possunt. Præterea somniis somnum variis pingunt Dæmones, & (ut ore Wieri loquar) nacti à Deo potestatem species ejusmodi formandi, & eas in animales spiritus imprimendi talibus formis ostentant personas modò lætas, edendo, bibendo, saltando, canendo, Venerem exercendo; modò tristes, quæ nihil non mali fabricent, vel patiantur; modò humanas, modò bestiales, modò opprimentes, modò volantes, & animæ sensus iis infigitur tanquam rebus ipsis. Hinc fit, ut homini aliquando videatur, se esse asinum sacco coopertum, plerunque aquilam volantem, nonnunquam cum Diana & ejus nymphis, vel etiam alio mulierculaum cœtu de loco ad locum transferri, ducere choreas, longiùs peregrinari, & quibuscunque aliis interesse deliriis. Et certè somniis limpidis seu lucidis potens omni seculo Princeps hujus seculi fuit, & jam olim crebra gentilibus responsa de quæsitis rebus & remedia ægrotantibus somnii specie, non coràm, voce reddidit. Lacedæmonii in fano Pasitheæ somniandi causâ excubabant, & Æsculapium vera indere somnia creditum fuit, ideò ejus templum frequens Græcia adiit & honoravit. Calabri Podalirium Æsculapii filium consulturi, ad ejus sepulchrum asininis instratum pellibus, ipsi quoque iisdem cooperti decumbebant. Vide suprà *lib. 1. Part. 2. Sect. 2. cap. 6. §. 5.* Somniis quoque Diabolicis adscribenda sunt omnia ea, quæ, licet impossibilitatem & apertam contradictionem involvant, Lamiæ nihilominus verè contigisse sibi persuasissimum habent, & sub juramento etiam aliis maximè per-

ſuadere laborant, cùm tamen perſuaſio ſaltem ex ſomniorum claritate, quæ Dæmoni artificioſiſſimo autori adſcribenda, manet. Sic ſagam quandam hoc ante aliquot annos confeſſam eſſe, compertum teneo: **Der böſe Feind hätte ſie vorm Jahr zu einer Fliegen gemacht/daß ſie in U. K. Haus fliegen/ und die Supp vergifften müſſen/ mit gelbem Gifft/ſo der böſe Feind ihr gegeben: Die Leute aber hätten die Suppe nicht gar ausgeſſen/daß alſo ihnen nicht geſchadet. Vor 2. Jahren hätte er ſie auch zu einer Droſſel gemacht/daß ſie nach N. fliegen müſſen mit blauem Gifft/ſo ſie über den Korn-Flor herblaſen müſſen.** Indocilis hæc muſca (ita Lamias jure dixero, quia cùm muſcæ olim ſint dicti, qui delectabantur alienâ menſâ; iſtæ ad menſam Satanæ advolare geſtiunt) impoſſibilitatem transformationis corporis magni in muſcam vel avem ignorans, claris ſomniis decepta, id, quod ſomniavit, verè factum eſſe credidit.

§. 5. Somno ſomniiſque Dæmon in *Ephialte* (ἀπὸ τοῦ ἐφάλλεσθαι *inſilire*, & Latinis *Incubus* ab incubando) ſe immiſcet. Malum quidem eſt naturale Incubus, eſtque reſpirationis & vocis in ſomno interceptio, corporiſque oppreſſio, ſpeciem incumbentis Thoraci oneris præ ſe ferens. Sed & hîc ſæpe, ut in melancholia, balneum Dæmon quærit, ut vel hominum pectora anxietatum & terrorum ſpiculis perfodiat, vel in actu iſto Viris & fœminis illudat turpis libidinis uſum ab iis exigendo, iiſdemque amplius ejuſdem deſiderium imprimendo. Gentilibus ſua natura ad iſta vitia pronis Dæmonem ſic illuſiſſe non dubitandum. Hinc Incubus *malum Dæmoniacum*, item Faunorum in quiete ludibrium Plinio *lib. 25. cap. 4.* dicitur. Fauni enim Satyri ſunt Ephialtes κατ' ἐξοχὴν dicti, ſylveſtria Numina (h. e. Dæmonia ſub Satyrorum larvâ comparentia) quæ fœminis vel dormientibus vel vigilantibus ſtuprum inferunt: Qualem cum Satyris congreſſum Genti Hunnorum originem dediſſe Jornandes *in de Reb. Get. c. 24.* (ſi fides habenda) autor eſt. Magas enim à Philimero Gothorum Rege è caſtris in remotiſſimas Scythiæ Aſiaticæ ſolitudines proſcriptas à Satyris compreſſas & inde Hunnos procreatos fuiſſe ſcribit.

§. 6. Chriſtianis ad ſomnum compoſitis Dæmonem Dei permiſſu etiamnum ſic illudere, experientia pariter teſtatur, qua edocti Medici *Ephialten* quoque in *naturalem*, ac *præternaturalem* diſtinguunt. Ita Heurnius *Tract. de Morb. Capit. cap. 30.* ubi de poſteriori hanc recitat hi-

ſtoriam:

ſtoriam: *Memini*, inquit, *dum puer eſſem, me cubare apud matronam, quandam optimam: cùm dormiret, ei ſuper ſtragula Vir niger mihi incumbere viſus, manè querebatur, Incubo ſe infeſtatam fuiſſe. Ego quamvis puer, nihil de nigro illo audebam indicare, quòd minitari, ſi quid protuliſſem, viſus mihi fuiſſet.* Ridiculam recitat hiſtoriam Freudius *Quaſt.* 79. è D. König *in Heptad. Caſ. Conſc. Miſcell. cap. 2. In celebri quadam Imperiali civitate accidit, mihiq́ ab oculato teſte juxta omnes circumſtantias relatum eſt. Vivebat in publico quodam hoſpitio nonnullus Juris Conſultus, & de ſuo vivebat, Vir coloris floridi & vividi, nobili proſapiâ oriundus, facundus, & ob morum elegantiam omnibus acceptus, vitamq́ agebat perpetuò cœlibem. Hic ſingulis fermè noctibus infeſtabatur, ſubigebatur, & ad necem penè degravabatur; ſanè corporis viribus exhauriebatur, & in periculoſum languorem redigebatur. Conſulebat contra præſentaneum malum Medicos, præſcriptaq́ eorum medicamenta ſolertiſſimè adhibebat, ſed inani operâ & absque omni fructu. Continuat nocturna compreſſio, piumq́ pectus magis atq; magis fatigat & debilitat. Supervenit tandem Agyrta quispiam, & id conſilium ſuggerit, ut, ceſſante oppresſione, æger tacitus ſtatim de lecto ſurgeret, urinam in vitrum redderet, vitrum chartâ pergamenâ circumquaq; probè ligaret, & in ſcrinium obſeratum includeret, expectaretq́, quid poſtero die eſſet futurum. Paret JC & nocte ſequente, poſtquam à conſueto hoſpite iterum ſatis ſuperq́ delaſſatus eſſet, ad præſcriptum modum ſe componit, nihil omittens eorum, quæ facere juſſus fuerat. Et ecce! proximo die circa nonam matutinam comparet fœmina annoſa, petulca, rugis undiq; obſita, & in præſentia Agyrtæ ipſiusq́ hoſpitis, ab infeſtato precibus lachrymisq́ contendit, aperiret ſcrinium, & quod ibi opertum teneret vitrum, effunderet, fore alioquin, ut ex diuturniore retentione urinæ ſibi ſit pereundum. Ille negare petitum, fœminam increpare, & auxilium in integram horam differre; victus tandem nimbo lachrymarum annuit, ſcrinium aperuit, vitrumq́ effudit: cæpit illa è veſtigio coràm omnibus meiere, idq́ per totam plateam ad proprias usq; ædes pertexere. Sic ἐπαυτοφόρῳ deprehenſa eſt, quòd una è ſagis eſſet, & bono iſti Viro tot tantasq́ moleſtias hucusq́ intuliſſet. Nam ab eo tempore & ipſe revaluit, nullasq́ ulteriores vexationes hujusmodi oppresſionum paſſus fuit.* Similem hiſtoriam vide infrà *Part. 10. Sect. 2. c. 5. §. 5.*

CAPUT VI.

Visus frequentissimè & variè per varios organi morbos fascinatur. Excussionis oculi exempla duo. Objecti ratione quomodo fiat fascinatio. Res visibiles invisibiles per fascinum Diabolicum fiunt. Objectum visibile aliâ formâ comparens variat itidem, & quidem vel ratione figuræ, seu totius, seu partium: vel ratione quantitatis tum continuæ, tum discretæ: vel ratione coloris: vel ratione motus, & quietis: vel ratione horum omnium, aut plurimorum. Visibile corpus Dæmon sæpe induit, quod vel phantasticum vel verum, vel partim phantasticum, partim verum. Samuelem à Pythonissa in Endor evocatum non fuisse verum Samuelem, sed larvatum spectrum probatur. Vallesius, qui asserit animam Samuelis permissu Dei venisse, & assumto corpore aereo Sauli respondisse, notatur. Dæmon subeundo bruta verum corpus induit. Dæmones non omnibus, sed quibus volunt, sui videndi copiam faciunt. Prædicta omnia maximam partem historiis illustrantur.

§. 1. FAscinum jam sensuum externorum singulorum videbimus. Ex his *Visus* frequentissimè & variè fascinatur. Organum ipsum, oculum nimirum, Satanas fascinat, non tantùm morbos intemperiei & conformationis, sed & solutæ unitatis inferendo, inprimis eum excutiendo, ut fascinatus facultate videndi privetur, & planè nihil cernat; cujus duo Godelmannus *libr. 1. cap. 5. §. 8. 9.* notat exempla. *Rostochii quidam pecuniam ex incuria in locum quendam seposuit. Cùm autem eam postea invenire tam citò non potuisset, fabrum convenit, ab eoq; petiit, ut oculus furi excuteretur. Quo facto statim ipse dominus, qui fabri Diabolicâ operâ usus est, oculum amisit. Gustrovii quidam cochlear argenteum amiserat. Cùm autem furem ex oculo quoq; excusso cognoscere cuperet, fabrum adiit, ab eoq; petiit, ut sua arte magica furem oculo privaret, quod & factum, & statim filiolus illius, qui cochlear in angulum quendam conjecerat, oculum amisit.* Ita justo Dei judicio fascinum, quod aliis moliebantur, sibi ipsis cultores Satanæ inflixerunt, & in foveam, quam fecerant, inciderunt. Oculum insuper ipsum in sede sua & situ manen-

manentem Dæmon fascinat, ut vel nihil vel saltem obscurè videat.

§. 2. *Objectum* ipsum Dæmon *vel* visui subtrahit, ut præsens ab adstantibus actu non videatur, & invisibile fiat : *vel* visibile apparenter immutat, ut non sub propriâ, sed sub alienâ formâ visui occurrat : *vel* visibile corpus ipse induit, ut, quia de se visum non incurrit, per aliud quodammodo visui subjiciatur.

§. 3. I. *Res visibiles præsentes* per Diabolicam fascinationem *invisibiles* fieri, historiarum fide itidem constat. Ita ferunt Apollonium, cùm esset in conspectu Domitiani Imperatoris, repente ex oculis omnium evanuisse, & longè alibi extitisse. Hac ratione, scilicet magicè, non physicè, ceu annuli gestati virtute Gyges se invisibilem reddidisse creditur. Joh. Trithemius *in Chronic. Anno 970.* Judæum quendam Bajanum nomine Simonis filium, in lupum se, cum placuit, transformavisse, & invisibilem se reddidisse refert. *Saga quædam Marpurgi anno 1582. ad rogum damnata judicialiter deposuit, se invisibilem factam stabula subiisse, & venenum sibi à Dæmone datum jumentis, ore eorum clauso ligni ope reserato, insufflasse*, Freudius *Quæstion. 179. num. 20. ex D. Robero.* Meo tempore quando studiis invigilavi Hafniæ, Ancilla ibi Pastoris Germani primarii ei affinitate juncta invisibilis nonnunquam Dæmonis ope facta omnem supellectilem & utensilia quæque per ædium fenestras & januas projecit: projicientem autem nemo vidit. Preces pro malo hoc avertendo publicè ex suggestu fuerunt fusæ tamdiu, donec exaudiris Ecclesiæ precibus saga incauta Amasii Stygii visibili forma cuidam comparentis pedibus insistere, prædictaque ejicere juxtim visa & deprehensa est.

§. 4. II. *Aliâ formâ* objectum visibile comparet, & quidem itidem diversimodè ratione *vel* figuræ, *vel* quantitatis, *vel* coloris, *vel* motus & quietis, *vel* loci, *vel* ratione horum omnium, aut saltem plurimorum, pro negotiorum magicorum varium apparatum requirentium diversitate.

§. 5. Ratione figuræ, cùm visibile alterius speciei formam externam *vel* secundùm totum, *vel* secundùm partem induisse creditur, ut cùm homo totus in asini, lupi, equi, &c. figura & specie apparet: *vel* partes saltem quædam bruti cujusdam partibus similes evadunt. Ex innumeris, quæ in historiarum monumentis occurrunt, sequentia addu-

cere, exempla, non erit, spero, incommodum. *Totius* quidem objecti fascinati historiam narrat Francisc. à Rosset in traurigen Geschichten *version. Germanic.* Zeilleri, quam in latinam linguam Excell. Dn. Thomasius sua suada *loc. cit.* §. *56.* transtulit. Refert ille de Nobile quodam fide dignissimo, qui transmutationem hominis in lupum ipse vidit; Verba Nobilis translata quoad sensum hæc sunt: In Livonia unusquisque Magus aut Lycanthropus alium pariter hoc veneno inficere potest, & ipsi eam proprietatem dare, si cum eo nimirum bibit, & certis adhuc verbis ceremoniisque utitur. Novi Nobilem quendam, de quo fama exierat, tali eum infectum esse veneno, seque in lupum convertere solitum. Ad hunc tempore quodam in præsentia aliorum in convivio dixi: publica mihi fama narrat, te quoque teipsum in lupum transformare posse, quod cùm rationi & naturæ contrarium sit, meumque superet intellectum, credere nequeo, sed pro mera habeo melancholia. Ad quod respondit: quid? annon credis? aspice manum meam. Quæ locutus manus in momento in tetrum lupi mutata est pedem, dum amicus meus ad se eam trahere voluit, qui perterrefactus dixit, quid mihi cum diabolicis illusionibus tuis, & ab eo discessit. Statim verò Nobilis in lupinam speciem totus est mutatus, & à convivio in sylvas cucurrit. Saxo Grammaticus *lib. 5. Histor.* & Cranzius *lib. 1. Daniæ cap. 32.* citante Schotto *Physic. Curios. lib. 1. pag. 116.* narrant, cùm Frotho Danorum Rex ad diripiendam domum cujusdam Magæ contenderet, præmissis qui eam cum liberis comprehenderent, ipsam in equum se convertisse; mox accedente Frothone maritimæ bovis speciem assumpsisse, & pastum in littore vagabundam quæsivisse; filios quoque in vitulos convertisse: hujus monstri admiratione captum Regem, circuiri ipsos, reditumque ad undas negari jussisse; ac denique vehiculo egressum humi consedisse: Tum matrem prætento cornu Regem adortam alterum ejus latus, confodisse & exanimasse; milites verò jaculis portenta confixisse, iisque interemptis animadvertisse, humana cadavera ferinis capitibus prædita esse. Plura ibidem & apud cæteros magicarum rerum scriptores habentur exempla.

§. 6. *Figuræ partium* per fascinationem immutatæ exemplum occurrit in iis, quæ de Zytone Bohemô narrat Dubravius Episcop. Olmutz. *lib. 23. Histor. Bohem.* Is enim artem suam ostentaturus convivas

Regis

Regis variè ludebat, interdum manus illorum, ne illas ad patinas porrigere valerent, in pedes boum, interdum in ungulas equorum transformans, & aliquoties fronti illorum cornua cervina latissima adjiciens, quoties videlicet è fenestris ad subitum spectaculum prospicerent, ne rursus caput, & omnia ad mensam referrent.

§. 7. Ratione *quantitatis* tum *continua* tum *discreta* fit immutatio, cùm quod continuum est, divisum, & quod divisum est, continuum videtur: item cum id, quod unum est, multiplex apparet, & contra. *Sic Virgo Colonia mappam quandam laceravit, & subitò in oculis omnium redintegravit: vitrum quoddam ad parietem à se jactatum & confractum in momento reparavit*, Joh. Niderius *in Formicar. de Malefic. decept. pag. 755. Triscolanus Cenomannus præsente Galliarum Rege Carolo IX. orbes catena aurea è longinquo eductos in manum suam accipiebat, catena tamen postea integra comperta est*, Bodinus *Dæmonom. lib. 3. cap. 3. pag. 309.* Simon Magus duas, velut Janum, facies habentem se ostendit. Idem cùm esset aliquando Selene meretrix in turri quadam, & accurrisset multitudo ingens ad eum videndum, turrimque circumcinxisset adstantium corona, fecit, ut illa per cunctas fenestras turris illius omni simul populo conspicere videretur. Ita ex Clemente Romano Delrio *lib. 2. D. M. Quæst. 6.*

§. 8. Ratione *coloris*, cùm in alium vertitur, ut, cùm chartæ lusoriæ in alterius manu sic mutantur, ut bis terque alia in eis figura & color appareat, ut fecit Cæsarius Mallesius apud Delrium *lib. 1. cap. 4. p. m. 29.* Sic Zyto ille Bohemus nunc in purpura & serico, confestim autem in lana ac panno se Regi obtulit. Ratione *motus & quietis*, cum res & naturali & artificiali motus principio carens, tale tamen habere, ac moveri & quiescere putatur. *Ita cum magnus ille Tartarorum Imperator mensæ accumbit, Sacerdotes ejus & Idololatra arte magica curant, ut ex altera mensa crateres & scyphi aurei mero pleni, nemine ministrorum juvante, ne quidem contingente, per aerem translati ad ipsum perveniant Imperatorem, ac postquam biberit, mox scyphi illi redeunt suapte vi ad priorem mensam, quæ in medio aulæ est*, Paulus Venetus *Peregrinat. suar. lib. 1. cap. ult. & lib. 2. cap. 2.* Ratione *horum omnium*, aut *plurimorum* in actibus magnis magicis, mutationes varias requirentibus Prothei infernalis potentia fascinationem obtingere posse ex dictis patet.

§. 9. III.

§. 9. III. *Visibile corpus Dæmon sæpe induit*, ut, quia spiritus est, & proinde invisibilis, per assumtum corpus quodammodo se conspicuum reddat. Corpus autem assumtum *vel* phantasticum est, *vel* verum, *vel* partim phantasticum, partim verum. *Phantasticum* fuit illud larvati Samuelis à Pythonissa vi artis magicæ *1. Sam. 28.* evocati corpus. *Non enim fuit proprium Samuelis corpus. Siquidem hoc toto ferè biennio jam in sepulchro jacuerat. Nam 1. Sam. 25. v. 1. moritur, cap. 25. v. 26. 27. in variis desertis & locis oberrat David, tandem cap. 27. venit ad Achis. Cum eo commoratur per integrum annum, & quatuor menses, cap. 27. v. 7. Postea exercitum colligunt Philistæi adversus Israelitas. Quo facto, Saul prius Pythonissam consulit: adeò ut ad minimum annus & quatuor menses, si non integrum biennium præterlapsum, præter illud tempus, quod David in variis desertis oberravit. In quo tempore corpus Samuelis computruisse vix dubium.* Ita B. Joh. Ernest. Gerhardus *Disp. de Spectro Endoreo §. 25.* Nec alienum fuit corpus, quia corpus alienum germanis, Samuelis verò propriis lineamentis caruit. Dicere autem Dæmonem individuantes illas notas supplevisse in alieno & vero corpore per phantasticas illusiones, est illudere & finem apparitionis infringere. Fr. Vallesius *Sacr. Philos. cap. 37. pag. 226.* phantasticum quoque illud Samuelis evocati corpus fuisse agnoscit. *Non desunt*, inquit, *qui asserentes non fuisse phantasma dæmoniacum, sed ipsum Samuelem, existiment assumpsisse Dæmonem Samuelis corpus, atq; ex illo respondisse, atq; vocari Samuelem, ut cujusq; hominis cadaver ipsius nomine dicimus: hoc verò sine omni probabilitate, neq; sine Prophetæ injuria, videtur dici. Nam longè facilius erat Dæmoni aereum corpus effingere, aut videntium oculis illudere, quàm dissolutum jam in sepulchro corpus in formam pristinam vel apparenter restituere. Quod autem majus opprobrium fieri poterat Prophetæ corpori, quàm à Dæmone assumi? Hoc igitur minimè est probabile.* Probabile tamen non est, quod istis Vallesius subjungit, *permissu Dei venisse animam Samuelis, atq; assumpto corpore aereo Sauli respondisse.* Anima enim separata alia à se moveri nequit. Nam, ut Jesuita Delrio benê disserit, *hoc motu locali faciendum foret: anima verò separata non potest vi propriâ alia à se movere ex veriore sententia. Caret enim organis corporeis, quæ illi ad movendum corpus necessaria, quando erat in corpore.* Jam si id, quod Pythonissa per Necromanticam artem ex inferis eduxit, nec verum

verum Samuelis corpus, nec ipsam Samuelis animam habuit, non verum, sed larvatum & fictitium Samuelem, seu Satanam fuisse id, quod Rex Saul oculis usurpandum accepit, eumque sub fictâ Samuelis formâ apparuisse, colligit quivis. Quod argumentum contra Pontificios purgatorii sui gratiâ hîc pro vero Samuele tanquam pro aris & focis pugnantes, si ullus, certè B. Gerhardus doctissimè *loc. cit.* tractavit. Huc tota spectrorum historia spectat, quæ nihil aliud sunt, quàm conficta à Dæmone simulacra, & variarum formarum imagines, quæ se hominum vigilantium, etiam incorruptæ imaginationis, conspectui offerunt, & rursus disparent, relicto nullo sui vestigio, nisi quandoque fœtore gravissimo, de quibus Lavaterus, Delrio, Majolus, Schottus, Voetius, Freudius, & alii.

§. 10. *Verum corpus induit* Dæmon, quando bruta subit, variasque per ea actiones edit, quæ bruta ipsa de se edere obsessionis ignari credunt. Sic in Africa circumferri serpentes, in quibus Diabolus habitat, supra *lib. 1. Part. 2. Sect. 2. cap. 5.* §. *1.* ex Melanchthone apud Camerarium notavimus. Talem canem fuisse illum Corn. Agrippæ nonnulli volunt, de quo Jovius in Elogiis, postquam portentosum Agrippæ ingenium delineasset, scribit: *Excessit* (Agrippa) *è vita nondum senex, apud Lugdunum, ignobili & tenebroso in diversorio, multis eum tanquam Necromantiæ suspicione infamem execrantibus, quod Cacodæmonem nigri canis specie circumduceret, ita, ut, cùm propinquâ morte ad pœnitentiam urgeretur, cani collare loreum magicis per clavorum emblemata inscriptum notis exolverit, in hæc suprema verba iratè prorumpens: Abi perdita bestia, quæ me totum perdidisti. Nec usquam familiaris ille canis, ac assiduus itinerum omnium comes & tum morientis domini desertor, postea conspectus est; cùm præcipiti fugæ saltu in Ararim se immersisse, nec enatasse ab his, qui id vidisse asserebant, existimetur.* Jam si Dæmon ex Dei permissione ingreditur & obsidet serpentes, canes, imo ipsos homines, quidni ex ejusdem permissione lupos, equos, & alia bruta subire, & per ea hominibus illudere queat idem, cùm non detur ratio, quæ pro reliquis magis pugnet.

§. 11. *Corpus partim verum, partim phantasticum* est, quando mortui cadaver corpus induit, idque à putredine præservat (posse Dæmonem hoc efficere confirmat Casp. à Reies *Elys. Camp. Quæst. 34. n. 12.*)

& tali assumto corpore suis amatoribus & amasiis imponit, ut se cum formosissimâ virgine, vel juvenibus elegantibus versari, & rem habere putent. Corpus partim *verum* est, quia cadaver est, partim *phantasticum*, quia cadaveris characteres per illusiones phantasticas sensibus imperceptibiles redduntur & corriguntur ita, ut corpus perfectum, omnique labe carere videatur, illusionibus autem profligatis spurcities sensibus adversissima & falsitas undiquaque sæpe notatur. Exempli loco sit id, quod Manlius *in Collectaneis Tit. de Creat. p. 40.* Lercheim. *cap 14. pag. 129.* & Majolus *loc. cit. pag. 154.* tradunt. Nempe *Rotenburgi ad Tubarim honesti viri ædes frequentare solebat quidam & vestium splendore, & divitiarum jactatione, nobilitate illustrem sese virum professus, duos sibi junctos habebat comites, vestitu non minus pretioso indutos. Adducebat tibicinem unâ cum fidicine, convivia choreasq; instituebat, sub prætextu illius patris familias ducendi honestam filiam. Se nobili stirpe natum esse affirmat, divitias immensas, arces, prædia, oppidula in longinquis terris sibi esse plurima, nec quicquam eorum, quæ in hoc mundo optari aut desiderari possint, deesse, præter uxorem decoris ornatam moribus. Displicuit patrifamilias hospitis ejusq; sociorum importunitas. Quæ res eum movit, ut hospitibus istis advenientibus illius loci verbi divini ministrum quoque ad cœnam vocaret, & pia cum eo ex verbo Dei inter cœnandum misceret colloquia. Vehementer hospitem ejusq; socios ista colloquia offenderunt. Quare aliam dicendi materiam quærentes, multas, inquiunt, facetias esse, quæ potius conviviis exhilarandis inserviant, quàm divini verbi interpretationem; se rogare, ne sibi ulterius sacra Scriptura tædium & molestias creare velint. Ex quibus facilè cognovit paterfamilias diabolicum convivarum istorum ingenium, & jam satis adversus diaboli insidias confirmatus, apagete, inquit, vos scelerati nebulones, nihil vobis commercii est mecum, & cum meis. Baptizati nos sumus, & pretioso Christi sanguine redempti, is quoq; nos adversus diabolicas vestras insidias tutabitur. His dictis magno protinus cum strepitu impostor ille tartareus cum suis sociis evanuit, relicto post se fœtore teterrimo, triumq; suspensorum hominum cadaveribus.* Etiam Magi Dæmonis ope corpori vero partes phantasticas assuunt. Sic Christophorus Wagnerus Paduæ à quodam rogatus, ut jucundum animi gratiâ præsentibus spectaculum exhiberet, id quidem primùm renuit; illo autem instante

mox

mox caput bovinum magnis cornibus refertum eidem aptavit, ut verum bovem referret. Hoc cùm cæteros in risum, & fascinatum in indignationem solveret, veri bovis instar valdè mugire cœpit, ori calicem admoturus ineptitudinem suam, ob labiorum magnitudinem, advertit, allatum autem à Wagneri famulô in doliô quodam vinum plenô gutture traxit. Uxor famæ inclementia mota citô gradu ad maritum tendit, visóque mariti fascino, dira quæque Wagnero imprecatur. Fascinator autem cùm bonis verbis silentium frustra petiisset, uxori quoque vaccinum caput cum cornibus aptat, ex quo major & præsentium risus, & ex hoc fascinatarum personarum mugitus. Fascinatum ita par conjugum in magna spectatorum frequentiâ domum rediit suam, nec, nisi sequenti die ad aliorum intercessionem à fascinô liberatum. Quæ omnia hic in compendium Latinis verbis coacta pluribus Freudius *Quæst. 157. n. 2.* ex Hildebrandi Goetiâ recitat.

§. 12. Præterea cum in corpus aliquod Dæmones se induunt, non omnibus tamen, sed iis tantum, quibus volunt, sui videndi copiam in hominum quantumvis magnâ frequentiâ faciunt, ut notat Remigius *libr. 3. Dæmonol. cap. 11. p. 380.* idque probat à Catoptromanteiâ ac Gastromanteiâ, i. e. divinationibus, quæ fiunt per inspectum quid à puerô ad id ex artium illarum præceptis adhibitô, vel in aquæ ventricosâ amphorâ, vel in objectô speculo. Hujus exemplum adducit Gödelmannus *libr. 1. cap. 5. n. 12.* ex narratione Lazari Spengleri Norici, non ab aliis audita, sed à seipso cognitâ referentis. Fuisse, ajebat, sibi notum unum ex præcipuâ familiâ Norinbergæ virum honestum ac gravem. Eum quodam tempore venisse ad se, & attulisse in sericô panniculô involutam gemmam crystallinam, figurâ rotundam, & dixisse, donatam sibi illam fuisse à quodam ignotô, qui se ante multos annos de hospitiô compellasset forte in foro conventum, quemque ipse domum suam adduxisset, & triduo habuisset secum. Fuisse autem ab illo discedente & relinquente munus hoc, ad significationem grati animi, edoctum se crystalli usum talem: si qua de re certior fieri vellet, ut promeret crystallum, & puerum marem castum juberet aspicere, & ex eo percunctaretur, quid cerneret? Fore enim, ut de apparentibus puero visis omnia, quæ requireret, indicarentur. Atque affirmarat hic, se nullâ in re unquam fuisse deceptum, & mirabilia de puerorum in-

diciis resciviſſe, cùm cæterorum nemo quisquam aliud, quàm nitidam & puram gemmam intuendo videret. Reliqua omitto. Wierus *lib. 2. cap. 7. §. ult. Præſtigiator quidam*, ait, *Magdaburgi equulum in theatro frequenti per circulum tranſilientem oſtentabat certa ſtipe: in fabulæ exitu paucam ſe apud mortales collegiſſe pecuniam queſtus, ſe in cælum conſcendere velle ait. Hinc in ſublimi ejectô fune conſequitur in altum equulus: præſtigiator quaſi eum caudâ retenturus quoq; aſcendit: cujus uxor maritum apprehendens aſſectatur, itidem ancilla, ut viderentur aſcenſu contiguo velut concatenati ſimul aera petere. Hæc dum populus ad ſtuporem ſpectaret, cuidam civi eò fortè declinanti, quærentique, quidnam rerum ibi ageretur? reſponſum eſt, circulatorem cum equuio in aera conſcendere. His ſe ſtatim vidiſſe eum in vico ad diverſorium abeuntem aſſeveravit. Illuſos itaque ſe ubi animadverterent ſpectatores, diſceſſerunt.* Hæc Wierus. Ita ſpectatorum, non autem civis ſupervenientis oculi fuerunt faſcinati. Vid. Bodinus *lib. 3. cap. 3.* Remigius *lib. 3. Dæmon. cap. 11.* Freudius *Quæſt. 119.* Plura faſcinum viſus concernentia dabit Modus infra *Part. 6. c. 5. 6. & 7.* proponendus.

CAPUT VII.

Auditum Dæmon faſcinat, mutando vel organum, vel objectum; faſcinat etiam vocis, quaſi propriæ, formatione. Dæmon fiſtula puerorum & murium Hammelenſium auditum faſcinat. Hiſtoria iſta recitatur. Olfactus, Guſtus & Tactus ſimiliter faſcinantur, præcipuè ex parte objecti, & quidem in Guſtu: id ſæpe phantaſticum eſt, & ſola opinione tantùm ſibi veſci videntur faſcinati. Lamiæ veſcuntur humanâ carne. Maleficium taciturnitatis: hujus hiſtoriæ. Tactus faſcinatur, cum cutis induratur, ut ignis & omnem acutorum, item globulorum exploſorum impetum eludat. Ars Paſſavienſis: hujus nomen & origo. Alia etiam per hanc artem indurantur. Tactus faſcinatur etiam, ut ſentiat ea, quæ non ſunt. Exemplum faſcinati tactus & Viſus.

§. 1. IDem, ſed minor eſt, Satanæ circa reliquos ſenſus faſcinandos labor. *Auditum* pariter faſcinat, ut homo non audiat ea, quæ ſunt, & audire

& audire se arbitretur ea, quæ non sunt. *Organum* quod attinet, quidni & hoc, aurem scilicet, ut visus instrumentum concessa permissione lædere queat, & fascinare, cùm non minor sit potentia Dæmonis circa auditum, quàm circa visum, quamvis per visum magis, quàm per auditum illudere queat hominibus? *Objectum*, quod sonus est, ne ad auditus organum perveniat, id vel in totum vel in tantum impediri posse, nullus dubitabo. Sonum verum graviori supprimendo & novum concitando, immutatum & adulteratum ad suum organum Dæmon transmittere potest. Si enim, notante Gödelmanno *lib. 2. cap. 5. n. 13.* noctu tumultus ac turbas in ædibus excitare potest, perinde ac si omnes ollæ, lebetes, patinæ & canthari in unum conjecti frangerentur, cùm tamen manè omnia illæsa & salva, ordine & loco disposita conspiciantur: Si venationes, decursiones, hastiludia, & quæ homines in terris agitant, in aere audiri fecit Sedechias natione Judæus apud Joan. Trithemium in Chronico Hirsaugiensi, etiam verum sonum ex collisione corporum naturalium ortum Dæmonem depravare, & depravato sono auditum fascinare posse colligitur. Ita insimul patet, ea quandoque audiri, quæ non sunt. Lavaterus *de Spectris Part. 1. cap. 16. Noctu*, inquit, *in Monasteriis & locis solitariis aliquando auditur strepitus, non secus, quàm si vietores vinaria religent, stipentq́ue, aut alii opifices sua opificia exerceant, cùm certum sit, omnes cubitum ivisse, seq́ue somno dedisse.* Idem in armamentario ædibus meis vicino non semel ego audivi, præsertim quoties Serenissimus noster Princeps gloriosæ recordationis Altenburgi iter ad nos meditatus est, eidemque se accinxit.

§. 2. Vocis formatione etiam Dæmones auditum fascinant, quasi ea actione vitali, & propriis loquelæ formandæ organis fiat, cùm tamen his & consequenter voce spiritus omnis destituatur. Neque, si ex cadavere verba fundit, vera loquela est, quia vitalis facultas, quæ, ut vox ex pulmonis respiratione per retractionem aeris formetur, requiritur, in eo est extincta. Hanc autem Dæmon resuscitare nequit, quia animam vitalis actionis principium reddere nescit. Animam enim suo corpori reddere infiniti agentis est opus, quòd Dæmonis potestatem finitam superat.

§. 3. Auditum etiam non tantum *puerorum Hammelensium*, sed

& murium Magus quidam, aut Dæmon fistulæ sono fascinavit, eosque Hammeliâ (quod oppidum est inferioris Saxoniæ ad Visurgim fluvium) Anno 1282. (alii 1284.) eduxit & seduxit. Historiam recitat Athan. Kircherus *Musurg. Part. 3. cap. 3.* & ex eo Schottus *Mag. Univ. lib. 4. Syntagm. 2. cap. 3.* ut & *Physic. Curios. lib. 3. cap. 24.* sequentibus: Cùm dicti oppidi indigenæ eo annô ingentibus murium agminibus infestarentur, malumque in tantum cresceret, ut nihil ferè sive fructuum sive segetum, quod eorum rosionibus non esset obnoxium, reperiretur, vir quidam invisus antehac, & staturæ prodigiosæ comparuit: qui, quidquid murium in eo oppido, ejusque districtu esset, confestim sublaturum se, dummodò de certâ pecuniæ summâ secum paciscerentur, pollicitus est. Nec segnius, quàm promisit, effecit. Nam promissa mercede dictus Vir ex perâ, qua cinctus erat, fistulam (utriculus is erat) extraxit, & simul atque eam inflavit, ingentia murium agmina ex omnibus domorum angulis ac foraminibus prorupere, & aulœdum illum præeuntem extra oppidum ad flumen usque sunt secuta. Ibi aulœdum succinctâ veste flumen ingredientem sorices secuti unà omnes spontaneâ submersione perierunt. Hoc peracto, vir ille condictam mercedem exposcit. Verùm cùm cives de pecuniâ promissâ solvendâ tergiversarentur, minacibus illos verbis increpuit, asseruitque, nisi mercedem darent, futurum, ut aliam exigeret mercedem multò promissâ graviorem. Minæ cum risu acceptæ sunt. Vertente igitur anno, die 26. Junii circa meridiem denuò Vir dictus comparuit habitu Venenatoris, vultu terribili, inusitatæ compositionis pileo, fistulamque aliam longè à priori diversam simulac insonuit, ecce pueri ac puellæ numero 130. derepentè confluunt, & ludionem extra oppidum tripudiantes sequuntur. Est extra oppidum mons, seu potius collis, quem Calvariæ montem (Köpfelberg dicunt incolæ loci illius) vocant, & in monte caverna sat ampla, jumentorum stabulationi apta. In hanc cavernam unà secum omnes pueros duxit venator. Atque ab eo tempore nullus unquam puerorum comparuit ampliùs, nec unquam rescitum deinde, quid de iis factum, aut quò abierint. Unica puella, quæ infantem brachiis gestabat, & præuntes assequi non poterat, rem à longè aspexit, & regressa oppidanos monuit, qui agminatim omnes egressi per loca omnia & omnes angulos liberos, sed frustrà, quæsiverunt.

runt. Hactenus Schottus. Wierus *lib. 1. de Præstig. Dæm. cap. 16.* Historiam hanc in Annalibus conscriptam, Hammelæ in archivis religiosè custodiri ait. *Leguntur*, inquit, *& in libris templi sacris, atq; in ejusdem vitris picta conspiciuntur: cujus rei oculatus equidem testis sum. Vetustior præterea Magistratus in historiæ hujus confirmationem suis codicillis publicis inscribere solet conjunctim, Anno Christi &c. & exitus puerorum anno &c. Observatur vero in hunc usq; diem ad perpetuam rei gestæ memoriam, quòd tympani sonitus nunquam in eadem admittatur platea, per quam egressi pueri, si fortè isthinc aliqua educitur sponsa donec ex illa exierit: nec etiam choreæ in eadem ducuntur. Hinc & nomen consecuta est platea*, die Burge lose Straß. Martinus Schoockius equidem in peculiari libello inter fabulas relata referre operosè conatur: sed omnem ejus conatum egregiè Dn. Theod, Kirchmejerus *in peculiari Disp. Witteberga Anno 1671. habitâ*, retudit.

§. 4. Similia ferè fata sensus reliqui, *Olfactus, Gustus & Tactus*, ceu Visus & Auditus, per fascinum experiuntur, ut non tantùm organa ipsa lædantur, sed præterea ita fascinentur, ut non percipiant ea, quæ sunt, & percipere se arbitrentur, quæ non sunt. *Olfactum* fascinat Dæmon, quando vel organum, vel objectum, dum verba cum homine miscet, sic disponit, ut, quæ adduxit & præsentia habet homo non percipiat putidissima & maximè fœtida effluvia: eodem autem disparente nares ad extremum usque tædium istis replentur, quibus spiritus immundus aliàs de se caret, cujus hîc duas ex Godelmanno *lib. 1. cap. 3. n. 8.* recitabimus historias, quas his verbis proponit: *Cùm in celeberrima Academia Wittebergensi operam darem studio juris, memini, me aliquoties à præceptoribus meis ibidem audivisse, Lutheri ædes accessisse Monachum fores vehementer pulsitantem: cui cùm famulus aperiret, ac sciscitaretur, quid vellet? num domi esset Lutherus? quærit Monachus. Re cognita, Lutherus eum ingredi jubet, quòd nullum multo tempore vidisset Monachum. Ingressus hic, se quosdam errores Papisticos habere ait, quorum nomine libenter cum ipso conferret: proposuitq; Syllogismos, quibus haud difficulter à Luthero solutis, alios protulit explicatu non minus faciles. Unde offensus nonnihil Lutherus, in hæc prorupit verba: Multum mihi facessis negotii: aliud enim, quod jam agerem, erat: simulq; surgens loci à Monacho propositi explicationem ostendit, atq; in ejusmodi collatione cùm*

manus

manus Monachi non esse avium unguibus dissimiles animadverteret, inquit: Tune is es? ausculta, sententia hæc adversus te pronunciata est, & mox locum in Genesi commonstrat: Semen mulieris conteret caput serpentis, inde subjungit: nec cunctos tu digluties. Hoc dicto victus Dæmon abiit, eliso crepitu non exiguo, cujus suffimen tetri odoris dies aliquot redolebat hypocaustum. Friburgi in Misnia venit Diabolus humana specie ad ægrotum, decumbentem in lecto, afferens librum & dicens, ut ægrotus numeraret sua. quorum recordaretur, peccata, se enim illa annotaturum. Ægrotus initiò territus, & tamen animum recipiens, dixit: bene est, dictabo tibi ordine mea peccata, sed titulum præfige illis, hunc in modum: Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Diabolus hæc audiens abiit, & fœtorem pessimum post se in illa domo reliquit.

§. 5. *Gustum* Satan fascinat, ut lingua non gustet ea, quæ sunt, vel gustet ea, quæ non sunt. Hoc fit præstigioso ferculorum variorum apparatu mensis imposito, & ori ad comedendum concesso, quem hospites per externam formam decepti ex lautissimis & magnatum palato solitis ferculis constare arbitrantur, qui tamen in rei veritate non nisi canum, felium, luporum, corvorum, &c. carnes, & cujusque ori insolitorum ciborum præstigiatoriè præparatorum seriem gustui nihilominus gratam exhibet: id quod Sagarum quarundam confessiones actis Judicum insertæ adhuc testari possunt. Magi ipsi sæpe deluduntur, ut putent, se alimenta vera sumere, dum sumunt phantastica, referente ex Barth. de Spina Freudio *Quæst. 67. num. 10.* Attamen utrumque rectè, & cum veritate defendas, ut scilicet aliquando iis, quos Sagæ suppeditant, vescantur cibis, qui, si desint, aut aliter Dæmoni, in cujus hæc sunt arbitrio, visum est, *vesci tantùm sibi solâ opinione videantur*, inquit Remigius *libr. 1. Dæmonol. cap. 16.* Confer infrà *cap. 9. §. 10.* Egregium fascinationis Gustus exemplum occurrit in Sagis in Persia cor hominis devorantibus, quod suprà *Part. 2. cap. 1. §. ult*, recitavimus. Gustus earum ita fascinatur, ut humanæ carnis esum inter delicias referant. *Vesci eas humana carne est certo certius*, inquit Bodinus *lib. 2. cap. 5.* Nam eam post omnem hominum memoriam sic appetiverunt Sagæ, ut ægrè mortuorum corpora servari, aut concludi etiam possint, quin illæ ingressæ ad ossa usque abroderent: quamobrem LXVII. capite Legum Salicarum dicitur, Sortilegam, si hominem ederit, atque evincatur, solidos

lidos ducentos soluturam. Philostratus Lemnius autor est, Lamiam, quæ sic humanis vescebatur carnibus Corinthi, ab Apollonio Tyanæo retectam, & ejectam esse: quò spectans Horatius & velut crudelissimum facinus abominatus inquit:

Neu pransæ Lamiæ puerum vivum extrahat alvo.

Atqui hoc magis in more fuit positum, ut cibo isto alerentur. *Et paulò post:* Rondeletius doctissimus Medicus & celeberrimus, Magum quendam in Montepessulano sepulchris hærentem observavit, qui ad sepulchrum profectus, ubi mulieris corpus fuerat pridie conditum, ex quo rescidit femur, quod imponens humeris carnem dentibus mordicùs avellebat. De eodem Lucanus ita canit:

— — Laqueum nodosq; nocenteis
Ore suo rupit, pendentia corpora carpsit,
Abrasit carnes, percussaq; viscera nimbis
Vulsit, & incoctas admisso Sole medullas.

Saga illa cujus suprà *cap. 5. in fine §. 4.* mentio facta, hæc judicialiter deposuit: Daß sie bey den Täntzen allemal und zuerst von allen solchen ausgegrabenen Kindern essen müssen/ und solches wegen fremder Hexen. Quæ tamen ultima verba ego non capio. Præter religionis fervorem sanitatis commodum ad carnis humanæ esum animavit, adeò ut *Hostanes magus hominem in sacrificiis occidere, esse religiosissimum, mandere verò saluberrimum* tradiderit, Langius *lib. 1. Epist. Medic. 71.* Linguam è contra fascinare, ut non gustet ea, quæ sunt, Dæmonis potentiam non superare, patebit ex inferioribus.

§. 6. *Tactum* Magorum Dæmon pro maleficio taciturnitatis, ne occulta pacta prodant, fascinat, ut non sentiant ea, quæ sunt, i. e. maximam etiam continui solutionem, in qua doloris ratio formalis consistit, ab exquisitissimis tormentis illata, in equuleo actu non percipiant, sed contumacissimè etiam cum risu ac serena fronte, quasi re omni in Oeconomia corporis salvâ, per fascinum tolerent, & ut Dn. D. Carpzovius *3. Quæst. Crim. 125. num. 65.* loquitur, *in scala elevata dormiant, non aliter ac in lecto molliter decumbentes.* Fascino autem carnificis cura sublato veritatis confessioni linguæ fores reserantur, cujus exemplum notatu dignum Jodocus Damhouderus *in Pract. Crim. cap. 37. num. 2.* & ex eo Godelmannus *lib. 3. cap. 10. num. 38.* tradit. Ille, cùm Civitati Brugensi

fuiſſet à conſiliis, ſeipſum vidiſſe ait in muliercula admodum anu, quæ tum habitu, tum victu, tum inceſſibus, tum moribus, & fucatâ ſanctimoniæ ſpecie ab omnibus in pretio habita & plurimi facta fuerit, veluti vera Chriſti Apoſtola, quòd multarum matronarum filios ac filias quaſi miraculosè curaſſet, gibbos liberaſſet, crura tibiasque confractas illico reſtituiſſet, idque non arte, aut externo medicamine aliquo adhibito, verùm (ut olim Apoſtoli) pietatis aliquo exercitamento injuncto: nempe, ut uno, duobus, aut tribus diebus jejunarent in pane & aqua, vel ut ter legerent orationem dominicam &c. his rebus injunctis ritè expletis, illicò aut certè intra pauculos dies ab incommodis & morbis liberabantur, & firmæ valetudini reſtituebantur, ob eam, quam in ipſam mulierculam ſpem conceperant. Sed hæc (ut è prolixa hiſtoria ſaltem, quæ taciturnitatis maleficium concernunt, adducamus) torturæ tandem tradita, acriterque contorta, nonnulla delicta, eaque leviuscula confeſſa eſt, inſignia verò maleficia fortiter negavit. Ab hac itaque torturâ levabatur, & utcunque purgata rurſum in carcerem recepta eſt. Poſtea novis indiciis gravata iterum torturæ addicitur. In qua (ut prius) paucula quædam eaque minutiora tantùm confitebatur. Ob cruciatum tamen clamare cœpit: Abripite me ex hoc torturæ ſcamno &c. Relaxatur; ſed novæ torturæ deſtinata non lamentationes aut clamores edidit, ſed horum loco ſubridere cœpit, & quamvis ligata digitorum tamen complosionibus judicibus ipſis inſultabat, dicens: Vos, Prætor, Conſul, cæterique Domini, & tu quoque nefarie tortor, agite, facite poſthac, quod vobis libitum fuerit, nihil nunc in mei torturâ profeceritis, nihil in me valebit veſtra crudelitas. His auditis ſanior Senatorum pars exiſtimabat illam Dæmonis ope factam impaſſibilem. Ex eo namque tempore nihil ferè fateri voluit ex iis, quæ ſecundâ informatione producta fuerant, ſed ſcamno patienter innixa aut riſit, aut dormivit. Hinc factum, ut ſecundò è ſcamno & tortura relaxaretur, & iterum in carcerem reciperetur. Poſtea alii quoque teſtes auditi ſunt, & nova indicia habita, ob quæ jam tertiò torturæ adjudicatur. Verùm priusquam ſcamno adjudicaretur, totius corporis pili & crines abraſi ſunt, poſtea ſcamno imponitur, acerrimè torquetur, nihil tamen fateri voluit. Tandem quibusdam adſtantibus ſuccurrit, eam non eſſe tonſam in pudendis, ſub axillis & in culo: ubi per tonſtrices illi quoque crines abraſi fuerunt, & inter

raden-

radendum reperta fuit pergamena culo cunnoque inserta, cui inscripta fuerunt aliquot peregrina vocabula dæmonum, crucibus aliquot inter se distincta, hæc pergamena Senatoribus exhibita occasionem præbuit, ut rursum scamno torquenda traderetur, ubi facta planè passibilis, omnia nudè fatebatur, quæcunque tribus prioribus informationibus fuerunt proposita. Cùm autem rogaretur, cur prius fateri noluerit? *Nisi à me*, inquit, *omnes crines, atque etiam hanc schedulam abstulissetis, nunquam à me perquirere quicquam potuissetis, ut quæ per illa ob maligni spiritus operam facta eram impassibilis.*

§. 7. Fascinatur & tactus, *cùm cutis magica arte ita induratur*, & firmatur, ut non tantùm ignis furorem non sentiat, sicut Simon Magus in igne positus non arsit; sed & duris & acutis fortiter impressis non cedat, omnem armorum ac globulorum è bombardis explosorum impetum eludat, nullamque sic ratione continui solutionem patiatur. Ars hæc Passaviensis, die Passauer-Kunst dicitur, quia in exercitu illo, qui circa Passavium collectus, postea anno 1611. in Bohemiam irrupit, & Pragam occupavit, primò innotuit, & per totam Germaniam passim disseminata est, àque carnifice ejus loci primò militibus communicata dicitur, Sennertus *lib. 5. Princ. Med. pag. 521.* Tales autem vernaculè dicuntur, fest/hart/gehärt. Artis hujus experimenta ostendunt quoque in aliis, cum bruta, poma, pyra, haleces, butyrum &c. ita indurant, ut omnis aciei vim infringant. Non tamen omnibus corporis partibus indurationis istud ac immunitatis privilegium concessum esse dicunt, puta oculis, ori, cervici, loco qui inter scapulas est, axillis, genubus, atque has à fascino isto immunes esse referunt.

§. 8. Fascinatur etiam tactus, *ut sentiat ea, quæ non sunt.* Ita Magi ipsi sæpius fascinantur, & decipiuntur, cùm se tactu percipere existimant, in capite se cornua gestare, se habere os bovinum, manuum loco ungulas equinas; cùm sagæ se procos infernales seu spiritus in amplexibus, osculis & congressibus tangere existimant, qui tamen de se carnem & ossa non habent: caro autem & ossa quæ tangunt, cadaveris sunt, quod Dæmon, ut suos feliciùs decipiat, sæpenumero subit, testibus Historiarum & rerum Magicarum conditoribus. Fascinationis tactus & visus exemplum egregium, ridiculum quidem, verè tamen Diabolicum de publico illo Magiæ Doctore Joh. Faustio, reipsa infaustissimo

 recitat

recitat Majolus *Colloq. 3. pag. 176. Is cùm aliquando apud notos quosdam diverteret, qui de ipsius præstigiatricibus actionibus multa audiverant, ii ab eo petierunt, ut specimen aliquod suæ Magiæ exhiberet. Hoc cùm diu recusasset, tandem importunitate sodalitii neutiquam sobrii victus, promisit, se illis exhibiturum, quodcunque expeterent. Unanimi igitur consensu petiverunt, ut exhiberet illis vitem plenam uvis maturis: putabant enim propter alienum anni tempus (erat enim circa brumam) hoc illum præstare nullo modo posse. Assensit Faustus, & promisit, jam jam in mensâ conspectum iri, quod expeterent, sed hac conditione, ut omnes magno silentio immoti præstolarentur, donec illos juberet uvas decerpere: si secus facerent, instare illis periculum capitis. Hoc cùm se facturos recepissent, mox ludibriis suis hic ebriæ turbæ ita oculos & sensus præstrinxit, ut illis tot uvæ miræ magnitudinis & succi plenæ in vite pulcherrimâ apparerent, quot ipsorum adessent. Rei itaque novitate cupidi, & ex crapula sitibundi sumptis suis cultellis expectabant, ut illos juberet rescindere uvas. Tandem cùm istos leviculos aliquandiu suspensos in ipsorum vanissimo errore tenuisset Faustus, subitò in fumum abeunte vite unà cum suis uvis conspecti sunt singuli tenentes loco uvæ, quam unusquisque apprehendisse videbatur, suum nasum, apposito superne cultello, ita ut, si quis immemor præcepti dati, injussus uvas secare voluisset, seipsum naso mutilasset.* Tactu hi senserunt uvas, quæ non fuerunt, & tactu non senserunt nasos, qui fuerunt.

§ 9. Fascinat etiam Dæmon tactum, cùm eum depravat, hoc est, violenter in sensorium tactus agit, idque corrumpit, & sic dolorem infert, qui tactus depravatus dicitur, cujus exempla in re omnibus manifestâ adducere supervacaneum existimo. Videatur *caput sequens 9. § 10.*

CAPUT VIII.

Facultas appetens fascinatur mediante facultate cognoscente; hanc quomodo Dæmon fascinet? Amor vel naturalis est, qui hîc non attenditur; vel sensualis, vel rationalis: & hic & iste fascinatur. Cor hominis ab amore non vacat: hic Deo debetur; sed Dæmon eum seducit, & quidem in iis potissimum, qui sensuum ductum magis sequuntur. Fascinum amatorium magicis artibus

bus inferri antiquitatem non latuit. Fascini amatorii exempla. Judicum favor fascino procuratur. Odii fascinatorii exempla. Odium erga Deum Dæmon tempore tribulationis excitare studet. Exemplum odii fascinatorii mulierum erga Viros. Dæmon se reliquis affectibus fascinandi studio immiscet.

§. 1. TEndimus ad reliquas Facultates, & quidem *Appetentem*, quæ per motum à sensu provenientem exoritur: estque vel *concupiscibilis* vel *irascibilis*. Ad *illam* spectant Amor & Odium, Lætitia & Tristitia, Desiderium & Fuga: ad *hanc* Ira, Spes & Desperatio, Timor & Audacia. In omnibus his operosus est Dæmon, ut appetitum per se bonum malum efficiat, & per fascinationem ad abusum Deo abominandum seducat, quod quidem eò feliciùs efficit, quò lubentiùs appetitus sensitivus sensuum judicium sequitur. Movetur enim appetitus opinione facultatis cognoscentis. Si hæc Dæmonis astu fascinatur, etiam illum consequenter fascinari posse patet. In ista autem fascinanda omnem movet lapidem, & exaggerando objectum tum bonum, tum malum studiosè quærit, ut perturbatio oriatur & pugna, dissidiumque inter partem voluptatis & doloris capacem, & inter consultantem judicantemque existat, præcipuè verò subitò mens objecti gravitate concutiatur, & commota ei mox serviat, à quo impellitur.

§. 2. Ad *Amorem* devenimus, qui quidem in genere *vel* naturalis, *vel* sensualis, *vel* intellectualis est. *Naturalis* in sympathia radicatus licet fascinum non effugiat, hoc loco tamen non attenditur. *Sensualis* per rerum sensibilium speciem sensibus gratam & acceptam generatur. *Rationalis* ex rationis rectæ objecti veram bonitatem æstimantis dictamine oritur. *Sensualis* sæpe fascino apparente objecti speciei subjicitur & decipitur, quæ si detraheretur, odium potius & nausea oriretur, quàm amor, sicut Sagæ haud raro apparente rerum in se abjectissimarum specie ludificantur, ut scybala pro auro accipiant, & circa patibula saltantes se in magnifico palatio degere existiment. *Rationalis* amor carnis corruptæ perturbationibus frequenter depravatur & fascinatur, ut rectitudinis oblita ad vitia, sensu acriter irritante & appetitu nimiùm solicitante inclinet: atque ad hæc per sensualem via sternitur. *Cordi humano ea natura est, eaq; proprietas divinitùs indita, ut ab amore*

vacare nunquam possit. Ex qua amoris necessitate apparet, hunc affectuum nobilissimum à Deo implantatum, & à Spiritu S. accensum summi boni studio impendendum, Deoq; reddendum esse, ait Dn. Arndius *de Vero Christianismo lib. 1. cap. 28.* Diabolus verò amplificando per suggestiones creaturarum & temporalium bona tam blandè miserorum mortalium fascinat voluntatem, ut penetralia animæ soli Deo reseranda, amori sui ipsius creaturarum & Dæmonis aperiat. Eos autem potissimum fascinat, qui sensuum magis, quàm spiritus ductum sequuntur. Sensibus sensibilia se inferunt, quæ grata & utili sui specie corpori magis affini phantasiam seducunt, & tacitè Satanâ ex Dei permissu cooperante abripiunt. Mens verò in se quidem à sensibilibus aliena, corpori tamen sociata & immersa, vix, nisi Numinis divini virtute juvetur, è terrenorum compedibus se extricare, & in altum evolare potest. Tanta est mundanorum moles! tanta in Diabolo fascinandi curiositas!

§. 3. Fascinum & maleficium amatorium magicis artibus inferri, antiquitatem non latuit, id quod doctè & succinctè more suo Jordanus *Lib. de Divino cap. 23.* tradit. *Thessala philtra,* ait, *seu Charitesia Irenai antiquissimum sunt machinamentum magicum. Ne Ægyptios quidem Sacerdotes his abstinuisse ab Heliodoro libr. 3. Æthiop. instituimur. Marcum Magum S. Irenaus vocat muliebris pudicitia per incantationes expugnatorem: cujus sectatores etiam Rhodanenses dementarunt. Etiam Gnostici de philtris curiositatis, somniorum artificibus & assessoribus dæmonibus gloriabantur. Pluto numen illicium ad amorem credebatur, cui sacra stygialia & cocytia parabantur, super tegulis accensis philtris, qua inde tegularia dicebantur. Mosen & Salomonem annulos amoris & odii confecisse, nescio quâ fide Josephus narret. Multitudinem fornicationum & maleficiorum severè castigat Deus in Babyloniis, Nahum. 3. Nec improbabile est illud Theocriti, Gracos ab his amatoria maleficia didicisse. Athenienses Temniam Sagam ob hac maleficia morte mulctarunt, ut est apud Demosthenem contra Aristogitonem.* Hæc Jordanus.

§. 4. Fascini amatorii exemplum legimus in vitâ S. Hilarii Abbatis, juvenem quendam in civitate Gaza puellam honestam ardenter deperisse. Hanc cum ille in suam voluntatem adducere non posset, à Magis, qui in civitate Memphis, in templo Æsculapii Sacerdotum officiis fungebantur, remedium petiisse fertur, à quibus laminam accepit horren-

horrendis quibusdam characteribus inſcriptam, quam ex illorum conſilio in limine domus puellæ abſcondidit, protinusque in tantum amorem & deſiderium puella devenit, ut eundem juvenem altâ voce continuo compellare cogeretur. Sequens tradit Codronchus *lib. 3. c. 6. In quodam Hetruriæ oppido, juvenis quidam adeo perditè veneficam mulierem adamavit, ut formoſam alioqui & honeſtam uxorem unà cum filiis reliquerit, & cum pellice ſuorum immemor vitam eousq; traduxerit, donec uxor de maleficio monita eo conceſſiſſet, & clam maleficii inſtrumento perquiſito inveniſſet ſub lecto bufonem ollâ incluſum, conſutis oculis; Eo igitur abrepto, & ſolutis oculis poſtea igni cremato, confeſtim vir ſuorum recordatus, tanquam è ſomno ſurgens ad uxorem & filios reverſus eſt. Hæc ille.* Huc partum faſcinô magicô Judicum favorem referimus. Siquidem *Magiâ Judices interdum ita dementantur, ut non poſſint non favere parti licèt injuſtam cauſam habenti*, ut habet Balduinus *Libr. 3. Caſ. Conſc. cap. 5. Caſ.* B. Keslerus *in Theol. Caſ. Conſc. cap. 50.*

§. 5. Contrarii ſenſus ratione *Odium* faſcinatorium intelligitur, ſive imaginationis, ſive rationis depravatæ culpâ, Diabolô ubique velificante, illud oriatur. Illius exemplum memorabile itidem tradit Codronchus *l. c. p. 118.* ſequentibus: *In oppido Sepino ditionis Neapolitanæ erat quidam Jacobus nomine, cujus uxor tantum odium cum eo exercebat, ut à primo die, quo inter ipſos matrimonium contractum fuit, ſimul habitare non potuerint, tantum abeſt, ut ſeſe invicem copulaverint. Et ſi quando Jacobus ad uxorem accedere voluiſſet, tanto furore ac rabie percita uxor, ut ſe per feneſtram potius præcipitem daret, quàm illum pati poſſet: quod cum cuidam religioſo viro ab ipſis hoſpitio recepto relatum eſſet, de hac re dubius, & ad fidem præſtandam difficulter ſe habens experiundi gratia illico mulierem accerſiri jubet, ejusq; maritus in interiorem ædium partem ſeſe abdidit, ne ejus præſentia uxor ingredi renueret. Venit mulier, quæ de odii cauſa contra conjugem interrogata ſuam vicem prius, miſerumq; fatum cum deploraſſet, ſe nullam, inquit, ejus rei rationem reddere poſſe. Quin abſentis mariti tantô deſideriô & amore ſe flagrare dicebat, ut id verbis exprimere nequiret. Cùm autem ad illum alloquendum & videndum accedere vellet, illico imaginationi ſuæ tot deformitatibus & turpitudinibus, totq; horribilibus monſtris maritum depictum apparere, ut mortem prius ſubire vellet, quàm illum ferre aſſerens.*

rens. Quod ejus anima tota omnesq; vires & spirituum partes in maritum tanquam in oblatum malum & sui perniciem ferebantur. Rursus eo absente ejusdem desiderio æstuare se ajebat. De cujus mulieris verbis cum bonus ille Sacerdos periculum facere vellet, dixit mulieribus eam comitantibus, ut illam circum pedes & brachia super lectum vincirent. Quo maritus omni repugnantia remota, expeditum accessum ad eam haberet. Verebatur enim ille Sacerdos, ne ob deformitatem aliquam celandam mulier se ita affectam simularet. Uxor deniq; ob mariti desiderium se ligandam tradidit, rogans, ut ad se maritum admitterent. Quo ingrediente, nulla unquam furia tam immanes visa sunt, nulla fera tam efferata, nulla belua tanta rabie & furore concitata ei similis inventa fuit. Spumam ex ore emittebat, dentibus fremebat, oculos contorquebat, totumq; corpus, veluti furiis agitatum ac dæmonibus plenum videbatur. Mulieresq; ibi assidentes retulerunt, ejus ventrem ac stomachum funibus contortis ipsis tangentibus refertum visum esse, totamq; cutim, ut flagris cæsam redactam. Nec furendi finis factus est, donec maritus concertationis labore defessus & illius misericordia motus illinc exiit. Et tandem post tres annos mulier quædam in veneficiis versata, quæ Jacobi matrimonium cum illa uxore graviter molesteq; tulerat, maleficium, quod patraverat, solvit. Et ita Jacobus uxore potitus est. Inde in summa pace atq; otio tranquillissimè vixit. Sic Valecza, Libussæ Boemæ famula mulieres à Virorum amore per veneficium adeò avertit, *ut conjuratione initâ suos quæq; maritos, fratres, patres, filios una nocte interfecerint, mox arce Vissegradensi obsessa Primislai Regis exercitum ad internecionem fere ceciderint.* Ex Ænea Sylvio *in Histor. Bohem.* Delrio *lib. 3. p. 1. Q. 4. Sect. 8.*

§. 6. Rationem etiam Dæmon corrumpere & odium erga Deum in animis sub crucis jugô gementibus conciliare studet. Γεννᾶται, τὸ μῖσος ἐκ φαντασίας τοῦ ὅτι πονηρὸν, ἢ κοινῶς ἢ πρὸς αὐτόν ἐστιν ὁ μισούμενος. *Odium gignitur, quod, quem odio quis habet, eum vel simpliciter, vel erga se malum esse imaginatur*, ait Plutarchus *lib. de Invid. & Odio.* Christianis in desertô crucis & calamitatum degentibus, paneque carentibus tentator odium in Deum concitare laborat hoc persuasionis fascino, non filios esse patris cœlestis, qui esuriant, malum esse Dei animum & aversum

ſum ab iis, quos malis & afflictionibus variis obruere non ceſſat. Quo de Theologorum monumenta teſtantur abundè.

§. 7. Ita & reliquis animi inordinationibus ſeu affectibus Dæmonem ſe immiſcere, & faſcinô, Deo permittente, ad abſurda homines ſeducere poſſe, ex iis, quæ hactenus expoſuimus, conſtat, ut reliquis affectibus per faſcinum adulteratis uberioris declarationis facem admovere operæ pretium haud videatur. In omnibus autem cauſam exaggerat, & objecti magnitudine phantaſiam faſcinat, ne frenum iis compeſcendis ratio mox injiciat. *In diſciplinâ noſtrâ* (Chriſtianâ) inquit Auguſtinus *lib. 14. de C. D. cap. 5. non tam quæritur, utrum pius animus iraſcatur, ſed quare iraſcatur, nec utrum ſit triſtis, ſed unde ſit triſtis; nec utrum timeat, ſed quid timeat. Iraſci enim peccanti ut corrigatur, contriſtari pro afflicto, ut liberetur, timere periclitanti, ne pereat, neſcio utrum quiſquam ſanâ conſideratione reprehendat?* Ita nimirum peſſimô Cacodæmonis affectu & effectu fieri poteſt, ut affectus in ſe haud malus ratione cauſæ, quæ tenuis, animique commotione indigna, vel ratione modi moderamen requirentis, malitioſus evadat.

§. 8. Facultatem *loco motivam* hominis Dæmon faſcinat, vel motum ejus naturalem auferendo, aut depravando, vel violentum ei inſerendo. In naturali motu vel totum corpus, vel pars ejus locum mutat. Totum locum mutat, cùm progreditur: progreſſus fit alternatione pedum: ſingulæ autem partes concinnam ad motum obtinent fabricam. Verum & totum, & partes ad motum ineptas per faſcinum reddere poteſt magicum ſodalitium, id quod & ratio, & experientia confirmat. Ratio eſt, quia ut ſupra probavimus, Dæmon morbos inferre poteſt. Ergò etiam paralyſin, & univerſalem & particularem, item convulſiones. Experientiâ quoque hoc conſtat, ut exempla congerere operæ non ſit pretium. Niderus unam à ſe viſam ait, quæ vicinæ mentum ſurſum deorſum vertit horrendo ſpectaculo, annotante Bodino *libr. 2. cap. 8.* Mulierem *Luc. 13.* ſpiritus infirmitatis per annos octodecim ita afflixit, ut inclinata inſtar teſtudinis aut beſtiæ incederet, nec ſurſum omninò reſpicere poſſet. Refer huc illud, quod *cap. ſeq. §. 9.* dabimus.

§. 9. Eſt & ejusdem Facultatis loco motiva quædam faſcinatio, cum violentus motus infertur, ita homo breviſſimo temporis ſpatio

Gggg ſcopis,

scopis, furca, pallio vel hirco vectus in remotissima loca defertur. Non enim ex naturali principio hoc oritur, cum nulla res naturalis eam vim conferre queat: neque homo de se eam habet, nec per artem (nisi Paracelsistarum, quam Dn. D. Libavius alicubi salsè & verè Gabel-Kunst vocat) acquirerere potest. *Totum quidem animal naturâ seipsum movet: corpori autem accidit, ut moveatur naturâ & præter naturam*, inquit Aristoteles *lib. 8. Phys. cap. 4.* h. e. si corpus animalis attendas habita ratione animæ, ejus motus est naturalis, quia est à principio internô: sed si consideres non ratione animæ, sed elementi prædominantis, nunc est secundum naturam, ut in descensu, nunc contrà, ut in adscensu, ut explicat Vossius *lib. 3. Idol. cap. 37.* Non autem corpus hominis in altum, & in alto secundùm omnes situs differentias naturâ, sed supra naturam seu à supernaturali agente movetur. Hoc Dæmon est qui vel invisibiliter, vel in assumtâ hirci formâ bajulatoris officium gerit. Neque hoc ei impossibile, quippe qui creatorem suum, Christum assumsit, supra pinnaculum templi statuit, & super montem rursus transvexit, *Matth. 4.* Adhæc si Angeli boni possunt hominem per aerem corporaliter transvehere (quod testari potest Propheta Abacuc, quem capillo capitis apprehensum ex Judæâ in Babylonem modico temporis spatiô Angelus duxit, & reduxit; testari etiam possunt Angeli illi, qui *2. Reg. 2.* ex sententia quorundam Theologorum, in schemate corporum flammantium Eliam vivum è viventium consortiô conspectui mortalium subtraxerunt, & ad cœleste regnum sursum deportarunt) etiam malos Angelos id efficere erit concedendum, quia istud non ad gratiosa, quæ Dæmones amiserunt, sed ad naturalia, quæ retinuerunt, pertinent. Per parietes autem, januam clausam & foramina angusta corpus humanum sine sanitatis & corporis incommodo infernalis prædo rapere nequit, quia corporum & partium corporis penetratio vires naturæ superat. Dæmon autem nihil efficere potest, nisi quod leges naturæ permittunt.

CAPUT IX.

Hominis secundùm Facultatem vegetativam fascino subjecti consideratio. Vita quid? Dæmonem morbos tum per se tum per Magos

Magos immittere ex sacris & profanis probatur. Historia Duffi Regis maleficio læsi. Eam in dubium Cardanus & Wierus vocant, quod mirum videri nequit. Morborum fascino injectorum quidam Catalogus è Chirlando. Realiter morbos inferri probatur & historiis confirmatur. Objectio quædam pro Lamiis pugnans diluitur. Res per fascinum immissæ atrocissimos dolores creant, quod per exempla ostenditur. Dæmon pestem quoque immittit, & modum etiam Magos docet. Ita non tantùm morbos, sed & mortem infert, quod historiis & Lutheri authoritate confirmatur. Nutritionem Dæmon quoque fascinat phantasticum alimentum subministrando, quandoque tamen verum porrigit. Fascinum lactationis. Augmentativam facultatem Dæmon fascinat. An arte magicâ fieri possit, ut gigantes & Pygmæi generentur? illud negatur, hoc conceditur.

§. I. VEgetativam in homine potentiam, fascino submitti explicandum restat. Hic primum Vita, deinde Nutritio, hinc Augmentatio & denique Generatio occurrit. *Vita* principiorum in ipso ortu communicatorum fluxus est & continuatio. Fluxum istum & continuationem seu Vitam Dei permissu (quem ubique supponimus) mirè indefessus omnis mali artifex, & morbos, & mortem inferendo, turbat tum per se, tum per Magos & Sagas. *Illud* sacra, hoc profana testatur historia. Sacra quidem *Job. 2. v. 7. Egressus igitur Satan à facie Domini percussit Job. ulcere pessimo à plantâ pedis usque ad verticem ejus. Marc. 9. v. 7.* quidem ad Jesum ait: *Præceptor, adduxi filium meum ad te habentem spiritum mutum, & quandocunque eum corripuerit, lacerat eum, atque ille spumat, ac stridet dentibus suis & arescit.* Hinc D. Balduinus *lib. 3. Cas. Conscient. 1.* asserere non dubitat, Diabolum, quemadmodum à Deo petiit facultatem percutiendi corpus Hiobi, etiamnum petere, sibi concedi potestatem in alicujus hominis corpus; *unde*, inquit, *sunt interdum subitanei morbi, qui ex improviso hominem obruunt, & lethaliter deprimunt, sæpeq; numero medicorum omnium opem superant.* Ægrotus ille *Matth. 9. v. 15.* vocatur Lunaticus, ut adeò Dæmon eum mutum, surdum & epilepticum reddiderit. Contractura cruciavit Diabolus mulierem *Luc. 13. v. 11. Et ecce*, inquit, *mulier,*

lier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, eratq; contracta, nec omninò poterat erigere caput.

§. 2. *Hoc* profanæ historiæ passim occurrentes propalant, quarum nonnullæ saltem consentiente Sagâ, nonnullæ verò sagis cooperantibus Satanam morbos inferre testantur, ex quibus duas admiratione dignas seligere placet, *Malleus Maleficar. Tom. 1. Part. 2. Quæst. 1. cap. 11.* sequens tradit Exemplum: In Diœcesi Basiliensi, in confinibus partium Lotharingiæ & Alsatiæ, cùm quidam honestus laborator quædam verba dura contra rixosam quandam mulierem protulisset, illa indignata minas adjecit, quòd in brevi se de eo vindicare vellet. Et ille licet parvi pendisset, eadem tamen nocte sibi pustulam accrevisse sentit, fricando tamen paululum, & tangens totam faciem inflatam & tumefactam cum collo persensit, in tantum, ut horribilis specie lepræ etiam per totam appareret corpus, qui non distulit, sed quanto citiùs amicis & consulibus accersitis, rem gestam super comminatoria verba mulieris narravit, & quod sic mori ea fide & suspicione vellet, quod illa sibi arte magica eadem malefica intulisset. Quid plura? mulier capitur, quæstionibus exponitur, & crimen fatetur. At judex de modo & causâ diligentiùs inquirens, respondit: cùm me verbis opprobriosis homo ille aggressus fuisset, ego ira succensa, cùm ad domum venissem, malignus spiritus causam tristitiæ inquirere cepit, cui cùm singula enarassem, & ut me vindicare possem, eidem insinuando instarem. *Ille* inquisivit, dicens. Quid ergò vis, ut ei faciam? At ego respondi: Vellem, ut inflatam faciem semper retineret: & sic ille abscessit, & illam infirmitatem ultra, quàm petii, homini intulit, ego enim ut tali lepra eum percuteret, minimè sperassem.

§. 3. Admirabilem refert historiam ex Hectore Boëthio *lib. 11. Histor. Scotor.* Cardanus *lib. 15. cap. 80. de Variet. Rer. p. m. 983.* quæ sic habet: Inter hæc Duffus Rex incidit in languorem non tam gravem quàm cunctis vel eruditis medicis (Scotorum tunc vivendi modi corporeæque constitutionis, quos nondum peregrinæ invaserant ægritudines, habitâ ratione) cognitu difficilem, Siquidem sine ullo signô bilis, pituitæ, alteriusve peccantis humoris exundantiæ, vel ab humano temperamento lapsus Duffum sensim afflixit. Noctu enim sub perpetuâ vigiliâ decumbens in sudorem sine modô solvebatur: interdiu vix dolore,

re, quo nocte laboraverat levatus, quieti se dabat. Corpus lenta conficiebatur tabe, effœto simillimum. Hærebat cutis rigida, venas, nervos, & qua forma ac situ ossa essent humana, spectantibus ostendens. Suavis ac uniformis spirituum à corde profectus, quod tactu cordialis venæ, arteriæ deprehendere vitale humidum nihil temperie excessisse, demonstravit. Vividus illi color, aurium oculorumque vigor integer aderat, temperatusque frequentior cibi potusque appetitus. Hæc sanitatis signa in languente, multoque dolore afflicto medici cum admirationi darent, posteaquam, quæ suarum erant partium egissent, nihilque invenissent ad superfluum nocivumque sudorem sistendum accommodatum, aut quod somnum provocaret; sed Rex in horas magis magisque sudore & perpetuâ vigiliâ angeretur, versi ad patientis consolationem (nam huic soli locus eorum sententia erat relictus) precari cœperunt benè de salute speraret, haud sibi deesset: fore, ut externorum medicaminum medicorumque, quos ipsi ocyùs accirent, ope, quòd peregrina & parum eis cognita esset ægritudo: adventante autem vere, soleque, vitæ in animantibus assertore, ad nos redeunte consequeretur sanitatem. Obortus est sub id tempus incerto autore popularibus susurris rumor, Regem veneficarum mulierum, & arte dæmoniacâ, non naturali morbo tabescentem per tam longa tempora corpore ac viribus confici: easdemque apud Forres, Moraviæ oppidum, magicam & sortilegam artem in Regis perniciem exercere. Horum fama illicò ut ad Regis aures pervenit, ne auctus rumor, re propalatâ, fascinatrices, ut supplicium evaderent, in fugam ageret, mittuntur in Moraviam, qui an vera essent, quæ ferebantur, perquirerent. Missi nuncii itineris causam dissimulabant, & veluti ineundæ pacis gratia inter Duffum Regem & conjuratos Moravos Forres adiere: noctuque in arcem admissi (steterat ea adhuc in Regis fide) quamobrem venerunt Donevaldo arcis præfecto, ut imperatum eis erat, exponunt, ejusque fidem & auxilium ad negotium conficiendum implorant. Milites, qui in arcis erant præsidio, tenuit nonnihil hujusmodi rei suspicio. Nam ex prostituta quadam (erat huic mater sortilega & incantatrix) dum blandiusculè eam tractaret amator de regiæ valetudinis tempore, modô, perpetuitate: quibus sortibus, quibus magicis carminibus uterentur veneficæ, posteaquam nonnihil audiverat, sodalibus indicavit, & illi Donevaldo, Donevaldus autem

 regiis

regiis legatis: meretricemque tempestivam tanti facinoris nuntiam (erat ea tum fortè in arce) Donevaldus ad se accitam quæstionibus, quo ordine cuncta gerebantur, & in quibus ædibus, ubi fateri coegerat, mittit intempestâ nocte milites ad rem omnem explorandam. Hi in sortilegarum ædes foribus vi reclusis irrumpentes, veneficarum unam cereum simulacrum ad Regis Duffi imaginem dæmoniacâ arte (ut credere par erat) confectum, ligneo affixum veru, ante ignem torrentem, alteram carminibus recitatis liquorem quendam fundentem sensim supra statuam invenerunt. Prehensæ itaque ocyùs fascinatrices, conjectæque in vincula, & tractæ simul cum simulacro in arcem, rogatæ ad quid sub nocte carmina recitantes, effigiem Regis igni exponerent, responderunt, dum simulacrum igni adhibitum torreretur, Duffum Regem in sudorem solvi, carminibus autem recitatis perpetuâ teneri vigilia, & ad liquescendam ceram macie confici. Consumptam autem ceram, Regis mortem continuò sequuturam: ita se malos Dæmones docuisse, ad facinusque exequendum mercede à Moravorum primoribus conductas. Perciti ita astantes ad anus verba, effracto simulacro, ut veneficas scelus ingenti luentes supplicio, flamma consumeret, extemplo curarunt. Ferunt sub tempus, quo hæc in Forressensi arce sunt acta, regem languore levatum, & nocte absque sudore quievisse. Postridieque redeuntibus viribus, quæ erant humanæ facultatis promptè egisse, perinde ac si nulla adversa valetudine antea fuisset detentus, verùm utut se res habuit, Duffus recrescentibus viribus sanitati brevi restitutus.

§. 4. Cardanus quidem & Wierus *lib. 3. cap. 14.* hanc de Scotorum Rege historiam fabulis annumerant, & Boethium condendæ historiæ haud jucundæ non ignavum authorem alliciendi lectores causâ conscripsisse, ut, quos Scythica facta moresque, tum regionis descriptio non delectarent, fabulæ tædium saltem minuerent. Verùm & Cardanum & Wierum suo nos abundare ingenio permittimus, ut qui omnia, quæ Lamiæ se facere putant, pro meris somniis & phantasiæ anicularum depravatæ errore vel fabulis & figmentis malè (Confer ea, quæ habentur infrà *Part. 6. cap. 1. §. 3.*) habent. *In universum*, ait Cardanus, *tribus maximè hac deceptio constat, atra bilis imaginibus, constantia ipsorum, qui hac labe correpti sunt, ac fraude judicum.* Itaque mirum non est, nihil eorum, quæ pro palliando errore & sagarum facinore facerent, eos omisisse,

misisse, & tegumenta varia artificiosè contexuisse, quorum tamen pretium exiguum esse nostra ætas variis & infinitis in foro judiciali agitatis actibus criminalibus confirmata deprehendit. Paulus Ghirlandus expertus & prudens Lamiarum examinator *de Sortileg. Quæst. 6. num. 12.* morborum per fascinum productorum Catalogum quendam exhibet & ait: *Veneficæ quadam redigunt quadam in pinguedinem, cum quibus faciunt diversas unctiones maleficas, ex quarum tactu aut aliorum cibo vel potu in humanis aut brutorum corporibus infinitæ causantur ægritudines & morbi intrinseci, quandoque ex his provenit privatio, quandoque verò membri debilitatio, nervorum attractio, dolor capitis, dentium, pectoris, stomachi, ventris, cordis, & iste sæpius cæteris evenit: quandoque renum dolor intensivus, aut alterius membri, aut partis corporis: quandoq; verò provenit febris, tussis & dementia, hydrops, aut aliqua tumefactio carnis in corpore, sive apostema extrinsecus apparens: quandoque verò intrinsecè apud intestina aliquod apostema fit adeò terribile & incurabile, quod nulla ars Medicorum sanare & removere potest, nisi accedat alius maleficus seu sortilegus, qui contrariis remediis & medelis ægritudinem ipsam maleficam tollat, quam facilè & brevi tempore removere potest.* Hæc Ghirlandus. Lappones & Finni quos jaculis magicis digiti longitudine petunt, omnes oborto carcinomate in crure vel brachio intra triduum moriuntur, teste Olao Magno *libr. 3. cap. 17. Histor. de Gentib. Septentr.*

§. 5. Atque operam suam etiam Sagas in inferendis morbis non phantasticè, sed verè, & realiter conferre, id satis confirmat, quòd instrumentis magicis sublatis, vel sagis ipsis ad rogum damnatis ac demortuis morbi cessent, cùm tamen Dæmon semper superstes maneat. Ita Joh. Bodinus *in Confutat. Oper. Johan. Wieri pag. 518.* refert, Biebranam quandam Sagam infirmasse homines, mirificèque distortos reddidisse, eosque, bestias & fruges perdidisse: ea autem ad Lugdunum anno MDLVI. cremata ea omnia cessasse. Idem Judex, ex quo ista & sequens Bodinus cognovit, narravit, cùm Saga ista cuidam fœminæ comminata esset, eam nunquam lactaturam, ita accidisse, & lac ejus subitò exaruisse, & quamvis multos liberos pareret, tamen ubera semper aruisse; crematâ verò Saga statim copiosè lacte abundasse, quamvis non propterea Satanas vivere destitisset. *Ex quodam nobili honorato viro,* pergit Bodinus, *cognovi,*

cognovi, uxori suæ ab amita impedimentum fuisse factum, ne pareret, (sic illa moriens confessa est) ut successionem liberis acquireret : Illa ut mortua est , hanc brevi gravidam factam peperisse semel atque iterum, cum annos jam undecim conjugati vixissent. Satanas verò non erat mortuus.

§. 6. Gratis etiam opponitur, anus esse melancholicas & deliras: item per somnia & imaginationem saltem existimare, se morbos inferre, & alia patrare. Ad quod Thomas Erastus *de Lamiis pag. 29.* doctè respondet : *Non solæ anus, aut imprudentes fœminæ his malis irretiuntur, sed juvenculæ quoque, & integra ætate plurimæ, adeoq; viri hac peste inficiuntur, quod negari à nullo potest. Et ut non nego, insipientes & fatuas esse, quæ se à Dæmone mendaciorum patre dementari patiuntur, ita audacter affirmo, plerumque callidiores (sed petulantiores, libidine, irâ, invidiâ, odioq; tabescentes, ac pietatem contemnentes) ab ipso tentari & expugnari. Melancholicas verò non esse, id demonstrat, quòd in omnibus aliis sapiunt, quod peccare se ac malè agere præclarè norunt, (& ob id summo studio nequitiam suam occultant) quòd similia omnes ferè scelera patrant, similibusq; modis & artibus in perficiendo utuntur, quod denique alios eadem docent, ac varias artes ad persuadendum adhibent.* Et *pag. 122. Nec ante, nec post factum, nec in ipso facto plerumq; vel suspiciunculam reperias mentis insanæ, ut excusari eam ob causam possint, & impunè flagitiosè egisse debeant. Deinde si melancholia laborant, qui fit, quòd inter se omnes tot jam seculis etiam diversissimis locis captæ perpetuò consenserunt ? Ne fingere quidem licet hîc aliquid (si in ipsa re nihil est, quàm imago aut phantasma aut somnium) quod respondeas. Melancholici planè incredibilia sibi persuadent. Sed vix omnibus seculis duo sunt reperti, qui idem imaginati fuerint. Ex quo apertè perspicitur, falsissimum esse, quod dicitur, striges melancholico succo obrutas narrare imaginationes tantùm & fabulas. Non enim posset inter eas tantus esse consensus : non magis, inquam, eadem cogitarent, dicerent, facerent, quàm somniantes.* Confer quoque D. Sennertum *libr. 6. Princ. Med. Part. 9. cap. 5.*

§. 7. Atrocissimos autem dolores & gravissimos morbos ea, quæ Dæmon per fascinationem in corpus transfert, pariunt. Siquidem dum spatium in angustis locis vi quærunt, idque sine continui solutione fieri nequeat,

nequeat, non potest non dolor exoriri, eò quidem gravior & acerbior, quò solutio est major, & pars læsa sensibilior, vel res immissa virtute rodendi & pungendi potentior, ut sunt vermes, erucæ, claves, acus, ligna &c. Langius *lib. 1. Epist. 38.* refert, anno 1539. in quodam Eistetensis Episcopi ditionis pago, Fugenstal, Ulricum Neusesser, agricolam, cùm crudelibus dolorum tormentis in altero hypochondriorum latere conficeretur, subitò clavum ferreum sub illæsa cute manu apprehendisse, quem Chirurgus illic balneator novaculâ exciderit, nec tamen dolores cessasse, sed indies magis incruduisse. Quare cùm nullum aliud doloris remedium, quàm mortem putaret, arrepto cultro guttur sibi abscidisse. Porrò cùm cadaver astante magnâ hominum frequentia apertum esset, & ventriculus incisus, in eo lignum teres & oblongum, quatuor ex chalybe cultri, partim acuti, partim instar serræ dentati, & duo ferramenta aspera reperta fuisse, quorum singula spithamæ longitudinem excedebant, adfuisse & capillorum instar globi involucrum. Antonius Benivenius *de Abdit. Sanat. & Morb. Caus. cap. 8.* narrat, mulierem quandam sedecim annos agentem subitò in horrendum clamorem erupisse, ejusque ventrem ita intumuisse, ut fœtum octimestrem gestare videretur, & ita convulsionibus correptam fuisse, ut plantæ pedum cervicem attingerent & tandem in vomitum prorupisse, quo ligna & recurvos clavos, æreasque acus unà cum cera & capillis in globum mixtis vomitu ejecit, & tandem jentaculi frustum tantæ magnitudinis, ut devorare integrum nullus potuisset, idque sæpius ipsam fecisse. Varias hujus farinæ historias collegit Langius *loc. cit.* Sennertus *libr. 5. Pr. Med. Part. 9. cap. 5.* Sebizius *Discurs. de Casu Adolescentis.* Baldassar Timæus à Güldenklee *lib. 7. Cas. Medic. lib. 24.* & alii plures habent: quibus junge Gregor. Horstium *in Addit. ad Marcelli Donati editionem novam pag. 716.* Casp. à Reies *Elys. camp. Quæst. 97. num. 10.*

§. 8. Pestis quoque magistrum Diabolum vocat Athanasius Kircherus *Scrutin. Pest. Sect. 1. cap. 10.* atque eum artem hanc scholæ & clientelæ suæ addictos & clientela professa sibi subjugatos discipulos, Magos & Necromantas edocere ait; edoctos verò tanquam vicarios quosdam, & ad nutus ejus promtissimos ministros, domus, urbes, regiones funesta & Circæa venenorum unguentorumque compositione cum ingenti mortalium strage infestare. Quæ omnia luculentis ibi Kirche-

rus exemplis illustrat. Quibus addi potest & illud, quod Cardanus *loc. cit. in fine capitis* recitat, notatum Casali urbe Salassiæ Italiæ regionis. Conjurarunt circa annum Domini MDXXXII. viri ac fœminæ circiter quadraginta: inter quos carnifex erat, ut cùm pestis antea sæviisset, tunc verò jam mitesceret, unguentum conficerent, quo ungentes portarum vectes, qui eos tractarent, inficerentur: pulverem quoque conficiebant, quem super vestes clam spargentes exitium illis afferret. Latuit aliquandiu hæc res, sublatique multi: atque etiam à conjunctis data veneficis pecunia, hæreditatis causa. Sed cùm cujusdam nomine Neci fratrem atque unicum filium sustulissent, vixque alii, quàm domini ipsi domuum aut filii perirent, simulque animadvertissent Androginam se in domos insinuantem, atque eos maximè perire, quorum domum ingrederetur, deprehensâ conjuratione, omnes exquisitissimis tormentis necati sunt: fassi etiam decrevisse in pompa celebri divi cujusdam, subselliis perunctis, universos cives occidere: paratasque ad hunc supra viginti ollas. Tentarunt & idem Genevæ pòst, dederuntque pœnas.

§. 9. Ex dictis jam patet, non morbos solùm, sed & mortem Dæmones & Magos inferre. Septem Saræ Viros non coeundi duntaxat virtute, sed vitâ quoque Asmodæus privavit. Exemplum huc, quod infra *Part. 5. cap. 5. §. 13.* ex Remigio dabimus, referatur. Lavaterus *lib. de Spectris Part. 1. c. 12. p. m. 67. ex collectaneis Locor. Comm* Joan. Manlii scribit, Theodorum Gazam prædium habuisse in Campania, ex beneficio Nicolai Pontificis. In illo prædio cùm colonus effodisset urnam in qua fuerunt ossa, apparuisse illi spectrum, quod jussit eum urnam rursus sepelire: nisi enim id faceret, fore, ut filius ejus moreretur. Cùmque id colonus, neglexisset, ejus filium paulò post noctu interfectum fuisse. Interjectis aliquot diebus revertisse spectrum, minitans colono se etiam alterum filium interfecturum, nisi ossa conderet. Colonus admonitus accepto damno, videns etiam alterum filium in morbum incidisse, rem Theodoro refert, Is profectus cum eo in prædium, & in loco, ubi colonus urnam eruerat, rursum facto sepulchro urnam cum ossibus sepeliunt. Repositis ossibus in suum locum filius coloni statim convaluit. Spectrum illud Dæmon fuit, à quo filius est interfectus. Sed & Magorum & Magarum colluvies idem efficit. Obstetricem quandam quadraginta, & aliam absque numero, pueros necasse

ex

ex Sprengero supra *Part. 3. Sect. 2. cap. 5. §. 11.* notavimus. Convictus Raziorum Baro se octo infantes confessus est occidisse, & sacrificasse Diabolo, & sibi Satanam indixisse, ut suum ipsius puerum adhuc sacrificaret, avellens ab uterô matris, quæ rem subodorata est, itaque judicium in eum constitutum, Bodinus *lib. 4. cap. 4. pag. 421. & 441.* Exemplis acta Judicum abunde sunt referta. Nos jam domesticum, quod hac in urbe contigit, dabimus. Saga quædam, die Gründel-Füllerin dicta, ante biennium ad capitis & ignis supplicium damnata in hospitiô publicô habitans filiolum hospitis sui, traditâ pulveris albi, quem à Satanâ acceperat, portione, pyroque, extractô petiolò, indita, certissimæ internecioni tradidit. Amore quòd puerum, quem amasium suum vocarat, fuisset prosecuta, facinus istud patrare, primùm recusarat; sed tandem sub gravi inversionis colli comminatione ad id Dæmon eam coegerat. Eadem Lamia (ut & hoc addam) ejusdem pulveris portionem minimam magnitudine seminis papaveris Salvi Conductus filiolo eodem modô in pyro exhibuit, cujus usum non quidem mors, partium tamen inferiorum aridura & contractura, ambulandique impotentia excepit. Fascinum ipse ego vocatus ex pilorum frequenter cum scybalis excretorum copiâ, quæ in diætâ curiosè à parentibus præscripta & observatâ supernaturale quid arguebat, collegi. B. Lutherus *in Comm. Epist. ad Galat. cap. 3. negari*, inquit, *haud potest, quin Diabolus vivat, imò regnet in toto mundo. Fascinum autem & veneficium sunt opera Diaboli, quibus non solùm nocet hominibus, sed, permittente Deo, quandoque occidit.* Idem B. Lutherus *in Epist. quadam Ann. 1526. d. 14. Julii ad Wenceslaum Linckium*, exaratâ, allegante Dn. Rauppio *Bibl. Portat. Practic. Loc. 4. pag. 434.* ita scribit. *De phreneticis sic sentio, omnes moriones, & qui usu rationis privantur, à Dæmonibus vexari, non quòd damnati sunt ideò, sed quòd variis modis Satan homines tentat, aliòs graviùs, aliòs leviùs, aliòs longiùs. Quod Medici multa ejusmodi tribuunt naturalibus causis, & remediis aliquando mitigant, quod ignorant, quanta sit potentia & jus Dæmonum, Christus non dubitat curvam illam anum in Evangelio vinctam à Satana dicere, & Petrus Actor. 10. oppressos à Diabolo dicit, quos Christus sanarat, ita etiam multos surdos, claudos, malitiâ Satanæ tales esse, Deo tamen permittente; denique pestes, febres, & alios morbos graves opera Dæmoniorum esse, qui & tempestates,*

incendia, frugum calamitates operantur, verè affirmamus. Summa, mali sunt Angeli, quid mirum, si omnia faciunt mala, humano generi noxas, & pericula intentent, quatenus Deus permittit, etiam si plurima talia herbis & remediis naturalibus curari possunt, volente Deo & miserante nostri? Exemplum Jobi indicat, quæ passus sit à Satana, quæ medicus omnia naturaliter fieri & curari assereret. Sciendum igitur phreneticos à Satana tentari saltem temporaliter. At Satan non faceret phreneticos? qui corda replet fornicatione, cæde, rapina, & omnibus pravis affectibus. Summa, Satan nobis proprior est, quàm ullus credere possit, cum sanctissimis sit propinquissimus, adeò ut ipsum Paulum colaphizare, & Christum vehere possit, quorsum libet. Hæc autem Lutheri verba non de corporali obsessione esse intelligenda, Dn. Rauppius ibidem monet, ubi etiam suffragium ejusdem Lutheri subjicit & *Theol. Cas. Consi. pag. 435.* in quæstionis hujus resolutione. **Ob die unsinnigen Leute vom Teuffel geplaget werden?** Responsionem hisce concludit: **Fürs dritte soll gleichwol auch nicht geläugnet werden / daß der böse Feind / als der gern GOtt und seinen Creaturen Abbruch thut / wenn er sihet / daß ein Mensch aus natürlichen Ursachen zur Verirrung und Zerrüttung deß Verstands geneigt / seinen Fleiß mit anwende / und sich mit denselben Ursachen conjungiret / auch daher / so viel Gott zuläst / dieselbe stärcke / vermehre und zur Würckung richte. Item darauf durch GOttes Verhängniß den perturbirten Menschen je mehr und mehr zusetze / und wider GOtt zu reden und zu thun treibe. Und auf diese Weis und Maß ist deß Herrn Lutheri Meinung zu verstehen / dahin gehen auch seine Gründe / darum sie auch den natürlichen Ursachen der Verirrung vieler Leute nicht solten entgegen gesetzet werden.**

§. 10. Ut principia ab ortu homini communicata continuentur, *nutritione* opus est. Sed nec hanc à fascinô & ludibriô Dæmonis immunem semper manere, experientia docet. Infantes enim & adultiores per fascinationem ad tantam quandoque maciem & tabem tam universalem totius corporis, quàm particularem determinatarum partium reduci experimur, ut sceleton referre videantur, aut ut nostrates loquuntur: **Sie dörren aus wie ein Kien-Stock** / ob nutritivæ facultatis læsionem & impedimentum. Quandoque ita nutritionis organa varii generis cibis deludit Satan, ut fame homines nihilominus opprimantur, cujus exemplum notat Bodinus *libr. 2. cap. 4.* Ubi, *vivunt, inquit,*

inquit, *adhuc memoriâ nostrâ plurimi, qui Comitem quendam Aspremontensem norunt, omneis domum ad se venientes tractare magnificè excipereq; solitum, adeò ut accurati cibi, officia, omniumq; rerum copia summoperè turmis eò divertentibus satisfacerent, sed homines illos & equos, cùm primum ab eo exibant, fame & siti oppressos esse, quod de multis adhuc superstitibus me audire memini.* Remigium quoque audire juvat, sequentia *lib. 1. cap. 16.* tradentem: *In confesso est omnibus, quos sic Diabolus sua dignatur mensâ, adeò omnes ejus epulas sordere, sive earum apparatus oculis, sive odor naribus percipiatur, ut vel famelico, ac latranti stomacho facile nauseam parere possint. Barbelina Rayel & Sibylla Morelia cibos illic apponi ajunt, omnium generum, sed adeò viles, illiberales ac malè conditos, ut vix sint vescendo. Nicolaus Morelius ita tristem, astrictum, atq; amarum illis esse gustum, ut sumtos confestim præ molestiâ sibi necesse fuerit exspuere. Quod pessimus Damon videns, adeò indigne ferebat, ut vix manus abstineret. Vinum præterea instar atri atque insynceri sanguinis in sordido aliquo simpulo epulonibus solitum propinari, &c. Plerique eorum, qui modo sunt memorati, istis non expleri famem, aut sitim sedari; sed cibi potusq; aviditatem atque appetentiam tantam superesse, quanta antea fuerit maxima. Veris tamen epulis suos nonnunquam Dæmones accipere dicit, sed ex morticinorum carnibus, aliisq; rebus, quas homines habent pro derelictis.* Hæc ille.

§. 11. Energumenorum stomachum monstrosa voracitatis ingluvie quandoque vexat. *Fuit, teste Theodoreto in Histor. SS. Patrum, Sect. 13. obsessus, qui, tametsi uno die triginta gallinas absumeret, famem tamen satiare non poterat. Alium fuisse refert Palladius in Vita Abbat. Macar. Sect. 17. qui trium modiorum panes una vice devorare solebat, & eosdem mox eructans resolvebat in vaporem: & si panes deerunt, sua ipse excrementa comedebat, & ebibebat lotium.* Hæc Schottus *Phys. Curios. lib. 4. cap. 6.*

§. 12. Nutritivam facultatem si Dæmon fascinat, etiam *Augmentativam* consequenter fascinari posse, ultrò fluit, quia ex ampliori nutritione augmentum homo in accretionis annis capit, ideoque hæc ab istâ pendet. Istâ ergò per fascinum impeditâ, hæc quoque non potest non impediri. Quæritur hic: *An arte magicâ fieri queat, ut gigantes vel pygmæi nascantur?* Fr. Vallesius *Sacr. Philos. cap. 8.* affirmat

& per filios Dei, qui *Gen. 6.* dicuntur, filias hominum, quòd essent pulchræ, accepisse sibi uxores ex omnibus, quas elegerant, Dæmones intelligit. *Cùm dæmones*, inquit, *mendacissimi hanc de se opinionem studerent ingerere, quòd generarent, curabant omni arte, ut grandes, robustissimi, ferocissimi ac nequissimi nascerentur, ut parentum similitudini imputaretur. Præterquam quòd tales illi vellent esse omnes homines. Quâ verò id arte efficere possent, dicam: immittebant in uteros, neq; qualecunq; neque quantulumcunq; semen, sed plurimum, crassissimum, calidissimum, spiritibus affluens & seri expers. Id verò erat eis facilè conquirere, deligendo homines calidos, robustos, & abundantes multo semine, quibus succumberent: deinde & mulieres tales, quibus incumberent: atq; utrisq;, & viris, inquam, & fœminis voluptatem solitò majorem afferendo.* Delrius *lib. 2. D. M. Quæst. 15.* in eo quidem Vallesium reprehendit, quòd Gigantes illos Sacræ S. ex Dæmonibus incubis & succubis ita procreatos putet, in potentiâ tamen generandi eidem adstipulatur, neque id repugnare Dæmonis potentiæ & industriæ ait, & subjungit; *Nam Gigantes fuisse impudentis protervia sit negare, cùm S. S. testetur Gen. cap. 6. & omnium gentium Annales similia multa proferant, &c.* Pygmæos autem dicit Dæmonum efficere causis contrariis adhibitis, ut ad justam corporis humani staturam non perveniant.

§. 13. Verùm enim verò Gigantum productionem Dæmonis potentiæ & industriæ non repugnare, nos utrique negamus: siquidem augmentativa virtus animæ est propria, quam neque Dæmon, neque homo, neque artifex potest amplificare, & ut homo constitutum sibi quantitatis terminnm, quem quivis in individuo habet, licèt ipsum ignoret, transgrediatur, procurare. *Non Dæmon*, quia ipse caret facultate vegetativâ, & licet activa passivis applicet, non tamen plus naturæ tribuere potest, quàm ipsa jam habet. *Non homo*, quia nullum in inferiores facultates, quæ merè sunt naturales, jus & potestatem habet. *Non artifex*, quia minister, Medicus scilicet, Dominæ suæ, quæ natura est, nihil præscribere, nec, ut contra propriam intentionem majus præstet, efficere potest. Subsidum quidem & occasio naturæ subministrari potest, ut tamen ad artificis votum occasione fruatur, cogi nequit. Quot hodie quoque reperiuntur lastauri quadrati, laudatissimâ corporis constitutione præditi, & semine optimo abundantes, qui tamen giganteam sobolem

ſobolem non producunt. Producunt quidem proceræ ſtaturæ homines: non tamen omnis procerioris ſtaturæ homo Gigantis nomen meretur. Malè quoque Delrius, id potentiæ & induſtriæ Dæmonis non repugnare ex eo probat, quia Gigantes fuerunt. Nimis laxa eſt conſequentia: Gigantes fuerunt; Ergò ii à Dæmonibus fuerunt. Notandum autem, ſi de Gigantibus ſermo, aut intelligendum id eſſe de Gigantibus, qui pro gente fuerunt, aut de iis, quos rarò natura produxit. De illis citra blaſphemiam dici non poteſt, tantam à Dæmone conceſſam eſſe permiſſionem, ut per generationem furtivam gentem à ſpecie creata enormiter diſcrepantem, condant. Si autem rarò obtingunt, eos inter monſtra referunt naturales Philoſophi, naturæ errore ob materiæ ſeminalis abundantiam & virtutis robur producta. Seminalis autem materiæ in uno ſubjecto ubertas & virtutis robur naturæ, non Dæmoni, debent adſcribi. At Dæmonem varia à variis ſemina ad unum generandum comportare, ridiculum erit aſſerere. Pygmæos magicâ arte poſſe naſci vel effici, non negabimus, quia pygmæi ex virtutis ex parte cauſæ inſtrumentàlis requiſitæ imbecillitate oriuntur. Faciliùs autem eſt naturam corruptioni de ſe obnoxiam, infirmare, quàm roborare, ejusque facultates ad actum ſecundum ampliorem exaltare.

CAPUT X.

Facultatis Genetricis faſcinatio frequens eſt: fit in utroque ſexu. De nodatione ſeu ligatione ligulæ. Viri frequentiùs impotentes fiunt, quàm fœminæ Exempla. Fœminæ faſcinantur, ut juſtò vel citiùs, vel tardiùs, vel nunquam, aut cum difficultate, ſeu perpetua, ſeu temporaria pariant, aut pariant id, quod non parere debent, nimirum monſtra, vel fœtus diabolicos, vel corpora aliena, vel fœtus mortuos. Ad monſtrorum productionem quandoque Diabolus concurrit. Non omne monſtrum eſt fœtus Diabolicus: ad hujus productionem, quomodo Dæmon & fœmina concurrant? De Erucis, quos die Elbe *vocant: de fratris Lombardorum generatione: ex ſemine humano & ſanguine menſtruo iſtum oriri negatur. Per faſcinum Diabolicum produci ſtatuitur. De Cambioni-*

bionibus. Diabolus sobolem quandoq; suffuratur & aliam supponit. Omnia exemplis illustrantur.

§. 1. GEnetricem Facultatem frequentissimè Dæmon, ejusque complices execrabili maleficio ad impediendam conjugii copulam, & reseranda illicito amori repagula fascinant. *Hinc plures in cubili Asmodæum luxuriæ Principem quàm in Convivio Mammonam interfecisse ferunt*, ait Codronchus *libr. 3. cap. 5. Nullum maleficio ligaminis frequentius esse*, scripsit Delrius ante hac Hispaniarum Regis Philippi II. Consiliarius & supremus Judex Belgici exercitus, tum Jesuita ac in Lovaniensi, Grecensi, Salmanticensi Academiis Professor, anno seculi superioris ultimo, *lib. 2. D. M. Part. 1. Quæst. 3. Sect. 6. adeò*, ait, *ut in aliquibus locis vix audeat quisquam clarâ luce matrimonii solemnia celebrare, ne quis malus conjugum votis illudat*, sed, ut G. Schottus Professor nostrâ ætate in Herbipolitano Franconiæ Gymnasio celeberrimus, qui ad plures paucis ab hinc annis abiit, *Mag. Univ. Part. 4. lib. 5. cap. 6. §. 8.* habet, *pridie illius diei vocant Parochum ad ædes, ubi privatis coram testibus & consanguineis conjunguntur, ac postero die publicè solam Ecclesiæ benedictionem consuetam à Parocho accipiunt*. Ante Delrium scripsit Joh. Bodinus JC. Gallus & de Republ. literaria bene meritus *libr. 2. Dæmon.* quam anno 1579. publici juris fecit, ex omnibus sceleribus hujusmodi nullum exstare frequentius passim eo impedimento, quod novis conjugibus affertur. *Hoc vulgus*, ait, *dicit ligare ligulam, quod pueri quoq; exercent palam summa impunitate & licentia, nonnulli etiam gloriantur. Eandem ligaturam cum ingenti damno novorum conjugum sæpissimè quoq; fieri in Germania, multorum hominum testantur querelæ*, ut habet Dn. D. Carpzovius *Part. 2. Pract. Crim. q. 6. n. 15.*

§. 2. *Utriusq; Sexûs facultatem genitivam* Dæmon fascinat, ut mas non generet; fœmina verò vel non generet, & pariat id, quod generare debet; vel id, quod parere debet, justò citiùs, vel tardiùs, aut nunquam edat, vel pariat id, quod non parere debet.

§. 3. *Mas & fœmina non generant*, quando ita fascinantur, ut congredi debitumque sibi conjugale reddere nequeant. Sæpissimè autem in sacerdotali copulationis actu maleficâ ligularum nodatione fascinantur, eo quidem momento, referente Bodinô, quo sanctas voces minister

minister pronunciat, & dum quis debet ad Deum attendere, nodator voces interserit, mysteria diabolica impietate execrandâ. Ea fascinatio vocatur nodatio, ligatio ligulæ, vulgò **Nestel verknüpffen.** Solent & Neogamis vel templum die nuptiali ingressuris aliquot lini grana, quasdam herbas certis verbis clam applicare, vel eis in templo à verbi divini Ministro copulatis seras compressas aquis immergere &c. vel templo egressis & thalamum petituris res noxias substernere. Quidam tamen non nodantur, quosdam autem nodatio impedit ante conjugium: quosdam in conjugio, & quidem vel maritus solus, vel marita sola, vel simul par conjugum utrumque, plerumque tamen maritus illigatur. Ligari autem possunt in diem unum, in annum, in æternum aut quantisper duratura esset, nisi ligula solveretur. Est nodatio, qua unus alterum deamet, neque redametur, sed odio sit vehementissimè, sin ad congressum veniatur, alter alterum laniet unguibus & cædat indignissimè. Quæ omnia Bodinus, quando Pictavii in magnis conventibus vices Regii Procuratoris aliquando gessit, ab hospita sua muliere honesta & bona existimatione se accepisse scribit. Eadem mulier narravit, dum vincta manet ligula, tumores ei adnascentes veluti verrucas spectari indicia liberorum, qui fuissent editi, nisi nodatio occupasset. Viri autem ad debita Veneri persolvenda magis, quàm mulieres, redduntur impotentes, quia in isto actu activè, semen conferendo, Viri, fœminæ verò passivè, semen recipiendo, se habent. Ast virtus dativa faciliùs, quàm receptiva infirmari potest: & quia plures mulieres veneficæ sunt, quàm Viri venefici, plures etiam Viri ex invidia & & vindictæ cupiditate, qua erga sui sexus personas fœminæ utplurimùm flagrant, ut conjunctionis gratia in toro pereat, fascinantur. Hoc fascini genus non heri demum, aut nudius tertius natum, sed jam olim à sceleratis Dæmonum mancipiis fuit frequentatum. Hujus mentionem facit Musa Maroniana *Eclog. 8.*

Necte tribus nodis ternos Amarylli colores:
Necte Amarylli nodos, & Veneris dic vincula necto.

§. 4. Exemplorum sale, quem Dn. D. Joh. Georg. Simon *de Impotent. Conjugal. cap. 6. thes. 4. num. 2.* subministrat, prædicta condire placet. Amasis Rex Uxorem duxerat filiam spectati Viri, nomine Laodicen, cum qua tamen, dum in toro cubaret, haud quicquam conjugalis exer-

citii exercere poterat, tamdiu scilicet impotens, quoad hanc (aliis enim mulieribus consueto more utebatur) quamdiu Laodice votivum Veneri votum vovere desierat: quo concepto, confestim pristinæ vires restitutæ sunt, ut quoties eam adiret Amasis, voluntatem expleret, ex Herodot. *lib. 2. Valentin. Arithm. peric. 2. §. 3. thes. 8.* Johannem Galeacium Ludovicus Sfortia, cùm Isabellam Alfonsi II. Regis Arragoniæ filiam sibi matrimonio jungeret, magicis artibus per multos menses ad conjugii arcana impotentem peragenda effecit, Franc. Guicciard. *Histor. lib. 1.* Præterea Joh. Bodinus *Dæmon. lib. 2. cap. 1.* & Paul. Æmilius *in vit. Clotar. 11.* concubinas Theodorici regis iisdem ligamentis adversus uxorem Hermambergam usas fuisse, innuit. Ut jam omittamus Sylvanum, cui Nimantina uxor carminibus & veneficiis vecordiam injecit. Tacitus *lib. 4. Ann.* Hæc Dn. D. Simon. His subjungimus Historiam de Comite in Westerich maleficiatô & post triennium sanatô, ut eam recitat Sprengerus *Mall. Malefic. Tom. 1. Part. 2. Quæst. 1. cap. 1. pag. mihi 234.* Comes ille in confinibus Argentinensis diœcesis juvenculam simili genere præclaram, duxit uxorem, quam tamen post celebratas nuptias, usque ad tertium annum, carnaliter cognoscere non poterat, maleficiali impedimento, ut rei probavit eventus, præpeditus: anxius & quid ageret ignorans, & sanctos Dei jugiter interpellans. Accidit ut ad civitatem Metensem, ob negotiorum quorundam expeditionem applicaret: in qua dum per vicos & plateas, servis & familia vallatus incederet, quandam mulierem, quæ ante illos annos concubina sua fuerat, obviam haberet, qua visa, dum super maleficia sibi illata minimè cogitaret, improvisè eam blandè ex antiqua amicitia contracta alloquitur, & qualiter se haberet, ut valeret, investigat. At illa cernens Comitis pietatem vice versa Comitem de valetudine sui corporis & status diligenter investigavit, quo respondente, quòd benè, & prosperè cuncta sibi succederent: Illa attonita paulatim siluit. Et Comes cernens eam attonitam amplius verbis blandis eam aggreditur, ad collationem invitando. At illa de statu uxoris investigando, simile responsum accipit, quòd benè in omnibus se haberet. Tunc illa, anne pueros generasset, inquisivit. Et Comes: tres mihi, ait, sunt pueri masculi, quolibet anno unum genuit. Tunc amplius illa stupefacta paululum siluit. Et Comes, rogo te charissima, cur tam diligenter inquiris, indica, nec enim dubito, quin mei felicitati congratu-

graculeris. Tunc illa: Verè congratulor, ſed maledicatur illa vetula, quæ obtulit ſe corpus veſtrum velle maleficiare, ut carnalem actum cum uxore veſtra exercere minimè haberetis. In cujus ſignum, puteus, qui eſt in medio curiæ veſtræ, continet in fundo ollam, certas res maleficiales continentem, quæ ea de cauſa ibidem poſita fuit, ut quamdiu ibidem contineretur, tamdiu coeundi impotentia vobis adeſſet. Sed ecce! o-mnia vana ſunt, de quibus gaudeo &c. Nec Comes diu diſtulit ad domum regreſſus, puteum exhauriri fecit, ollam reperit, & cuncta concremando, potentiam illam perditam ſubitô recuperavit. Unde Comitiſſa denuò nobiles quasque ad nuptias invitavit, affirmans ſe jam dominam illius caſtri & dominii, quæ tanto tempore virgo permanſiſſet. *Hæc ille.* Turcæ & Perſæ alio modo faſcinant perſonas deſponſatas, nimirum digitum ſolummodo erigunt & deprimunt. Qua de cauſa hunc ritum obſervant, ut in ſponſalibus omnes præſentes explicatis digitis oſtendant, ſe nullum deſponſatis meditari incommodum, Eraſm. Franciſc. **luſtiger Schau-Bühne 3. Verſammlung** *p. 534.*

§. 5. Fœminæ præterea faſcinantur, ut id, quod parere debent, *juſtò citiùs* edant, fœtusque deſtinatum ſibi tempus antevertat. *Sic Saga quadam juſſa à Dæmone in mulieris cujusdam os halitum ſuum impurum efflavit: ex quo prægnans in vehementiſſimos partus dolores incidit, vixq; domum maturè ſatis pervenire potuit*, Remigius *lib. 2. cap. 7. p. 243.* Quidam veneficus captus in judicio confeſſus eſt, ſuis veneficiis effeciſſe, ut quædam mulier per multos annos abortum fecerit, fœtu ſepties in utero enecato. Idem etiam contigiſſe pecoribus ac jumentis omnibus utero gerentibus tunc temporis, ut habet Codronchus *de Morb. Venef. lib. 3. cap. 5.* & Niderus *Lib. ult. Formicarii.* Malleus *Malefic. Part. 2. Q. 1. cap. 6.* hoc in **Rychshofen** contigiſſe notat. *Famoſiſſima quadam Malefica erat, utpote quæ ſolo tactu & omni hora maleficiare, & abortum procurare ſciebat. In quo dum uxor cujusdam potentis imprægnata eſſet, & ob ſui cuſtodiam quandam obſtetricem ad ſe recepiſſet, monitaq; ab eadem obſtetrice fuiſſet, ne caſtrum exiret, & quod præcipuè à colloquio & converſatione illius Maleficæ ſupradictæ ſibi caveret. Poſt aliquot ſeptimanas immemor illius monitionis caſtrum exiens, quasdam mulieres congregatas in quodam convivio viſitandi gratia acceſſit, ubi cùm paululum reſediſſet, Malefica ſupervenit, & ipſam dominam quaſi ſalvationis gratia ſuper*

ventrem ambabus manibus tetigit, & subito puerum se dolorosè moventem persensit. Unde territa, ubi ad propria rediit, & rem gestam obstetrici narrasset, heu, inquiens, jam puerum perdidisti, exclamavit; & ut prædixit, in partu contigit. Nam nec abortum integrum, sed paulatim frusta jam capitis jamq; pedum & manuum peperit.

§. 6. *Justo tardiùs, aut nunquam* ut fœtus prodeat, partusque difficultas maxima, seu perpetua, seu temporaria oriatur, malorum omnium fabricator itidem laborat. Utrumque ex Apulejo & Pausania confirmat Delrius *lib. 3. Part. 1. Quæst. 4. Sect. 3.* Apulejus *lib. 1. de Asin. Eadem*, inquit, *amatoris sui uxorem, quòd in eam dicaculè probrum dixerat, jam in sarcinam prægnationis, obsepto utero, & repugnato fœtu, perpetua prægnatione damnavit. Ut cuncti numerant, octo annorum misella illa onere, velut elephantum paritura, distenditur.* Latino Græcus accedat Scriptor Pausanias, cujus in *Bœoticis* ita habentur: *Pharmacidas Thebam à Junone missas ajunt, ut parturienti Alcmenæ impedimento essent, sed eas, dum Alcmenæ partum inhiberent, à Trieria filia Historide, tali commento delusas. Ex eo namq; loco, unde illæ facilè audire possent, clamavit: peperisse jam Alcmenam: illas ea voce deceptas, statim abiisse. Alcmenam illicò puerum enixam.*

§. 7. Fœminæ tandem quædam per Fascinum corruptæ *pariunt id, quod non parere debent*, & *vel* monstra, *vel* fœtus diabolicos, *vel* corpora aliena, *vel* fœtus mortuos in lucem edunt.

§. 8. *Monstra* quidem, quando nimirum permittente Deo agens naturale in productione & formationis opere horriferarum imaginum phantasiæ objectarum specie Dæmon ita turbat, ut à fine suo, qui est homo perfectè formatus, aberret, & fœtus informi specie, à genuinâ longè recedens, producatur. *Diabolus, qui in hoc eodem orbe, cui nos inclusi degimus, potenter grassatur, permissu Dei, tum labes naturæ inflictas odio Dei auget, atq; illarum occasione prodigiosa plurima molitur, sed verè deformans aut perdens naturæ opera, seu præstigias obtrudens &c.* Peucerus *de Divinat. Tit. de Teratosc. p. m. 446. & pag. seq. Quæ nimis insolenti, rara & varia, nimisq; à notarum forma rerum discrepante specie eduntur, absq; dubio vel divinitùs conformantur, ut ceu effigurent ac pingant regnorum gentium, aut Tyrannorum mores, aut secuturas mutationes, vel ex depravatis Diaboli arte perficiuntur fœtibus.*

§. 9. *Fœtus*

§. 9. *Fœtus Diabolicus* quidem omnis monstrum est, sed non omne monstrum fœtus Diabolicus, quia multa monstra solius naturæ aberrantis peccato, etiam citra specialem nebulosi parentis influxum producuntur. Ad istiusmodi autem fœtus productionem partim fœmina, partim Dæmon concurrit. *Fœmina*, quatenus molæ in utero genitrix est. Nam cum & ipsa semine (licet ignobiliori) gaudeat, idque in congressu cum Dæmone incubo, ut ad uterum prurientem confluat, per libidinis œstrum, præsertim tempore fluxionis menstruorum, solicitetur, & latens in eo virtus formatrix suscitetur, mola hinc generatur. *Dæmon* autem concurrit, quando non modo phantasiam informi imaginum specie seduxit, sed & molam subit, eamque in lucem editam variis præstigiarum fraudibus vestit, & sub infami specie pro placito spectantium oculis sistit. Historiam memorabilem refert Henr. Kornmannus *de Mirac. Mortuor. Part. 4. cap. 18.* ex Strozio Ciogna *Theatr. Univers. Nat. Par. 1. lib. 4. cap. 6.* Spiritus incubus in Polycriti formâ, Ætolorum Princeps creatus esse, & juvenculam Locrensem uxorem duxisse legitur, cum qua tribus exactis maritali consuetudine noctibus subitò disparuit; gravidamque uxorem reliquit, quæ postea Hermaphroditum monstrosum valde partum edidit. Mulieris parentes attoniti monstrum in forum detulerunt, ubi convocato senatu, vocatisque auspicibus, deliberatum fuit, quid monstro illo faciendum esset, consuluerunt alii, ut mater cum partu Ætolorum finibus exigeretur. Heic Polycritus nigrô vestitu amictus repente apparuit, & precibus primùm, deinde minis filium reposcit. Recusantibus Ætolis in medium prosiliit, & infantem apprehensum totum deglutivit, capite excepto, statimque disparuit. Ætolis ingenti stupore perculsis, & de legatis ad Oraculum Delphicum mittendis consulentibus, infantis caput in mediô forô jacens loqui cœpit, & gravi oratione magnam cædem prædixit, quæ non multò post secuta est, præliô inter Ætolos & Acharnanenses commissô. Hæc ille. Quapropter sic arguere non veremur: Si viventium & demortuorum corpora Dæmon subit, quidni in molam quoque se recipiat, eam moveat, & varias in ea actiones perficiat: *Et certè fateamur, oportet*, inquit Remigius *lib. 1. cap. 6. hic Dæmones operam suam interponere, ac se plerumq; tum in illas, tum in illa-*

rum fœtus immittere, atq; ad eas actiones habiles, promotsq; reddere, quæ alioquin naturæ vires omnes vincant ac superent.

§. 10. *Aliena*, quæ fascinatæ fœminæ pariunt, varia sunt, eaque vel animata vel inanimata, vera vel phantastica, aut supposititia. Aliena dicimus, quia ad eorum generationem fœmina præter locum & receptaculum, quod Uterus est, nihil confert, quatenus nimirum per fascinationem magicam istis locis muliebribus ac aliis partibus immittuntur. Si enim spurius ille parens vel immediatè, vel mediatè, subordinatam sagis operam conferentibus crines, carbones, cultros &c. quod historiarum monumenta produnt, ventriculo, intestinis & partibus aliis, Deo justis de causis id permittente, modo quodam indicibili inferre potest, quidni, annuente eodem, vel semen animantium vivorum, vel animantia ipsa in uterum immittat idem?

§. 4. *Animata* sunt erucæ, frater Lombardorum, culices &c. *Erucæ* sunt, quas Sagæ **die Elben/ böse Dinger/ gute** (rectiùs **böse**) **Kinder**/ vocant de quibus multa Dn. D. Carpzovius *Prax. Crim. Part. 1. Q. 50. n. 66.* tradit. Sent XXI. Saga describit suas, quòd fuerint **weisse Elben/ so gelebet/ spitzige Schnäbel und schwartze Köpff gehabt.** Sent. XX. **Elben eines Fingers lang/ bundstreiffig wie Raupen** Sentent. XXIX. **gestalt wie der böse** volant, **wäre kein Leben oder menschliche Gestalt an ihnen zu spüren gewesen.** Et Sent. XXXV. **wie weisse Würmer mit schwartzen Köpffen.** Tales non in uterô generantur, sed geniti per fascinationem in uterum immittuntur, aut ex seminali materiâ eodem modo immissâ ibi producuntur.

§. 12. *Frater Lombardorum* ita dicitur, quia in eorum terrâ frequens est horum generatio: item Frater *Salernitanorum*, quia Salernitanis mulieribus non est infrequens. Frater autem dicitur tropicè, quòd plerumque unà cum fœtu vel ante vel paulò post illum edatur. *Infans camineus*, **ein Heerd Kind**/ quia in fumum suspendere solent mulierculæ referente Salmuth *Cent. 3. Obs. 98.* Belluæ multiformes, Ludov. Vives *lib. 3. de Anim.* Est autem Frater Lombardorum corpus, animalis vel huic affinis substantiam ac figuram referens, de quo D. Pierus *Disput. Inaug. Argentorati Ann. 1669. habitâ*, ex professo agit. Figuram refert frequentius avis, quandoque bubonis vel harpyiæ aut alterius animalis.

Meridio-

Meridionalibus in locis ſeu auſtralibus id quandoque prægnantibus mulieribus accidere notat Savanorola *Tr. 6 Pract. cap. 21.* & quidem ſi ex nobili viro ſit conceptus, nobiles quoque feras, ſcilicet aquilam vel accipitrem unà gigni, ſin verò ex ruſtico & vili homine, ruſticas quoque, ut vocat, feras, nimirum bubonem, vel lacertam ſimul in lucem edi. Salmuth *Cent. 1. Obſ. 66.* ſe hæc omninò fabuloſa putaſſe ſcribit, donec à nobiliſſimâ matronâ, & aliis mulieribus fide dignis, quæ ipſæmet interfuerunt, ſuisque oculis viderunt, percepiſſet, comitiſſam quandam à Mansfeldt/ conjugem comitis in Leningen, gravidam conqueſtam fuiſſe, ſe perſentire quiddam in uterô depaſcens. *Enititur illa* (ſunt verba Salmuthi) *poſt aliquod temporis ſpatium filiolam ab uno latere prorſus depaſtam. Mirantur mulieres adſtantes. Obſtetrix denuò ratione ſecundinæ manus admovet, mordetur illius digitus, ita ut exclamaret. Nihilominus animum ſumens extrahit animal quoddam roſtro præditum, & quidem avem vivam, nudam tamen & implumem: quæ quod mulieres præ terrore illam dimitterent, ultrò citroq; diſcurrens, & latebras quærens, ſub ſcamno ab aſſiſtente quodam pulvinari obruta, tandem ſuffocando extinguitur, & igni poſtmodum crematur.* Riverius *Cent. 2. Obſ. 100.* recenſet exemplum Monſpelienſis cujusdam mulieris, quæ perpeſſis doloribus pungitivis atrociſſimis, poſt plures enixus animal quoddam ſeu monſtrum peperit bufoni non abſimile, ſed plus quam viginti pedibus in toto corporis ſui ambitu munitum. A mulieris uterô in obſtetricis ſinum exceptum inde in terram proſiliit, & ſupra pavimentum ſatis celeriter curſitavit, ac tandem infra lectum ſe recepit; unde extractum ſubitò enectum eſt, & in cellâ vinariâ ſepultum, ut mulieris opprobrium celaretur. In pedum extremitatibus unguiculos habuit ſatis acutos, à quibus ſine dubio dolores pungitivi & lancinantes orti. *Fœmina quædam*, annotante Th. Bartholino *Cent. 1. Hiſt. 10. Helſingoræ enixa eſt animalculum gliri grandiori ſimillimum, quod magno adſtantium fœminarum ſtupore ingenti celeritate antra cubiculi petiit, nec amplius viſum.* Plura à variis collegit *loc. cit.* D. Piererus.

§. 13. Piererus quidem, quòd natura hic ſatisfaciat, ad cauſam ſupernaturalem malam ac Diaboli aſſeclarum notitiam provocandum eſſe negat. Verùm naturam hic ſatisfacere, & ex humano ſemine ac ſanguine menſtruo corruptis animalia talia oriri nos dubitamus. Sanè

ex

ex sanguine menstruo, pure, sorde, sanie, ichore, pituita & quacunque aliâ putridâ materia in uterô contentâ vermes & varia insecta generari posse concedimus, quia putridum omne, ex se & sua naturâ vermes generat, monstrante Kirchero *Scrutin. Pest. Sect. 1. cap. 7. §. 1.* Ast aves, serpentes &c. ex materiâ tali generari posse, fidem vix meretur. Neque enim in potentiâ putridæ materiæ perfectioris animalis animam latere ratione aliqua probari posse videmus. Largâ quidem manu natura formas in hoc theatrô exhibet ignobiliores, ad quarum productionem putrida materia facilis est, quia calor cum proportionata humiditate ad insecti cujusdam exclusionem sufficiens facilè occurrit; sed ut nobiliores formæ, quæ certæ speciei classem subeunt, producantur, non materia putrida requiritur, sed seminalis, quæ, ut talis, nobilior est quàm ut putrida dici debeat; quia in putridâ materiâ est partium mixtarum dissolutio; in materiâ verò seminali, utpote ex totius materiâ laudabiliore producta, exactior mixtarum partium conjunctio. Nec quodvis insectum & certæ speciei animal è quavis putridâ, hominis parte generatur, teste Doctissimo Kirchero *l. c. Experim. 6. pag. 75.* ubi ait: omne vivens ex putredine educit animal quoddam naturæ viventis congruum, & à cæteris omnibus differens, quod uti in herbarum differentium speciebus verum per experimentum comprobavimus, & ex frumento in alatos vermes animato constat; ita in animalibus tam perfectis, quàm imperfectis certissimum.

§. 14. Quis ergò tantam animalium varietatem, ut aves, serpentes, lacertas, bufones, echinos, talpas, pisces, astacos, polypos, &c. quorum exempla è probatis autoribus collegit *l. c.* Piererus, ex semine ac sanguine humano in uterô naturali vi generari asserat? Matth. de Gradibus *Part. 2. cap. 29. ad Al Mansor. audivi*, inquit, *mirabilia, sed non vidi, de animali, generato in matrice cum aliis, quod cum exivit matricem, volavit & per cubiculum volitavit.* Marcus Gattinaria *Prax. Medic. cap. 71. testor*, ait, *me vidisse in quadam muliere Papiense, qua putans, se esse pragnantem, post 12. menses emisit frustum carnis satis magnum, & multa alia parva, & simul cum illis peperit animal ad similitudinem tenconis piscis, & erat coloris viridis, obscuri supra tergum, & infra rubei coloris, & habebat corium ita durum, ut vix cum gladiô scindi posset, habebat etiam motum, & plicabat se, sicut ericius.* Cl. Bar-

cholinus

tholinus ex Nobilis Poloni verâ relatione scribit, in Polonia quondam pisciculos duos sine squamis à muliere editos, qui simul ac ex uterô prodiissent, in aquis vicinis aliorum piscium more natabant. Avis & piscis quivis quovis insecto nobilior cùm sit, non ista ex putridâ, sed seminali materiâ ab individuô ejusdem speciei decisa fuisse,& producta dicimus, ita ut ex ovis per fascinationem Diabolicam immissis, uterique calore fotis, avis & piscis suum in uterô habuerint ortum. Ova autem per fascinationem magicam immitti posse, fatetur Olaus Wormius apud Thom. Bartholinum *Cent.1. Hist.4.* ubi mulierem quandam in Norvvegia gravidam maximis doloribus bina ova peperisse, eaque pro Magicis Wormium habuisse, refert. Idem de similibus fiat judicium.

§. 15. Nec quenquam exemplorum in Lombardiâ & Apuliâ frequentia forsan moveat. Æquè enim animum meum hæc naturæ portenta, pro quibus pugnas, movent, quàm tuum magicæ fraudes, quas hic occurrere ego affirmo. *Ecquis dubitet, diros illos partus anteambulones, ranunculorum aut rubetarum more saltitantes, Dæmonem regere ac mentiri, & si terram contingant, ad malefici cujusdam petita puerperam, Deo sic permittente, interimere*, inquit, nec malè, Jordanus *de Divin. cap. 34.* qui ad ea, quæ ex Anton. Torquemada Martin. Delrius *lib. 2. D. M. Quæstion. 2.* refert, respicit; ait enim quibusdam Regni Neapolitani locis, quando fœminæ enituntur, puero nascituro præire unum aut plures ranunculos, sive rubetulas, quorum si quis terram contigerit (statim verò incipere saltitare huc illuc) confestim puerperam emori, quapropter solere storeis insterni totum solum, & parietes undiquaque aulæis convestiri, ne funesti anteambulones isti, dum cadunt ex uterô, vel subsiliunt, terram contingant: ideo etiam obstetrices lebetes penes se habere solitas, vel poculum aliud aqua plenum, in quod animalcula hæc conjiciant, & probè obturatum vas deferre ad fluvium, ibique demergere. *Si hoc fit*, inquit Delrius, *fieri puto Dæmonis artificio, quia has ranas mentitur, & ad malefici cujuspiam petita, puerperam interimit, Deo id, justis de causis, permittente.*

§. 16. Superstitiosa quidem hic occurrunt, advertente etiam Th. Bartholino *Cent. 3. Hist. 1.* quia puerperæ mortem sic præcaveri &

inferri posse superstitiosè creditur, & intempestivâ incredulitate in fidem magicam sic inclinatur: falsitatis tamen propterea arguenda non est historia ipsa. Sequens Egræ contigisse Clarissimus quidam Medicus Noribergensis ad Dn. Frid. Schroterum Jenam perscripsit, referente Salmuth *Cent. 1. Obs. 62.* *Mulier quædam gravida, cum tempus justum & debitum pariendi, nonus scilicet mensis advenisset; enixa est quinque vivos mures, qui ex utero mulieris intra manus obstetricis exsilientes, in hypocausto hinc inde, aliorum murium more, discurrunt. Horum quatuor ab astantibus statim interfecti sunt. Quintum autem in angulo vel rima parietis hærentem felis, quæ tum fortè fortuna in hypocausto latitabat, comprehendit & devorat. Hæc postmodum tanquam rabida in lectum prosilire in puerperam extremum quasi exitium illi minitans, unguibus suis jamjam involare, & nullo modo ab instituto desistere, ita ut tandem astantes illam interimere cogerentur.* Maleficio malefici Stygii mures fuisse tactos, furor, in quem esus unius felem egit, & extrema felis erga puerperam antipathia, ita ut eam solam, non adstantes peteret, satis prodit. Absque maleficio si fuisset, & merè, ut ita loqui liceat, naturalis mus, nullum ex esu ejus incommodum felis percepisset. Atque hæc ratio movit Salmuthum, ut magicum tandem hic agnosceret.

§. 17. *Culicis* è sagæ cujusdam utero editi exemplum tradit è Rimphoffii **Drachen-König** Freudius *Quæst. 74.* Ea elapsis à concubitu Satanico 4. septimanis ingentem profert culicem 5. ulnæ quadrantes longum, quem maximô terrore perculsa illico in fimo recondit. Satanas verò verberibus eam tamdiu oneravit, donec bestiam è fimô eruit, quam ad ignem, infantis instar, calefacere & deinceps in lactis amphorâ reponere, hospitique haud amico quotidie lac pro cibo propinare fuit coacta. Alienum hoc fuit corpus, sed phantasticum, non verus culex. Tantæ enim magnitudinis natura in sinu suo culices non fovet. Itaque ex aere saltem per ludibria præstigiatoria culicem istum Satan formavit, & formando corpori partes solidiores aliunde allatas ad majorem consistentiam interjecit: ipse autem in materia sic figurata formæ informantis vices gessit, & proinde culex animatus, sed apparenter, fuit.

§. 18. *In-*

§. 18. *Inanimata* per fascinum in muliebres partes transferri posse jam ex dictis intelligere in proclivi est.

§. 19. *Cambiones* (dictos ab antiquo Cambio, quod permutare significat, item *Vagiones* à vagitu ferè continuo, Germanis **Wechsel-Kind/ Kiel-Kröpff/ weils in ihren Kröpffen stets kielet** secundum Lutherum *in Colloq. cap. 9.*) his annectimus, qui fœtus sunt suppositicii vel spurii, figuram hominis repræsentantes. Hi jam ad fœtus Diabolicos, jam ad aliena corpora referri possunt, *Ad fœtus Diabolicos* respectu ejus, quæ Dæmonem incubum admisit. *Ad aliena corpora* respectu puerperarum, quarum propriam sobolem Diabolus cum istis permutavit. Quo sensu Cambio Diabolicus fœtus dici debeat, patet ex §: 9. ex quo simul ejus naturalia erui possunt: nimirum corpoream molem à molâ, humanitatis verò speciem seu figuram externam per phantasticas & præstigiatorias Veteratoris illusiones habent: Dæmon verò forma saltem est assistens, qui putatitium hunc fœtum movet, ex eo loquitur, vagit, ubera sugit, omniaque, quæ præstare infans solet, præstat. Exemplum hujus tradit B. Lutherus *in suis Colloq. Mens.* quod prope Halberstadium in Saxoniâ contigit, ubi rusticus quidam infantem suppositicium habuit, qui non matris tantum, sed quinque præterea aliarum nutricum ubera exsuxerat, nimiumque quantum devoraverat, & miris modis sese gesserat. Hunc Hockelstadium transferendum: ut ibi in cunis agitatus convalescat, suadent vicini. Morem gerit rusticus, fœtum suscipit & ad prædictam urbem tendit. Cùm autem rivum quendam transiret, ecce! Diabolus sub ponte latitans, clamare occipit: **Kiel-Kropff / Kiel-Kropff.** Cui statim puer. **Ho! ho!** Pergit ille; **wo wilt du hin?** Respondet hic: **Ich will gen Hockelstadt zu unser lieben Frauen / und mick allda laten wiegen/ dat ick mög etwa diegen.** Percipiens hoc rusticus admiratur inauditam hactenus socii sui loquelam, & indignabundus eum in aquam præcipitat, qui statim cum altero se conjunxit, collusit, & non semel stentoreâ quasi voce reiteravit suum **ha / ha / ha /** donec tandem ambo oculis ipsius rustici repentè subducti fuerunt. De tali incarnatô Diabolo historiam etiam Delrius refert *lib. 2. D. M. Q. 15. Mendicus quidam puerum per Galliciam & Asturios Hispaniæ summâ cum defatigatione humeris bajulabat: cùm ex nostris eum quidam in itinere repertum prope*

flumen, ut transvadaret, misericordiâ motus, retrò se in jumentum sustulisset, vix valida bestia potuit eum in alteram ripam exponere. Paulo post mendicus comprehensus, fatetur eum puerum, non puerum, sed Diabolum fuisse, qui sibi promisisset, omnes se ad eleemosynas ei conferendas pellecturum, quamdiu sic circumferretur habitu pueri morbosi & fasciis involuti.

§. 20. *Diabolum* autem *sobolem genuinam suffurari*, & adulterinam loco illius supponere posse, nec ratio contradicit, nec experientia deest. Cùm enim Satanas se transfigurare possit in Angelum lucis *2.Cor. 11.v.14.* ut esse videatur talis, licèt revera non sit, cur non etiam humanam massam assumere queat, ut verus infans appareat, qui reipsa nihil minus est? Freudius *Quæst.75. n.14.* Exemplum plagii & fœtus ex utero per fascinum Diabolicum ablati recitat Salmuth *Cent. 2. Obs. 55.* de *Comitissa quadam parturiente, cui illustrissima quadam Ducissa cum aliis Nobilibus matronis adstitit. Instat verus partus, ejusq; vera adsunt indicia. Ichores, seu humiditates solitæ fluere incipiunt, dolores magis magisq; intenduntur, & fœtus manifestò exitum quærit. Obstetrix itaque & astantes singula officium suum strenuè faciunt. Verùm dum, (illâ infantis caput se digitis tangere & apprehendere affirmante,) omnes felicem enixum jamjam sperant; Ecce, dolores è vestigio intermittunt omnes, ac prorsus cessant. Ipsa parturiens ad somnum prona dormire expetit. Conceditur. At duabus ferè elapsis horis rursus excitatur. Experrecta statim clamat: Deus bone, quid de ventre meo actum? Ducissa & reliquæ perterritæ accurrunt, ventrem manibus tractant, & benè explorant, cumq; non tantum planè detumuisse, sed nec fœtum amplius adesse summo cum stupore & admiratione deprehendunt. Lochia postmodum debito modo fluunt. Mammæ lacte turgent & varii affectus atq; symptomata, quæ puerperis interdum valde molesta esse solent, subsequuntur. Suspectam habuerunt obstetricem, ac si illa per maleficium seu Diaboli præstigias infantem sustulisset.*

21. Paulus Frisius Nagoldanus im Bericht von Hexen und Unholden citante Voigtio *Deliciar. Physicar. cap.8.* hoc suppositicii fœtus recitat exemplum. *Heslochii prope* Odernheim in Gauw *aulicus quidam cum coqua suâ clandestinas celebravit nuptias & postea quoque filium ex ea suscepit. Hujus in locum statim opera Diaboli alius successit suppostititius qui*

qui nocturnis, diurnisque vagitibus parentum aures replevit, cibos famelici instar lupi devoravit, nec tantillum tamen crevit. Solliciti fuerunt parentes, & quid agendum, prorsus ignorarunt, donec tandem mater id consilii cepit, fore, ut pristinæ integritati restituatur proles, quam adhuc putabat esse suam, dummodo Neuhusii, in Cyriaci, ut vocant, cunis ipsam agitaret, ex ejusdemque fonte illi propinaret. Placuit sententia marito, quamobrem, ut acceleraret iter, autor extitit. Obtemperavit uxor, & fecit, quod faciendum decreverat. Sed quid interea? Ecce! angelus, personâ indutus Scholastici, & curru vectus, eunti obviam processit, ex eaque, quid monstri portaret; quæsivit: Respondit misera, esse filium suum carissimum, quem Neuhusianis cunis committere constituisset. At ille: non filius hic tuus est, sed ipse personatus Diabolus: Tolle nebulonem & præcipita in aquam. Cùm verò nollet, sibi persuadens, genuinum suum, quem edidisset, esse partum, osculaque ipsi figeret dulcissima, iterum adoloscens angelus infit: Filius tuus domi in novis jacet cunis, & quidem in camera hypocausto contiguâ. Hanc quam portas, non tuam, sed Dæmonis sobolem esse scito. Quamobrem tolle, tolle pessimum hunc nequam sine ullâ morâ. Id quod cùm non sine lachrymis & gemitibus tandem effecisset, horrendus exortus est ululatus & murmur, luporum instar atque ursorum. Ipsa verò domum reversa invenit, quæ Angelus prædixerat, omnia. Aliud ex eodem vid. *l. c.* apud Voigtium.

§. 22. Fœtum mortuum edunt in uterô vel ejus ostio inter pariendum fascini atrocitate morti traditum. Exempla §. 5. dedimus. Vid. quoque *Part. 3. Sect. 2. cap. 5.* §. *11.* Plura fascinum Generationis spectantia dabimus infra in modi explicatione *Part. 6. c. 18. & seqq.*

CAPUT XI.

Homo ratione accidentium spectatus non est à fascino immunis. Non pii, ut Jobi exemplum testatur. Lutherus idem confirmat. Limites tamen Dæmoni sunt positi. D. Simonem Pauli minæ sagarum non terruerunt. Fascinantur personæ Magistratus, rariùs tamen. Saga quædam Judicem frustra per Diabolum lædere conatur. Qui è lecto manè precibus non muniti surgunt, faciliùs fascinantur, cujus historia adducitur. Omnes ætatis &

 sexus

sexus homines fascinantur, mortui & vivi, item absentes. Magus Magum fascinat. Fascinantur, qui fidem in matrimonium datam temerè violant: Temerarii, & qui limites officii transgrediuntur: item jejuni, cujus ratio datur: pleraque antè dicta historiis illustrantur.

§. 1. ITa hominem & totum, & secundum utramque suæ essentiæ partem, corpus & animam, omnesque hujus facultates fascinationi diabolicæ obnoxiam esse vidimus, Eundem *secundùm accidentia* jam spectabimus. Accidentarius autem respectus nullus à fascino hominem simpliciter immunem præstat, sed in omnis ætatis, sexus, dignitatis & conditionis homines armata sceleribus nefandissimis fascinandi Cacodæmonis libido rabiem, impetrata à supremo Numine permissione, exercet. Pios æquè ac impios, tam Magistratum, quàm subditum, juniores & seniores, mares & fœminas, vivos & mortuos, natos & nascendos, præsentes & absentes, Magos & magiæ puros, Deo permittente, Satanas fascino lædit, & nocendi voluntatem, quam nunquam non habet, actibus, pro permissionis gradibus, crudelissimis testatur.

§. 2. Inter *Pios* fascinatos prodeat laudatissimæ & sanctæ familiæ, Abrahamiticæ scilicet, propago splendidissima, *Hiobus*, qui Esavi pronepos, Raguelis nepos & filius Serach putatur. Hic tantos in Israelitica religione fecit progressus, ut hoc laudis à Spiritu S. ipso reportarit, quod *fuerit perfectus, & rectus, timens Deum, & recedens à malo.* Hunc tamen Diabolus concessa à divina Majestate potestate fascinavit, *eum*, ut ore Suidæ loquar, *in sterquilinium evocatum, & totum ulceribus compunctum, vermibusque repletum* (κατάστικτον ὅλον τοῖς ἕλκεσι καὶ πλήρη σκωλήκων) *spectaculum horrendum & inusitatum toti orbi, qui sub sole est, effecit, per 7. annos lacerans & lingua ventilans totum illius Martyris corpus.* B. Lutherus scribit, veneficam quandam matri suæ multa incommoda & mala intulisse, & cùm eam propterea Pastor ibidem in genere saltem reprehendisset, eum magicis artibus ab ea ita fuisse læsum, ut paulò post vitam cum intolerabilibus doloribus finierit. Et addit Lutherus piis etiam tale quid accidere posse. Animam enim nostram mendaciis obnoxiam esse, & licèt iisdem liberetur, corpus tamen afflictionibus subjectum esse. Et meos morbos & infirmitates, subjicit, veneficiis

ficiis ejusmodi divinitus concessis mihi accidere existimo, Godelmannus *lib. 1. cap. 7. num. 13.* Non tamen existimandum, Dæmonibus semper accessum patere ad homines tentandos & fascinandos. *Nam à Deo sæpe sive immediatè, sive mediatè per bonorum Angelorum ministerium cohibentur, præsertim ne pios & fideles adoriantur*, D. Danhauerus *Theol. Conscient. pag. 148.* Exempla *vid. Part. 9. cap. 1.* Limites permissionis divinæ κακοτέχνος ejusque ministri nec possunt nec debent transgredi. *Piissimum Theologum D. Simonem Pauli Rostochii non terruerunt crebra minarum fulmina, etiam per schedulas suggestui impositas irruentia sic, nisi adversus Magiam concionari, & Magistratum ad ulteriorem inquisitionem animare desierit, salvo & incolumi domum redeundi sibi non fore licitum. Sed lectis istis soluto illicò animo concionator denuò incipit, & in contemptum Dæmonis Magistratum severa voce admonet, ut concessam sibi gladio puniendi potestatem cordatè exerceat. Nihil tamen mali ex hoc ipsi obtigit*, ex D. Robero Freudius *Quæst. 206. num. 10.* Nimirum, ut benè Bernhardus *Lib. de Mod. benè Vivend. cap. 67.* disserit; *Quamvis Diabolus semper cupiat tentare servos Dei, tamen si à Deo potestatem non accepit, non potest implere, quod quærit. Unde & omnis voluntas Diaboli semper est injusta, sed tamen permittente Deo, justa est potestas ejus.* Imò ne *improbis* quidem, nisi Deus permiserit, Dæmones & Magi nocere possunt. Scribit enim Niderus, Magum quendam in confessionibus dixisse, rogatum se fuisse, ut inimicum occideret, sed omnibus diabolicis facultatibus consumptis Satanam fassum esse, homini isti se nocere non posse.

§. 3. *Magistratum* Dei vices in terris gerentem, ejusque ministros Princeps hujus mundi, hujusque satellites fascino, si permittitur, percutere non verentur. Exempli loco itidem *Hiobus* adsit, qui regiâ dignitate insignis diadema & judiciariam vestem, quam Principes judicaturi assumere solebant, gestavit, circumstante populo; quem tamen Satanas satis diu gravissimè fascinavit. Carnificem à Saga quadam horribili lepra percussum supra notavimus. Nec dubitandum, eos præsertim faciliùs fascinari, qui opibus denominatorum inhiantes justitiæ fontes obturant, & crudelitate ac vindictæ amore acti innocentes ad rogum damnant. Rariùs tamen veros Justitiæ Sacerdotes & ministros fascinari Deus permittit, id quod Lamia quædam, Remigio quæstore, indignabunda edixit, inquiens: *Quàm bene agitur vobiscum, ô Judices! quòd nobis*

nobis in vos nihil quicquam licet. Nam nulli sunt mortalium, quos tàm libenter insidiis nostris appetamus, qui sic gentem nostram omnibus pœnis suppliciisq́; prosequimini. Alia idem sponte, nec quoquam ei interrogatione præeunte recensuit, Remigius *loc. cit. cap. 2.* Godelmannus *lib. 1. c. 2.* scribit Veneficam quandam Rostochii combustam ex carcere ablegavisse Diabolum, ut judices, qui pridie eam sub tortura examinarant, vel interficeret, vel iis, vel eorum familiis damnum inferret. Judices noctu spectrum adesse animadverterunt; Verùm quia se antea divinæ protectioni commendarant, Diabolus nihil efficere potuit, & in carcerem reversus, Veneficæ indicavit, se jussa exequi non potuisse, propterea, quòd dum cubitum ivissent illi, se in precibus suis Deo commendassent, additis his verbis: **Der Allerhöchste hats nicht haben wollen.** Itaque

§. 4. *Qui è lectô precibus non muniti manè surgunt,* faciliùs fascino corripiuntur. Fama jam olim hîc Coburgi percrebuit, sagas ad rogum damnatas in suis examinibus fassas esse, se quidem damnum hominibus certis inferendum meditatas, sed sæpius frustratas esse, quòd isti ad Deum preces ante fudissent, quàm lecto manè surrexissent. Si verò neglectis precibus desubitò se lecto & ædibus suis se movissent, Dæmonem hoc ipsum, ceu occasionem ad fascinum inferendum præsentem, mox significasse, & ad aquarum venenatarum profusionem, vel venenatorum pulverum sparsionem, in via, quâ hominibus istis transeundum fuisset, sagas impulisse, atque ita sociâ sagarum consentientium opera fascinasse. Fidem famæ denegare nolim, cum historiarum fide & experientiæ suffragio eadem roboretur. Valerius Herberger *Tom. 8. Magnal. pag. 417.* exemplum hoc à celebri quodam Theologo grandævo se accepisse scribit, controversiam quandam inter Pastorem quendam & Centurionem hanc fuisse motam: An Diabolus per maleficas nocere queat nec ne? Pastori negativam defendenti sententiam, omniaque pro superstitionibus ac fraudibus habenti Centurio affirmativam opposuit, istoque pertinaciter suæ inhærente hic sagam quandam clam perquirit, quam multis pollicitationibus & immunitatis promissionibus rogat, ut artis suæ periculum in Pastore faceret. Id quod etiam tentavit, sed effectu irrito. Quare Centurioni dixit, si vel semel saltem Pastorem mane, antequam preces funderet, prodeuntem haberet, se facilè effectui propositum daturam. Centurio morbum noctu simulat, famulumque

post

post famulum mittit, ut confestim Pastorem, si vivum adhuc semel Centurionem velit intueri, evocent. Pastor verò citissimè erectus, tunicâque pelliceâ indutus ad arcem currit, ibique Centurionem de doloribus gravibus, (quanquam per jocum) conquerentem invenit. Lecto dum assidet, pedes tumore tanto corripiuntur, ut domum fuerit deportandus. Hunc sequenti mane Centurio visitans quærit: Num jam credat Diabolum esse mille artificem? Sed Pastor priorem sententiam repetit, & Centurioni amplius quærenti: num precibus manè locum prius dederit, quàm accessisset? num obviam quis ei fuerit factus? respondet, se equidem nescire, qua ratione ipse morbo Centurionis perterritus ad arcem venerit; hoc autem benè se scire, se alicui in via impegisse, & afflatum sensisse: dolorem verò à maleficis sibi illatum esse, ut credat, se adduci nunquam posse. Ad hæc Centurio dixit, se non ægrotasse, seque dolorum ejus causam esse, quos ipsi inferri curaverit, ut disceret, quanta sit Diaboli potentia: dolores verò certa hora sedandos esse. Argentorati puer, qui propter veneficium decollatus & Vulcano consecratus est, à Jesuitis Moltzheimensibus se Magiam addidicisse fassus est. Puer hic, quando ante capturam baculo hominem precibus ardentibus non munitum tetigit, ejus partem, quam mente conceperat, fascinavit, Freudius *Quæst. 19. num. 9.* ex Dn. Schacher *Conc. 4. de Plag. Ægyptiac.* Etiam *medendi vires à Dæmone acceptas statim evanescere, ubi Sacerdos aut medicus ægro sanitatis ergo manus admoverunt*, saga quædam edixit apud Remigium *lib. 3. cap. 5.*

§. 5. *Omnis ætatis & sexus* homines Dæmoniacam fascinationem non effugere, ex iis, quæ adduximus, exemplis patet. *Contra milleformes Dæmonum incursus quis innocentia sua fidit, quandoquidem ne quis fideret, etiam* parvulos baptizatos, *quibus certè nihil est innocentius, aliquando sic vexant, ut in eis maximè, Deo sinente, ista monstretur hujus vitæ flenda calamitas, & alterius desideranda felicitas?* ait Augustinus *lib. 22. de C. D. cap. 22.* Romæ in orphanotrophio omnes puellas, circiter septuaginta, una nocte factas esse dæmoniacas, scribit Cardanus *de Variet. Rer. lib. 14. cap. 76.* *Viri* autem fascino impotentiæ & ligationis frequentiùs, quàm fœminæ corripiuntur. Rationem dat Sprengerus *Tom. 1. Part. 2. Quæst. 2. cap. 1.* quia Deus plus permittit super actum Venereum, per quem primum peccatum diffunditur, quàm super alios a-

ctus humanos: sicut & per serpentes, quæ magis incantationibus deserviunt, quàm alia animalia, eò quòd Diaboli primum instrumentum, & quia actus ille Venereus plus & faciliori modo potest maleficiari in viro, quàm in muliere. Nec *vivi* tantum, sed & *mortui* à Dæmonis fascino non manent immunes, dum cadavera subit, characteres incipientis putredinis præstigiis obfuscat, fœtorem supprimit, actionumque varietate per ea editarum vivos ludificat, cujus exemplum dedimus suprà *cap.6. §.11.* *Puerperas* inprimis fascino excruciare satagit magicum sodalitium. Id ipsum Psellus *de Operat. Dæmon.* jam olim compertum tulit. Scribit enim: Καὶ γὰρ πολλῶν κατακηκόας ἔχω θηλύμορφον πάσαις ταῖς λέχοις ὁρᾶσθαι, id est, *& à multis audivi, omnibus puerperis dæmonium fœmineâ figura comparere.* Nec sub hac tantum, sed & sub Viri, felis, muris, &c. specie. Dæmonia iis apparent, easque Lamiarum instinctu & consensu fascinant. Id vulgo etiam per experientiam notissimum est, ut exempla congerere supervacaneum ducam. Confer infrà *Part. 7. cap. 2.* Judæi hodierni Lilith Lamiam puerperis & partui inimicam ducentes ad ritum veterum in parietibus cubiculi exarari curant ad avertendum fascinum verba certa, quæ dabimus inferius loco jam citato.

§. 6. *Absentes* & à fascinatore etiam aliquot milliaribus distantes fascini injuriis plectuntur. Memoratu dignum est, quod habet Rob. Holkoth *in Libr. Sapient. cap. 17. pag. 625.* Cum quidam Teutonicus peregrinaretur ad Sanctum Jacobum, in quadam villâ Navariæ quendam Necromanticum obvium habuit, qui dixit peregrino: Video te charissime! esse in periculô mortis, sed si vis mihi rependere mercedem, salvabo vitam tuam. Spondet Teutonicus: Volo. Ducit ergo Necromanticus Teutonicum in quandam cameram, parat ei balneum, & ponit eum in aqua: collocat ante eum speculum de chalybe, quo magici solent uti. Et quærit ab eo, quid videat in speculo? Et respondet Teutonicus, quòd videret virum & uxorem in domo propriâ. Et Necromanticus quandam imaginem formaverat de cerâ, statque clericus arcu extenso, & sagitta immissa, ut sagittaret imaginem. Cui Necromanticus: Imago, inquit, cerea imago tua est. Uxor verò tua & clericus amasius suus in hoc convenerunt, ut te occidant, quia si imaginem illam clericus posset sagittare, mortuus esses Custodies ergò te ipsum, & cum incipiet trahere, immerge te totum in aqua, sub aqua

balnei,

balnei, in qua ſtas, & ſic ſecundo, & tertiò, quia pluries non poterit ſagittare: fecit ſic. Tandem ſe erigens, tertiô de aquâ reſpiciens ſpeculum, vidit qualiter uxor cum famula clericum illum ſubitò mortuum in ſtabulo quodam ſepeliunt. Solvit ergò Teutonicus Necromantico ſuo mercedem, & factâ peregrinatione domum rediens, quæ per ſpeculum viderat opera, completa proſpexit. Sequens recenſet Sprengerus *Mall. Malef. P. 2. Q. 1. c. 16.* Princeps quidam Rheni, Barbatus cognominatus; eò quòd barbam nutriebat, cùm ante annos ſexaginta, adjunctis ſibi terris Imperialibus, quoddam caſtrum Lenden-Brunnen/ propter rapinas, quas Caſtrenſes inde faciebant, obſidendo circumvallaſſet, habuit in ſuo comitatu quendam maleficum Puncker nomine, qui in tantum Caſtrenſes moleſtabat, quod uno dempto, omnes ſucceſſivè, ſagittis interemit: talemque modum ſervavit, ut eum, quem intuitus fuiſſet, quocunque divertiſſet, per emiſſam ſagittam lethaliter vulneraret & occideret, taleſque tractus quolibet die tres duntaxat, in ſua poteſtate habebat, eò videlicet, quòd tres ſagittas imagini Salvatoris infixerat. Illis autem tribus emiſſis tractibus non niſi in ſortem, ut cæteri, ſagittas emittebat.

§. 7. *Magus Magum faſcinat*, quia quivis ſuum habet Dæmonem, cujus ope præſtigiatoria & magica efficit opera. Dæmon verò Dæmonem potentiâ ſuperat, quia quoad naturalem perfectionem, quæ poſt lapſum integra in ſingulis manſit, inter ſe ſpiritus mali differunt. Minor itaque majori in faſcinationis opere cedit, eò quidem lubentius quò certiùs in exitium Magus faſcinatus præcipitatur. *Nobilis quidam præſtigiator inſignis in Haſſia* A. von Th. *dictus, capita decollare & reponere novit. Hic magicæ & periculoſæ arti valedicere ex infortunii metu conſtituit & animum inducit. A ſodalibus autem in convivio quodam ad ultimum artis ejusdem exercitium, perſuaſus nemine caput ſuum accommodatò ſupponente, hoſpitis famulum ad id ſub conditione reſtitutionis capitis accedentem decollat. Decollato verò caput imponere nequit. Ad convivas ergò converſus, eſſe quendam ait, qui ſibi in propoſito ſit impedimento, eumq́; ut deſiſtat, rogat. Præſtigiator capitis impoſitionem reiterat, ſed fruſtra. Secunda ergo vice alterum monet, & minis ab impedimento avocare conatur. Verùm cùm alter petitioni locum non daret, præſtigiator in menſa lilium creſcere fecit, cui cùm caput &*

flores amputasset, concidit statim absq; capite de mensa magus ille, qui alterum impediverat, & præstigiator sine impedimento famulo caput è vestigio imposuit, & ex hospitio urbeq; , ne à Magistratu propter commissum homicidium caperetur, aufugit, Lercheimerus im Bedencken von Zauberey *cap. 7.* Certamen hic fuit inter Magorum Dæmones, quorum inferior satis fortis erat ad impediendum vim præstigii: potentiori tamen coactus (non opinor invitus) cedere clientuli sui nece, qui verè interemtus, notante Majolo *Tom. 2. Dier. Canic. Colloq. 3. pag. 175.* Aliud Magi à Mago fascinati exemplum recitat Delrius *libr. 2. D. M. Q. 6.* ex Roberto Friezio Insulensi *lib. de Technis & Impostur. Dæmon cap. 5. Rapuerat unus puellam forma egregia, & equo ligneo impositam per aera absportabat. Alter in castro quodam Burgundiæ, celebri convivio præsens, quod castrum raptor prætervolabat, carminibus cogit raptorem in castri aream descendere, & immobilem illic coram omnibus mœstum cum præda erubescente sistit. Nec segnius raptor, nihil tale metuentem eum, à quo ita vinctus, latenter incantat, & è fenestra editissima, per cujus cancellos collo & capite prominebat, despicientem, immanibus subitò fronte protuberantibus cornibus dehonestat, & à repagulis ferreis magnitudine ramosæ frontis sic illaqueat & suspendit, ut per clathros caput retrahere non valeret, præcipitii verò altitudine deterritus se dimittere non auderet. Ita coactus corniger, pacta salute prius mutua, & discrupto ligamine raptorem cum præda dimittit, qui rursus nube cavâ tectus in aerem se levavit: alter depositis cornibus, magna cum spectantium voluptate, salvum in cœnationem caput retraxit.*

5. §. *Sacras matrimonii leges*, datamque in id fidem, qui perfrictâ fronte *violant*, facilè fascinantur. Nam quantum homo à Deo Deique verbo declinat, tantum ad Diabolum ejusque jura inclinat. *Opificem fuisse* memorat Prætorius in descriptione Montis Bructerorum, *qui datam clam vetulæ cuidam matrimonii fidem fregerat, & Virginem cui deinceps adhæserat, in uxorem duxerat, susq; deq; habitis, quæ anus emiserat, minarum fulminibus. Appropinquante prima nuptiarum nocte convivas, & inter eos Pastorem quendam propter Deum, ut secum commoretur, quod sibi à malo spiritu periculum immineat, rogat, istarum memor comminationum. Quid fit? Hircus media nocte rectâ viâ sponsum accedit, eumq; ad insidendum solicitat. Iste verò ardenter orans præsen-*

præsentium brachiis vix retineri potuit. Hircus verò tandem cum murmurationibus multis disparuit. Nocte sequente idem sponsus ex improviso è lecto raptus sponsam solam relinquit. Hic spectro satis exagitatus manè in tecto non procul à pariete lapideo in stillicidio ab amicis reperitur semimortuus, ut aliquot menses, pristinæ sanitatis recuperandæ gratia, lecto fuerit affixus. Cum conjuge novella tamen perpetua deinceps litigia & jurgia reciprocavit, quorum impatiens, dato Hungaricæ militiæ nomine, Martis castra secutus est.

§. 9. *Temerarios*, qui limites officii sui transgrediuntur, & experimentis se curiositate illicitâ committunt, Dæmon fascinat, cujus exemplum è Delrio *lib. 2. Q. 56. p. m. 159.* adducere placet, per quod periculosum esse ad magicæ artis experimenta quævis progressum insimul monemus: In Mendrisio oppido Comensi contigit, ut cum ibi quidam inquisitor nomine Bartholomæus de Homate, D. Laurentius de Concoretio Potestas, & Joannes Fossato Notarius, contra has striges procederent: una die ipse Potestas, quadam curiositate ductus, volens experiri, an verè & corporaliter striges irent ad ludum, factâ conventione accessit quodam die Jovis sero cum Notariô suo & quodam alio, extra oppidum ad quendam locum, sicut illi strigia prædixerat, & dum ibi prope essent illi tres, viderunt ibi plures personas congregatas coram quodam (qui erat Diabolus in formâ hirci) ad modum cujusdam magni Domini sedente: & ecce! subitò omnes illæ personæ ibidem congregatæ, jussu Diaboli, adeò illum Officialem, & omnes ejus socios Deo ob eorum curiositatem permittente, baculis percusserunt, ut ex talibus percussionibus, ille Officialis & Notarius, & tertius ille alius infra quindecim dies mortui sint. Aliud vide supra *Part. 3. Sect. 3. cap. 1. §. 7.*

§. 10. *Jejunos* faciliùs fascinationis periculo exponi non nemo in G. qui zingarorum castra olim secutus, magicè pecora & homines opem medicam expetentes clam etiamnum curat, edixit, & sibi hominis jejuni occursum manè donô quinque florenorum chariorem esse fassus est. Neque dicto ego fidem denegare velim. Jejunorum enim corpora minus spirituosa & propterea ad repellendum fascini noxam, quam obvius Magus inferre meditatur, minus apta esse patet ex resolutione quæstionis 5. Dn. Linemanni *Deliciar. Calendariograph. ad Ann. 46.* ubi causam problematis hujus; cur homo jejunus seipso non-jejuno

gravior sit? ex majori spirituum in jejuno defectu deducit: defectus per cibum assumtum restauratur, indeque corpus ob spirituum novorum generationem levius & agilius evadit. Cùm enim spiritus sint leves, levitatem etiam majorem corpori conciliant, carnisque compactionem ex spirituum fugâ ortam ac gravitatem tollunt, non secus, atque aer vesicæ inflatæ tribuit levitatem. Ex hoc fundamento atomos malignas seu virulenti maleficii minima, in corpus obvium jejunum faciliùs, quàm in non-jejunum Magum traducere posse largimur: quamvis si virulentia ingens sit, etiam saturos Deo permittente fascinari posse non negemus.

§. 11. Fascinantur etiam *Sagæ* ab iis, qui à pacto cum Satana explicito (non tamen implicito) alieni, magicè morbos ab istis immissos curant, easque magico remedio cruciant, ut in curatione videbimus.

SECTIO II.

De

SECUNDARIO FASCINATIONIS MAGICÆ OBJECTO.

CAPUT I.

Objectum secundarium Fascinationis Magicæ sunt res homini inservientes, quæ vel naturales sunt, vel artificiales: Naturalium subdivisio. Dæmon universum hoc ejusq; leges, cœlum & astra fascinare nequit; item elementa integra, benè autem eorum partes. De Dæmonum generibus variis. Magna est Dæmonis in elementa potestas. Bodini error. Deo non permittente, nihil Dæmon potest operari.

§. 1. PRimarium Fascinationis Magicæ objectum, quod *Homo* est, hactenus vidimus: jam *secundarium*, quod sunt *res omnes hominis usui inservientes*, evolvemus. Capitalis enim humani generis hostis, quando in homines ipsos malignitatis suæ virus evomere nequit, in ea, quæ ejus usui inserviunt, si per supremi spiritus permissionem licet, tyranni-

rannidem exercet, eaque fascinare, vastare, & corrumpere, ut ad usum fiant inepta, gestit.

§. 2. *Inserviunt* autem *usui hominis* totum hoc universum, omniaque in eo contenta. Siquidem omnia sunt propter hominem, homo autem propter Deum. Ea autem dispesci possunt in naturalia & artificialia: naturalia in cœlestia & subcœlestia. Subcœlestia in simplicia & mixta. Simplicia sunt elementa 4. Ignis, aer &c. Mixta vel inanimata sunt, vel animata; & hæc vel vegetabilia, vel bruta, quorum usum homini mediatè vel immediatè convenientem Philosophi naturales tradunt. Artificialia sunt utensilia quæque, ut bombardæ, seræ, supellectilia varia &c.

§. 3. Fascinatricem *Dæmonis circa Naturalia potestatem* primùm examinabimus. Ea autem *absoluta non est*. Nam (1.) *Universum hoc ejusq; leges Dæmon fascinare nequit*. Hoc enim infinita Dei virtute sic formatum est, ut nullo fascino nulliusque agentis finiti virtute turbari & everti queat. Qui universi leges fixit (fixit autem Divina Majestas) easdem refigere potest. Ut vana sit jactantia & phantastica persuasio Nutricis apud Senecam:

> *Mare, terra, cœlum, Tartarus servit mihi.*
> *Nox media Solem vidit, & noctem dies,*
> *Nihilq; leges ad meos cantus tenet.*

Frustra de Pamphilia Thessala Apulejus prodit: *Saga divinipotens cœlum deponere, terram suspendere, fontes durare, montes diluere, manes sublimare, sydera extinguere, tartarum ipsum illuminare.*

§. 4. (2.) *Non potest cœlum, ejusq; incolas, astra scilicet, fascinare*, eorumque substantiam, qualitates, motus & situs mutare, nec, quæ inde dependent, tempora & tempestates aliter ordinare. Nam & hoc immutabili naturæ legi à Deo fixæ repugnat, eaque non nisi per absolutam ejus potentiam mutari possunt; ut proinde errent, qui carminibus cœlo Lunam deduci posse credunt (quem errorem supra *lib. 1. Part. 2. Sect. 2. cap. 6.* refutavimus) quique Diabolos astrales influentias pro libitu posse fingere, refingere, augere, atque ita iis impressis in res sublunares ad operationes mirabiles uti putant.

§. 5. (3) *Tantum non potest in mundo elementari, ut integra elementa seu corpora continentia mutet*, aut quoad substantiam, aut quoad

quoad qualitates & primarias & secundarias. Idem de loco, situ, contiguitate, suis cuique adjunctis corporibus intelligendum est. *Sic e.g. non potest efficere, ut tota aqua desinat esse humida, frigida, à terra separata. Non potest terram loco movere &c.* Voetius *lib.1. pag. 945.*

§. 6. Circa *Elementorum partes* mirè occupata est Principis hujus mundi, & quos sibi subditos habet, Magorum malitia. Elementa autem nos jam, non ut in se sunt, & in ea puritate, quam Physici venantur, sed ut à parte rei dantur, hoc est, impura spectantur, & sic, quæ in his occurrunt, alterationes & mutationes à naturali principio ortæ, eas omnes per hoc ipsum, & quidem modo insolentiori efficere ac fascinatoria opera in iis Dæmon patrare potest.

§. 7. Magna cùm sit Dæmonum in magno numero elementorum regna occupantium potentia, dato à suprema Majestate nutu magnas inibi excitant mutationes, fatentibus etiam iis, qui varia Dæmonum genera agnoscunt. Cujus sententiæ favitores præcipuè sunt Porphyrius & Psellus Philosophi Platonici, quos Marsilius Ficinus interpretatus est, Corn. Agrippa, Joh. Trithemius, Delrius, Schottus & alii: quamvis an omnis eorum circa hoc negotium in vero cura fuerit, meritò incertum sit Cl. Ittigio *Lucubrat. de Montium Incend. Sect. 2. cap. 2.* item Delrio & Schotto, quorum ille *D. M. lib. 1. Quæst. 27. Sect. 7.* hic *Phys. Curios. cap. 12.* descriptiones generum Dæmonum, quæ à loco Trithemius *lib. 8. Quæst. ad Maximilian. Cæsar. 6.* sumsit & prolixè tradidit, brevibus recensent, & notatiunculis censoriis illustrant. Quibus etiam jungendus Franc. Torreblanca *Dæmonol. lib. 2. cap. 29.* *Primum* genus Dæmonum appellat Trithemius *igneum*, quod circa superiorem pervagatur aerem, nec unquam ante judicii diem ad inferiora demergitur, sed continuò sub regionibus permanentes sublunaribus, nullum habent cum hominibus commercium &c. *Secundum* genus *aereum* dicitur, quod in aere oberrans nobis propinquo commoratur. Hi quidem ad inferiora possunt descendere, & assumptis de crassiore aere corporibus quandoque visibiles hominibus apparere. Aera permittente Deo sæpius turbant, tonitrua & tempestates concitant, & omnes simul in perniciem humani generis conspirant. *Tertium* genus Dæmonum *terrestrium* dicit, ex quibus alii versantur in sylvis atque nemoribus, qui venatoribus ponunt insidias: alii verò patulis degunt in campis, qui nocte aberrare faciunt itine-

itinerantes: nonnulli demorantur in locis abditis atque cavernis : reliqui cæteris minus furiosi ac perturbati demorari cum hominibus in obscuro delectantur. *Quartum* genus Dæmonum denominatur *aquaticum*, quoniam se humoribus immergens, circa fluvios & lacus inhabitat, irâ plenum, turbatum, inquietum , & fraudulentum : quod in mari tempestates concitat, navigiaque demergens in profundum , multis vitam aufert in aquis. Et isti Dæmones, quoties assumunt corpus visibile, in sexu frequentiùs apparent fœminino &c. *Quintum* genus *subterraneum* dicitur, quod in speluncis & cavernis, montiumque remotis concavitatibus demoratur. Et isti Dæmones affectione sunt pessimi, eosque invadunt maximè, qui puteos & metalla fodiunt, & qui thesauros in terra latentes quærunt, in perniciem humani generis paratissimi. Hiatus efficiunt terræ, ventosque flammivomos suscitant, & fundamenta ædificiorum concutiunt. *Sextum* genus Dæmonum appellatur *lucifugum*, propterea, quòd lucem maximè horrent & detestantur ; quia nec diebus unquam apparent, nec alio modo corpus , quàm de nocte possunt assumere. Hoc est negotium, quod in tenebris ambulat : genus Dæmonum imperscrutabile, ac penitus tenebrosum, passionibus frigidis agitatum, malitiosum, inquietum, & perturbatum : quod occurrentes homines violenter comprimit nocturnis horis , sæpiusque Deo permittente, aut flatu quodam interficit, aut contactu.

§. 8. Quicquid hujus rei sit, certum est , Dæmonem magnam in elementa, præsertim in aerem in aere (unde & aereæ potestates à Paulo vocantur) permissione Dei habere potestatem, sacro etiam codice teste. Nam *Job. 1.* Satanas à facie Domini impetratâ veniâ egressus de cœlo ignem detraxit, qui Viri sancti oves pecudesque consumpsit. Filiis ejusdem & filiabus vescentibus vinumque bibentibus Dæmonis malitia ventus vehemens à regione deserti irruit & concutit quatuor angulos domus, quæ corruens opprimit liberos. Plagæ illæ Ægyptiacæ, inter quas quoque tonitrua, grando, ac discurrentia fulgura fuerunt , item ventus tota nocte urens & die & manè facto levans locustas super terram, immissiones per Angelos malos *Psal. 77. v. 49.* dicuntur.

§. 9. Exempla è profanis etiam placet adducere. Plutarchus *in Lucullo* hoc habet : *Cùm Mithridates Rex Ponti valida classe urbem Cyzicum premeret, laboraretq; eum depellere Lucullus, tum Proserpina* (*scili-*

cet Dæmon aliquis sub hujus forma latens) Aristagoræ nocte apparuit, &, cras, inquit, tubicinem Lybicum cum tubicine Pontico committam; quod ænigma non intelligebatur primò, donec postera luce, Auster ferox & immanis à Lybia adspirans, commotâ tempestate, Ponticam classem, & omnes machinas Mathematicas Niconidis collisit & diffregit. Idem in Sylla hoc prodigium proximè ante bellum civile ortum inter Marium Syllamq; contigisse refert, nimirum cœlo nullas habente nubes & planè sereno sonuit vox tubæ, sono se efferens acuto, ac sic lugubri, ut omnes obstupescerent, & ejus magnitudinem exhorrescerent. Vossius *lib. 3. Idolol. cap. 6.* fulmen ejusmodi prodigiosum à geniis sive potestatibus aeris fuisse conjicit. *Cum Brenno duce Galli Asiam pervagati ad templum Delphicum diripiendum accederent, & incolarum alii hostium metu diffugerent deserta statione, alii propugnaturi sedes suas & prohibituri direptionem templi quærerent ex Pythia, quid facto opus esset in tanta trepidatione tamque subita hostium irruptione: respondit oraculum se defensurum templum suum* ἐμοὶ μελήσει ταῦτα καὶ λευκαῖς κόραις. *Itaq; dum accedunt Galli, mox terra continuis quassata motibus ea parte maximè, qua Gallorum exercitus castra habebat, contremiscit adeò, ut & dehisceret alibi ac subsideret in profundas voragines plurimos absorbens, alibi in editos egereretur tumulos, tonitrua percrepant frequentissima, fulgetra coruscant continua, maxima multitudo de cœlo tacta, aut flammis ustulata perit. Noctu sævissima hyems ingruit, nix densa castra operit, lapides ex disjectis ædificiis violentia turbinum in sublime evecti, rursusq; præcipitati deorsum improvidos conterunt, ingentia fragmina à Parnasso abscissa devolutaq; rapidissimo cursu non singulos binosve, sed plures, prout multi in vicinia simul excubabant, obruunt,* Peucerus *de Divinat, p. m. 40.*

§. 10. Ingenio autem & luxuriante nimis calamo scripsit Bodinus *lib, 2. Theatr. Nat. pag. 177.* Dæmones movere ac turbare aerem, maria, terras, terrere animos hominum fulminibus, nivibus, nimbis, tempestatibus, ventis, grandinibus, terræ motionibus, fremitibus, tonitruis, imbribus cruentis, repentinis hiatibus, facibus flagrantibus, ac portentorum inopinato concursu. Quæ sententia cùm Dæmonibus attribuat id, quod naturalibus potius causis est assignandum, haud sanè theatro naturæ satis conveniens videtur, Cl. Ittigio *lib, 1. pag. 168.* optimè notante. Fuit is error Priscillianistarum, quem Concilium Braccarense primum

cap. 8.

cap. 8. damnavit. *Si quis credit, quod aliquas immundas creaturas Diabolus fecerit, & tonitrua & fulgura, & tempestates, & siccitates ipse Diabolus autoritate sua facit, sicut Priscillianus dixit, anathema sit*, Vossius *l. c. p. m. 377.* Freudius *Quæst. 164.*

§. 11. Autoritate sua & per se Dæmones nihil possunt. Nam & ipsi ut creaturæ omnes, à Deo sic dependent, ut & in ipso sint, operentur & moveantur: subtracto influxu divino non moveantur, non operentur, imò in nihilum revertantur. Possunt autem ista omnia thesi proxima enumerata, permittente Deo, mediantibus naturalibus. *Sic & aerem Dæmones venenatis halitibus implent, aut veneno fontes inficiunt, aut pestilentibus & noxiis succis pascua imbuunt, ut vel homines haurientes aerem simul virus in amplissimos cœli tractus sparsum absorbeant, vel cum aquis fontium combibant, vel pecora id ex gustu plantarum concipiant atq; in homines propagent*, Peucerus *loc. cit. 41.* Spiritum in monte Gigantæo Silesiorum Rubenzahlium vel hoc nomine à viatoribus nuncupatum, vel aliis modis lacessitum horribilia accelerare fulmina atque fulgura, memorant Historiographi, & qui iter ibi fecerunt.

CAPUT II.

An sagæ pluvias & tempestates ciere queant? Seneca negat, cui Wierus adstipulatur. Plinius affirmat. Conciliatio. Sagæ per potestatem Dæmonis ista efficiunt. Cur Dæmon princeps aeris dicatur? Cur sagas in sua persuasione relinquat? Cur se subjici simulet? Magos & sagas, ubi, quoties, & quando libet, data licentia, tempestates ciere posse, exemplis probatur & ratione confirmatur. Non tamen semper licentiam habent, ut nec Dæmon, qui tunc frustrati effectus causam in Sagas ipsas rejicit. Venti apud Finnos & Lappones venales. Judæi & Cingari ignem fascinant.

§. 1. AN Magi & Sagæ fascinum elementari plagæ inferre, hoc est, aerem turbare, fulgura, tonitrua, grandines, pluvias, aliaque meteorologica excitare possint, jam quæritur? Seneca *lib. 4. Nat. Quæst. cap. 7.* deridet eos, qui attrahi imbres cantibus, & repelli statuunt. Huic suffragatur Wierus *lib. 3. cap. 16. num. 1.* & ait: *Singulari insuper ratione in aere concitando illuduntur hæ aniculæ à Diabolo, qui simul atq; ex ele-*

mentorum motu & naturæ cursu, citiùs faciliusq; quàm homines, mutationem aeris & tempestates fore prævidet, vel alicui infligendam ex abstrusâ Dei voluntate plagam, cujus ipsum spectat exequutio, intelligit: tunc harum mulicrcularum mentes agitat, variisq; imbuit imaginibus & suggestione multiplici, quasi ob invidiam in proximum, vel ob vindictam adversus inimicum sint aerem turbaturæ, tempestates excitaturæ, & provocaturæ grandines. Et *§. 3. Nec sanæ mentis hominem opinari decet, futili vesanarum mulicrcularum actioni obedire elementa, & ad harum nutum institutam à Deo naturalium rerum seriem impediri vel inverti: quod haud dubiè contingeret, si harum arbitrio tempestates, pluviæ, grandines & fulminæ inservirent, ut, quandocunque & quomodo hæ jubeant, ea insequantur.*

§. 2. Plinium Senecæ contradicere notat Rosinus *Antiq. libr. 8. cap. 6.* Verùm, quod inter eos datur, dissidium compositum vide suprà *lib. 4. Part. 2. Sect. 2. cap. 4. §. 9.* Nos quoque Lamias nulla ratione posse ullam in elementis mutationem excitare, & ne quidem aquæ stillam elicere, vel sibilum in nubibus movere, affirmamus, quæcunque etiam ex naturæ fundo petant naturalia, vel è pectoris imô trahant verba, vel digitorum extremo pingant characterum & figurarum lineamenta, quia hæc omnia nullam in elementarem regionem agendi, ac materialia principia, ad meteororum productionem necessaria, congregandi potestatem obtinent. Admittimus etiam, Dæmonem Sagarum mentes ita quandoque agitare & instigare, ut ritus ex pacto constitutos ad certum diem & horam, quæ, quod sint in aere futuræ mutationes ipse prævidere potuit, adhibeant, & deinceps mutationes istas Dæmonis potentia factas suorum rituum efficaciæ adscribant. Fatemur cum Wiero, neminem sanæ mentis opinari posse, futili, ut loquitur, vesanarum mulicrcularum actioni obedire elementa, & ad harum nutum institutam à Deo naturalium rerum seriem impediri vel inverti: quod sanè contingeret, si harum arbitrio tempestates, pluviæ, grandines & fulmina inservirent, ut quandocunque & quomodo hæ jubeant, ea insequantur.

§. 3. Ast verò Sagas ita semper à Satana deludi negamus, cùm constet eas, ubi quoties & quando fuerit collibitum, & Deus permisit, similia efficere, non quidem per potestatem propriam, sed alienam, Dæmonis

monis ſcilicet, qui princeps aeris eſt, *Eph.2. v.2.* non quaſi aerem condiderit, aut in aere habitet, *ſed quia aerem movet & turbat, & in eo ſæpe meteora inuſitato tempore producit*, ut ait Balduinus *lib.3. Caſ. Conſc. cap.5. cap.9.* Auguſtinus etiam in Pſ.77. dicit, *elementa permiſſu Dei à magis concuti poſſe. Quod autem ipſæ ſolæ non poſſunt, id juta à Diabolo Deoq; permittente efficiunt.* Unde Magæ apud Germanos Wettermacherin vulgò audiunt. Dæmonem verò occultô influxu concurrere ignorant. Obtuſioris enim & per faſcinum Diabolorum corruptioris ſunt mentis, quàm ut mediorum, quæ ipſæ adhibent, ineptitudinem intelligere queant, eaſque ſenſu ita faſcinato abundare permittit. Saltem ut in ſuperſtitione & devotione iſta, qua ſibi devinctas habet, conſerventur, & à religione, Numinisque veri cultu abſtrahantur. Itaque non eſt, ut ex iſto aſſerto colligat Wierus errorem hunc abſurdum, ac ſi mulieris vetulæ amentis & maleficæ imperio ſic Diabolus, ſubjiciatur. Superſtitioſis ſe ſubjici Dæmon ſimulat lubentiſſimè, ut ea credulitate accedant promptiſſimè. Vitris annulisque ſe incarcerari ſimulat, ſpiritus, corporeis clauſtris ſuâ naturâ incomprehenſibilis. Sic autem illatam ſibi vim coactivam fingit, ut æternam familiaritatem cum homine contrahat. *Satan ſimulat ſe captum, ut te capiat, ſe vinctum, ut te vinciat, ſe tuo imperio ſubditum, ut te ſibi ſubdat, à te incluſum, ut contra te finaliter concludat, fingit ſe tuâ arte vel imagini, vel lapidi alligatum, ut te peccatorum funibus religatum ad infernum perducat.* Hoc Henrici de Haſſiâ judicium Delrio aureis literis dignum æſtimat.

§. 4. Magos verò & Sagas, itemque eos, qui ſaltem Magorum opera, ritus, & ceremonias à Satana ordinatas uſurpant, ubi, quoties, & quando libet, tempeſtates etiam graviſſimas ciere poſſe, hiſtoriarum monumenta percurrentes compertum ferunt. Ex multis pauca afferre placet. Delrius *libr.2. D.M. Quæſt.11.* ſequens refert: *In ditione Trevirenſi ruſticus fuit, qui cum filiola ſua octenni caules plantabat in horto: filiolam fortè collaudavit, quòd aptè hoc munus obiret, illa ſexu & ætate garrula, ſe noſſe alia facere, magis ſtupenda jactat. Pater, quid id foret, ſciſcitatur. Secede paululum, inquit, & in quam voles, horti partem ſubitum imbrem dabo, miratus ille; age, ſecedam ait: quo recedente, ſcrobem puella fodit, in eam de pedibus (ut cum Hebræis loquar pudentibus) aquam fundit, eamq; bacillo turbidat neſcio quid ſub-*

murmurans. Et ecce tibi subitò pluviam de nubibus in condictum locum. Quis, inquit obstupefactus pater, te hoc docuit? mater, respondet, hujus & aliorum peritissima. Zelo incitatus agricola, post paucos dies, invitatum se ad nuptias simulans, uxorem cum gnatâ, festivè nuptiali modo exornatas in currum imponit, in vicinum oppidum devehit, & judici tradit malcficii crimen supplicio expiaturas. Joh. Rudingerus *de Magica Illicit. Decad. 1. Concion. 1.* exemplum recitat, quòd à duobus Viris eruditionis & integritatis laude spectatissimis, Deo & hominibus in publicis officiis inservientibus in mensali colloquio se accepisse refert, id quod nos verbis latinis dabimus. Inter reciprocos, inquit, prandio finito, sermones & discursus isti actus juveniles, in celeberrima Lipsiensium Academia, tempore, quo Musis olim invigilarunt, sat longo, ibi aliquando adornatos, in memoriam revocarunt. Tunc alter ad alterum: Domine Frater, ait, annus jam ferè est, ex quo ante prandium per plateam lapideam amico nostro charissimo obviam ivimus, famuloque nostro Pontificiæ religionis è civitate quâdam in Franconiâ orto librum suum eripuimus. Sic est, inquit alter, quoties aures meæ tonitru & fulgure cœlitus immisso personant, toties actuum illorum memoria refricatur; siquidem isti cæterique adsidentes fidi consanguinitatis jure affines referebant, se inter eundum in libello isto artis cujusdam certis verbis, distinctis characteribus & singularibus actibus tempestatem & tonitrua provocandi descriptionem offendisse. In planô verò campo constituti cœlum purum & maximè serenum, ne ullâ quidem nubeculâ turpificatum, conspiciunt. Quidam ex comitibus, Domini, inquit, annon magisterium ex famuli nostri libro experiri placet? interea prandii tempus appropinquat, & forsan Dominus Johannes accedit. Quibusdam istorum placuit propositum, nonnullis displicuit, major tamen pars conclusit, tandem verò in idem omnes consenserunt. Singuli verò ad hoc, ut ad experimentum artis descriptæ symbolum quoddam conferrent, fuerunt adacti: siquidem unus circulum effecit, alter fossulam paravit, tertius aquam attulit & infudit, quartus materiam mixtam agitavit, quintus characteres pinxit, & ultimus in circulo verba in libro præscripta prælegit. Cœlum exinde, quod antea serenissimum fuerat, caliginosum & turbidum evasit, tonitrua exorta & fulgura, quæ omnibus maximum terrorem incusserunt; & quantò diutius actum

istum

istum continuarunt, tantò magis magisque tempestas increvit: intuitu verò & auditu gravissimæ hujus tempestatis moti omnia priora deseruerunt, in genua prolapsi elevatis manibus Deum supplices rogarunt, ut factum ex imprudentia & curiositate, Dæmonum potentiam probandi gratia patratum, quo Deum tentassent, propter Christum ex gratiâ condonare velit. Inde fidem, se nunquam tale patraturos, sed ex animo execraturos, omnesque dehortaturos, sanctissimè dederunt. Posthæc nubila cœli facies disparuit, & à meridie serenitas prior rediit. Librum etiam magicum sub aquam proximè præterfluentem, Pleissa dictam, appensis prius aperti libri extremitatibus lapidibus, & explanatis ad faciliorem emollitionem & corruptionem foliis, quod singuli fecerant, submerserunt. Autor libri Inquisitorum quinque, referente Bodino *lib. 2. Dæmon. cap. 8. pag. 265.* ait, judicium à se in Sagam agri Constantiensis latum, quæ cùm videret omnes sui pagi incolas in nuptiis convivari & saltare, ægrè ferens, quod non fuisset eò vocata, se per diabolum clarâ luce spectantibusque pastoribus curavit in collem exportari propinquum pago, & quia aquam non habebat, quam in scrobem à se effossam injiceret, ut cieret tempestatem, (nam hunc ritum fassa est observari) emisit lotium, & illud in scrobe movens sermones quosdam pronunciavit: mox cœlo, quod sudum serenumque fuerat, obscurato, grando vehementissima solummodo in pagum & in saltantes irruit: Saga verò in pagum reversa est; ea itaque visa tempestatem ab ipsa accitam fuisse crediderunt omnes, eaque capta Pastores pro testimonio dixerunt, se vidisse, cum in aere transveheretur, quod illa accusata evictaque cognovit, & viva igni fuit tradita.

§. 5. Ita Sagas, ubi, quando, & quoties libet, si à Deo permissionem habent, tempestates, si non propria virtute, Dæmonis tamen auxiliô, immittere posse, ostendimus. Neque ratio deficit. *Nam*, ut ait Delrius, *quicquid Dæmon potest, id per eum Magi ex pactô possunt: nihilq; hic possunt, quod nequeat Dæmon.* Dæmonem autem meteora varia producere posse, supra evictum dedimus. Non autem semper permissio Lamiis earumque Duci datur. Baaliticorum Sacerdotum numini suo anxiè supplicantium sacrificio ignem renuente Deo Maximo immittere non potuit, cùm tamen Baaliticus cultus in præsentissimo tum versaretur periculo, auxilii numinis sui maximè indigus. Ita

semper

semper Dæmonis potentia restricta mansit, & adhuc, variis in actibus, manet: restrictam autem esse, quantum potest, studet, ut lateat, inque Sagas frustrati effectus causam commodè rejiciat. Wenn das Wetter nicht folget/ und GOtt ihm den Compaß verrücket/ so schilt der Unflat die Hexen/ misset die Schuld entweder ihnen bey/ sie seyen mit ihren Mitteln entweder zu früh oder spat kommen/ schlägt sie auch wol mit Fürwenden/ daß sie damit unfleissig seyn umgangen/ oder weiß sonsten seine Ausflucht zu suchen und fürzuwenden/ daß das Glocken-Läuten/ die an etlichen Orten bräuchlich/ das Wetter segnen/ und dergleichen das Ungewitter haben abgewendet/ Freudius *Quæst. 161. n. 7.*

§. 6. Olaus Magnus *lib. 3. cap. 6.* memorat de Finnis & Lapponibus, eos olim mercatoribus ventos venales exhibuisse, *tres nodos magicâ arte sacratos, quorum primò solutô placidos ventos, secundo vehementiores, tertio vehementissimos essent habituri.* Quin & de Ericô Suecorum Rege legitur, eum, undecunque illi collibuisset, adspirantes ventorum flatus evocare pileô potuisse, unde & Pileosi ipse cognomentum accepit. Judæi & Zingari Magorum complices ignem ita fascinant, ne latius evagetur, & limites, quos ponunt, transgrediatur. Hinc securi in horreis fœno & stramine refertis ignem luculentum alunt, totumque in stramineô fasciculô, qui placuerit, culmum reliquis illæsis comburere norunt.

CAPUT III.

De Mineralium Fascinô. Jonstoni promissum. Lapidis mirabilis historia. Mineralia Dæmonis fraude sine dubio oculis hominum quandoque subtrahuntur. Vegetabilia fascinant & perdunt Sagæ: fructus aliò traducunt, omnia Deo permittente. Bruta fascinantur, ut jumenta, canes, feles. Historia Crocodili fascinati carnificis munere fungentis: item porci à Sagis excarnati.

§. 1. Quæ sit Magicæ societatis *in Minerale* regnum potestas, non ita quidem evidens est: nulli tamen dubitamus, & hîc fascini specimina eandem edere. Forsan dabit quædam Cl. Jonstonus in sua Thaumatographia Pneumatica, in qua de Diabolis metallicis se acturum promisit *Thaumatograph. Natural. Class. 4. cap. 32.* An aliquid

fascini in hoc, quod ibi in fine ex Thuano *lib. 5. Histor.* tradit? *Cùm Henricus II. Rex Galliarum Bononiæ esset, allatus est ad eum ex Indiâ Orientali ab homine incognito, sed, ut apparebat, moribus barbaro, lapis stupendâ specie & naturâ, videlicet lumine & fulgore mirabiliter coruscantibus, quiq; totus veluti ardens incredibili splendore micabat, & jactis quoquoversus radiis ambientem aerem luce nullis ferè oculis tolerabili latissimè complebat: erat & in eo mirabile, quòd terræ impatientissimus, si cooperiretur, suâ sponte, & vi facto impetu confestim evolabat in sublime: contineri verò includive ullo loco angusto nulla hominum arte poterat, sed ampla liberaq; loca duntaxat amare videbatur: summa in eo puritas, eximius nitor, nullâ sorde aut labe coinquinatus, figura species nulla ei certa, sed inconstans; & momento commutabilis, cumq; esset aspectu longè pulcherrimus, contrectari tamen sese impunè non patiebatur, & diutiùs contra adnitentibus aut obstinatius cum eo agentibus incommodum afferebat: quod multi multis spectantibus sunt experti: si quid fortassis ex eo enixiùs conando detrahebatur, nam durus admodum non erat, nihilo minor fiebat. Hujus virtutem ac vim esse ad quam plurima cum utilem, tum præcipue Regibus necessariam ajebat hospes, qui miraculum ostentabat, sed quam revelaturus non esset, nisi ingenti pretio prius accepto. Hæc ut in literis Joh. Pipini oculati rei testis, qui in familia A. Momorantii M. E. medicinam faciebat, ad Anton. Mizaldum & ipsum insignem Medicum pridie ascensionis Bononiæ datis, perscripta sunt, ita trado, & amplius discutienda Physiologis relinquo. Nam veteribus, qui de rebus hujusmodi scripserunt similis lapis nec ne cognitus fuerit, nec Pipinus in literis se scire dicit, nec ipse affirmaverim.* Hactenus Thuanus.

§. 2. Dæmonum subterraneorum varia in metallicis fodinis ludibria non sine fascini argumento edita recitant Agricola, Olaus Magnus, Lavaterus, Schottus, & alii. A quodam Lugdunensi accepit Bodinus *lib. 3. cap. 3.* se cum sociis magicâ arte Arcolii prope Lutetiam thesaurum retexisse: sed cum cistam, in qua erat conditus, habere cogitarent, eam fuisse exportatam turbine. Ita mineralia dubio procul hominum oculis fascinatoris stygii invidia subtrahuntur, quod de pretiosissimo mineralium apparatu in montibus, quos Voigtlandia sustentat, contentis fama fert, cum non, nisi Magis ex Italia quotannis eò sub

fraude venditionis muscipularum & aliarum ineptiarum proficiscentibus, patere; cæteris omnibus verò illuc tendentibus, quod fascino præsenti per præstigiatoriam loci mutationem ab iis mox plectantur, minimè, quam tamen vulgi relationem vulgo relinquimus.

§. 3. *Vegetabilia*, ut arbores, frutices, plantas & segetes improbam Magorum gentem duce suo auspice fascinare posse, qui Johanni *Apocal. cap. 7. v. 3.* vacivos oculos dabit, concedet. Nam quatuor Angelis seu Dæmonibus potestatem datam esse ibi legimus, nocere terræ mari & arboribus. Fruges in Ægypto ærugine, & vineas grandine Deus per Angelos malos percussit, *Psalm. 77. v. 49.* In antiquissimis etiam Romanorum & quidem XII. Tabb. legibus hæc exstant: *Qui malum carmen incantasit. Qui fruges incantasit.* Ovidus de Circe ita canit:

Carmine læsa Ceres sterilem vanescit in herbam:
Deficiunt læsi carmine fontis aquæ.
Ilicibus glandes, cantataq; vitibus uva
Decidit, & nullo poma movente fluunt.

§. 4. Ipsæ quidem sagæ nihil hic itidem per se, nisi venenis (quibus etiam nefarius quisque albo Magorum non adscriptus uti potest) possunt. Quicquid ergò extra istum casum possunt, adhibitis eum in finem mediis ineptis, id Deo concedente à Dæmone adjutæ, præstant. Deo autem non permittente, nihil valent. Hinc Sagæ istæ apud Lercheimerum *pag, 236. & 273.* nucum & glandium proventum perdituræ effectui dare, quod voluerunt, non potuerunt.

§. 5. *Fructus aliò traducere* Sagæ Dæmonis ope possunt, quod in Legibus XII. Tabb. prohibitum: NEVE ALIENOS FRUCTUS PELLEXERIS. Quo de Augustini verba *lib. 8. de C. D. cap. 19.* lege supra *lib. 1. Part. 2. Sect. 2. cap. 4.* Hinc Virgilius *Eclog. 8.*

Atq; satas aliò vidi traducere messes.

Et Tibullus *lib. 1. Eleg. 8.*

Cantus vicinis fruges traducit ab agris,
Cantus & irati detinet anguis iter.

Delrio *lib. 3. Part. 1. Quæst. 4. Sect. 3.* ex Joh. Beetzii Carmelitæ (quem Virum eruditum vocat) Præceptorio *ad 1. Præcept. Exposit. ult. cap. 7.* sequentem refert historiam: *Mulier quædam circuivit Bonarium cum frumento*

mento, dicendo illum versum: Super aspidem &c. *post veniens ad domum suam, habuit fistulam in solario, quam manu accipiens, & prædicta verba dicens, cecidit totum frumentum illius bonarii coram se per fistulam in solario, & ita furabatur frumentum de agro: quæ tandem per quendam Episcopum deprehensa & combusta est.*

§. 6. *Bruta,* nimirum equos, boves, vaccas, canes, gallinas, oves & alia à Dæmone & Magis fascinari, hoc est, lactigera lacte despoliari, emaciari, doloribus cruciari, & vel lentâ vel subitâ morte deleri, aut alio indicibili modo affici, experientiâ, qua omnia loca & tempora abundant, notissimum est. Facile jam esset, secundum totum & partes omnium facultatum ductum in brutis etiam, ut in homine, fascinum evolvere, sed quia ex dictis promtè ea intelligi possunt, neque operæ pretium est, labore hoc supersedebimus, & pauca quædam in communi notabimus. *In Diœcesi Argentinensi inter oppidum* Fiessen *& montem Ferrerium, quidam prædives asseruit, sibi & aliis ultra quadraginta jumenta in bobus & vaccis, in alpibus fuisse maleficiata, & hoc intra anni spatium non peste, aut aliqua infirmitate præcedente. Et pro intersigno dixit, quòd peste aut alia casuali infirmitate moriuntur non subitò, sed paulatim, & successivè deficiunt. Illud autem maleficium subito abstulit omnem vigorem ita, ut ab omnibus judicabantur illa maleficiis fuisse interempta.* Sprengerus *Part. 2. q. 1. cap. 14.*

§. 7. Quod hominum gratia certis in locis maleficæ exponunt fascinum, *canes* & *feles* sæpe legunt, morbisque exinde lethalibus corripiuntur: cujus gratia nonnulli libenter canes, ut in locis suspectis præcursores sint, comites habent. Canem novi, derelictarum à muliere Magiæ suspectâ ædium angulos singulos curâ novi possessoris veneficium metuentis pervagantem ex crurum contractura, partiumque internarum tortura obiisse, qui foveam, sine dubio hominibus paratam, inciderat. *Vaccas* lacte omni despoliari suo damno heræ sæpissimè experiuntur. *Superioribus annis*, scribit Delrio *lib. 2. Quæst. 11. cùm Moguntiaci degerem, Treviris affecta fuit ultimo supplicio Saga nominis notissimi, quæ in domus suæ pariete impacto epistomio lac omne vaccarum alienarum eliciebat.* Sprengerus *Part. 2. Quæst. 1. cap. 14. Quædam,* inquit, *nocturnis temporibus & sacratioribus, utique ex inductione Diaboli, ob majorem offensam divinæ Majestatis, in quocunque angulo domus suæ se collo-*

 cant,

cant, urceum inter crura habentes, & dum cultrum vel aliud instrumentum in parietem aut columnam infigunt, & manus ad mulgendum apponunt, tunc suum Diabolum, qui semper eis ad omnia cooperatur, invocant, & quod de tali vacca ei tali domo, quæ sanior, & quæ magis in lacte abundat, mulgere affectat, proponit, tunc subitò Diabolus ex mammillis illius vaccæ lac recipit, & ad locum, ubi Malefica residet, & quasi de illo instrumento fruatur, reponit.

§. 8. Fascinati *Crocodili*, qui carnificis munere functus, meminit Jürg Andersen in seiner Orientalischen Beschreibung *pag. 2.* Es hatte der König zu Mattam in einem verschlossenen Garten einen grossen Teich / und in demselben einen Crocodilen / den er an Statt deß Henckers / um die Missethäter abzustraffen / gebrauchet. In denselben Garten wurde der eine Dieb gebracht. Dann kam einer von ihren Pfaffen (oder vielmehr Teuffels-Bannern) stieg auf ein von Bambus darzu aufgebautes Theatrum, brachte mit seinem Lesen oder Zauber-Kunst so viel zu weg / daß der Crocodil aus dem Wasser als ein junger Teuffel hervor kam / ergrieff den Sünder mit seinem Rachen / und lieff mit ihm wieder ins Wasser / wurde auch nicht wieder gesehen. *Porcum* in vicina quadam civitate Magum cuidam vendidisse, eumque excarnatum sequenti nocte iterum abstulisse, & emptorem manè cutim solam carne omni spoliatam in suili reperisse, mihi pro verissimo relatum est.

CAPUT IV.

De Artificialium Fascinatione. Cerevisia fascinatur, ne benè, vel coquatur, vel ferveat, aut cum aufertur. Sagæ in ea opera, quibus dies dominica profanatur, aliquam habent potestatem. Fascinantur & arma, ne lædant; ædes, ut incendantur; lintea cum auferuntur; molendina, ne volvantur; naves, ne moveantur.

§. 1. A naturalibus ad *Artificialia* tendimus, quorum numerus cùm sit innumerus, quis omnium fascina enumerabit? Quædam tamen, sed sine ordine recitabimus. *Cerevisia* fascinari potest, ne benè vel coquatur, vel cocta ferveat: Quo de vide Freudium *Quæst. 197. n. 5.* Idem Schoockius *de Cerevisia cap. 25.* quod inscribit: *Quid existimandum sit de Fascino circa cerevisiam notari solito?* sequentibus fatetur: *Interim,*

terim, ait VI, *permittente Deo, cujus minister ac veluti lictor Diabolus est, aliquando per instrumenta, quibus abuti solet, artificiali huic potui noxa quadam procurari potest. Si enim, uti vel ex sola lege XII. tabularum constat, à Diabolo fruges incantari potuerunt, nae! multò magis quoque, fruges condita atque in aqua macerata corrumpi possunt.* Auferunt quandoque Sagæ & cerevisiam furantur, quæ ablatio etiam fascinatio quædam est. Joh. Faustus cum suis sociis post cœnam ultra milliaria 60. in Episcopi cellam vectus vinum generosum in ea bibit: Cellario verò fortuitò adveniente advenasque, ut fures alloquente, cum suis discedit, cellariumque secum rapit ad sylvam quandam, ubi Faustus eum abieti proceræ impositum relinquit, & cum suis aufugit, ex Ler heimero & Rimphof Freudius *Quæst. 61.* Idem *Quæst. 64. num. 4.* ex Doctoris Schultesii instructione, & risu & dolore dignam refert historiam: Rhedarius quidam in civitate quadam Westphaliæ hospitium commorandi ibi gratiâ ingreditur. Hospita verò procerum, qui in procinctu essent, ad pernoctandum adventum obvertit. Rhedarius replicat, se aliquò pervenire non posse, in stabulo se facilè fore contentum; prout & subitò in eo decubuit, sed somni expers. Brevi post hospites Diabolici vestibus Alamodicis splendidè induti adveniunt, quibus cibi opiparè apparati propinantur: edunt & bibunt, hilaremque sumunt noctem: mox corporibus unguine in mensa posito prius delibutis fenestras pervolitant. Post horum discessum rhedarius cibis vescitur, se pariter inungit, & de subitò in cellam quandam in urbe quadam præcipua defertur, cui ab Hospitæ filiâ agnito mitra rubra, ut sibi eam imponat, datur. Iste potu ad ebrietatem repletus, mitræque suæ oblitus in cella, ubi decumbit, manet. Manè deprehensus Judici sistitur, cui rem omnem gestam exponit, mitram sibi datam producit, eaque sibi imposita innocentiam suam avolando testatur & in locum suum redit. Sagæ verò ob id ad rogum damnantur.

§. 2. Ex literis Archigrammatei cujusdam in urbe quadam præcipua habeo, Sagas in examinibus confessas esse, sibi & Dæmoni in cerevisiam die Dominica coctam, item in nummos die eodem numeratos, & panes tum pistos à Domino Sabbathi potestatem quandam (non absolutam, adeoque ex speciali & singulari Dei dispositione) concessam habere. Tantum est, τὸ Memento tertio Decalogi præcepto præfixum

operibus prohibitis infringere. Quare doliola in cellis sodalitium magicum auspicio Ducis sui quandoque evacuare (quod cuidam contigisse amicus quidam per literas mihi non ita pridem significavit) Avaros nonnunquam nummorum curiosè asservatorum jacturam quandam, si non necessaria eorundem numeratio lucem sacram profanaverit, quandoque dolere, jam non miror.

§. 3. *Arma*, ut gladii, bombardæ &c. experientia itidem teste, fascinari possunt, ita ut gladii è vagina extrahi, vel extracti lædere, & bombardæ à pyrite vel funiculo ignito accendi, vel accensæ globulos ad objectum movere nequeant. Etiam gentiles censuére, magico carmine aciem gladii sic retundi, ut nec levi vulnere cutem queat perstringere, Delrio *lib. 2 q. 21. p. m. 171.* Sic Comes aliquis Germanus, si foramen tubi tormentarii prius conspiceret, quàm ignis admoveretur, verbis quibusdam pronunciatis, nec flammam sulphur corripere, nec globum ultra tubi oram procedere posse, se facturum dixit, Freudius *Quæst. 134. ex Boissard. de Magia cap 6.*

§. 4. *Ædes* fascinantur, cùm Sagarum & Dæmonis malitia comburuntur. Ex Erasmo Roterodamo *Epist. Famil. libr. 27. cap. 20.* recitat Remigius *lib. 2. cap. 13.* exemplum sequens: *Oppidum est in Helvetia nomine Schiltach, quod 4. Idib. April. Ann. 1533. totum subitò conflagravit: ejusq; incendii causam, quantum illius loci municipes apud Friburgi magistratum, qua urbs illinc abest octo milliaribus Germanicis, renunciaverunt, talem fuisse rumor est. Dæmon sibilo signum dedit è quadam ædium parte: caupo suspicans esse furem ascendit, neminem reperit, sed idem signum rursus ex altiore cœnaculo redditum est. Et huc conscendit caupo furem persequens: cùm nec illic quisquam appareret, sibilus auditus est è fastigio fumarii: illicò tetigit cauponis animum esse Dæmoniacum quiddam: jubet suos esse præsenti animo. Acciti sunt Sacerdotes duo: adhibitus exorcismus: respondit se esse Dæmonem. Rogatus, quid illic ageret? ait se velle eruere oppidum. Minitantibus sacrificis respondit, se pro nihilo ducere minas illorum, quòd alter esset scortator, uterque fur. Aliquantò post mulierculam, quicum habuerat consuetudinem annis quatuordecim, cùm interim illa quotannis & confiteretur, & acciperet eucharistiam, sustulit in aerem, imposuitq; fumarii fastigio. Tradidit ollam, jussit ut inverteret, invertit, & intra horam totum oppidum exustum est.*

Fasci-

Fascinantur *ædes* vermibus nigris, vulgò die Schwaben dictis, quorum copia molesta nimis est domesticis. Eos Magi acceptâ pecuniâ ex ædibus in alias per novam fascinationem transferunt. Frequens est Sagis *lectos & vestimenta* per fascinationem pediculis multis conspurcare, qui à vulgaribus, ut ita loquar, magnitudine & colore differunt.

§. 5. *Lintea* fascinant Sagæ Cacodæmonis ope auferendo. Keckermannus *in Syst. suo Physic. lib. 8. cap. 4.* exemplum adducit, quod accidit Anno 1603. in loco quodam zur Ohr dicto, non procul à Dantisco, ubi lodices, quæ dealbandi gratia Soli erant expositæ, post meridiem à Dracone, qui utique fuit Diabolus, qui vocatur Draco magnus & serpens antiquus *Apocal. 12.* v. 9. sunt sublatæ, D. Reinking. *Respons. de Sag. num. 143.* Simile hîc Coburgi aliquando contigit, linteaque dealbanda soli exposita in turbine per aerem ex improviso fuerunt rapta. Adstantes Diaboli malitiam subodorantes acclamant: Sáudreck / Sáu-Dreck: quibus per contemtum prolatis lintea subitò Dæmon dimisit. Voce enim istâ superbi spiritûs conatum frangi, vulgò est persuasum: & cum res amissas quærunt, eandem vocem repetunt, dicentes: Sáudreck / Sáudreck / thu dein Hütlein weg; existimantes, res forsan Satanæ fraude contectas faciliùs sic reperiri.

§. 6. *Molendinum* ligari & fascinari potest, ut nullo impetu volvi possit, *naves* nulla vi ventorum sede sua moveri & portu exire queant, & *horum similia vix credibilia, quæ tamen experientiâ sæpe cognita sunt*, fatente Corn. Agrippa *lib. 1. Occult. Philos. cap. 40.*

PARS V.

De

MATERIA FASCINATIONIS MAGICÆ,

CAPUT I.

Materia Fascinationis. Vox ista hîc non strictè, sed latè sumitur, uti & vox Fascinatio: Materia est vel spiritualis vel corporalis. Corporalis est vel vera vel putatitia, utraq; vel purè naturalis, vel

vel artificialis, vel mixta. Artificialis vel sacra, vel profana. Materia Fascinationis Magicæ est amplissima. Inter naturalia dantur quædam, quorum effectus purè naturalis est, ut venena. Exemplum. Quando venena ad materiam magicam referantur. Sagæ quandoque materiam nullam, sed consensum saltem præbent: quandoque nudas ceremonias & ritus adhibent, ad quæ magicus effectus sequitur: quæ exemplis confirmantur. Dæmon etiam res naturales fascinationis ergò suadet: sed & inter naturalia absurda veniunt, quæ talia sunt, non absolutè, sed respectivè. Absurditas unde colligatur? Quandoque quædam absurda videntur, quæ tamen non physicè, sed hieroglyphicè sunt intelligenda, quod exemplo probatur. Inter naturalia venena primò collocantur. Venena veneficæ vel propria manu colligunt, vel à Satana accipiunt: pulveres variant. Cur venenum, quo Magi utuntur, non ipsum Magum inficiat. Pulveres & unguenta Sagarum sæpè innoxiè ab aliis attrectantur, quod indicio est, virtutem eorum à Dæmone esse.

§. 1. M*Ateria* Fascinationis Magicæ hoc loco non *strictè*, sumitur, pro vera materia, ex qua C. N. intrinsecè constituitur, sed *latè* & in sensu transcendentali, pro omni eo, ex quo aliquid fit quocunque modo, sive sit influxus verè materialis, sive quasi talis, quo tamen tanquam medio societas magica utitur. Deinde per Fascinationem quamcunque actionem magicam, tam circa res homini inservientes, quàm circa hominem ipsum; tam circa mentem hominis, quàm ejusdem corpus intelligimus, sive ea ad fascini illationem, sive ad ejusdem ablationem, mediis tamen illicitis, dirigatur, sive eam Dæmon per se & immediatè, sive mediatè per Magos adhibeat, modò non omne Dæmonis commercium absit.

§. 2. Quibus præmissis distinguimus *materiam* Fascinationis magicæ in spiritualem & corporalem. *Corporalis* est vel vera vel putatitia & absurda. Utraque est vel naturalis, vel artificialis, vel mixta.

§. 3. Materia *spiritualis* dicitur id, quo spiritus infernalis ad fascinandam animam, quæ per verè materialia seu corporea fascinari nequit, utitur, & sunt inspirationes, suggestiones, succlamationes internæ,

ternæ, ſenſu nullo exteriori perceptibiles. Ejusmodi ſucclamationes internæ in bivio virtutum & vitiorum alternatim ſe percepiſſe, malitioſi homines ipſi poſt mala patrata faſſi ſunt: **Es dünckt ſie / ſie hätten eine Stimm gehöret / thue es nicht: wiederum / thue es:** ſuggeſtione ab Angelo & bono & mala facta.

§. 4. *Materia* corporalis dicitur, quia ipſa corpus eſt, & ex hoc univerſo corporum omnium promptuario ſumitur, ſive ſit *purè talis*, ut ſunt naturalia in ſe ſpectata, ſive *artificis induſtriâ præparata*, ut ſunt artificialia, quæ pro materia habent rem naturalem, cui artifex formam externam imprimit: quæ iterum vel *ſacra*, ut hoſtiæ conſecratæ, vel *profana*, ut clavi, annuli &c. ſive *mixta*, quando res purè naturales cum artificialibus conjunguntur. *Vera* autem materia dicitur ea, quæ medium eſt tale, quod ad producendum effectum influxum verum & realem præſtat: *putatitia* autem & *abſurda* eſt, quæ planè non influit, verè tamen influere creditur, & ſignum ſaltem eſt, quo poſito Dæmon ex pacto adeſt & effectum præſtat. *Dæmones enim eorumq; ſectatores hunc morem ſemper tenuerunt, in ſuis præſtigiis atq; incantationibus, ut iis externum quid, ac quod viſum feriret, ad deludendos homines obtenderent*, Remigius *lib. 3. cap. 11.* Exemplum evidens vid. infra *Part. 10. Sect. 2. cap. 4.* §. *6.* Abſurdorum in actibus magicis majorem, quàm iſtorum farraginem deprehendi, ſequentia docebunt.

§. 7. Horum omnium maxima datur ſylva, quam totam percurrere, & ſingula perluſtrare nemini contingit. Ad omnes enim mundi partes ſylva hæc propagata innumera cultoris Stygii ſtudio alit, quorum magna pars vel conſpectum fugiunt, ſub ſilentii frondibus abſcondita, vel mentis aciem ob ſublimitatem tranſcendunt, vel maleficorum ore fracta mutila ſiſtuntur, vel ob aliorum, etiam externa ſpecie optimorum admiſtione obſcurantur. Nos exſtantiora velut in tranſitu carpemus.

§. 6. I. Ad *Naturalium* tendimus claſſem. Ex his quædam, fateor, in actionibus magicis merè naturalia ſunt, atque effectus ab eo oriens nec mirabilis, nec ſupernaturalis, ſed purè naturalis, ut poſſit à quovis, etiam Magiæ illicitæ puriſſimo, poſt applicationem expectari, v. g. venena. *Sic in ducatu Wirtenbergico non procul à Tubinga carnifex veneficii non ignarus, anno milleſimô quingenteſimô ſexageſimô quar-*

io in pecoribus suæ artis specimen edidit. Enim verò cùm ex pacto huic cederent morticinorum animalium coria atq; alia, quæ huic usui esse possent, hic boves, oves & porcos in pascua ex more deductos veneno clam perimit, ut inde frequenti nimis pellium numero, sevi item & pinguedinis infinitis ferè talentis, Augustæ Vindelicorum & Argentinæ venum expositis distractisq; brevi dives evaserit. Proinde & suspicione obortâ veneficii accusatur, quæstionibusq; ipsi familiaribus subditus rem universam confitetur. Dat & pœnas forcipibus ignitis distractus, Wierus *lib. 3. cap. 30.*

§. 7. Venena tamen ad materiam Fascinationis magicæ pertinent tum, quando propter pactum cum Diabolo expressum, & ad ejus mandatum, sive mediatè sive immediatè datum applicantur. *Sicut quis naturaliter venenis nocere potest, sic & magicè, adhibitis venenis: quæ & naturaliter ut venena, & ex pacto & fide magicâ, tanquam signa tantum valent, quantum reliqua instrumenta,* ait Voetius *Dispp. Select. pag. 558.* Non incommodum, spero, erit, Suarezium, quoque *lib. 2. de Superstit. cap. 15. n. 1.* hoc loco audire. *Quando pactum,* inquit, *est expressum, necessarium non est, quod effectus intentus, vel modus externus illius sit aliquo modo mirabilis, vel superans vires humanas: nam licet sit merè naturalis, vel talis, ut possit à famulo fieri, vel ab alio agente ordinario: quacunq; ratione aliquis ad illum utatur operâ Dæmonis expressè postulando vel acceptando illam, etiam ad ferendam epistolam modo ordinario, vel ad dirigendum invia, vel aliquid simile: illa est superstitio contraria fidelitati & cultui Deo debitis, & pertinet ad speciem Magiæ, quia continet expressam invocationem adiutorii Dæmonis, & quia semper talis effectus habet aliquid mirabile ex parte occultæ causæ, saltem in hoc quod à Dæmone fit. At verò ad tacitum pactum necessarium est, ut vel opus in se excedat virtutem naturalium agentium, vel certè in modo, quo fit, & maximè, ut id, quod applicatur, ad illud efficiendum sit vanum & inefficax ad obtinendum effectum.* Hæc ille. Sic pugiunculis jumentum certis locis confodere, retracta prius cute seorsum, ut, ubi ea relapsa, vulnus impressum tegitur, lateat dolus, atque ea ratione interficere, facinus quidem in se malum est, non tamen magicum, nisi suasu & impulsu Dæmonis id patretur.

§. 8. Materiam Sagæ quandoque nullam conferunt, & Satan ipse totum negotium, modo maleficæ consensum præbeant, absolvit.

Jaque-

Jaquelina Xalveta Saga retulit, satis sibi semper fuisse, quoties perditum vellet vel hominem, vel pecudem, id solo etiam nutu Dæmoni suo ut id fieret, indicare, notante Remigio *lib. 2. cap. 9. pag. 257.* ubi exemplum subjungit alterius Sagæ, quæ fuit illius popularis, Hubertula dicta, cumque sortilegii rea perageretur, sequentia edixit: *Rure redieramus, multo opere fatigatæ, quòd faciundum locaverat Leonardus quidam nomine, exspectabamusq; avidè, dum cœna nobis apponeretur. Ecce verò ejus filia desidiam mihi uni ferociùs exprobare, ac jubere, interea ut in lintea, fortè ibi, ut lavarentur, congesta, lixivium infunderem. Ob quem ergò supervacaneum laborem cùm indignabunda diras illi imprecarer, non longè abfuit Magistellus meus, qui properè se hanc protervitatem in illam, si ita juberem, vindicaturum polliceretur: Quod & me allubescente præstitit. Nam ad matrem ruri operas postridie curantem trepida accurrit filia, nuncians puellulum fratrem tutelæ suæ commissum casu, cui ipsa obsistere non quivisset, calidâ esse perfusum, jamjamq; animum exhalare. Quod ego audiens, cujus opera id esset factum, facilè conjeci: Et non adeò multò post accurrit Magistellus ille meus: narravitq; mihi, quemadmodum mea gratia hoc bonæ illi negotium confecisset. Non evasuram siquidem, quin parentibus pœnas gravissimas segnitiei, desidiæq; qualem ipsa mihi adeò ferociter exprobraverat, dedisset.* Aliud exemplum vide supra *Part. 4. Sect. 1. c. 9. §. 2.*

§. 9. Licet etiam expressus non accedat consensus, & materia omnis absit, modò signa adsint, ceremoniæ, ritusque, quorum primus autor Diabolus est, opera tamen magica hujus concursu & virtute fiunt ac perficiuntur. Hujus exemplum refert Smetius *lib. 5. Miscell.* ex relatione Nevii & Civium Lipsiensium: Scilicet puellam quandam non intelligentem quid ageret, dum nutricis actionem totam, qua in ciendis tempestatibus sæpiùs usam viderat, imitaretur, tonitrua ac fulgura excitasse, quibus villa haud procul à Lipsia dissita conflagrarit. Et Deusingius *Exam. Pulv. Sympath. pag. 91.* sibi non ignota esse ait exempla puellarum, quæ cùm ceremonias quascunque, quas à Sartrice Magistra didicerant, imitarentur, utut ignorantes, quòd male agerent, mures producere potuerint, atque aliis ostentarint, quasi jocosum factum. Repete hoc loco historiam ex Rudingero supra *Part. 4. Sect. 2. c. 2. § 4.* notatam. Nodationis ligulæ per jocum factæ, quæ nihilominus effectu

Diabolico non caruit, recitat Harsdorfferus **im Schauplatz Lust und Lehrreicher Geschicht** / *Hist.* 59. Quid ergò mirum, si data materiâ absurdâ vanâ & ineptâ non quavis, sed eâ, quæ Dæmonem habet autorem & Doctorem, effectus sequatur, ab ipso Dæmone propter pactum cum primô, quem docuit, initum manans? Quia enim per ea, quæ clientibus suis tradidit Dæmon, se coli advertit, eò libentiùs sub materiâ absurdâ effectum speratum operatur, quò certiùs cultus sui argumentum superstitionis magicæ incrementum, & confidentiæ in Deum decrementum in homine legit. Sic Saga quædam (quod ex civitate quadam primaria Archigrammateus ad me perscripsit) particulam indusii menstruati securi alligavit, & lac inde in nomine Diaboli emulsit: emulsum autem per partes genitales derivavit, & coactum ex eo butyrum vendidit. Alias alii observant ineptias. Amens sit, qui non intelligat Dæmonem invisibili modo lac omne aliunde allatum, subministrasse. Potuisset etiam citra securis & sordidi lintei usum conferre, suasit autem, ut eò certiùs superstitiosis mediis sibi sagam devinciret. Idem infinitis modis aliis, per characteres, per verba, per corporis gesticulationes, per ritus miros, per rerum sub limine defossionem, per laudationes, imprecationes & inepta plura versipellis quærit, qui ut absurdorum usui homines sensim assuescant, & per Magiæ gradus ad thronum Dei infernalis facili labore perveniant, occulto influxu lubentissimè perficit.

§. 10. Absurdam tamen materiam Dæmon Magis non semper suadet; sed ut res naturalis virtute efficacissimâ potens adhibeatur, quandoque autor est. At nec hic fraus omnis semper abest. Nam & *inter naturalia absurda* veniunt, quæ ita dicuntur, *non absolutè*; sic enim res naturalis quævis per suas qualitates, quibus in prima creatione mox donata est, efficax est, & veros edit effectus; sed *respectivè*, propter effectus vanos, qui ipsi absurdè & falsò attribuuntur, sic ut res naturalis signum saltem sit, & quasi tessera, aut tegumentum actionum magicarum speciosum, ut cum v. g. mandragora divitias & favorem comparare dicitur: cum herba viæ instrata & pede calceato semel tacta mortem inferre putatur; cujus exemplum Remigius *lib. 2. cap. 8.* habet: *Francisca Perrina pyra aliquot, quæ ex arbore vicini (Riberiano ei nomen erat) deciderant, transiens sustulerat: ob quod ei* ἐπαυτοφώρῳ ἅλους *durius vapula-*

vapulaverat. Id ergò, illa dolens, ac aliqua ratione ulcisci cupiens non longè abiit, quin Dæmon explendi desiderii occasionem aliquam aperiret. Ea verò fuit iter, quo Ribertanus summo mane ad operas suas contendere solebat, herbula, quam tum illi tradidit, ut insterneretur. Quod cùm fecisset, ac ille insidiarum ignarus locum eum esset supergressus, illicò in eum morbum incidit, qui vitam illi non multo post cruciabiliter abrumperet.

§. 11. Materiæ absurditas ex hoc quoque elucet, quòd, quàm ad fascinum inferendum Dæmon dedit, eandem herbam ad idem fascinum tollendum quandoque commendet. Quo de Remigium iterum audire placet. Catharina Metensis, inquit, acerbè ferens pistoris cujusdam repulsam, à quo mutuum panem rogaverat, ei ut hanc rependeret gratiam, Dæmonis sui implorat auxilium. Astat is momento pro suo more diligens, atque officiosus ad quamcunque vindictæ occasionem: atque ea gratia illi herbas suggerit convolutas papyro, monens eo loci illas ut dispergeret, ubi frequentior is atque ejus familia. Nec mora, acceptas effundit in porticum, per quam necessarius in vicum erat egressus. Cuidam insistit pistor, postque eum uxor & liberi, omnes eodem morbo correpti, non prius convalescunt, quàm Saga ducta misericordia à Dæmone impetrasset, ex valetudine ut emergerent. Atque in id herbas denuo accepit, quas clam eorum submisit cubili, sicuti facere edocta fuerat: sicque confirmata à morbo valetudine ad pristinam sanitatem omnes rediisse.

§. 2 Quandoque absurda quædam ab autoribus tradita existimantur, quæ tamen non ad sensum primum, physicè vel magicè, sed ethicè & hieroglyphicè exponenda, & propterea inter absurda vel magica simpliciter referenda non veniunt. Sic de Rubetis seu Bufonibus mira quædam certatim tradere autores scribit Plinius *lib. 32. cap. 5.* & inquit, illatis iis in populum, silentium fieri: in ejus dextro latere ossiculum esse, quo in aquam ferventem dejecto fervor cesset, nec nisi exempto, redeat: oportere tamen in solium addi singula, erosis à formicarum agmine carnibus: quartanas iisdem sanari alligatis in pellicula agnina recenti, aliasque febres: amorem inhiberi: in sinistro latere aliud esse apocynon contrarii effectus, utpote quo dejecto aqua effervescere videatur: canum impetus eo cohiberi: amorem concitari, & jurgia addito in potionem:

tionem: venerem alligato stimulari. Et *lib. 18. cap. 29.* Archibius ad Antiochum Syriæ Regem scripsit, si fictili novo obserata obruatur rana rubeta, in mediâ segete non esse noxias tempestates. Hæc de Rubetis si quis velit physicè intelligere, falsum se sensurum scribit Dn. D. Libavius *lib. 2. Batrachior. cap. 5. in Schol. pag. 396.* ubi hieroglyphicam expositionem tradit sequenti modo: Bufo Rex est impudens & tyrannus vel solo visu truculento formidandus. Infer hunc in populum serviciis natum, silentium fiet, nec ullus metu supplicii audebit hiscere: sed non si in sapientum, qui à populo sunt secreti, collegia. In hujus dextro latere certè est ossiculum, quo fervor populi & indignatio undabunda compesci potest; & cùm insipiens multitudo remota formidinis caussâ redit ad ingenium, iterum ebullit animus inconstans ossiculo illo remoto, seu potestate sublatâ. Cùm dicitur singula addi debere carnibus erosis per formicas, mera potentia designatur, & unius solius autoritas, cæteris exesis. Quòd si carnes addantur h. e. non sit summus penes unum dominatus, brachia carnosa, consiliaque optimatum obsistunt effectui, nec refrigeratur aqua fervens præsente. Eodem inhibetur amor. Nihil enim facit amicitiis munitum esse. In Tyranni gratiam etiam deserenda sunt fœdera. Præsentia tanti metus facilius pellitur quartana. Neque enim audet quisquam etiam sapiens & melancholicus, quales homines quartana laborare solent, contra consilia & voluntatem tyranni bufonium ingenium habentis mutire. Veruntamen hoc etiam naturale esse potest. Nam ranæ morborum spiritus exhauriunt, & sæpe directio phantastica promovet actum. Sed aliud ossiculum sinistri lateris est contrarii effectus, sive velis per hoc intelligere tyrannum invalidum & stultum, quem vulgus potius contemnat: sive absentiam heri, & conversum ingenium ad consilia sinistra, aut etiam mollem blandumque & effœminatum dominum, inertemque. Hoc ossiculo canum impetus inhibetur, hoc est, ita affecto domino non faciunt officium satellites: conspirationes fiunt, à quibus jurgia & pericula bellorum. Si alliges id ossiculum Venus stimulatur, h. e. si societatem ineas cum tali hero, ad luxum raperis & amores illicitos. Itaque ethicè utrumque significat Bufo: dextro scilicet latere dominum asperum, morosum, ferocem & persequentem injuriarum & suspicionum: sinistro verò latere mollem, deli-

catum

catum, inertem &c. Populus autem ut aqua fluctuans est, facilè fervens, facilè remittens. Satellites canum instar sunt. Ita est hierophyphia de Plinianis, Similia hanc in rem adducit *pag. 270. 354. & seqq.*

§. 13. Inter naturalia primo loco collocamus *Venena*, à quibus, ut *Part. 2. Sect. 2. c. 2.* diximus, Lamiæ etiam Veneficæ (frequentiùs, quàm Magi venefici) dicuntur, tum quia his frequentiùs utuntur, tum quia fœminæ ad veneficia sunt procliviores. Scientiam fœminarum in veneficiis prævalere, novit etiam Plinius *lib. 25. cap. 2.* Fœminas veneficiis apud Romanos primùm usas esse, autor est Livius *lib. 8.* Hecaten fœminam omnium primùm aconitum invenisse, & ad venena mortifera conficienda summum studium operamque impendisse, Diodorus *de Antiquor. Gestis lib. 2.* tradit. Furia illa apud Claudianum *libr. 1. in Ruffinum* ait:

— — Nec me latuere fluentes
Arboribus succi, funestarumque potestas
Herbarum, quicquid lethali germine pollens
Caucasus aut Scythiæ vernant in gramine rupes,
Quas legit Medea ferox & callida Circe.

Venenorum quidem ad hominum & pecorum internecionem usus de se non reddit Magum, sed, ut diximus, quando ad Dæmonis jussum & placitum homo venena in abusum trahit, actus iste à causâ efficiente immediatè impellente magicus jure dicitur. Qui præterea compositione ad necanda animantia singulari, quæ Dæmonem habet autorem & inventorem, utuntur, propter hoc ipsum, quia ad pactum implicitum spectat, Magi notam non effugiunt.

§. 14. *Venena* autem veneficæ *vel* propria manu colligunt & præparant, *vel* à Satana collecta & præparata accipiunt. Quæ *propriâ manu colligunt*, venena *vel* sunt in se talia, *vel* talia per accidens fiunt. *In se talia* sunt, quæ malignitatis characterem in ipsis generationis principiis acceperunt, & desumuntur *è regno* vel *minerali*, ut arsenicum, auripigmentum &c. vel *vegetabili*, ut napellus, aconitum cicuta &c. vel *animali*, à viperâ, bufone, lacertâ &c. *Per accidens talia* evadunt, quæ non à primordio generationis, sed postea ab alio extrinsecùs accedente venenatam naturam acquirunt. Ita apud cavernas serpentum & bufonum herbas cordiales, ut buglossum, borraginem, melissam, violam, qualitatem

litatem induere venenatam testatur Sylv. Rattray *de Symp. & Antip. p. m. 32.* aut cum res salubres horrendis imprecationibus, à Lamia adhibitis, vim venenatam aut lethiferam, Deo permittente, à Diabolo accipiunt.

§. 15. Satanas venena apparat varia scopo suo accommoda, & ne vel veneni penuria vel ejus propinandi difficultas sagis ad cædes patrandas moram impedimentumque afferat, minutum pulverem primo quoque congressu administrat, qui morbi necisve certissimam, cui ita constituerit, causam præbeat: quemque, ut noceat, non sit necesse, in cibum potumve infundere, aut nudo corpori affricare, sed leviter etiam in vestes ipsas spargere. Eum, qui necat, atri, qui morbum tantùm facit, cineritii, aliquando etiam russi esse coloris. Ac quoniam Sagæ sæpe metu vel pretio, nonnunquam etiam misericordiâ (à qua nec omninò profitentur se alienas) adducuntur, ut morbo sic affectis curationem adhibeant, ne desit quoque ad eam rem paratum remedium, tertium accipiunt albi coloris, cujus vel aspersione, vel in esculentum potulentumve immissione morbus propulsetur. Pulvis tamen ille, quem Saga die Gründelfüllerin dicta (cujus supra *Part. 4. Sect. 1. cap. 9. §. 9.* mentionem fecimus) ad necandum puerum accepit, albi fuit coloris. Nec dubium est, ratione coloris, quia materia variat, pulveres ex venenis paratos variare.

§. 16. *Sed cur venena, quibus Magi in suis actionibus utuntur, non ipsum potius Magum inficiunt*, cùm naturalia semper eadem & eodem modo agant? cur non obvios quosque, sed quandoque determinatas personas lædunt? Bodinus *lib. 2. Dæmon. cap. 8. pag. 271.* negat contra Danæum, Sagas veneno, quod ore circumferunt, alios inficere, aut venena tam subtilia fieri posse, ut, quod Jobertus sensit, iis oblitus stapes conscendentem interimat. Argumentum autem suæ negationis habet, quia ista venena sint prius nocitura illis ipsis, qui ea parant & usurpant; quodque videantur isti homines Magi esse, quibus in occidendo ministret Diabolus. Sed respondet Dn. D. Libavius *Batrachior. libr. 2. cap. 18. in Schol.* Bodinum hîc non attendere visu (seu ut nos explicamus, effluviis è visus organo emanantibus malignis) noceri posse aliis illæso vidente: & intoxicatum Regem alios sputô halituque necasse, se verò minimè; & scorpium sibi innoxium alere venenum, homini nocentissi-

centissimum. Norunt item isti venefici nocendi modum. Itaque sibi cavent, & qui venenata poma (qualia oblata scribuntur Reginæ cuidam, ut olfactu concideret) adornant, porriguntque, studiosè vitant vim veneni, vel etiam sese præmuniverunt alexiteriis more eorum, qui serpentes virulentos sine noxâ tractant manibus medicatis. Dn. Freudius causarum scrutator solertissimus ex mente variorum, quos *Quæst.* 193. citat, autorum respondet, fieri hoc vel quia præmonentur Sagæ à Satana & antidotis se præmuniunt; vel quia pulveres non semper natura sui venenati sunt, sed ex pacto & vi Satanæ in destinata feruntur, non alia; vel quia diversa est corporum constitutio, & unum longè faciliùs læditur ac alterum, aut fortiùs etiam resistit venenis, ac aliud, ut agens non per modum activitatis, sed receptivitatis suæ agere cogatur; vel quia diversa ipsius lædentis rei est temperies, & quandoque vetustate detrita & exhalavit, vel quia mirabilis Dei dispensatio quandoque accedit, ut ne in ea quidem, quibus destinata sunt, Magica quicquam possint. Naturalia semper eodem modo agunt, sed nisi impediantur. Et hic actus non omnimodè naturalis, sed præternaturalis & Magicus est, qui ad Satanæ, ut Demiurgi, attemperationem totus ferri debet. *Hæc Freudius.*

§. 17. Unctio sanè pulverumque dispersio non cuivis semper, sed iis tantum, quos injuria affectos Sagæ volunt, lethalis est, quod indicio est, non semper ex meris & veris venenis unguenta & pulveres constare, quia res naturales æquè, & sine discrimine in objecta similia agunt, sed secretiorem causam, Dæmonem scilicet, ut supra innuimus, ad ista, ut sua Symbola, accurrere, & complemẽtum actionibus efficaciter addere. Siquidem Remigius *lib. 1. cap. 3.* experientiâ deprehensum se habere ait, sine noxa unguenta & gestari & attrectari à quovis posse, postquam in vincula conjecti sortilegi, societatem Dæmoni suo renunciaverunt: uti usu venit cum refertas iis pyxides inter lictorum, quibus earum perquirendarum cura demandata est, manus agnoscunt. Idem *lib. 2. cap. 8.* eleganter confirmat ex eo, quòd qui inde (scilicet mortiferi pulveris usum) sequitur morbus, nullâ *arte ferè sit medicabilis, quàm quæ ab illis volentibus proficiscitur eamq́ plerumque unius atque alterius verbi prolatione, vel manus solo contactu, sæpe etiam earum rerum adhibitione, quarum usus vulgo adversus morbum nullum est efficax, consta-*

re ac contineri. Quæ omnia satis indicant rebus, quas sic adhibent, nec juvandi, nec nocendi facultatem suâ naturâ inesse: sed quicquid id est, quod sic prodigiosè efficiunt, hoc totum sibi Dæmones vi aliqua, cujus ignoratur causa & ratio, asserere ac efficere. Siquidem exempla earum rerum continent, quæ nulla naturæ probabili causa nituntur, sed potius ab eo, quem ipsa in agendo patiendoq; tenere solet, modo atq; ordine sunt alienissima.

CAPUT II.

Ad Materiam magicam venit Mandragora. Hujus & vocis **Alraun** *Etymologia. Ejusdem descriptio: vis præcipua quæ? Commentum de ejus radice.* Ἀνθρωπόμορφα *in regno vegetabili opera. Alruni impostorum fraude quomodo sculpantur & fiant? Alius modus recitatur. Anile circa radicem Mandragoræ commentum aliquot rationibus refutatur. Mandragora quomodo fœcundare queat? Dudaim Rachelis Mandragoram fuisse dubitatur: eam conceptionis juvandæ gratia Matriarcham expetiisse negatur. Effectus Mandragoræ spurii refutantur, eosque à Dæmone manare docetur. Historia de Alruno.*

§. 1. MAndragoræ radicem superstitiosi ad magicas πραγματείας & quidem comparandarum divitiarum, cutis indurandæ, & omnigenæ prosperitatis consequendæ gratia trahunt. Nomen Mandragora à Græco, ὁ μανδραγόρας, sua ducit natalia. Græcum autem sic dictum nonnulli volunt, ὅτι μάνδρας ἀγορᾷ, quia præsentiâ sua specus adesse significat. Siquidem umbrosis in locis feliciùs ea pervenit. Quidam παρὰ τὸ μανίαν ἀνδράσιν ἐνάγειν, ob infatuandi facultatem, unde etiam **Tollwurtz/ Tollkraut** à Germanis, & mas μώριον, q. d. *fatuellum*, ab effectu à Dioscoride *libr. 4. cap. 71.* cognominatur. Alii ab ἀνδρὸς γονῆ, quòd humanam formam repræsentare videatur. Casp. Hoffmanno autem *de Medic. Offic. lib. 2. cap. 140. §. 1.* vox Mandragora non Græcum, sed barbarum nomen est, neque Goropio vult credere, qui Germanicum esse, quasi **Mann tragen** existimat. Germanis vocatur **Alraun/ Alrun/ Altraune/** quo nomine etiam Sagas, ut suprà *Sect. 2. cap. 1.* notavimus, nostrates appellant. **Raunen** verò significat nostratibus profundiùs & longiùs dormire; hinc

iisdem

iisdem Schlaffraung / qui somno nimium indulget, quæ appellationis ratio tuti, Mandragoræ sopiferæ congruit, quæ propterea etiam Schlaffkraut / & fructus Schlaffbeer appellatur. Rectiùs ex mente aliorum Alrun dicitur à Runen / Rühnen / quod quasi susurrare sonat, quia magicis susurris & murmurationibus radix effoditur, à voce *Runa*, quæ Gothicè Magiam aliquando significat. Freudius *Quæst. 54.* ait, **Allraun werde die Wurtzel genennt / von dem Wort All, und Raun / raunen / weil es allen heimlich in die Ohren raune / was sie thun sollen / um reich zu werden.** Illustre illud Germanici orbis Sidus Ristius in **Mertzens-Unterredung** eleganter de nomine *pag. 211.* disserit & ait: **Ich glaube festiglich / daß dieses Gedichte von den Allraunen nicht neu / sondern für vielen hundert Jahren schon mag sein im Schwange gangen / wie denn solches der Name bezeuget. Denn das Wort ein Ruhn oder Allrun ist ein uraltes teutsches Wort / und sind die jetzige / welche bey den Alten zukünfftige Dinge verkündiget / Ruhnen genennet worden. Diese haben auch ihre eigene Sprache gehabt / welche die Ruhnische (gewißlich eine recht herrliche Sprache) geheissen.** Et *pag. seq.* **Das Wort Rühnen heisst so viel / als einem heimlich etwas verkündigen / wie denn annoch unsere Teutschen pflegen zu sagen: Er hat ihm etwas Heimliches ins Ohr geraunet. Imgleichen: Wer raunet der längt. Daher ist die Rede entstanden / daß die Allräunichen den Leuten / die ihrer wol pflegeten / etwas Heimliches / das zu ihrer Wolfarth und sonderlichem Gedeyen gereichete / pflegten ein zu blasen / nicht anderst / als wenn es kleine Haus-Götter wären / derer die alte Teutsche / annoch im Heidenthum / sich wol mögen gebrauchet haben / und hat dieser Aberglaube also immerhin / bis auf unsere Zeit gewehret / welchen man auch nicht leicht gantz und gar wird ausrotten können.**

§. 2. Herba hæc spectabile est naturæ opus, odoris & coloris suavitate insigne, quod nomine דודאים *Dudaim* in sacris *Genes. 30.* & *Cantic. 7. v. 13.* venire, eoque tempore messis triticeæ à Ruben repertô Rachelem fuisse delectatam, non pauci, & inter hos Doctissimus Thomasius *Disp. de Mandrag. cap. 1. §. 15.* contendunt. *Formam* ejus describit Dioscorides *loc. cit.* ubi duo ejus genera recenset & ait; *Niger, quæ fœmina existimatur, thridacias appellatus, angustioribus foliis ac minoribus, quàm lactucæ virosis ac graveolentibus, in terra sparsis: mala gerit sorbis similia, pallida, odorata, in quibus semen veluti pyrorum: radicibus inhæret benè magnis, binis ternisve, inter se convolutis, nigris foris, intus albis*

 crasso

crasso cortice vestitis, caulem non fert. Alter candidus, qui mas dicitur, nonnullis Morion vocitatur. Hujus folia magna, alba, lata, lævia, ut betæ: mala, quàm alterius duplo majora, colore in croceum inclinante, jucundè, cum gravitate quadam olentia: quorum pomorum cibo aliquantum opiliones soporantur: radix alterius similis, major & candidior: orbata & hæc caule.

§. 3. De virtutibus Mandragoræ nihil, cùm in Botanographorum monumentis eæ delineatæ conspiciantur, dicam, sed præcipuam, saltem exponam. Ea est ὑπνωτικὴ & ναρκωτικὴ, qua mala & radix gaudent. Unde apud Græcos in proverbium abiit, ut qui oscitanter & quasi profundè dormientes res suas tractarent, *Mandragoram, aut è potu Mandragoræ bibisse* dicerentur. Soporem autem conciliat olfactu, esu, succo, etiam, cum pro balano sedi, teste Dioscoride, immittitur. Mandragoram insuper tantâ cum violentia purgare, ut cum helleboro compararint veteres, notat Hoffmannus.

§. 4. Nobile hoc naturæ ornamentum impostores prodigiosô & magicô deformarunt commento, ejusque radici certa lege collectæ vires naturæ potestatem transcendentes, quas *§. 1.* indicavimus, attribuunt. Commentum ex variis, quos allegat, carptim congestum nervosè more suo Excell. Thomasius *cap. 3.* §. *53.* tradit, quem audire juvat: *Ex urinâ*, inquit, [alii ex semine] *quam homo ad suspendium furti crimine damnatus inter extrema vitæ effuderit, herbam nasci ajunt sub patibulo, foliis latis, flore croceo, radice hominem examussim simulante, pilis quoq; & ipsis sexuum notis apparentibus.* Nonnulli adjiciunt, vitalem fuisse subterraneum hunc foetum. Radicibus Belgæ ab *urinâ furis* nomen indiderunt **Pisdiven.** Nostri Alrunam vocant. Eam eruere rem esse plenissimam periculi: ab erutâ enim radice gemitum edi tam terribilem, ut audienti fossori moriendum sit è vestigio. Sed paratum esse remedium, cujus has afferunt ceremonias. Die Veneris ante Solis exortum auribus gossipio oppletis, ceraque, aut pice occlusis exire jubent, crucis figuram terno tripodis circumductu plantæ inscribere, tum circumfodere terram, sic ut terræ non nisi extrema fibra obhæreat; ita solicitatam caudæ canis alligare funiculo, statimque aufugere, frusto panis cani obverso: id illum appetentem nitendo radicem evellere, moxque audito ejus ejulatu concidere mortuum. Hoc modo se ἀνθρωπομόρφυ compotes factos

mentiun-

mentiuntur nebulones, venduntque credulis, ut rem sanctam carissimè. Nimirum possidentibus πολυφιλίαν, fœcunditatem, divitias, (accepimus & ἀργυροτόκους fuisse tales ἀνθρωπίσκους) futurorum prænotionem, breviter largum fortunæ favorem pollicentur. Sed esse rei tam beneficæ suum cultum tribuendum. Ergò vino eam lavare, sericeo panno candidi rubrique coloris involvere, in capsula condere, singulis noviluniis involucrum mutare, & hæc omnia conceptis verbis peragere fas esse, lædere vel minima ex parte nefas, & summi rem periculi. Hæc Thomasius. Sigmund. Freyberg *Recreat. Mensal. Discurs. 13. pag. 335.* ubi Strategus inducitur, hæc habet: Ich hab unter meinem Regiment einen Leutenant gehabt/ der die Galgen-Kinder aus allerhand Wurtzel / am füglichsten aber aus der Mandragora machte/ und in dem Winter-Quartier viel Geld daraus erlösete. Er halffe der Wurtzel / die von Natur sich spaltet / von unten aus mit einem Messerlein / stecket ein Gersten-Körnlein oder Hirsen in die Wurtzel/wo Haar solten wachsen / vergrub es dann ein drey Wochen in einen linden Sand-Hafen / und triebe alsdenn solche Fantzen mit den Einfältigen/ als müste er mit Leib und Lebens-Gefahr um Mitternacht mit einem schwartzen Hund unter einen Galgen graben / dieweil solche Kindlein nirgend anderst/ denn von deß erhenckten Harn wüchsen.

§. 5. Imposturæ & fabulæ huic occasionem dedisse videtur Flav. Josephus, qui *lib. 7. de Bello Judaic. cap. 25.* de alia quadam planta, consimilia, nec minus superstitiosa, habet: *Vallis*, inquit, *qua civitas* (Machæruntis) *à parte septentrionali cingitur, quidam locus Baaras appellatur, ubi radix eodem nomine gignitur, quæ flammæ quidem similis est colore, circa vesperam verò veluti jubar fulgurans. Accedentibus, eamq; vellere cupientibus, facilis non est, sed tam diu refugit, nec prius manet, quàm quis urinam muliebrem, vel menstruum sanguinem, super eam fuderit. Quin etiam tunc, si quis eam tetigerit, mors certa est, nisi forte illam ipsam radicem ferat de manu pendentem. Capitur autem alio quoq; modo sine periculo, qui talis est: Totam eam circumfodiunt, ita, ut minimum ex radice terrâ sit conditum: deinde ab ea religant canem, illoq; sequi eum, à quo religatus est, cupiente, radix quidem facilè evellitur, canis verò continuò moritur, tanquam ejus vice, à quo tollenda erat, traditus: nullus enim postea arripientibus metus est. Tantis autem periculis propter unam vim capi eam operæ pretium est. Nam quæ vocantur Dæmonia,*

pessimorum hominum spiritus, vivis immersa, eosque necantia, quibus subventum non fuerit, hæc citò, etiamsi tantummodò admoveatur ægrotantibus, abigit. Hæc Josephus. Hanc fabulam à Dæmone ipso postmodum, per nebulones circumforaneos, fictitiis ex lotio furum suspensorum furunculis, esse accommodatam, paucis mutatis, & quibusdam aspersis, ad fallendos superstitiosos homines fovendamque in animis ipsorum execrandam superstitionem, existimamus cum Franc. Joele *Med. Practic. Sect. 2. p. m. 97.* & Deusingio *Fascic. Dissert. Select. 11. §. 22.*

§. 6. Sic non naturæ sed imposturæ homunculi tales sunt opera: neque si tales à natura sint, effecta enumerata edere possunt. Prius quod concernit, polydædala quidem natura, ut in minerali regno lapides, ita & in vegetabili plantas, quandoque exhibet, tam integram hominis formam, quàm humanas partes æmulantes. Rapa anno MDCXXVIII. in horto pagi Weiden binis milliaribus Juliano distantis crevit, cujus folia superius enascentia crinium speciem in altum se erigentium repræsentarunt, formavit in suprema rapæ parte natura quasi oculos, nasum, labia; truncus reliquus rapæ thoracem; radices hinc inde extensæ & in se circumgyratæ brachia & sedes, miro naturæ lusu nulla accedente arte exhibuerunt, adeoque tota Rapa fœminam nudam sedentem manibus & pedibus flexis præ se tulit. Descriptionem hanc & rapæ iconem tradit Nobiliss. Sachsius *Ann. 1. Natur. Curios. Obs. 48.* Idem subjungit hæc: Naturalem similem radicem Mandragoræ describit Francisc. Imperatus *in Discursib. Natural. Italicè 1628. Neapol. editis Disc. XIV. pag. 76.* in Museo nominatissimo Parentis sui asservatam, quæ radix brachia bina cum omnibus membris certa proportione distinctis & circumdatis plurimis parvis, & longis radicibus exhibuit effigiem humanam proximè accedentem, unde & ἀνθρωπόμορφος dicta Mandragora. Fabius Columna Lyncæus *in Annotation. & Addition. in Rer. Medicar. nov. Hispan. Nardi Anton. Rechi* tradit, se vidisse Neapoli radicem Mandragoræ tripedalem, apud Chymicum quendam destillatorem, puellæ imaginem æquantem, corpore in umbilico extuberante, ac etiam in posterioribus, à quibus femorum ac tibiarum modo in acutum desinebat, superne verò, brachiis elatis crassis, in quibus flores emisit Dryadum, & Daphnidum iconem repræsentantem &c. Dn. D. Simon. Pauli quidem *Quadripart. Botanic. Class. 3. pag. 388.* existimat, Chymicastrum impostorem imposuisse Columnæ,

Columnæ, aut loco Mandragoræ Bryoniæ radicem vel ei ostentasse, vel venditasse. Sed sive verum naturæ, sive fraudis id fuerit opus, certum tamen est, naturam in vegetabilium regno anthropomorpha opera quandoque edere, id quod Dn. D. Sachsius *loc. cit.* ex Aldrovando & Kirchero insuper confirmat. Dn. D. Martin Bernhard à Bernizin *Ann. 1. Natur. Curios. Obs. 41.* inter varias orchidum seu Satyriorum species singulares variorum animalium, ut avicularum, crabronum, vesparum, apum, muscarum, papilionum, culicum, cimicum, locustarum, &c. effigiem referentes ἀνθρωπόμορφον etiam duplicem ponit, & in iconibus oculis subjicit, quorum altera hominum mares, altera fœmellas effigie nudi corporis monstrat. Ristius *loc. cit. pag. 220.* **Für etlichen wenig Jahren ward eine Blume im Korn zwischen Hamburg und Altenah gefunden/ welche so natürlich ein Weibes-Haupt mit einer Holsteinischen Mützen oder Hüllen abbildete/ daß man sich zum höchsten darüber muste verwundern.**

§. 7. Quicquid tamen hujus rei sit, ejusmodi naturæ lusus in effingendis variorum animantium figuris negare nobis sit religio. Rari autem isti sunt, & paucissimis occurrunt: Alrunorm verò numerus major est, quàm ut à natura productos esse, asseri debeat. *Impostorem quendam* (scribit Matthiolus) *cum Romæ essem curare contigit, qui præter alias innumeras imposturas, quibus circumventis hominibus multam pecuniam extorquebat, docuit & artem, qua fictitias sibi comparabat Mandragoras, quarum complures mihi demonstravit, asserens unam tantum divitibus vendidisse quinq; & viginti, nonnunquam etiam triginta aureis.* Modum etiam apparandi tradit Matthiolus. *Sculpunt in his* (Mandragoræ, Bryoniæ, aliarumque plantarum radicibus humanam figuram referentibus) *adhuc virentibus tam virorum, quàm mulierum formas infixis hordei & milii granis, iis in locis, ubi pilos exoriri volunt: deinde facta scrobe tamdiu tenui sabulo obruunt, quousque grana illa radices emittant: id quod fiet viginti ad summum dierum spatio. Eruunt eas demum, & adnatas è granis radices acutissimo cultello scindunt, aptantq; ita, ut capillos, barbam, & cæteros corporis pilos referant.* Imposturæ autem imprimis Mandragoræ radix inservit, quæ à medio sui ad imum bifurcata trunci humani brachiis & capite defecti formam utcunque imitatur, nisi insuper, ut completior sit hominis effigies, fructum pro capite

capite ipsi cum Excell. Thomasio imputare velimus. Inde Pythagoras Mandragoram ἀνθρωπόμορφον *hominiformem* appellavit.

§. 8. Virunculum fictitium fabricandi modum novum detexit Celeb. Bartholinus *Cent. 2. Hist. 51.* Mercator enim juvenis homunculum talem ostendit, quem Mandragoram esse sub patibulô in Helvetiâ erutam sibique Hamburgo Haffniam per tabellarium publicum missam dixerat. *Caput sphæricum* (ait) *prominentiis quatuor oculos, nasum & os mentiebatur, crinibus oblongis per tergum demissis. Corpus reliquum ossibus, musculis, articulisq; animalis alicujus donatum. Sed revera Mandragoræ radix non fuit, nec naturalis compages: animal quippe ex planta quomodo generabitur ossibus constans? Præterea caput ex radice gallæ effictum oculis patuit agglutinatum trunco. Id ne animadverteres, collo circumduxit collare ex crinibus contextum. Crines appositi ex fibrillis radicum exsiccatis, in dorso enim soluti pro lubitu, eximi & reponi poterant. Corpus reliquum animalculi cujusdam erat, quia vera ossa conspiciebantur, musculi & articulationes. Ex exsiccatis musculis abscissum erat frustulum, quod Epilepsiam in muliere curasse ad majorem fidem narrabatur. Re pressius cum D. Fuirenio Consobrino meo, Botanices & Anatomiæ scientissimo examinatâ, ranam apparuit esse exsiccatam, & in erectam hominis formam protensam, quia os sterni breve, & latum prominet in rana, digiti manus pedumq; quatuor tantum, qui in ranâ longiores, hic decurtati fuerunt & obtusi. Adhæc facta cum ranæ sceleto comparatione, abdomen utrobiq; oblongius & os pubis prominens. Ita detecto fucô spe sua excidit mercator.* Aliam Mandragoræ formam priori verosimiliorem & ad vegetabilium naturam propius accedentem vide ibidem.

§. 9. Anile istud placitum, *ex urina vel semine hominis innocenter ad suspendium furti crimine damnati homunculum generari &c.* rationem sobriam nimis offendit. Nam 1. Urina excrementum serosum est, à sanguinis massa separatum, in cujus potentia non est vis genitalis, ut vermiculus, nedum homunculus insigni & admirandâ virtute pollens ex eo generetur. Semen autem à suspenso decisum vitalem spiritum ante amittit, quàm ad terram cadat, & in eam se insinuet, propterea etiam vi πλαστικῆ, quæ à vitali principio pendet, caret. 2. Qui innocentiam urinæ vel semini miraculosam qualitatem superaddere statuit,

tuit, ipse miraculum est. 3. Gemitum à virunculo inter eradicandū edi, absurde dicitur, quia gemitus ab organis voci dicatis emittitur, istis autem virunculus Mandragoreus caret; & si ullus editur, non ille à Mandragoreo, sed subterraneo virunculo, h. e. Dæmone editur. 4. Unde lethalis illa potestas, quæ presso gemitu abest, mox verò eo dato oritur? 5. Cur obturatis auribus incolumis manet fossor cùm tamen si naturalis sit illa potestas lædendi, vitæ fontem obturatis auribus æque, ac non obturatis ob liberum accessum destruere, & vox qua talis nihil efficere valeat? Pluribus absurdum istud convellere piget. Unicum hoc addo, ex iniqua Mandragorei virunculi tractatione non pio, sed superstitioso rerum magicarum sectatori pertimescendum esse periculum. Mihi ipsi, ait Delrius *lib. 4. D. M. cap. 2. Q. 6. Sect. 4.* inter rei cujusdam Licentiati annotatas à fisco chartas, præter libellum magicis plenum characteribus, oblata simul capsula, sandapilæ more efformata, & in ea virunculus Mandragoreus, ater, & situ, pædoreque obsitus, largo capillitio, sed imberbis: hunc vulgò putant, ad divinationes, lucra, & alia multa mirè efficacem: accepi librum, capsam & fictitium cadaver, hoc etiam primùm laceravi, abruptis avulsisque brachiis. Dictitabant, qui aderant, magnum mihi & domui periculum imminere: risi & abire, qui metuerent, jussi: abeuntibus, in focum, qui aderat, conjei: nec aliud quàm ustæ radicis nidorem percepi. Dn. Ristius *loc. cit.* ubi erroris circa illum enormitatem reprimit, virunculum suum Mandragoreum quem ludificante animo possedit, sine damno tractavit, aliisque monstravit, tantæ eum magnitudinis esse scribit, quantæ nullum unquam viderit. Longitudine sua, ait, pedem ferè totum, sive dimidium ulnæ æquat. Simulachrum quod virunculum repræsentat, turpis est faciei, oculos habens profundè sitos, nasum ingentem, frontem gibbosam, capillos crassos ad crura abeuntes, brachium alterum maximè incurvatum corpori seu costis quasi innatum, alterum à costis nonnihil distans, lumbos, crura, & pedes à proportione debitâ insigniter deficientes, summatim, tota imago ita fabricata est, ut multis, præcipuè superstitioni nonnihil deditis, eam saltem intuentibus terrorem injiciat, ducentorum annorum esse existimat possessor. Arcula, in qua jacet, lignea est, extus colore rubro illita, intrà tegeticula cum pulvillo, in quo simulachrum quiescit. In parte operculi interiori crux nigra depicta conspicitur, in ejusdem exteriori

teriori

teriori & superiori patibulum modo pervetusto delineatum habetur, in quo fur suspensus, sub eo autem aliquid succrescens, radicem sine dubio Mandragoræ notans, advertitur.

§. 10. Sed posito, non concesso, naturam Alrunicos viros modo jam dicto producere, non minor tamen è decantatis effectibus absurditas elucet, quanquam fœcunditatis beneficium veræ Mandragoræ detrahere nolim, eoque nomine Rachelem Jacobi uxorem Mandragoræ pomum desiderasse nonnulli contendunt, quia narcoticâ suâ vi & refrigerante æstuantes uteros & ad conceptum inhabiles in calidioribus regionibus & fœminis temperare potest, ut tradit Lemnius *de Herb. Bibl. cap.* 2. Quamvis (ut hoc obiter addamus) Mandragoras eandem specie herbam cum דודאים esse, apertè non constet, pluresque contra quàm pro Mandragorâ, pugnent. Alii enim statuunt Dudaim fuisse fructus solani halicacabi, Lutherus mora rubi, alii lilia, alii violas, alii herbam Satyrium, alii in genere poma sapidissimi gratissimique coloris. Rachelem autem juvandæ conceptionis gratia Dudaim non expetiisse ex eo patet, quia Scriptura *Gen.* 30. *v.* 15. ait, Rachelem neglectui habuisse Virum, adeòque etiam conceptionem, ut potiretur Dudaim. Nam *cubet*, inquit, tecum hac nocte pro דודאים *filii tui*. Quin longô post tempore concepit Rachel. Nec herbis sed divinis mediis conceptionem promoveri debere Rachel novit. Hinc cum Bilha ejus ancilla filium peperisset, soli Deo partum adscribit *Gen.* 30. *v.* 6. tandemque ipsa gravida facta *v.* 23. dicit: *Recepit Deus opprobrium meum* Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Videatur de hoc Deusingius *Dissertat. Select.* 11. & Gasp. Reies *Quæst.* 43 *n.* 9.

§. 11. Divitias autem, impenetrabilitatem ab armis, & largum fortunæ favorem ab homunculo isto oriri, assertum est homunculorum pietate & ratione carentium. 1. Amentia est, ab hominis infortunati excrementis expectare fortunæ causam. 2. Divitiarum acquisitio & fortunæ successus optatam causarum multarum connexionem requirit: at ista non à naturâ individui particulari, sed generali & naturâ superiori dependet. 3. Impenetrabilitatem ab armis Mandragoram non inferre, decisum habemus, à Facultate Medicâ Lipsiensi apud D. Ammannum *Medicin. Critic. Cas.* 40. 4. Vegetabile non potest producere rem verè artificialem. Sed herba ex urina suspensi nata est vegetabilis

lis: nummus verò percussus est res artificialis. Atqui Alrunicum illud monstrum solido vel thalero, vel aureo, quem singulis noctibus producit, quotidie possessorem suum donare fertur. Ab eodem forsan veniunt thaleri, quos Heck-Thaler vocant, quia si fides vulgato sermoni habenda, quavis nocte novum possessori suo gignit. Differre nonnihil generantem à genito perhibent, sed quod me latet. Hæc enim & alia ejusdem farinæ oblectamenta filiis mundi rara & chara in arculis curiosè asservata silentii siparío callidè teguntur, ne luci rationis & pietatis fervori subjecta possessori idololatriæ & magiæ execrandæ stigma imprimant. Nam

§. 12. Si tandem, quod res est, dicendum, totum illud, quod de virunculo Mandragoreo, ejusdem effossione & operatione proditur, magicum est & Diabolicum. Diabolus ad placitum superstitiosorum absurdis, ut sæpe diximus & probavimus, se immiscere gestiens, ut bruta, ita & radicem subit, & in eâ sui cultum quærit: cultus ita possessorem quidem prosperitate temporali, tandem verò æternâ infelicitate mactat & qui fuit hic dator liberalis, ibi fit tortor infernalis. Possessore moriente Alrunum vel commori, sed omnem divitiarum ubertatem ad hæredes traductam sensim in egestatem tandem resolvi dicitur: vel vivum, ut loquuntur (an & cujus vitæ, vegetabilis aut animalis indicia edat, me hoc æquè, ut plura alia, latet) ad hæredem, in quò easdem Tragœdias agat, transferri.

§. 13. In præcipua quadam Franconiæ civitate opificis cujusuam uxor Alrunum, seu virunculum Mandragoreum post sua fata relinquit. Morti vicina filiæ natu majori, ut virunculum nigrum in profluentem projiciat, mandat. Filia minor in Alrunum, quem inter materna bona adfuisse noverat, inquirit. Finitâ autem bonorum divisione radicem enixè desideratam seu Alrunum inter reculas suas in arcâ abditum soror minor Hedvvigis dicta, reperit & de eo sibi maximè gratulatur. Inde quoad externam speciem, quod egit, benè omnia & ad votum successisse observatum. Pistoris cujusdam servum connubiali fœdere sibi junxit, eumque ut in civem & Magistrum evaderet, curavit, imò primô conjugii anno domum sibi comparavit elegantem semper pecuniosa. E contra soror sub grvissimo paupertatis onere gemuit. Transactô paucorum annorum tempore Hedvvigis ista lethali

correpta morbo, ut maritus citissimè advocetur, clamat, quod jam vitæ suæ finem celeriter imminere sentiat. Ipsa, ut ad obitum Christianum peccatorum suorum agnitione & fiduciæ in Dei misericordia collocatione se præparet, affabili ore monetur. Sed vacivas aures denegat, tantùm maritum clamore perpetuo vocans. Marito tandem januam, transeunte verba de Alruno vult facere, sed ore ab eo percusso in mortis agonem prorsus decidit, & de vitâ exit. Corpore terræ mandato ipsa cum multis gemitibus & clamoribus in domo iterum, ea specie, qua feretro fuerat reposita, apparet, ut viduus derelictus propterea novas ædes quærere & inhabitare; sui verò priores istas ædificatione novâ reformare fuerint coacti. Historiam hanc, quàm nos idiomate Latino dedimus, recitat Germanicè Dn. Freudius *Quæst. 54. n. 7.* Tantum est, invito Deo prono Diabolo divitias ex superstitioso pectore anhelare, suamque voluntatem divinæ præponere. Pigmæulis his suis infernalibus venator stygius multos sæpe, quos in fide Gigantes dixisses, capit, eos vetularum ope passim vendendo, & ad cœlum usque evehendo. Sed virgis dignæ sunt ejusmodi venditrices, & laudabili consilio Hamburgenses Anno 1630. mulieres tres ejusmodi radices venditantes virgis cædi jusserunt.

§. 14. Sagas merce eadem maledictâ instructas Satan quoque in has oras nonnunquam inscio & invito Magistratu optimo mittit. Fœminam novi egenam, eamque piissimam, quam tabernæ suæ in forô nostro exiguæ & minoris pretii mercibus refertæ adstantem vetula quædam rugarum sulcis cutisque livore egregiè deformis accedit, & Alrunum venalem in linteo crasso quinquefolio impositum offert, binis oculis globulos nigros minimos referentibus & barba prolixiore instructum, reliquo toto corpore hirsutum. Ista terrore perculsa ait: Quid hoc rei? Virunculus est, inquit anus, quem qui habet, in vendendo felix est, taberna tibi est exigui pretii, ecquid hac efficis? Opulenta eris, & instructissimam magnamque brevi tibi comparabis tabernam, si virunculum hunc habueris. Quæcunque conspexeris, amplissimam fortunæ gratiam tibi largientur. Ista: Ego equidem nescio, emere eum nolo. Et licet animum emendi non habuerit, pretium tamen ex anicula quærit. Ohe! ait vetula, sentio te hujus desiderio non teneri, propterea nec pretium indicabo. Dictis addit hoc: Huh! Ihr wehrt

euch

euch so / und wolts nicht käff / sind so viel Leut zu Cob. die deren gekäfft. Et mox discessit, nunquam deinceps eidem visa. Emissariam hanc Satanæ fuisse, omninò mihi persuadeo, quæ, ut fœminam paupertate pressam hoc medio fascinaret, & magicæ societatis membris adsociaret, ejusdem impulsu laboravit, & falsa aliorum exemplorum narratione eandem invitavit.

CAPUT III.

Homo materia Fascinationis magicæ. Cur infantes præsertim nondum baptizati expetantur? Etiam proprios infantes olim Molocho Phœnices & Israelitæ consecrarunt. Gnosticorum circa infantes incesto concubitu natos crudelis error. Veneficæ infantes potus & maleficii gratia expetunt. Initiationis & promotionis magicæ ritualia. Ad usum magicum adhibentur cineres cadaverum ustorum, caro, caput mortui. Teraphim quid? Historia horrendæ. Expetunt etiam Sagæ spinas demortuorum, manuum pedumq́; digitos pro magico lumine, excrementa, lac maternum. Platea Coburgi die Jüdengaß *dicta, unde nomen habeat? Usneæ vires magicæ. Cur ista ab homine desumenda Dæmon suadeat? Absurda ista vim magicam, Deo non permittente, non exerere, historia quadam confirmatur. Serpentes, bufones, anguillæ &c. ad magica opera adhibentur. Bufones sub limine defossi & pulverisati non fascinant. Hydropicus pulvere bufonis usti restituitur. Insecta in corpus immissa verum effectum edunt.*

§. 1. AB *Homine* materiam maleficii sui ad suasum & mandatum Dæmonis mutuantur Magi, id quod Apulejus *lib. 2. Metamorph. pag. m. 27.* attigit, ubi causam exponit, ob quam cadavera Larissæ in Thessalia pervigili noctis custodia servari solerent. *Ignoras*, inquit, *Thessaliæ te consistere, ubi Sagæ mulieres ora mortuorum passim demorsicant, eaq́; sunt illis artis magicæ supplementa.* Quærunt autem vel totum, vel partes. *Totum* quidem, nimirum infantes tam baptizatos, quàm nondum baptizatos, maximè tamen non baptizatos, fontique salutari nondum immersos. Causam tradit nervosè Nobiliss. Dn. D. Schröderus *Dissert. Jurid. de Lamiis Quæst. 4.* §. 3. partim, quia eorum nece admodum de-

lectatur Diabolus, quorum animam & corpus lucro sibi cessuram sperat: partim quia hæc ætas est imbecillior ad resistendum, incautior ad cavendum, nequi[illegible]arum conatum deprehendere, vel revelare, vel accusare: partim quia pessimæ illæ mulieres petunt ab his instrumenta suorum maleficiorum. Nam persuadet iis Dæmon, si certam partem (quam nominari non est opus) ex iis exciderint, & comederint, sese patientiam omnium tormentorum esse consecuturas, adeò, ut ad confessionem criminum perduci non queant, Binsfeld. *in L. multi 4. C. de Malefic. & Mathemat. Quæst. 2.* Conficiunt quandoque ex corpusculis infantium occisorum coctis, famosum illud unguentum suum, quod Ghirland. in Italia vocari dicit *unguentum paganum*, cui vim inesse lædendi sanos admirabilem prædicant. Sagam tamen quandam hoc, quod subjungitur, fassam esse, nonnemo per literas amicas mihi significavit: **Was unter dem Creutz und Brust stecke/ als nemlich das Hertz und Leber / das dörfften sie nicht nehmen/ und müsten solch Theil deß Leibs / und was darunter liege/ wieder begraben. Aber die Finger/ das Gehirn/ das Gemächt / und das Ubrige nehmen sie zu ihrer Salben.** Ast variare in hoc puncto versipellem hostem, atque aliud aliis persuadere patebit ex seq. *§. 3.*

§. 2. Sed occisum hominem ejusque partes Dæmon ad usum non tam materiæ, quàm homicidii gratiâ, quo delectatur, Magum verò Deo per id abominabiliorem factum sibi magis appropriat, suadet. Etiam proprios infantes interficere & pro hostia Dæmoni enectos consecrare tenentur sagæ: ut jam olim in sacris Phœnices quoque fecerunt, hosque imitati Israelitæ vicini, qui infantes & liberos Molocho (hujus imago septem constitit conclavibus, quorum in primum offerebant simiam, in alterum turturem, in tertium ovem, in quartum arietem, in quintum vitulum, in sexum bovem, in septimum filium, pro numero Solis, Lunæ & quinque planetarum: ex quibus postremum Solis ut excellentissimi Numinis fuit, propterea Melech, *Rex*, dictus) per ignem traduxerunt, h. e. in idoli sacrificium cremarunt, ut ostendunt Seldenus *de DIS Syris Syntagm. 1. cap. 6.* Elias Schedius *de DIS German. Syngr. 2. cap. 33.* & Vossius *Idolol. lib. 2. cap. 5.* Similia Gnostici perpetrarunt sacrificia nefanda. Nam ut de his ex Porphyrio *in Vita Plotini* refert Langius *lib. 1. Epist. 71.* *conveniebant die, quo passus est Salvator, vespere ad locum destinatum, unà cum puellis sibi notis: & sacris peractis, ac candelis extinctis, indiscriminatim,*

tim cum sororibus, aut filiabus, ut sors eas obtulerat, coibant. Ex hoc nefario & incesto concubitu infantes aut pueros à maternis uberibus avulsos jugulabant, ac omnibus corporis puerorum venis incisis, sanguinis effluvium phialis excipiebant, corpora exanguia cremabant, cinerem sanguini admiscebant, quo epulas & pocula condiebant tum sua tum aliorum: quo veneficio existimabant characterem divinum nobis impressum, dæmonia procul arcentem penitus aboleri, & dæmonum furorem fatidicum, & audaciam ad quævis scelera obeunda, concipi. Postquam verò, ne homo immolaretur, non tantum anno ab urbe conditâ DCLVII. sub Cn. Cornel. Lentulo & Licinio Crasso Consulibus prohibitum, sed & radiante passim veritatis cœlestis luce atque Justitiæ per sanam rationem suscitatæ vigore invalescente ἀνθρωποθυσίαι publicæ cessarunt, seu homines pro sacrificio non amplius sunt mactati, veterator postea virtutis singularis in occisorum infantium partibus latentis opinione suos seduxit, & occultas cædes pro materia magicis actionibus utili suasit.

§. 3. Godelmannus *lib. 1. cap. 7. num. 30.* scribit, Berlinæ duas veneficas furto alterius vicinæ mulieris infantulum rapuisse, & ipsum dissectum coxisse: divinitùs autem factum fuisse, ut mater quærens infantem intervenerit, ibique in ollam imposita amissi infantis membra viderit: captas autem mulieres & in tortura examinatas dixisse, si processisset coctio, futuram fuisse ingentem glaciem, ita ut omnes fruges fuerint perditæ. Malefica quædam apud Sprengerum *Mall. Malefic. Tom. 1. Part. 2. Quæst. 2. cap. 2. pag. 241.* interrogata, per quem modum infantes comederent, respondit: *Infantibus nondum baptizatis præcipuè insidiamur, vel etiam baptizatis, præsertim quando signo crucis non muniuntur & orationibus. Hos in cunabulis vel ad latera jacentes parentum ceremoniis nostris occidimus, quos postquam putantur oppressi esse vel aliunde mortui, & de tumulo clàm furto recipimus, & in caldari decoquimus, quousque evulsis ossibus tota caro efficitur benè potabilis, de solidiore materia unguentum facimus, nostris voluntatibus & artibus ac transvectionibus accommodũ: de liquidiore verò humore flasconem aut utrem replemus; de quo is, qui potatus fuerit, additis paucis ceremoniis statim conscius efficitur & magister nostra secta.* Ita liquidiore carnis humanæ humore haustorerum magicarum scientiam subitò comparari religio Magica credit: id quod & conformis isti juvenis cujusdam confessio ibi subjuncta roborat, quæ

scelestæ

sceleratæ initiationis, & ad tartareum magisterium promotionis ritualia tradit: *Oportet*, inquit, *primò ut Dominico die antequam aqua benedicta consecratur, discipulum futurum cum Magistris Ecclesiam introire, & ibidem abnegare coram eis Christum, ejus fidem, baptisma & universalem Ecclesiam. Deinde homagium præstare Magisterulo, id est, parvo magistro, ita enim Dæmonem & non aliter vocant.* Et paulò post: *Postremò de utre bibit supradicto, de facto statim se in interioribus sentit imagines artis nostræ concipere & retinere, super principales ritus hujus sectæ. In hunc modum ait, seductus sum.*

§. 4. E *Cadaverum* exustorum cineribus potiones ad certam eorum, quos volunt, perniciem parant, aut cineres in ventos cum exsecratione ac devotione, ad urendos arborum flores, vel interficiendas segetes adspergunt. *Carne* ad unguenti Strigiportio inservientis confectionem utuntur, id quod Remigius *lib. 2. Dæmon. cap. 3.* ex sagarum confessione compertum tulit. *Maria Joannis Sartoris in Metzer Esch commorantis uxor, recitavit Joannetam Soniaus Matthes uxorem, cùm partum intempestivè ejecisset, eum clam, in quo habitabat, cubiculo defodisse. Sed cùm id olfecissent Sagæ quædam, eum illas postmodum perfodisse, atque in unguentum confecisse: unde & ipsa scopas aliquando illevisset, quibus insidens in sublime illico esset elata, atq; in Bruch (is dictus comitiis locus erat à Magistello suo Rousgen) deportata.*

§. 5. *Caput mortui* ad magicas actiones jam olim fuisse adhibitum, R. Elieser scriptor antiquissimus *in capitulis suis cap. 36. de Teraphim* autor est, cujus verba Dn. M. Pfeiferus *Disput. Philol. de Teraphim. §. 8.* citat & vertit ita: *Quid autem sunt TERAPHIM? Mactabant quendam primogenitum, & avellebant caput ejus, & condiebant illud sale & oleo, scribebantq; super laminam auream nomen spiritus cujusdam immundi, & ponebant illud sub lingua ejus. Postea ponebant illud caput ad parietem, & incendebant lampadas coram eo, ac procumbebant coram ipso, & sic loquebatur simulachrum illud cum ipsis.* Quanquam eodem ibi notante, hæc Teraphim componendi ratio nimis crudelis, & propterea ex traditionum colluvie hausta videatur G. H. Vorstio *ad Pirke Eliezer.* Quicquid tamen hujus rei sit, certum est, ex humani corporis partibus etiam caput & crania demortuorum ad forum magorum, ut nefandis actionibus inserviant, deportari. *Audivi*, ait Bodinus

nus Dæmon. *lib. 2. cap. 3. pag. 185. ex Insulano Abbate Novalliorum Domino, & ex Nobili Polono: cui nomen est Pricinski Legato in Galliam, unum ex maximis Christiani orbis Regibus avidum sui exitus cognoscendi Jacobitam Necromantem ad se accersivisse, qui confecta missa, & sacrata hostia primogenitum quendam decennem puerum ad hoc comparatum truncari jussit capite: eo hostia imposito certas voces pronunciasse, characteres, quos scire non attinet, adhibuisse, ac tum roganti, quid vellet, caput duobus verbis respondisse: Vim patior. Illicò furibundum Regem indesinenter clamavisse, tollite caput istud, & in eo furore exspirasse. Hac historia in toto regno, ubi gesta est, pro certa & indubitatâ habetur, etsi quinque homines solum negotio interfuere,* Dn. D. Carpzovio *Part. 1. Prax. Crim. Quæst. 50. Sentent. 25. pag. 448.* referente, *vespillo quidam à Dæmone sic edoctus adolescentis cujusdam demortui in tumulo nondum imputrescentis caput pala detruncatum in suo contubernio inter duas fenestras funiculo suspendit. Cranio aperto feces & cerevisiam, item cruorem è suris demortui cujusdam hominis ad hoc dissectis extractum, ut & lac muliebre, quod è mammis duarum puerperarum expresserat, commixta in nomine Diaboli infudit. Quando deinceps pluriũ funerum deductionem idem desideravit, hypocausti, quod calefecerat, calore ad sudorem caput mortui disposuit: quo provocato continuo in gyrum agitavit, & quot ex eo guttæ destillarunt, tot funera ad sepulchrum deferenda eo die accepit, guttarumq; numero numerus funerum respondit, & ad hoc Dæmonem, ut auxilium ferret, invocavit. E cranio humano & terrâ è sepulchro sumta pulverem paratum vespillo alius in nomine omnium Diabolorum in ædes projecit: ex eo quotquot in ædibus fuerunt, omnes, licèt nullus antea in iis morbo laborasset, supremum vitæ suæ diem obierunt. Sed apposita ad feretrum aqua & deinceps in feretri exportati loco ter in crucis forma profusa infectionis & inspersionis noxiæ fuit prophylacticum*, ut tradit idem *loc. cit.*

§. 6. Ad magici luminis usum Magi latrones & fures spinas demortuorum, *manuum pedumq; digitos*, & alias partes accendunt, inunctas prius oleô à Dæmone accepto, vel ad singulos digitos candelas effingunt. Remigius *lib. 2. cap. 3. pag. 207.* scribit, Lamias partus intempestivi cadavere ad soporiferum fascinum uti, resecto inde cum humerô costisque continentibus dextrô brachio in usum luminis, & ardere

ejus membri extremos digitos flamma sulphureâ ac violaceâ tantisper, dum perficiant, quod cœpere: hac flammâ extincta tam integros & illibatos manere digitos, quàm si lumini fomitem nullum præbuissent: idque quoties opus, cum eadem digitorum incolumitate repetere. Exemplum spinæ cadaveris humani ad soporem inducendum magicè accensæ refert ex Cæsario Cistertiensi *libr. 6. Mirac. cap. 10.* Delrius *libr. 3. P. 1. Q. 3.* notatque in Flandria occidentali haud procul Balliolo furem fuisse prehensum & apud eum repertum truncum pedem patibulati, quo ad hujusmodi soporiferum lumen fuerat abusus articulis incensis. In Leodiensis ditionis quodam oppido (subjungit idem) noctu ad diversorium venere duo, qui se à via admodum fessos simulabant. Cœnâ sumptâ negant se cubitum aliò ituros, sed importunè admodum pervicaci instantiâ tandem abs caupone impetrant, ut liceat ad ignem in culina somnum capere. Interea ancilla domus, cui non satis peregrini isti placebant, clanculum per foramen quoddam pervigil conspicit, quid acturi. Nocte intempesta, videt è marsupio manum abscissam mortui depromere, & digitos inungere, tum admotos igni incendere. Omnes lumen recepere, uno excepto. id verò Magi mirari insolitum. Sæpius ergò tentant, & flammæ admovent, frustra semper, Tum eorum unus, quid tum (ait) si unus duntaxat in domo vigil? & affixa ad caminum manu, quatuor velut candelis obscura flamma conlucentibus, domo egressi, noto sibilo socios advocant ad prædam. Puella subsequitur egredientes, & domô, janua revolutâ, excludit, inde irrumpit in herilem thalamum, invenit omnes altum adeò stertere, ut nulla vi (nam in medium cubiculi de lecto detraxerat) potuerint evigilare. Interea fures per fenestram quandam se dirigebant in domum; occurrit ista, & scalis deturbat. Instant tamen, & alibi moliuntur ingressum. hæc luminis memor, & suspectione hanc esse soporis domesticorum causàm, omnes digitos exsufflat; ut lux emortua, dormientes experrecti, ad clamorem accurrunt, & domo protelant manifestarios. Post aliquot dies capti, facinus confessi fuere.

§ 7. Idem *loc. cit. pag. m. 16.* ex Grillando tradit exemplum *mulieris cujusdam turpissimæ, quæ acceperat particulam cutis illius, qua infans indutus egreditur de utero matris, quam primùm venit in lucem, illamque similiter super lapide nudo sacrato absconderat, & super illa plures missas*

missas, numero quinque, celebrari fecerat, cutemq́ue prædictam postea assumpserat, & baptizaverat sub nomine personæ maleficiandæ cum aqua baptismatis & cærimoniis consuetis, deinde eam in pulverem redegit, ad effectum tradendi personæ maleficiandæ, tamen interim capta fuit, nec perficere potuit sortilegium, sed congruas sceleris sui luit pœnas. Adeo nefarii etiam sunt hujusmodi sacrilegi, ut & fœminæ viris sua *menstrua*, & Viri (quorum utrumque vix pudicæ aures tolerant) *semen* in cibum potumq́ue aliis permixtum & certis verbis condita præbent, ut multorum constat confessionibus, *stercora* quoque & alia hujusmodi excrementa, ut Sprengerus tradidit, notante Delrio *lib. 3. P. 1. Q. 3. p. m. 17.*

§. 8. *Lac maternum* etiam ad vanitates magicas confertur. A majoribus ego jam olim accepi, quod & nostratium pluribus per traditionem constat, Judæo cuidam hîc loci fœminam quandam æs immodicum debuisse, sed istum debiti remissionem promisisse sub hac conditione, si lactis sui, quo ipse indigeat, aliquid mulier dederit. Sed hæc lactantis scrophæ muliebris loco substituit, & creditori obtulit. Judæus noctu patibulum adit, comitemq́ue suum per scalæ gradus adscendere, & aperto furis ibi suspensi cranio lac infundere, idque agitare jubet. Judæo prima vice quærenti: ecquid vides? nihil video respondet socius; idemq́ue ut agitando pergeret jussus ad idem quæsitum secunda vice factum reponit. Tertiâ vice interroganti: quid jam cernis? magnum porcorum gregem jam cerno, dicit. Maleficus autor, qui hominum stragem meditatus fuerat, indignatus, & diras deceptrici pœnas imprecatus, magicum suum factum non hominum, sed porcorum luem secuturam præsensit. Sed cum porcorum exitio sibi quoque exitium paravit. Re enim cognita non tantum delluis autore supplicium fuit sumtū, sed & omnes Judæi ex hac urbe fuerunt proscripti & proscripti hactenus manserunt, à quibus nomen tantùm plateæ, die Judengaß / dictæ, in qua Judæorum plurimi habitarant, reliquum ad præsens usque mansit. Eandem historiam, paulò tamen aliter & suppresso loci nomine recitat Camerarius *de Natur. & Effect. Dæmon. in Proœm. Quodam in oppido venit Judæus ad mulierculam anum, & petit ab illa, acquirat alicunde sibi lac muliebre, promittitq́ue donum, si afferat. Hæc sibi notam alteram accedit, & rem ei exponit, quidq́ue in mentem sibi venerit, ut Judæus eludatur, & donum tamen accipiatur, indicat. Habebat mulier illa scropham*

lactantem, eam mulgent, & lac defertur ad Judæum. Qui id, quod statuerat, cùm cœpisset agere, audit grunnitum & intelligit, quid factum sit. Atque tota ea vicinia sues fœda tunc lue interierunt. Re autem cognita, & de Judæo, & illis mulierculis supplicium tanquam veneficis in dolore recentis damni, quod hominibus ejus regionis fecerant, sumptum fuit.

§. 9. Plura ad veneficii exercitium ab homine desumuntur, *ut urina, stercus, sanguis, capillorum & unguium præsegmina: atque hæc*, ait Wierus *lib. 3. cap. 36. §. 2. pag. 260. & pag. 312. num. 1. solent generaliter includi membris canis similibus aliquo modo his, quorum in homine sunt partes aut excrementa, claudiq; osse mortui hominis ac in illius nomine sepeliri, alia quidem in vestibulo, alia in viis crucis formam habentibus, alia in torrentibus.* Sed hæc & reliqua omnia ad veneficii usum ab homine tracta nos quoque cum Wiero ad absurda, merè inania & ridicula referimus. *Muscus* calvariis suspensorum, rotâ contusorum, vel alio modo morte violentâ peremtorum, liberoque aeri expositorum adnatus *Usnea* dicitur. Hunc die Veneris ante Solis exortum cum certis precibus quidam deradunt, & in veste sub sinistra axilla insutum gestant, ut se hoc modo inviolabiles reddant, notante ex libello publicè impresso Sennerto *lib. 5. Princ. Med. Part. 4. cap. 24. pag. m. 520.* Alii iterum sunt, qui Usneam ex cranio hominis suspensi cum Zenith seu linteo maculato primi menstrui plumbo commiscent, quando sphærulas seu pilulas fundunt, & sic sibi certum ictum ex bombardâ promittunt, Sachsius *in Schol. ad Obs. 53. Anni 2. Nat. Curios.* Virtutem ad ista musco inesse naturalem, negandum: supernaturalem autem in eo quæri, deplorandum. Saga quædam in fimum *urinam* suam excrevit, & per locum istum puerum quendam ter deduxit: inde duo erucarum paria per fascinum ei immisit, & in ægritudinem maximam hominem miserabilem præcipitavit apud Carpzovium *Practic. Crim. Part. 1. Quæst. 50. Sent. Scabin. Lipsiens. 3.* Nec urina, nec fimus fascini hujus fuit causa; signa tantùm fuerunt consensus Sagæ, quo dato fascinum Dæmon operatus est. Similia pater mendaciorum ex fraudulentiæ abysso plura derivat, & ne occulta ejus operatio deprehendatur, sensibilia, quæ oculos superstitiosorum remorentur, licet in se sint absurda, commendat; excrementis partibusque ab homine sumtis fascinandi virtutem, quæ nulla est, affingit. Quæ tamen omnia signa mera sunt, non causa ullius fascinationis magicæ.

§. 10. Ope-

§. 10. Operari & suadere ista pergit, ut ad cædes patrandas Magorum colluvies fiat attentior, & iniquitatis fascinô magis magisque correpta majus indies iræ divinæ incrementum & certius animæ suæ exitium paret. Denegata autem Dei permissione Dæmonis nugacitas & fictitius absurdæ rei usus proditur, cujus exemplum in Paulo Diacono *lib. 20. Rerum Roman. sub Theodos. Gestar.* habemus, citante Remigio *lib. 2. cap. 3. pag. 211.* *Pergamenses*, inquit Paul. Diaconus, *cùm à Sarracenis obsiderentur, à Mago quodam, (ut in desperatis rebus malo exemplo fieri solet) consilium exquisiverunt, qua ratione urbem suam obsidione liberarent. Eum verò respondisse futurum, ut id certò facerent, si dextras suas in ollam instinxissent, in qua fœtus è gravida matre per vulnus detractus ebullisset. Quod cum religiosè admodum fecissent, nihilominus omnes in hostium potestatem venerunt.*

§. 11. De serpentibus, bufonibus, anguillis, erucis, muscis, Receptas magicas ingredientibus, quale jam sit ferendum judicium, præcedentia aperiunt. Venefici illius apud Codronchum, quem suprà *Part. 4. Sect. 1. cap. 10.* §. 5. adduximus, instrumentum, quo abortionis procurandæ gratia fuerat usus, serpens fuit in limine ostii reconditus. Quo perquisito, & pulvere tantum aliquibusque vestigiis *serpentis* ob temporis diuturnitatem inventis, igneque concrematis fœcunditas fuit restituta. Sagam Compendiensem cum *bufonibus* duobus à Sacerdote baptizatis, quibus ad res magicas utebatur, comprehensam fuisse legimus in Monstreti historia, ait Bodinus *lib. 2. cap. 8. p. 269. & pag. seq.* Froissardi historia testis est, Curionem quendam apud Suessionas ad ulciscendum inimicum à saga consilium petivisse: qua consulente, ut bufonem baptizaret, nomen ei inderet, & consecratam hostiam edendam traderet, id à se factum & alia permulta tacenda confessus est. Quinque Magarum quæsitores narrant inter alia, quandam consecratam hostiam, quam oportuerat deglutivisse, sudario exceptam, in poculo, ubi bufonem alebat, condidisse.

§. 12. Enimverò si *serpens* sub ostii limine repositus fœcunditatem amoliri potuit, ut in Maleficarum Malleo legitur, cur in illis regionibus, ubi serpentum numerus domos pervagatur, non omnes sterilescunt fœminæ? Ita non inscitè arguit Wierus *loc. cit.* *Limen ipsum arte fabricatum serpentis qualitatem exaltare nequit.* Itaque si de se habe-

rent eam fascinandi potestatem serpentes, gratum hoc esset meretricibus impraegnationem metuentibus praeservativum, nec limini tantùm, sed & lectis serpentes facilè submissuras credo.

§. 13. *Bufonis lumbos Sagae percussionibus ex fide magicâ frangunt, inde homo, in cujus nomine bufo percutitur, paralysi ac contracturâ brachiorum pedumque corripitur*, Carrichterus *pag. m. 476.* Sed tota actio de se fascinandi homini malum nullum creat; Daemon solus signo, cujus suasor & autor primus est, dato omne punctum absolvit. Quandoque tamen Bufonem, quia animal maximè venenatum est, quod veneni quandam bursam Kircherus vocat, magorum conatum promovere, negare cum Bodino nolumus. *Ut amplius constet*, ait, *neque bufones, neque hostias, neque pulveres diabolicos mortem animalibus importare, certo certius est, Sagarum peritissimas flando in os nonnunquam enecare, quod in suo dialogo Danaus optimè observavit: quod autem id veneno fieri, quod in ore circumferant, idem existimat, probare nequeo. Nam ipsae primùm Sagae moritura essent, cui argumento non video quid responderi possit.* Sed ad hoc jam suprà *cap. 1.* §. *16.* responsum est. Daemonem quidem, qui voluntati hominum ipso utentium lubens se accommodat, magicas operationes absolvere concedimus, semper tamen & in omnibus id efficere negamus. Nolo ingeniosos Hispanorum, Gallorum & Italorum modos venenandi & interficiendi, in quibus à Bufonibus materia petitur, recensere, qui si malis Magiae puris & Medicis bonis noti sunt, Daemonem & per hunc Magos latere nequeunt. Modos tradit Dn. D. Libavius *lib. 2. Batrachior. cap. 18.* qui eos non omisit, *saltem* (ait in Scholiis) *ut nocumenta constarent, possentque agnosci & caveri, ac magistratui ad scelera indaganda exercendasque quaestiones informatio esse posset.*

§. 14. Bufonum sub limine & alibi defossorum & in pulverem redactorum partes ad fascinandum esse nullas, intrepidè asseveramus. Siquidem exsiccatum bufonis cadaver seorsim in pulverem tusum, & ex eo cum tragacantha, aut pulvere Arabicô trochiscos formatos feliciter Helmontius usurpavit. Et D. Gisbertus Horstius notatu dignam consignavit historiam, quam Wierus *lib. 3. cap. 35. pag. m. 266.* tradit, nimirum *Romae quendam hydropicum diu decubuisse, cujus uxor tandem sumptuum pertaesa veneno illum tollere decreverat. Quare bufonis in olla usti pulverem aegroto propinat, unde ille copiosum reddit lotium. Hinc denuò*

eundem

eundem pulverem exhibet, ut citiùs illi ærumnosam sumptuosamq; vitam cum præcipite commutaret morte. Qui multò uberiore exonerata per vesicam saburrâ aqueâ convaluit præter conjugis expectationem. Nam bufo etiam discissus, & renibus impositus, hydropicorum aquas per meatum urinarium expellit. Imò inanis est credulitas, defossam sub limine rem ullam ex se habere fascinandi virtutem transeuntes; & adstipulamur Dn. D. Rolfinckio *Medic. Special.* ὡς ἐν εἴδει *pag. 121.* ubi ait: *Magicis Supranaturalium præstigiis inductorum capitis dolorum indicia habentur, si orbiculi plumarum anserinarum variis tricis implicatarum reperiantur: vel globi pilorum quorumcunq; in angulo aliquo quærentibus se offerant. Nonnulli aciculas in punctorio dolore, frusta ossium calvariæ sub limine domus prætendunt. Vana ut plurimum, imò nunquam non inanis hæc est credulitas.* Signa saltem sunt, non causa fascinationis magicæ. Sic bufone in nomine hominis fascinandi circa lumbos percusso paralytica redduntur hominis illius brachia & crura, teste Carrichtero *pag. m. 475.* Non percussio ista efficit; sed hæc saltem signum est, quo in nomine Cacodæmonis posito Cacodæmon ipse agit.

§. 15. Insecta verò ejusmodi per fascinationem magicam in corpus immissa verum effectum, nimirum atrocissimos dolores ex se & sua natura, ibi rodendo, uti lumbrici in intestinis, excitare possunt. *Nobilis Georg. à* Deben/ *dum ventrem exonerare conatur, in ano diutiùs quid hærere sentit, & non exiguam inde molestiam percipit. Ea igitur ut sublevetur, manum tandem admovet, & pro stercore duro, quod subesse putavit, magnum extrahit bufonem etiamnum viventem. Ex maleficio hoc contigisse, & ipse, & alii existimarunt. Sustinuerat enim antea varios, insolitos & acerbissimos cruciatus, modò in hac, modò in illa corporis parte.* Hæc Salmuth *Centur. 3. Observ. Medic. 1.* Sic & erucæ, seu vermes (die Elbe) in caput, pedes, aliave membra per fascinationem immissi ingentes cruciatus ac dolores pariunt, quâ de re fidem faciunt confessiones multarum Lamiarum, quæ habentur apud Dn. D. Carpzovium *loc. cit. in sententiis Dnn. Scabinor. Lipsiens. à pag. 333.* usque ad *343.*

CAPUT

CAPUT IV.

An virgula divinatrix ad materiam magicam spectet? diversæ hic sententiæ. Rationes eorum, qui Dæmonis commercium hic latere suspicantur. Autorum circa materiam, tempus collectionis, præparationem &c. inconstantia. Sed propter causæ obscuritatem Magiæ notam virgulæ divinatoriæ non esse imprimendam ostenditur. Metalla virga è Corylo detracta scrutari illicitum non est: nec virga ipsa illicitum medium. Sententiarum diversitas, quid arguat? Cur varius sæpè sit circumstantiarum apparatus? Superstitiones circa virgulæ illius amputationē recitantur & refutantur. Tempus amputationis & collectionis observare diverso respectu est & non est superstitiosum. De Fraxini ligno (Wund-holtz) simile fertur judicium. Autorum diversitas hic quoq; notatur. Historia. Superstitiosis ritibus lignum hoc infamatur. Chamæleontis pes sinister, item heliotropius lapis, ut quis invisibilis fiat, superstitiosè commendantur. Lapides materia magica in Scopelismo. Scopelismus quid? Ejus Exempla. Voetius magicum quid fuisse dubitat. Contrarium vindicatur. Varii dantur Scopelismi. Exempla eorum.

§. 1. AN *virgula divinatrix*, sive Mercurialis (Glück-Wunschel/oder Gold-Ruthe) bifidus coryli ramus, quatenus ad reconditas in montibus & campis metallorum venas à metalloscopis adhibetur, ad magica instrumenta sit referenda? Virga hæc virgo virtute suâ formosa & famosa multorum, si non corpus, tamen mentem ita fascinavit, ut quidam in ejus specie fixi hæserint; alii verò, quòd in ejus amplexum non venirent, per contemtum Satanæ larvam eam dixerunt, nonnulli verò figmentis & fraudibus eam stuprare conati sunt, h. e. quidam motionem ejus, & ad metalla inclinationem, quam percussionem (schlagen) vocant, naturalem esse statuunt: alii millecuplam & decantatissimam fraudem autoris omnis mali, Satanæ, ex pacto seu explicito, seu implicito subesse contendunt: nonnulli verò casu vel fraude eam moveri existimant.

§. 2. Qui Cacodæmonis operæ effectum adscribunt, præcipuè obscu-

obſcuritate cauſæ & ſequentibus rationibus dicuntur. 1. quòd decantatæ virgulæ vires non in cujusvis manus ſe exerant. Quæ ratio etiam Doctiſſimum Deuſingium, qui ipſe duobus aliis periculum feliciter facientibus idem, ſed fruſtra, fecerat, movit, ut impoſtori infernali, hominum perſuaſioni ſe accommodanti, vim iſtam tribueret *Exam. Pulv. Sympath. p. 57.* 2. quia, ſi vis metallorum ad ſe virgam colurnam bifurcatam trahit, trahet etiam, & multo magis ac facilius virgam rectam & perfectiſſimè libratam, facillimè convertibilem, quod tamen non fit. Accedit 3. Autorum hac in re variatio & inconſtantia, quæ rem omnem reddit ſuſpectam. Siquidem *materiam* quod concernit, eam quidem à ſolis corylis petunt: nonnulli verò etiam fraxinum, abietem, betulam pinaſtrum, pirum, ceraſum, imò etiam plantas, ut lappam majorem conferunt. *Tempus collectionis* quidam Dominicam proximam à novilunio ante ſolis exortum, & quidē menſibus Septembri ac Decembri potiſſimū: nonnulli verò diem Paraſceves, vel etiam Dominicam, qua Luna plena eſt, antequam radios ſuos orbi ſol monſtrat, eligunt. Quoad *præparationem*, ſunt, qui ſtando Virgulam è regione ſolis orituri, abſcindunt & quidem deorſum tribus vicibus, quidam inſuper in nomine Patris, Filii & Spiritus S. reſecant, & formula ſacra Magorum more ad uſum alium abutuntur. *Figura* furcillæ reſpondere jubetur, ſic tamen, ut caput ſit minutum, cornua verò, quæ exinde prodeunt, longiora: ſed & rectiformem in arcum coactam & manu utraque retentam percuſſiſſe obſervatum: Craſſitiem mediocrem, non tamen ad certum alligatam punctum requirunt. Nonnulli enodem, nodoſam alii exhibent. Novum inſuper modum curioſitas Germanos docuit: rectum nimirum ac tenuem ſurculum in duos diſſecant bacillos, quorum unum in extremitate excavant, alterum in conum acuunt, ita ut conus concavo alterius excipiatur. *Numeri* ratione ea notatur autorum diſcrepantia. Quidam enim colurnam ſolam ad omnium metallorum ſcrutinium adhibent, ſed ſeparatis vicibus, pro varietate ſeptem planetarum dominantium confectam: alii diverſas diverſis metallorum ſpeciebus accommodare jubent. Itaque ferrea utuntur ad aurum, corylacea ad argentum, fraxinea ad æs, piceaſtri ad plumbum, iſatis caule ad ferrum. *In applicatione* quando virgula divinatrix apprehenditur, quidam tacitè vel ſonora voce recitant dictum Joh. 1. *In principio erat verbum & ver-*

bum erat apud Deum. Temperantiam etiam in applicante, & situm stationis versus orientem requirunt alii, alii verò circumstantiarum apparatum hîc nullum requirunt.

§. 3. Suspensum, me, fateor, ista, omnia diu tenuerunt, nec tamen, ut in eorundem castra planè abirem, movere potuerunt. Magiæ cur insimulanda sit virgula vel actio, in qua virgula illa ad metallorum scrutinium adhibetur, rationem sufficientem nondum video. Siquidem 1. à rei difficultate & obscuritate ad ejusdem negationem, processus non est Philosophicus. Causa motionis in virgula obscura est, & investigatu difficilis, nec solida à virgulæ amasiis datur: Ergo causa naturalis planè non datur: Argumentatio hæc illegitima est, instantiisque variis infirmari potest. Qualitatum modus emanandi à sua forma obscurus est, investigatu difficilis, imò planè indicari nequit: modus, quo anima in fœcundo proseminationis actu se multiplicat, obscurus est, & indicari nequit. Neutrum tamen istorum propterea negandum. Rerum omnium formæ sunt obscuræ, & de lapide dicit alicubi Scaliger; *Dic mihi formam lapidis, qui tamen quotidie tuis obversatur oculis, & Phyllida solus habeto:* nec tamen formæ propterea sunt negandæ. Redeat hic distinctio inter Physicam & Physicum, & hujus in Physicum absolutè talem, & in eum, qui industrium naturæ scrutatorem notat. Non vitium hujus, quod vel mediorum ad investigandum defectus, vel causarum & objecti ipsius sublimitas, vel sensuum imbecillitas, vel intellectus incapacitas peperit, Physicæ ipsi, vel physico qua tali est tribuendum.

§. 4. Præterea positis quidem omnibus ad agendum requisitis effectus non potest non sequi. At verò quæ requisita sint scrutinii virgulæ beneficio adornandi non satis constat, neque ulli, an ratio sufficienter ea enumerare queat, audacter asseverare licet. Ut autem unicam in foro judiciali circumstantiam, quæ latuit, in apricum autem postea venit, magni momenti esse, & totam actionem immutare, inclutum Jurisconsultorum Collegium edicit: ita unius requisiti ad actionem Physicam necessarii absentiam totam sæpe actionem frustrari & agentis conatum eludere, naturalium scrutatores fateri tenentur. Vix verò quisquam sibi omnium hujus actus requisitorum cognitionem arrogabit, quæ vel ex parte virgæ, vel ex parte loci, vel ex parte applicantis

cantis desiderari possunt, vel impedimentorum, quæ sæpe occultissima, notitiam sibi polliceri poterit, præsertim, quia plurimæ in natura insensibiliter & invisibiliter per influentias occultas, per qualitates spirituales & per atomos peraguntur: quæ qui naturalibus agentibus, (si possibile esset) subtraheret, inertem ubique & impotentem offenderet naturam. Itaque si non in omnium manibus virgulæ divinatricis motio contingat, non tamen animus propterea abjiciendus, & ad Magorum rogum virgula damnanda. Nec si unum vel alterum probationis medium à Physicæ cultore prolatum rationi non congruat, ipse propterea impliciti pacti arguendus, sed ingenii vela porrò explicanda, obortisque dubiorum ventis adversis conatus majore labore erit promovendus.

§. 5. Satanæ fraudes & commercia quandoque subesse non negavero. Rebus enim naturalibus Dæmon se immiscere gaudet; sed apud eos se immiscet, qui superstitionibus immersi illicita illicitis & sanæ rationi repugnantibus mediis quærunt. At metalla virgæ è corylo detractæ beneficio sepositis superstitionum & observantiarum inutilium ineptiis scrutari, nec illicitum est, nec illicito, sanæ rationi repugnante fit medio. Non illicitum est, quia omnipotentis benignitas mineralia omnia in usum hominum creavit, quæ studio & labore eruenda, non negligenda; grata manu accipienda, non contemnenda; debito mòdo usurpanda, non projicienda, ut Dei gloria decantetur, ejus voluntas efficiatur, & salus proximi promoveatur. Medium ipsum per se sumtum solum observantiis vanis denudatum licitum est, vel eo saltem nomine, quia cùm similia sympathiæ vestigia in natura, & quidem in regno vegetabili observentur, ratio non nullo fundamento nititur: siquidem similem percutiendi seu inclinandi ad metalla promtitudinem in aliis arboribus, & quidem excellentiorem in acere, quàm in corylo, adeoque sympatheticum modum deprehendunt metallurgi. item in quibusdam herbis: quæ omnia virgulæ Mercuriali inclementiùs tractatæ suis qualitatibus, velut argumentis quibusdam, succurrunt, eamque ab infamia liberant. Tantum autem abest, ut pio & à superstitionibus alieno metallurgo Dæmon per virgam subterraneas divitias prodat, ut, quantum in se est, eas potiùs invideat & neget, sæpissimeque clientes suos, thesauros anhelantes, spe præsenti erectos fallat, & pro nummis fragmenta

testacea præstigiatoriè porrigat : sepultam verò nummorum summam experientia teste vel rapiat, vel longiùs transferat.

§. 6. Sententiarum in eadem re diversitas non ejusdem nullitatem, sed obscuritatem, autorumque in pervestiganda eadem sedulitatem arguit, quæ non Magiæ fulmine prosternenda, sed benevolentiæ aura suscitanda. Variant ingenia, variat & labor ac industria. Quot capita, tot sensus. Cùm in libera Republ. Philosophi omnes degant, animi sensa quivis liberè aperit, eaque aliorum judicio limatiori submittere non detrectat: propterea tamen error unius & alterius non potest præjudicare reliquis, nedum rei ipsi. Facilis est in experimentis lapsus, idque, quod per accidens adest, incautus non modò ut agens per se veneratur & aliis venditat: & si id, quod fortuitum est, semel atque iterum obvenit, confirmatior evadit in errore animi sensus. Hinc varius sæpe circumstantiarum apparatus, isque fictus, quod itidem rei ipsi, eique, qui per crebriora & certiora experimenta circumstantiarum apparatum maximam partem supervacaneum esse compertum tulit, nihil detrahere potest. Abusus ab usu distinguatur: magica à naturalibus separentur, ut sua specie virga virgo decenti omnium requisitorum ornatu condecorata compareat. Nec si apud Magos sit virgulæ hujus usus, propterea viris magiæ puris denegetur; nisi & aqua & igni iisdem, quia Magis quoque communia sunt, interdicere velimus: nisi & multa medicamenta, quæ vetularum nugacitas superstitionibus magicis conspurcavit, rejicere velimus.

§. 7. Superstitiosum autem est, die Parasceves (quo horam II. meridianam orichalceæ comparandæ nonnulli eligunt) vel dominica virgulam amputare. Neuter dies, præsertim ille, qui ambulatorius sæpe est, reliquis per se est efficacior. Si effectum ejusmodi virga infallibiliter edit, non tam Virgæ, quàm Dæmonis eum esse, homines ad profanationem diei sic invitantis, omninò mihi persuadeo. Superstitiosum est, stando eam abscindere, & quidem tribus vicibus, in nomine SS. Trinitatis. Sive sedendo, sive stando, sive jacendo detrahatur, non tamen major vel minor inde emergit virtus, nec verbis sacris cum abusu collatis virgæ potestas naturalis exaltatur. Superstitiosum est, tribuere figuræ virtutem: inefficax ea de se est; expetitur autem certa figura propter commoditatem, non propter sui potestatem. Superstitiosum

tiosum est & magicum, virgulam noctu natalitiorum Salvatoris inter 11. & 12. horam nudo corpore amputare. Profanatio hæc est temporis detestanda, Deo abominabilis, Dæmoni grata, qui propterea pronus, quod in obvia quaque virga per naturam desideratur, per suam influentiam complere, suisque persuadere, ritibus & ceremoniis certis excellentiæ prærogativam in operando competere. *Ita Diabolus sceleratè abutitur natura rerum ad perniciem generis humani*, ut loquitur Peucerus *pag. m.* 64. *b.* Superstitiosus est totus ille actus rustici cujusdam in districtu vicino degentis, accuratam, virgulam divinatricem colligendi, rationem se tenere jactantis, quam per tertium quendam, propriâ, nisi fallor, rustici ipsius manu exaratam accepi. Ritus superstitiosos, quorum plures ex jam dictis observat, negligo, & saltem benedictionis formulas ipsi usitatas adjicio: **Haselnuß-Stauden ich breche und beschwere dich bey der Krafft GOttes deß Allerhöchsten/ daß du mir N. zeigest / wo das verborgene Gold oder Silber / oder Edelgestein verborgen liege ꝛc. Ich beschwere dich bey diesen obgemeldten Worten/ daß du so viel Krafft habest / wie die Ruhten Moses/ damit er eine Schlange in der Wüsten erhöhet hat: Ich beschwere dich/ daß du so viel Krafft hast/ wie Aaron / da er die Kinder Israel über das Rote Meer geführet hat ꝛc. Ich beschwere dich/daß du so viel Krafft hast/ wie Johannes der Täuffer / da er den HErrn Christum getaufft hat am Jordan ꝛc. ꝛc.** Item: **Ruhten ich breche dich in dieser Stund/ daß du mir zeigest/ wo das Verborgene liegt ꝛc. Im Namen GOttes ꝛc. ꝛc.**

§. 8. Superstitiosum autem non est, tempus amputationis & applicationis habitâ siderum ratione observare, cùm magnæ pro diverso diversorum Planetarum dominio in sublunaribus, quæ istis sua natura & substantia subjecta, fiant humorum alterationes & mutationes, virtutum autem exaltationes vel infirmitates: prout in hora Saturni in manu Solaris vel Venerei hominis virgulam vel non, vel leviter percutere observatum, quia Venus & Saturnus, item Sol & Saturnus sibi invicem spiritualiter contrariantur. Atque ex hoc fundamento dubium, quod percussionis in quorundam manibus, positis etiam omnibus requisitis ad percutiendum necessariis, absentia movet, resolvit Matthias Willenus in sua *de Vera Virgulæ Mercurialis Relatione* Jenæ ante triennium Germanicè edita, *Quæst.* 3. Siquidem juxta Astrologos omnis amicitia ex cœlesti profluit harmonia: & contra omnis inimicitia ex distortorum

Planetarum dissonantia, quæ omnia fusiùs prænominatus Autor deducit, & Virgæ Virginis famam præclarè defendit & vindicat. Ex dictis & hoc fluit, virtutem Virgæ Mercurialis per astrale hominis temperamentum vel exaltari, vel infirmari, ut proinde mirum non sit, si virgula amputata vel metallis adjecta de se sola ad metalla non moveatur, nec contactus virtualis in ampliorem actum, qui visum incurrat, deducatur.

§. 9. Gasp. Schottus *Mag. Univ. Part. 4. lib. 4. Syntagm. 4. cap. 1.* Virgulæ colurnæ conversionem contingere statuit vel fraude virgulam tractantis, vel ope Diaboli, quo cum pactũ intercedit explicitum aut implicitum. Annotationi tamen ejusdem capitis secundæ judicium Viri cujusdam docti de Virgulæ corylaceæ usu subjungit, quo materiam suam claudit. Cùm autem ἐπίκρισιν suam more solito non addat, Schottum ipsum in alteram sententiam abiisse, vel tandem fluctuasse ex silentio colligimus. *Scripseram hæc* (ait Schottus) *cum perfertur ad me Epistola cujusdam Viri probi ac docti, & in dicta virgulæ tractatione apprimè experti, cujus judicium exquisiveram, simulq; cujus formæ, magnitudinis, crassitiei, ætatis, ex ipsius opinione esse debeat virga; quo tempore & quibus circumstantiis resecta, & an in ejus tractatione fraus intervenire soleat, ut indicaret, rogaveram. Ad quæ respondet hunc in modum: Rem sanè difficilem exigit à me Reverentia Vestra, non quòd in virtute coryli propalanda laborem, sed quòd innumeros, eosq; eruditissimos hac in re plurimùm mihi adversari sciam. Sunt enim, qui virgam metallicam ex turbati cerebri imaginatione rotari affirmant: sunt, qui præcipiti quodam judicio ducti imposturâ non carere proclamant: quin imò fuerunt, qui implicitum cum Cacodæmone pactum subesse credentes, me ad protestationem præmittendam coegerunt, coryli extremitatibus ceram benedictam affixerunt, atque in ipso etiam motu exorcismos adhibuerunt. Quæ me ratio movet, ut nullam deinceps experientiam sumere, neque quæ usu didicissem, apud alios evulgare decreverim. Cùm autem germanus R. V. candor meliora sperare me jubeat, sequentia tanquam certa atq; à me sæpius pertractata, duxi perscribenda.*

Ac inprimis quidem determinatam magnitudinem crassitiemq; non requiro: explodo superstitiosas in ea abscindenda circumstantias: tempus insuper anni, vel diei horam observandam esse, penitus inficior. Hoc tamen

men expertus scribo, majorem corylo vim circa plenilunium esse negari non debere. Caterùm virga illa bifurcata est, censeturq́ melior, si ex ipso terræ fundo ea, qua dixi, figura enascatur, unde etiam apud metallarios eine Grund-Ruhten *appellatur. Indicat hæc non solùm omnis generis metalla, & mineralia, sed, ut aliqui sentiunt (quod tamen probare non licuit) reconditas fontium scaturigines.*

Ut autem, quid sub terra, aut in parietibus, aliisq́ locis lateat, cognosci possit, aliud metallum ejusdem speciei circa extremitates coryli applicatum sine difficultate prodet, v. g. thesaurum in area domus defossam virga motu suo innueret, cuperetq́ curiosus rerum indagator tum quantitatem, tum qualitatem explorare; quid faciendum hic mihi foret? certè nihil aliud, quàm ut ad virgam corylaceam, in quacunq́ manu libuerit (eam enim ambabus manibus teneri necesse est) aurum vel aliud metallum apponam, atq́ ita loco appropinquem. Si enim ferrum ibidem lateat, & ego cuprum manu, qua corylum teneo, gestem; virga sponte quiescet: ast verò si metallum ejusdem speciei cum illo, quod defossum est, dexterâ aut sinistrâ gestem, violento statim impetu in locum istum deflectet. Eodem planè artificio quantitatem pecuniæ in marsupio contentæ certò enuntiabo. Nam ubi quantitas auri vel argenti manibus apprehensa qualitatem alterius pecuniæ excedit, nunquam Virga movetur: quando autem pecunia in crumena præstat, mox ad majorem partem inclinat. Secreta sunt hæc, quæq́ non facilè à quovis pandi solent, sed tamen adeò certa, ut, si captatas hac super re experientias recensere vellem, aliquot folia complerem. Notandum insuper est, à corylo corylum attrahi, quippe si duas virgas corylaceas à se aliquantulum sejunctas quis eo, quo debet, modo manibus prehendat, ad se invicem moveri videbit. Venio nunc ad ejus ætatem, fateorq́, me ad id unum præ cæteris invigilasse, ut virgam unius anni compararem. Quare omnes, qui captandæ experientiæ studio tenentur, moneo, diligenter ad coryli genicula (quorum subinde plura invenient) attendant. Si enim tantummodò unum notarint, credant, citra controversiam duorum annorum eam esse, neq́ suo usui inservire posse, &c. Quamvis non diffitear, hanc virgam fallere subinde. Sed quam causam rei illius assignabo? quid si thesauros à Dæmone aliò transferri, non sine fundamento affirmem? quid si coryli sympathiam nobis non omnimodè perspectam esse dicam? Juvabitur hic fortè melius R. V.

ex

ex aliorum doctissimorum Virorum literis, quàm ex mea, quæ nulla est, responsione. Facilius rationem, cur scilicet in hujus potius quàm illius manibus successum habebat, in præsentiarum sim redditurus. Nam ad certum sanguinis manuumq; temperamentum referre quid vetat? itane stare poterit objectio, quæ dato hoc responso non corruet. Hæc ille. Clementioribus manibus etiam Philosophus naturalis Sagacissimus Dn. D. Libavius *in Append. Syntagmat. Arcan. pag. 260.* virgulam hanc tractat, cujus judicium placet subjungere: *Omni vitio, ait, rem carere, ex usu ostendimus. Cædatur virga bifurcata horna, i. e. unius anni ex corylo vel quercu, cujus cornua sint æqualia & sine vitio. Quidam tamen eandem putant ante Solis exortum, maximè crescente Luna, & quidem potissimum circa diem Annunciationis Mariæ cædendam: sed nos nihil horum observavimus. Hoc facto sumantur duæ furculæ in utramq; obversam manum, cœlum versus digitis compressis, utrinq; videlicet extremitatibus flagellorum furcæ ad utrumque compressum pollicem extra manum prominentibus: Ipse autem furcæ caudex extrinsecus intra duas manus vergat. Quod si quis argenteos globulos thoraci præfixos gestet, etiamsi omni nixu comprimat virgam utraq; manu, tamen gyrum movendo per se faciet, & versus thoracem sese introrsum usq; ad globos cæsa illa caudicis pars vertet: sin verò omni metallo exutus argentum, aut aurum ponas in terram, tunc etiam renitente & invito te, qui virgam tenes, pars caudicis cæsa extrorsum verget, donec validissimo indicio & motu metallum percutiat. Quæ sit hujus rei ratio, physicos latet: adeò miranda est naturæ sympathia: tamen & ipse verum esse reipsa expertus sum, & in aliis identidem vidi. Quod si non cuivis movetur in manu, sanè in Dei potentia & hoc reservari quis non videt?* Hactenus Libavius. Vir tam pius & à superstitione omni alienus, quàm doctus, cujus eruditio orbi, pietas cum eruditione urbi huic, cum in ea Illustris Gymnasii fuerit primus Director, innotuit, quam & mihi Parens meus Charissimus M. Andreas Frommann / qui illius auditor, & postea Gymnasii ejusdem ab Anno 1616. Professor, ab Anno 33. verò ad annum 1666. Director fuit, non semel commendavit.

§. 10. *Fraxini* lignum (das Wundholtz) eadem, quæ corylus, experitur fata. Sunt, qui lignum die Joh. Baptistæ cæsum vulneribus ac contusionibus solo affricatu mederi credunt. Cædunt autem id alii ante Solis ortum, alii ipso meridiano temporis puncto, Schröderus *Pharmac. Medico*

dico Chymic. lib. 4. Claſſ. 1. cap. 148. Naſſerus *Theſaur. Sanit. pag. 486.* inſuper hoc requirit, ne lignum cæſurus pridie vel nocte præcedente rem cum fœmina habuerit. Borellus *Cent. 3. Obſ. 78.* refert, Medicum quendam ex fraxino uno ictu baculum, cùm Sol & Luna conjungebantur in ariete, ſecuiſſe, & cera Hiſpanica utrinque, ne vires ac ſpiritus amitterentur, ſigillaſſe, cujus admotione omnes iſte ſedarit hœmorrhagias. Sunt, qui Acer pro ligno vulnerario habent. Et eſt, qui arborem dictam hoc in oppido alit, quam impetrata à poſſeſſore licentia, quidam certo die & hora conſcendit, truncosque amputavit. Sed reverſus, nunquam ſe idem, promiſſo etiam multorum milliũ thalerorum munere facturum faſſus eſt, ideò quod in arbore perculſus fuiſſet angore maximo, & permultos circa arborem viros inferiùs vidiſſet atros. Chirurgi vulnera ligno fraxini attacta vel non, vel difficillimè ſanari per experientiam conſtare produnt. Inde lignum iſtud laudatur ab his, culpatur ab illis, & magicum eſſe remedium, multi credunt.

§. 11. Sed vereor, ne & hujus arboris innocentia propter abuſum, quo Dæmon optima quæque conſpurcare geſtit, vim patiatur. Magni in Medicina eſt viſcum quernum uſus, nec tamen propter abuſum viſcum ipſum eſt damnandum. Non nemo quercum die Paraſceves manè conſcenſurus ſocium ſibi jungit, & ſilentio viſcum decerpit. Tanto verò ex corvorum velut cum quodam impetu arborem circumvolitantium & obſtrepentium copia terrore uterque corripitur, ut facti eos maximè pœnituerit, idemque ſe nunquam patraturos edixerint. Simili ſuperſtitionum cœno fraxinum quandoque dehoneſtari, non abnuo, dehoneſtamentum tamen hoc non eſt arbori proprium, ſed alienum, quod Magi doloſa Dæmonis opera inferre ſatagunt. Nec curationis vulnerum difficultas à contactu, ſed à verbis incantatoriis, quæ ſolent à quibusdam admurmurari, vel à ritibus magicis, quæ Dæmonem primum habent autorem, oritur. Verba autem incantatoria æquè, ut benedictiones aniles (ut ſuprà *libr. 1. Part. 2. Sect. 3. cap. 6.* diximus) item ritus magici remoram naturalium remediorum poteſtati injiciunt. Abſint, dum lignum iſtud frangitur, vanitates & ſuperſtitioſi ritus omnes, nulliusque niſi ſiderum habeatur ratio, atque ita integer vitæ ſcelerisque magici purus effectum expectes æger, ſic & corpori & animæ, ſeu conſcientiæ tuæ optimè erit conſultum. Si autem dubia nihilominus fuerit circa

 uſum

usum conscientia, ut arma alia ex Medicinæ seu Chirurgiæ armamentario, ubi plura habentur hosti tuo repellendo apta, petas, consulo. Juvat hîc iterum audire Willenium, qui *loc. cit. Quæst. 6.* hæc de arbore ista prodit: Der bekandte Baum Esche (Fraxinus) der hat in sich eine sonderliche natürliche Krafft / und ist so heilsam / daß / wenn man eine gehauene / oder geschnittene Wunden (wenn sie nicht beinschrötigt ist) darmit streichet / ohne weitere Medicamenta solche heilet. Deßgleichen die innerste subtilere weisse Schale zeucht die Wunden zusammen / daß nur ein Ritzlein / wie ein Zwirn-Faden / bleibet. Ob nun gleich dieses natürlich ist / so ist doch ein Abusus und Mißbrauch dazu geschlagen. Denn die so genandte Quacksalber geben vor / es müsse zu gewissen Zeiten / Tagen und Stunden geschnitten werden / da sie doch nicht wissen / welchen Planeten dieser Baum zugeschrieben / vielweniger dessen Exaltation und Balsamische Art / wenn er am kräfftigsten ist. Dennoch aber machen sie denen Leuten einen solchen blauen Dunst vor die Augen / vorgebende / auf die und die Zeit / so und so muß das Wundholtz geschnitten werden / betriegen den einfältigen Mann / und verkehren dieses Natur-Werck in ein superstitiosisch und aberglaubisches Werck. Imaginationem tamen & persuasionem effectu quandoque majorem esse, ego mihi persuadeo, & nullus dubito, naturæ solius beneficio vulnera (ut non rarò fieri solet) nonnunquam sanari: sanationis autem gloriam ligno adscribi.

§. 12. *Chamaleontis* pedem sinistrum ait ex Democrito *lib. 28. c. 8.* ferro & igni calefacto torreri cum herba, quæ appellatur eodem nomine chamæleon, & utrumque macerari unguento, colligique in modum pastilli, atque in vas mitti ligneum: & eum, qui id vas feret, etiamsi is in medio palam versetur, à nullo videri posse. Verùm Gellius *lib. 10. Noct. Attic. cap. 12. pag. mihi 379.* his portentis atque præstigiis à Plinio scriptis non dignum esse cognomine Democriti putat. *Multa videntur*, ait, *ab hominibus malè solertibus hujuscemodi commenta in Democriti nomen data, nobilitatis, autoritatisq; ejus perfugio utentibus.* Interea tamen negari nequit, improbos hac arte, se certis mediis, licèt ad istam rem satis ineptis, ex conspectu aliorum abducendi sæpè uti. Balduinus *lib. 3. Cas. Conscient. cap. 5. cas. 4.* Sic & Heliotropius lapis ex Alberto, ut mendacibus Diaboli nundinis accedat authoritatis pondus, visum perstringere, & gestantem invisibilem reddere dicitur.

§. 13. *Lapides* in acervum magicè comportare, aut eos erigere, crimen

crimen fuit Arabibus peculiare, *σκοπελισμὸς Scopelismus*, *σκοπελίζω*, *lapides pono*, dictum. Ponebant autem nefarii homines lapides in prædio inimici sui, indicio futuros, si quis eum agrum coluisset, insidiis eorum, qui scopulos illos posuissent, mala morte periturum esse: inde factum, ut Domini metu crudelitatis ad agrum illum non accederent. Talem Scopelismum circa tempora Caroli M. in Hispania adhuc conspicuum, Arabs ille omnium nequissimus atque Magus insignis Mahomet, vid. Speidel. *in Not. Jur. Hist. Pol. in verbo Mahometh.* Lampad. *Mellif. Histor. p. 3. cap. 3.* Micræl. *Synt. Histor. l. 3. p. 9. q. 3.* posuisse, atque in eo Dæmoniacam Legionem sua arte magica sigillasse fertur, tanto robore, ut statua illa à nullo frangi posset; cæterum Christianis absque periculo ad illam accedere haud licuisse, si etiam avis super illam sedit, illico mortuam cecidisse. Turpin. *de Reb. G. Caroli M. cap. 4.* Cam. *Med. Hist. 3. 14.* ut hæc omnia D. Thebesius *in Disput. sua Inaugur. de Scopelismo Argentorati 1660, habita §. 13.* enarravit. Voetio *libr. 3. Disp. Select. pag. 597* nihil huic Arabum maleficio magicum aut superstitiosum subesse videtur: quod comminatio & intentatio mortis tantùm lapidibus illic positis, tanquam arbitrario signo, significata fuerit; fortè etiam certum genus intentati homicidii, lapidatio scilicet. Instantibus autem, per lapidum positionem, tanquam signum & ritum magicum, voluisse autores ejus maleficium magicum minari, & per illud mortem aut malefici ac chronici morbi excarnificationem inducere: respondet, non hîc, quia de eo in antiquitatibus nihil proditum reperitur, certi quid affirmari posse. Nos cum Delrio *lib. 3. pag. m. 44.* & Jordano *cap. 44.* maleficii magici crimen subfuisse statuimus; alioquin solæ mortis minæ tam atrociter non fuissent punitæ, nec pœnam capitis dictasset ille Jurisconsultorum facilè Princeps Ulpianus *l. quadam D. extraord. crimin.* Strues illa lapidum tremenda per se non fuit nociva: nocuit autem ex pacto, ut scopelismi alii aliis. Dantur enim, ampliato vocis usu, scopelismi etiam lignei, ænei, plumbei, hominibus quidem utiles & boni, sed in se mali, quorum effectus non ex naturali, sed supernaturali principio, eoque malo, manat. Ita plumbeum aliquem Crocodilis Ægyptios posuisse refert Bodinus *de Dæmon. lib. 1. cap. 3.* quo combusto incolas gravissimè Crocodili insectati. Talem fabricarunt Constantinopolitani serpentibus, ut & alium pesti; quorum illum occupata urbe, cum Mech-

meces Imper. Pusdigano læderet, continuò in urbe visi sunt serpentes; hunc autem cùm planè destrueret, hodie singulis annis pessima grassatur pestis. Leoncl. *Pand. Turc. num. 130.* Ita Lutetiæ Parisiorum, cùm aliquando cuniculi pontis mundarentur, serpentem, gliremque æneum invenerunt, quibus sublatis & glires extra numerum, & serpentes apparuisse scribit Greg. Turonens *Hist. Franc. lib. 8. c. 33.* Cam. *Med. Hist. 2. 11* citante D. Thebesio *loc. cit. §. 14.*

CAPUT V.

Verba & voces magicis operationibus inserviunt. Vox à natura, articulatio ab arte est. Lingua nulla naturalis est. Cur variæ formulæ adducantur. Psalmo 109. tanquam magico incantamento quidam malè utuntur: in eo finis Spiritus S. ostenditur. Imprecatio ista Prophetæ non est in exemplum trahenda. Anathema Adelberti: judicium de eo. Exempla verborum scriptorum magicè usurpatorum. Ad somnia vera impetranda Cardanus libros cervicali subdere, absurdè commendat.

§. 1. DE vocibus & verbis verba jam faciemus. Ista quatenus aerem verberant, sonusque articulationem suscipere aptus natus est, inter naturalia veniunt. Articulatio autem pro idiomate certô specifica à natura non inest, sed arte & industria humana acquiritur. Facultas quidem loquendi homini naturalis est, sed indeterminata ad hanc vel illam linguam. Nam ut Dn. Pfeiferus *Introduct. in Orient. Disq. 1. Quæst. 4.* disserit, si Ebraica, vel ulla alia homini naturalis esset, omnes homines bilingues forent, gnari naturalis suæ & acquisitæ linguæ, vel saltem omnes homines majorem ad Ebraicam, quàm ad ullam aliam linguam haberent inclinationem. 2. experimur à nativitate surdos, & mutos esse, utut salvis loquendi organis, tantum quia nullos audiunt loquentes. Si ergò ut homo hac vel illa loquatur lingua, id humanæ arti & industriæ tribuendum, ut Camerarius *Cent. 3. cap. 71.* quoque loquitur: ex hoc jam satis colligitur, nullam esse verbis connatam potestatem, neque ullam iisdem inter pronunciandum vel scribendum imprimi posse, *lib. 1. Part. 2. Sect. 2.* abundè dedimus evictum, ut miremur, quosdam radiante veritatis luce nihilominus cæcutire, variorumque

que effectuum producendorum gratia verbis nudis uti, nullam agentis veri in re canscientiam attinente curam habentes, & hoc saltem contumaciam suam excusantes: Ist doch nichts Böses: gleichwol hilffts / cujus tamen vanitatem in superioribus remonstravimus, & quod in verborum effectibus (exceptis paucis quibusdam, in quibus Phantasiæ aliquis locus conceditur) præsens sit, deteximus.

§. 2. Formulas in superioribus multas passim dedimus, plures in hoc capite dabimus, morem Sacerdotum imitaturi, qui non tantum crassa peccata, sed & subtiles peccandi modos enumerant & reprehendunt apud eos, qui etiam subtilium peccatorum gravitatem vel non advertunt, vel advertere nolunt. Dæmonem ipsum adorare, ejusque mandata exequi, crassa est Magia, sed eundem etiam per superstitiosa & absurda, adeoque etiam per verba sua natura inefficacia, quia primus eorum autor est, quæ vel ipse immediatè, vel mediatè per suos candidatos, homines ad superstitionem pronos docuit, coli, quæ Magia est subtilis, pauci percipiunt, de effectu & utilitate magis, quàm de causa & honestate soliciti.

§. 3. Itaque non in genere tantum superstitio, & verbalis actio in effectum certum, absque Dei mandato & naturæ fundamento imperitè directa rejicienda est, sed & in particulari denominandæ sunt formulæ, & dicendum: Hæc formula magica est, ac damnanda: & ista formula magica est, ac damnanda: & illa formula magica est, ac damnanda: si non omnis ob pactum explicitum, tamen implicitum. Sunt enim, qui, licèt verborum inefficaciam agnoscant & fateantur, nihilominus tamen quibusdam verbalibus actionibus, nescio quo fascino capti, renunciare non audent. Sed fascinum, credo, tum verborum simplicitas, & quorundam ad speciem bonitas, tum effectus utilitas parit, v. g. recitatione Psalmi 91. quidam in prælia ituri se immunes ab armorum & globulorum injuria reddere præsumunt, cujus exempla recitat D. Danhauerus in Englischen Christen-Schutz / & ex eo Freudius *Quæst. 133. n. 41.* Dicendum jam est, hoc remedium esse superstitiosum. Superstitionis autem autor Diabolus est, cui gratificantur, qui superstitiosis ab eo inventis utuntur, iidemque magia indirecta implicantur. Superstitiosum id esse his Dn. D. Danhauerus in Scheid- und Absags-Brieff *pag. 264.* confirmat: Die Psalmen Davids sind uns für-

gelegt / daß wir ihnen sollen nachbeten / aber den blossen Worten keine sonderliche Krafft zumessen. Wann einer / zum Exempel (wie daß dergleichen in einer Schlacht geschehen / ich von einem fürnehmen Fürsten deß Reichs einsmals gehöret) den 91. Psalm bete / ehe und wann er für den Feind ziehen solte / und sich bereden / in Krafft der ausgesprochenen Wort ex opere operato, werde er sicher sein für Hauen und Stechen / das wär GOtt versucht / ja dem Allerhöchsten seinen Brieff verfälscht und verkehrt. Ist ein Aberglaub; denn die Characteres und Wort-Segen weder in der Natur / noch durch Göttliche wunderthätige Erhöhung dergleichen Krafft haben. Ita & aliæ formulæ superstitiosæ enumerandæ & rejiciendæ sunt.

§. 4. Varias formulas tradit Delrio *lib. 3. Part. 2. Q. 4. S. 8.* quas præterimus, & jam istas, quas ad manus nostras amicæ manus superstitionibus & magicis rebus infensissimæ, dum præsentem materiam tractavimus, transmiserunt, nostræ ætatis hominibus, vel perversis, vel simplicibus ac latens Magiæ crimen ignorantibus usitatas proponemus *ut de iis possint Lectores* (mutuabor in re eadem verba Delrii, quæ ibi de suis facit) *quando de facto inciderint, judicare, nec adscribam integras, ne curiosi & impii queant abuti, sed adscribam initium ac finem omissis mediis ac circumstantiis, quas auctores earum requirunt.* Et interest multum hæc *nequitiæ spiritalia nosse*, ut Tertullianus loquitur, *non quidem socia conscientia, sed inimica scientia: nec invitatoria operatione, sed expugnatoria dominatione.*

§. 5. Magicæ ergò, impiæ, detestandæ & execrandæ sunt sequentes cum suis ritibus & ceremoniis formulæ omnes tum dictæ, tum scriptæ, v. g. cùm pro felicissima sclopetorum explosione nocte festum Paschatos antecedente globulos plumbeos formant, & ad singulos inter fundendum dicunt: Kugel ich &c. Da JEsus auf den Morgen vom Tod ist erwacht. Daß du fahrest durch die Wolcken / Blut und Fleisch / so wol als Maria &c. cum bombardam certis ritibus cum impositione nominis cujusdam baptizant, in nomine &c. baptizatam deinde certa lege humero imponunt. Bombardam jamjam ad explodendum paratam, si modò in conspectum venit, fascinant malitiosi his verbis: Ago, rago, mago &c. &c. Animal in medio gregis certissime se globulis petere quidam gloriantur balistarii periti (Treff-Schützen) si, dum januam, seu domus, seu hypocausti transeunt, in ipsa janua, palma dextra superliminare

liminare tangant, datoque parti palmæ ejusdem superiori osculo crucem pollice dextro ante se forment: inter progrediendum verò ter recitent Ave Maria &c. visoque animali dicant: Ich beschwere dich ꝛc. der dich erschaffen ꝛc. und stehest zu schiessen: & dicat: Turiam, Omisina, Jax &c.

§. 6. Venatoribus irritum laborem fascinando creant (einem einen Weidmann machen vocant) per hæc verba sub certo numero & ritibus quibusdam prolata: Lauff Haas/ lauff Häsin/ lauff Alp/ lauff Alpin/ alle ꝛc. Das zehl ich dir N. zur Buß ꝛc. Modum fascinum idem tollendi per verba planè Diabolicum, ne verbo quidem tangam. Tollunt & hisce: Ich und die Jäger / die Garn und die Hund sind bezaubert ꝛc. lös ich sie auf mit den heiligen fünff Wunden / es hab gethan Frau oder Mann/ so sey ꝛc. im Namen ꝛc. Sed fascinum venatores fascinati, vindictæ cupiditate flagrantes vindicaturi hoc itidem fascinô utuntur. Ligulam, quâ rete affigitur, extrahunt in nomine &c. eamque in arborem projicientes ajunt: Daß dich N. der Frörer schüttele / weil der Stab auf den Baum liegt/ und der Wind ꝛc. Ad eludendum omnem omnium armorum impetum ipsis Calendis Januarii benedictionem hanc vulnerariam proferunt: Ich N. beschwere heut / und das gantze Jahr alle Büchsen ꝛc. bey dem heiligen JEsu Christi Blut ꝛc. also müssen heut und das gantze Jahr von mir N. alle Büchsen/ Pfeil und Waffen seyn verbunden mit ꝛc. daß sie mich nicht mögen schiessen/ hauen/ stechen ꝛc. und wenn es kommt aus meiner Hand / so sey ꝛc. das sey mir zur Buß ꝛc.

§. 6. Leporem, ut consistat, his verbis fascinant: Haas stehe still ꝛc. um dreyer Wort willen/ die Christus der HErr sprach ꝛc. daß du weder weichest noch wanckest / bis du erst geschossen ꝛc. das zehl ꝛc. Item suppressæ calcei parti posteriori insistentes &c. dicunt: Haas sitz hoch ꝛc. Quidam à canum latratu immunis ne quidem molossos metuit, sed in fugam eos vertit. Interrogatus de causa respondit, se, quando canem accedat, clam secum hæc pronunciare: Hund leg dein Maul auf die Erden / GOtt hat mich erschaffen/ und dich lassen werden/ das ꝛc. *Quidam* (ut lepidam historiam, quam habet Wierus *lib. 4. cap. 21.* adspergam) *videns vulpem gallina præpingui oneratam verso mox non ad modum prægrandi lapide in via obvio, verbisq; aliquot admurmuratis vulpem firmat, quæ deposito onere substitit. Ille accurrit, fugienteq; vulpe prædam aufert. Rusticus cui erepta*

repta erat gallina, ab hoc eam repetit: hic reddere recusat. Vocatur inde in jus, & ablatæ gallinæ accusatur; qui id quidem non inficiatur, sed se eam optimo sortitum esse jure, quippe è vulpis faucibus ereptam. Tandem ventilata aliquandiu causa sententiam pronunciat judex, ut gallinam simul coquerent, eáq; unanimes cum aliquot bonis amicis fruerentur. Lupos & vulpes, postquam acclamarunt: Ecce agnus Dei &c. globulo die Parasceves fuso &c. trajiciunt. Ad fascinum puerorum curandum hæc pronunciant: Ein falsch Aug dich ansah/ eine falsche Zunge dich besprach/ es sey Frau oder Mann ꝛc. das sey dir zur Buß ꝛc. Ad amorem conciliandum die S. Johannis Baptistæ radicem urticæ cum pronunciatione trina Ave Maria &c. effossam in altari sub linteo reponunt, &c. qua personas tangunt. Ignem ut fascinent, formatâ ter ad ignem & seipsos fascinantes crucis figurâ dicunt: Du Feur solt still-stahn / und solt auch nicht für bas gahn/ du solt bey dir behalten die Funcken und Flam̃en/ als unser liebe Frau ꝛc. das gebeut dir der Mann der den Tod ꝛc. das zehl ich dir zur Buß ꝛc. Alii ita: Feur du bist ein werthe Flamm/ dir gebeut JEsus ꝛc. behalt deine Flammen/ als Maria behielt ihre Keuschheit vor allen Mannen ꝛc. das zehl ꝛc. Thesauros sub hâc benedictionis formulâ quærunt: In nomine &c. Ich gebeut dir Erdreich bey der Krafft und Macht Gottes ꝛc. zu suchen verborgene Schätze unter der Erden/ sie seyn gestohlen oder genommen / oder wie sie in GOttes Gewalt seyn kommen ꝛc. bey den vier Ertz-Engeln ꝛc. bey den drey Patriarchen ꝛc. bey den sieben Worten unsers HErrn JEsu Christi ꝛc. Daß du Erdreich anfängest/ und läst in dir suchen die verborgene Schätze ꝛc. *Ad putridam oris fauciumq; constitutionem Saga quædam hoc filiam suam docuit remedium, ut scilicet manu sua ter in nomine S. Trinitatis internum lupi os contingat, & postmodum vocata eandem ter pariter in os infantis immittat, & dicat: In nomine Patris &c. Adjuvet te nomen Jesus!* M. Bernh. Albrecht *de Magia pag. 184.* Contactui non est attribuenda curandi virtus, siquidem qualitas, si ulla ab ore lupi per contactum fugitivum manui imprimitur, variis lotionibus & crebro attactu extinguitur, & permanens (licet nostrates quoque ita credant) fieri nequit. Itaque propter abusum divini nominis Satanas tacitè oris sanitatem operatur. Ægrotos equos curant nonnulli verbis in eorum aures insusurratis, hinc digitos versus terram excutiunt (schlenckern die Finger gegen die Erden zu) crucisque forma ter pede in terra formata dicunt: In nomine Patris &c. Hæc

& similia

& similia omnia superstitiosa esse & magica patet, si ad lydium veritatis lapidem, quem in hoc tractatu dedimus, revocantur. *Ipse Dæmon* (ait Scaliger *Exerc. 359.*) *agit, quod stultus magus suis verbis & mediis se agere putat.* Anile commentum & hoc est; Aniculæ ægrum lecto affixum visitantes exploraturæ, an ille sit futurus superstes, antequam aliquid sonora voce pronunciant, hæc tacitè intra se mox loquuntur: Armes Mensch — — deine Füß — deinem Ende / so reich ꝛc. Aliæ ita: Sünder wilt du — so reiche — — wilt du ins Vatterland — deine Hand ꝛc. Si ægrotus pedes extendit & porrigit, ex hoc signum reconvalescentiæ legunt: Si verò brachium porrigit, mortis id esse indicium ajunt, & experientiam crepant. Ego in hujus & superstitiosorum omnium, quæ semper horrui, veritatem inquirere nunquam volui. Si autem eventus verbis sic recitatis respondet, fortuitò id evenire; at si contrarium obtingit, mox oblivioni experimentum falsum tradi statuo. Adhæc corde in morbo lethali anxietatibus perculso facilis est brachiorum agitatio, motuque crurum frequentior: inde accedens ad infantem lethaliter decumbentem vetula citiùs istorum, quàm horum motum observat. Quid? quòd fieri nequeat, quin crura aliquando idem æger moveat: at si plures visitandi gratiâ accesserint, & singulæ aniculæ eadem verba intra se mussitarint, ab una vel altera motus crurum observabitur: annon ergo hujus observatio priorem eludet, & indicii incertitudinem prodet?

§. 8. Superstitiosi sunt & hi, qui, ne dolores sentiant, hos versus pronunciant:

> *Imparibus meritis tria pendent corpora ramis,*
> *Dismas & Gestas &c.*
> *Dismas damnatur, Gestas sed ad astra levatur &c.*

Item ex Psalm: *Eructavit cor meum verbum bonum, veritatem &c.* Item: *Jesus autem transiens per medium illorum &c.* Alii hac prece se muniunt: Quemadmodum lac beatæ gloriosæ Mariæ Virginis fuit dulce & suave Domino nostro Jesu Christo; ita & hæc tortura sive chorda, sit dulcis & suavis brachii &c. Wierus *lib. 5. cap. 12.* & Godelmannus *libr. 3. cap. 10.* qui non malè notat Paulum Grillandum *in Tract. de Quæstion. Q. 4. n. 14.* superstitiose scribere inter reliqua remedia ad eruendam è Sagis veritatem pronuncianda esse verba Prophetæ:

Unum *Domi-*

Dominus labia mea aperiet & os meum annunciabit &c. Item: *Eructavit cor meum verbum bonum. Dicam ego cuncta opera mea Regi, confundatur nequitia peccatoris &c.*

§. 9. Magicis superstitionibus annumeranda quoque est versus certi è Psalmis, cum cubitum itur, recitatio, quatenus, ut, qua voles, horâ expergiscaris, usurpatur. *Spectabat quidem versus, ut David ad orandum & prædicandum Dei laudes excitaretur, veruntamen non apponam eum, quia iniquè fit, cum verbis virtus tribuitur: ut nihil amplius sit, quàm quod verbis habetur fides, hoc tamen satis est, ut homines provehantur longiùs & ab his principiis in res superstitiosas & impias ferantur præcipites*, ita Bodinus *lib. 2. Dæmonol. cap. 1.* Nemo jam rusticus nescit, certo quopiam versu (quem nolo indicare) è Psalmis pronunciato, quando lac premitur, non cogi butyrum. *Fui Chellis Valesiorum agro, quum parvulus à pedibus puer ancillæ impedimento essec, ne butyrum cogeret: ea autem interminante flagrum à Domino, si carmen non eximeret, fecit eodem versu præposterè enunciato, ac velut retexto, ut butyrum, in quo totus fere dies consumptus, cogeretur.* Hæc Majolus *loc. cit. Colloq. 3. pag. 224.* Adeò Dæmon hominibus verbis sacris ad maleficia abutentibus præsens est, ut verus eorum usus abusu tandem profanetur & obscuretur. Verba nimirum sacra quoque cum abusu usurpata tesseræ sunt Cacodæmonis, quas agnoscit, *statimq; quasi convocatus præstò est, si vel ignari rerum eas tractent, miscetq; sese ipsorummet actionibus, dumq; ita sua fraude se hominibus familiarem reddit eosdemq; consuetudine audaciores efficit, revera eos arctiori fædere sibi obstringit*, uti verissimè Deusingius *Dissert. Select. 1. §. 58.* loquitur.

§. 10. Sic Psalmo 109. tanquam magico incantamento quidam utuntur, certâ persuasione ducti, contra quemcunque ardua hæc & dura pronunciassent solùm verba, illum protinus vel interiturum, vel ut longissimè annum supervivere non posse, notante Wiero *lib. 5. cap. 6.* Dn. D. Geierus *Comment. in istum Psalm. pag. 661.* non tantum è Delrio refert, maleferiatos isto abuti ad deprehendendum furem, sed & è Calvino *ad vers. 6.* detestabile Monachorum, præcipuè Franciscanorum sacrilegium notat, quo conduci se patiuntur ad recitandum hunce Psalmum quotidiè pro his, qui hostem suum capitalem volunt perditum. *Imò in regno Galliæ*, addit Calvinus, *scio primariam quandam fæminam*

minam conductitios ex Franciscanis habuisse, qui unigenito filio hac forma imprecarentur. Ast magici instrumenti loco Psalmus sic & eum in finem recitatus est. Qui enim verbis sacris in finem alium, ad quem Spiritus S. non intendit, utuntur, iisdemque virtutem aliam in promissione Dei non fundatam tribuunt, & non ad hominis salutem, sed noxam abutuntur, Magiæ saltem indirectæ notam non effugiunt, eòque magis incurrunt, quò firmius propter recitationem mala eventura credunt. Finis Spiritus S. est ostendere in prima & secunda Psalmi istius parte, adversitatum, quibus Davidem Doeg Idumæus, & consimiles alii Saulis assentatores in ejus perniciem & necem conspirantes afflixerunt, gravitatem, & conceptæ inde à Davide indignationis per vehementissimam imprecationem significatæ æquitatem. Siquidem *non est iniquum, imprecari illis maledictione, qua velut amiciantur, & foris pariter & intus occupentur, qui benedictionem sic aversantur, ut maledictionem mordicus complecti videantur*, ait Wolf. Musculus *Comm. in hunc Ps. p. 909. Quod autem ipse Propheta* (sunt ejusdem Musculi verba ibidem pag. 906.) *ista inimico suo imprecatur, non est cuivis usurpandum pio & Christiano, & in exemplum trahendum. Sunt hujusmodi Sanctorum imprecationes peculiari cuidam Spiritus S. raptui & impulsui tribuenda, qui non est communis omnium. Id verò communiter præscriptum est omnibus, quod Christus Matth. 5. præcipit, ut diligamus inimicos nostros, benefaciamus iis, qui nobis malefaciunt, de maledicentibus nobis bene loquamur, & pro persequentibus nos oremus.* Itaque non ad imitationem, sed ad consolationem afflicti Psalmum istum legant, & si adversarium vel hominem, vel spiritum malignum patiantur, qui omnibus suis conatibus indesinenter resistat, similibus calamitatibus etiam viros sanctos, & inter hos Davidem fuisse obrutos, cogitent, & cum eodem orent, ut Deus secum facere, seque eripere velit. Cùm ergò non ad imitationem imprecatoria Psalmi istius verba sint recitanda, exauditionis veritas insuper ex verbo Dei ostendi nequeat, imò Christi, inimicis benefacere jubentis, mandato imprecationum fulmina sint adversa, non erit ob id virtus supernaturalis per verba desuper expectanda. Si jam supernaturalis, eaque divina abest (diabolicam ut expectes, eò vesaniæ te venire non existimo) virtutem tamen in iisdem nihilominus quæris, eam naturalem esse debere, non potes non demum fateri.

teri. Quæ autem cum, in verbis nulla sit, hoc ipso, non dicam tuam ignorantiam & malitiam, sed superstitionem, quæ primus ad Magiam gradus est, te prodere agnosce.

§. 11. Anathema S. Adalberti, plerisque religiosis in Papatu familiare, magicum quoque incantamentum meritò audit, quatenus, ut res furto ablata restituatur, adhibetur. Descriptionem tradit Wierus *lib. 5. cap. 5.* è quâ, cum prolixa sit, caput saltem, medii partem & finem, adducam. Ita autem habet: *Ex authoritate Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus S. & Sanctæ Mariæ Virginis matris Domini nostri Jesu Christi, & Sanctorum Angelorum & Archangelorum, & Sancti Michaelis, & Sancti Joannis Baptistæ, & ex vice beati Petri Apostoli, & aliorum Apostolorum, & Sancti Stephani, & omnium martyrum, Sancti Sylvestri & Sancti Adalberti & omnium Confessorum, & Sanctæ Alegundis & Sanctarum Virginum, & omnium Sanctorum, qui sunt in cælo & in terra, quibus data est potestas ligandi atque solvendi: excommunicamus, damnamus, maledicimus vinculo anathematis & à liminibus Sanctæ matris Ecclesiæ segregamus illos fures, sacrilegos seu raptores, operarios, consiliarios, coadjutores, coadjutrices, qui hoc furtum sive malum perpetraverunt, sive sibi inde aliquid usurpaverunt: sit pars eorum cum Dathan & Abiram, quas terra propter eorum peccata & superbiam deglutivit: sit etiam pars illorum cum Juda traditore, qui Dominum pretio vendidit, Amen: & cum Pontio Pilato, & cum eis, qui dixerunt Domino Deo, recede à nobis, viarum tuarum scientiam nolumus, fiant filii eorum orphani: sint maledicti in civitate, maledicti in agro, campo &c. Adjuro te Lucifer cum omnibus satellitibus tuis cum Patre, & Filio, & Spiritu S. & cum humanitate & nativitate Christi, & cum virtute omnium Sanctorum, ut nullam habeas requiem, diebus neque noctibus, donec perducas eos ad interitum, sive mergantur in fluminibus, sive suspendantur, vel devorentur à bestiis, sive comburantur, sive interficiantur ab inimicis, & odio habeantur ab omnibus viventibus, &c. Sicut candela de manibus meis ejecta extinguitur, sic opera eorum & anima eorum in fætore barathri extinguentur, nisi reddant, quod furati sunt, intra certum terminum, Amen dicant omnes. Postea cantabitur, Media vita in morte sumus &c.*

§. 12. De hoc anathemate quid sit judicandum Freudius *Quæst.*

221. CX

221. ex Brochmanno & aliis Theologis proponit ita : *In hoc anathemate (1.) fur æterna morti, & damnationi adjudicatur, cum Christianus etiam inimicis bene precari debeat, Matth. 5. 44. quod contra naturam anathematis est, cujus finis est, ut homo carne afflictus salvetur in die adventus Jesu Christi 1. Cor. 5. (2.) junctim invocatur S. Trinitas, Maria, Apostoli &c. quod Idololatria est (3) junctim quoq; adjuratur Lucifer, & Deus & uterq; in vindictam pari jure imploratur, quod est colere Diabolum, & Deum abnegare, Deo simul & Diabolo servire, Communionem Christi & Belial introducere.*

§. 13. Magicum est illud ad pulices decantatum apud Melandrum *Tom. 1. Joco-Ser. è Cordi lib. 7. Epigr.*

Ne te nocturni pulices pecudesq; fatigent.
Hunc exorcismum, candide Lector, habe.
Manstula, Correbo, Budigosma, Tarantula, Calpe,
Thymmata, Dinari, Golba, Caduca, Trepon.
Hos novies lectum scansurus concine versus,
Tresq; meri calices ebibe quaq; vice.

Ut taceam monstrosa hæc nomina monstrorum, sine dubio in orco degentium esse, tres meri calices, seu pocoenia novies epota 27. constituunt, quæ tantam sensibus inducere posse eclipsin largimur, ut sine istis verborum monstris nullam à pulicibus potator sentiat injuriam; sed & hoc damus, ita Dæmonem ludere, illudere, & quærere, ut non ratio tantum per ebrietatem, sed & fides per superstitionem eclipsin patiatur. Et quis omnia, quæ ad fascinationem ore adhibentur, verba verbis, in tanta Magorum & superstitiosorum ubique latentium & Satanæ regnum absurdis quibusque egregiè augentium ubertate enarrabit.

§. 14. Incantatoria verba huc spectant, quibus & Theurgia & Goetia gaudet. *Illa* enim sacratior Magiæ species dicta, bonorum spirituum per sacrosancta nomina & precationes est imploratio : *hæc* quoque carminibus nefariæ curiositatis arte compositis & ritibus vanis utitur. Utraque verbis superstitiosè inhæret, & quia effectum per ea à Deo non promissum expectat, meritò damnanda. Damnavit non hanc tantum, sed & Theurgiam ipsam specioso nomine celebrem Archimagus Cornelius Agrippa, qui disertis verbis testatur, *sæpissimè sub nominibus Dei & Angelorum, malis Dæmonum fallaciis eam obstringi, &*

licet ejus ceremoniarum pars maxima munditiem animi , corporis & rerum externarum utensiliumq; ostentet, immundos tamen spiritus & deceptrices potestates hanc exquirere, ut adorentur pro Diis. Huc quoque imprecationes, execrationes & devotiones spectant. *Joanna à Banno* apud Remigium *lib. 10. cap. 10. videns in rure Bernardum Bloquetium cum bigis prætereuntem, memor pridem acceptarum, & adhuc multarum injuriarum devotione sui præsens ei infortunium peperit. Nam vix adhuc imprecari cœperat, cùm ille è curru, in quo sedebat, præceps tanta vi dejectus est, ut illico exanimatus sit, integro nihilominus toto corpore, nec vel vulnere ullo saucio, vel livore decolorato, vel tumore inæquali, vel deniq; luxato, intorto, aut ullâ sui parte læsa, ut illi interclusam animam interceptosq; omnes uno momento spiritus fuisse à Dæmone credibile sit.*

§. 15. Quis verò scripta verba omnia, characteres, sigilla &c. delineabit? Pauca jam præter ea, quæ supra dedimus, sufficiant, quæ non examinabimus. Examen enim proprio Marte, qui superiora recoluerit, instituere potest quivis. Animalibus à cane rabido demorsis gramen propinant devorandum, cui inscriptum: ✠ Iram ✠ biram &c. Osram &c. Ut quæ placuerint, certissimè globulo exploso quis petat, pollicem suspensi à carnificè datum &c. chartâ, cui suspensi nomen est inscriptum, involvunt, eoque in vase cooperto in pulverem redacto certa lege utuntur. Ne petitum ullum denegetur, sanguine columbino scribunt verba: Sator, Arepo &c. Scriptum rogaturi manu suapremunt &c. Fortunæ favorem in chartâ lusoria ut sibi concilient, chartæ folio verba, Virgo ✠ alo ✠ &c. inscripta secum portant&c. Amorem ut quis provocet, suum & amatæ nomen in ovo gallinæ scribere, & sub &c. fodere &c. magicarum superstitionum amantes quærunt. Petrus Joh. Faber ait *Spagyr. Pallad. cap. 22. pag. 993.* se vidisse asinum, in cujus aure depositus fuerat character magicus, illicò tolutim incessisse animo, asperaque voce rudentem, hinc inde saltibus variis cursuque rapido corpus agitantem, animum mirô risu exhilarasse astantium, veluti esset aliquis de novo factus equus Hispanicus, aut barbaricus, erectis auriculis, collo, elatoque capite, torto, inflexo, caudaque in spinam elata, cursuque acto rapido, fortissimo impetu calces in aerem jactabat ambas; illicoque totum corpus hornorum equorum propemodum nimbis subsultim in aerem sublimabat.

limabat, tanta denique agebat miranda, ut equus etiam nobilissimus & fortissimus asini præstantiæ cessisset: sed sublato ex aure charactere prostratus humi jacuit fere mortuus. Ad dentium dolorem hortulanus quidam sibi sequens profuisse, jam olim Regiomonti mihi retulit. Scribantur nimirum hæ voces:

AGAPETHUS
MATECIUS
ASPERUL &c.

hinc sumatur clavus novus, qui in limine quodam literæ primæ A. inde secundæ G. tertiæ A, & ita porrò infigatur: ad quemcunque autem ictum quæratur æger: Num adhuc dentes tui dolent? &c. antequam ad ultimam literam deveneris, dolor peribit. Ad quam literam dolorem evanuisse adverteris, in ea clavus fortiùs imprimatur &c. Idem furem sic explorari posse, seque in suo famulo expertum esse dixit, si particulæ casei inscribantur hæc: ✠ RAX-PAX ✠ ✠ ✠ AMAX ✠ EXEA &c. caseumque ei, quem furti suspectum habes, comedendum exhibeas, dicendo: si rem hanc abstulisti, comedas hoc in nomine Diaboli &c. si non abstulisti, in nomine Dei comedas &c. Qui insons est, bolum deglutiet, fur autem deglutire nequit. Ad febrem quamcunque sumantur tres amygdalæ: primæ inscribatur HABRA: secundæ FABRA: tertiæ SAHRA. Detur febricitanti prima, & si febris non recedit, secunda &c. Hujus usus febri finem faciet. Tertia verò amygdala comburatur vel in aquam projiciatur. Omnia hæc media magica sunt, & ad orci præsidem, à quo venerunt, ableganda.

§. 15. Benedictiones aniles scriptas fœminæ superstitiosæ pro amuletis contra affectus varios gestant. Ita fœmina quædam in Herreth Anno 1650. (quæ anno 1666. laqueo sibi collum brevi post mariti sui obitum fregit) sequentem à Viro quodam in Schottenstein ad atrocissimos capitis dolores scribi curavit, quam, quia opportunè, dum hæc tractamus, ad manus nostras venit, subjicere non gravabor. Tu vero L. B. ineptias legens ride, sed & mecum ingemisce: Unser HErr JEsus Christus / der gieng aus über Land rc. da begegnet Jhm das Aischlich und das Fraischlich rc. Spricht JEsus Christus der HErr: Aischlich und Fraischlich / wo wolt ihr miteinander hin? Wir wollen gehen in Barbara N. Haus / wollen ihr ziehen alle Glieder aus / wollen ihren gantzen Leib zerreissen / wollen ihr alle Glieder zerbeissen rc. Spricht Christus der HErr: Aischlich und Fraischlich / Jch gebiet euch bey meinen heiligen 5. Wunden / daß ihr nicht gehet in Barbara N. Haus

Haus/ ziehet ihr ihre Glieder aus. Ihr solt ihr ihren Leib nicht zerreissen rc. nicht mehr ankommen/ bis so lang unser liebe Frau einen andern Sohn bekommen rc. Das zehlet man Barbara zur Buß rc.

§. 16. Materia Magicæ superstitionis libri fiunt, quando iis cervicali subditis somnia vera impetrari creditur, ut sentit Cardanus *de Variet. Rer. lib. 15. cap. 87.* & scribit: *Secundus modus est per somnia, animo quidem, ut propositum est, elato ad Deum & minimè sordido, visum autem est sub cervicali librum quempiam ad hoc intentum convenientem ponerem. Elegi autem vitam Patrum, tanquam optimam in hoc negotio, profuitq́ꝫ. Quanquam enim plura fabulosa contineat; certum tamen est, illos viros beatos tanta abstinentia, tantaq́ꝫ animi puritate atq́ꝫ innocentia multa promeruisse ab eo, qui fons est veniæ, sapientiæ, beneficentiæ, atque liberalitatis. Itaq́ꝫ hæc quasi animam confirmant ad securius petendum, & firmius sperandum: nam falsa illa, quæ libro inserta sunt, non vitiant illorum dona, aut virtutes, sed in crimine historiam texentis sunt reponenda: haud enim dubium esse potest, hos homines tam sanctos vidisse quàm plurima & vera, vitamq́ꝫ duxisse, si non omninò tam admirabilem, qualis describitur, saltem tamen asperam, atque arduam ac raram. Post Patrum vitam, si desit, Novum Testamentum supponatur capiti. Sed hoc divinius est, minus negotio accommodatum. Succedunt ergò ex his somnia, clara, nitida, ordinata, læta, etiam in malo genere quæsiti sub diluculo, quæ animam admiratione plenam reddunt, diuq́ꝫ in sui memoria retinent.* Hactenus Cardani verba, tanto viro indigna, qui calamo insolenti divulgare non est veritus, millesimo quoque anno unum tantùm excellentem Medicum fuisse, & se è millenario sexto esse sextum (vid. Thonerum *lib. 1. Obs. Medic. 37.*) An litera mortua per cervicale agit in phantasiam dormientis, eamque speciebus perfundit? an verò ejusdem phantasia per cervicale in librum & ejus contenta influit, atque inde imaginum farraginem concipit? an cervicale promovet hujus aut illius operationem, ut propterea intermediatio ejus requiratur? Certè ista recitare est refutare.

§. 17. Nolumus negligere res istas, quibus pro materia magica Sagas uti Speidelius *loc. cit. Tit. Hexen pag. 599.* ex confessionibus earum notavit, quas ex schedula vel designatione quadam Schmalcaldiæ anno 1627. Germanicè impressa ab ipso collectas nos verbis latinis jam recitabimus,

cabimus, v. g. si domo vel hypocausto scopis purgato quisquiliæ & excrementa post januam relinquuntur, Sagas hominem in paralysin & contracturam præcipitare; Dæmonem verò in iis latere; Lamiasque omnium eorum, quæ in domo aguntur, notitiam habere posse: item si quis salem in orbe reliquum salino immittit, eo hominem aridum & paralyticum posse reddi; eodemque in sambuci fruticem rejecto supervenientem fortunâ hominem illicò excœcari: Scybalis tibiæ demortui inditis, fontique tibiâ deinceps injectâ, quotquot ex eo aquam bibunt, omnes in maciem & marasmum incidere: Ovorum corticibus, si toti, non confracti, patinæ redduntur, homines in perniciem trahi posse: si quis manus manè nō lavat, quæcunque illotis manibus contrectat, eorum Sagas posse fieri participes, iisque potestatem in ea omnia esse concessam: bruta quoque, quæ idem tractat, puta, equos, vaccas, boves, porcos & oves, non capere incrementum, imò ea se posse occidere ajunt; lac, butyrum, caseum & pinguedinem accipere, & vaccas propriis manibus mulgere: aqua, quæ post pedum lotionem per noctem reliqua manet, amasium suum Dæmonem, præsertim nocte Sabbathi se posse lavare: è cineribus in foco scopis collectis, si non pronunciatur; Quod Deus bene vertat! (das walt GOtt) vel ter non inspuitur in nomine Dei Patris &c. se ignem, quoties libet, petere, vel ædes ipsas comburere posse.

§. 18. Sed nugas quivis percipit risu, vel potius dolore excipiendas: nimirum Dæmones cum Dæmonibus incarnatis tantam per observantiarum vanarum neglectum vel exercitium permissionem & potestationem in homines acquirere, vel tantam res ipsas virtutem per certos ritus denuò acquirere: quisquilias puta post fores relictas; salem ex orbe salino redditum, aquam per tibiam defuncti scybalis repletam; cortices ovorum infractos patinæ immissos; manus illotas; aquam post diluvium per noctem superstitem. Miserum Diabolum, qui demum in excrementis hypocausti post fores relictis verè latendi occasionem accipit! At verò verè multipræsens (ut ita loqui liceat) Spiritus nequam est, nobis indusio, ut Lutherus ait, vicinior: imò cor ille ingreditur, *Luc. 22. v. 3.* semen verbi Dei de corde tollit, *Luc. 8. vers. 12.* ibi, ut homines ad observantias vanas, quas per sagas propagat, magis, quàm ad preces, quæ sunt optimum maleficii præservativum, fiant attenti, quærit. Si per enumerata fascinandi potentiam Dæmon, cujus voluntas ad hoc semper prona

est, obtineret, quantus quotidiè foret fascinatorum numerus! Quod cùm non fiat, superstitiosas esse omnes istas observantias patet: & si contingat, per accidens omne fit, & signum saltem est, ad quod à Saga, ex magistri infernalis jussu usurpatum magister ipse, impetrata à Deo permissione concurrit, & si concurrere ei negatur, frustrati effectûs causam impostor exercitatus facilè & speciosè, vel in medium seu instrumentum, vel in Magum ipsum rejicere novit. Adstipulantem habemus Celeberrimum Philosophum Jacob. Martini, qui *lib. 3. Disp. Miscell. 11.* §.4. *Quæ à Magis*, inquit, *eas ad res adornantur, etsi nullo ordine nullaq; vi ad effectum concurrunt: tamen vano signo & falsa imagine, quod factum, futurumve est, quandoq; adumbrant. Talia sunt characteres, imagines ceræ, aut quæcunq; è re confectæ: carmina, orationes, laudationes, imprecationes, intuitus infensus, corporis gesticulationes, ligaturæ, herbæ per certa loca disposita: liquorum & pulverum innoxiorum sive in aerem, sive in terram dispersio: lapides retrò jacti, herbæ aut aliæ res decoctæ, defossa in terram ossa, pili, alia.*

§. 19. Paucis his, quæ ex vastissima rerum superstitiosarum & magicarum sylvâ adduximus, L. B. contentus esto: plura si legere inimica scientia libet, in actis Judicum, in monumentis Autorum, & in scrinio pectoris anicularum simulata simplicitate & adstipulatione operto invenies. Excrevit decerptorum numerus & opinione mea major evasit, forsan & tua, L. B. non sine admiratione. Tanta si ad manus nostras, dum hæc tractavimus, copia pervenit, quanta in toto orbe dabitur. Adolescentem quendam, cum in balneis admovisset marmori manus utriusque digitos alternatim & pectori, septemque vocales literas numerasset, ad stomachi remedium prodesse id arbitratus, in judicium tractum, gladioque post tormenta fuisse percussum scribit Ammian. Marcellinus *lib. 29. pag. m. 622.* Gladio si omnes, qui verbis, ritibus & ceremoniis superstitiosis hactenus fuerunt usi, uno die jam essent percutiendi, quis foret percussionis finis? an omnium carnificum manus actui uno die absolvendo sufficerent. Tam altas & latas radices ubique egerunt superstitionis magicæ zizaniæ, ut iis eradicandis omnium quà pietatis quà justitiæ Sacerdotum manus impares sint, & ad finem usque mundi manebunt.

CAPUT

CAPUT VI.

Artificialia etiam materia magica fiunt. Vocis, Teraphim, natalia. quid sint? Tilsemarum exempla. Gaffarellus frustra sculpturas talismanicas & Teraphim defendisse conjicitur. Crucifixi Christi imago pro materia magica usurpatur; Exemplum. Cereæ item imagines quomodo fascini causa tractentur? Historia puellæ per imaginem ceream miserè fascinatæ. Sagittæ, bombardæ, instrumenta Magica fiunt. Solennia consecrationis. Tragicus sæpe est istorum sagittariorum eventus. Panis eucharistici ad maleficia abusus. Indusium necessitatis quomodo conficiatur? Gladii magici Imperatoris Maximiliani præparatio & vires; quæ in dubium vocantur. Armorum magicè fascinatorum exemplum. Specula, vestimenta, acus, amuleta & sigilla ad materiæ Magicæ censum venire possunt. Ex characteribus duos præcipuè Paracelsus commendat. Artificialium magicorum differentia. Materia magica mixta. Res omnes homini inservientes quatenus materia Magica fiant?

§. 1. VIsis, quæ ad Fascinationem magicam adhibentur, naturalibus. Ad *Artificialia* abimus. Inter hæc תרפים *Teraphim* veniunt: quæ vox sive à rad. רפא *sanavit, medicatus est*, quod morbos sanarint; sive à rad. רפה, *remissus fuit, desiit*, quòd verba eorum fuerint opus turpe & fœdum: sive à Syriaco שרפים *Seraphim*, mutato ש in ת, quòd fuerint imagines Angelis dicatæ: sive ab Arabico תרף *Tárafa*, quod significat *bonis commodisq; vita affluxit*, *uberem & affluentem reddidit*, nihil jam moramur.

§. 2. Fuerunt autem Teraphim simulacra, & statuæ ex diversis materiis sub specie humana effabricatæ, quas gentiles pro Diis penatibus & Laribus domesticis habuerunt, ut essent fortunæ bonæ autores, & occultorum indices. Teraphim Michæ *Judic. 17. v. 4.* ex argento constiterunt. Idola Labani *Gen. 31.* Lutherus vocat silberne Götzen. Michalis Teraphim *1. Sam. 19.* nonnulli statuam fuisse conjiciunt panno, ligno, palea, aliisve rebus suffarcinatam: quanquam & ænea vel lignea, cava tamen vel alia esse potuerit: quæ statua ex mente Lutheri à pri-

ſtino religionis paganæ cultu forſan reliqua inſcio Davide à Michale, non cultûs, ſed memoriæ cauſa fuit aſſervata. In Teraphim gentilium quæ conſulebantur, Cacodæmon æquè ut in alia ſe inſinuabat, & reſponſa dabat. *Ezech. 21. v. 21.* Rex Babylonis Teraphim interrogaſſe disertis verbis dicitur. Reſponſa autem jam vera, jam falſa, plerumque dubia erant. Et *Zach. 10. v. 2.* dicit Propheta: *Simulacra* (Teraphim) *locuta ſunt inutile*. Lutherus vertit: Die Götzen reden eitel Mühe.

§. 3. Huc imagines, quas Arabes *Tilſemas* vel *Talisman* vocant, de quibus ſuprà *l. 1. Part. 2. Sect. 2. c. 20.* aliquid diximus, ſpectant. Iſtas Magi juxta certam conſtellationem, & pro ratione horoſcopantium ſignorum effabricabant, & credebant, ex ſiderum influxu iſtis communicari vim occulta nunciandi, & voces edendi. Omnis tamen iſte prætextus, naturali ratione ſpecioſus, fucus fuit, & iniqua Dæmonis deceptio, qui ipſe formæ aſſiſtentis vices gerens, imaginibusque præſens voces edidit. Dn. M. Pfeifferus *Diſſ. Philol. de Teraphim* duo ex Hottingero Tilſemarum profert exempla, quorum primùm è *Chronologia Samaritana cap. 46.* deſumtum, ubi dicuntur *Romani collocaſſe in vertice montis Garizim Tilſeman, avem nempe æneam, quæ cum ipſo Sole circumferretur: Quòd ſi ergo Samaritanus adſcenderet, clamaſſe avem, Hebræus. Unde colligentes, Samaritanum in monte eſſe, egreſſi Romani eum occiderint.* Alterum ex Jacobi Juſti Judæi *Chorographiâ terræ ſanctæ*: *Adonis fluvius Phœnitiæ notus & à fabula Adonis ſic nominatus hodie dicitur fluvius* Canis, *ſiquidem illius regionis habitatores ſibi perſuadent, in quodam monte alto, vicinoque illi fluvio Canem ex metallo arte magica conflatum fuiſſe, & cum hoſtium Piratarum naves mare percurrerent, latraſſe, cujus latratu omnes commonefactos confeſtim conveniſſe, & ad defenſionem arma cepiſſe, hincque fluvium nomen comparaſſe.* Hiſce tertium Dn. Pfeifferus addit ex Joh. Balæo Anglo, qui *in Actis Rom. Pontif. pag. 164.* refert ſequentia: *Sylveſter ſecundus magicas artes in papatu celabat, & neceſſitudinem illam, quam ipſa diabolo habuit, diſſimulabat. Caput veruntamen æneum in abdito quodam loco ſervabat, à quo, cùm quicquam peteret à maligno ſpiritu illo, reſponſa ſemper accepit. Tandem ſibi pulchrè placens in papali faſtigio, ſciſcitabatur ex ſuo congerrone diabolo, quamdiu potiturus eſſet pontificatu? Diabolus ambiguè reſpondit: Non moriturum illum, priusquam in Hieruſalem miſſam celebraverit.* Quanquam hæc, eodem notante, paulò aliter referat Guilhelmus Malmesburienſis Monachus Benedictinus *de Geſtis*

Gestis Regum Angliæ lib. 2. c. 10. De Teraphim videatur quoque Dilherrus *Tom. 2. Dispp. Acad. p. 346.*

§. 4. Gaffarellum equidem in suo libro, quem *Curiositates Inauditæ* inscribit, non tantùm Idololatriam Judaicam & Samariticam, sed & Magiam Persarum, & sculpturas Talismanicas, nec non Teraphim Judæorum defendisse, modumque & rationem ea conficiendi descripsisse, efficaciam denique naturalem ipsis ut in genere aliis figuris & characteribus tribuisse, sumto argumento à signaturis, & characteribus, & imaginibus, quæ naturaliter herbis & lapidibus impressæ conspiciuntur, refert Voetius *lib. 3. pag. 554.* Verùm ex hoc ipso argumento, quod ineptum esse supra *lib. 1. Part. 2. Sect. 2. cap. 21.* ostendimus, licet ad manus nostras liber iste non venerit: curiositates istas circa hujus argumenti tractationem vanas esse, primo mox auditu collegimus, & si gravioribus rationum ponderibus non est instrustus, curiositatum apparatum in phantasticas delusiones, aut magicas deceptiones iri resolutum facilè est divinare.

§. 5. *Crucifixi Christi imaginem*, quæ ineffabilem Dei amorem, & atrocissimos Salvatoris pro peccatis nostris perpessos dolores in memoriam revocare, atque à Satanicis machinationibus avocare quemque debebat, ad iniquitates magicas à scelestæ fidei hominibus revocari, lacrymis cruentis est deplorandum. Joannes Jovianus Pontanus *lib. 5. Belli*, quod Ferdinandus Senior, Dux Neapolitanus cum Joanne Andegavensium gessit, scribit, Gallos Suessæ in Regno Neapolitano obsessos & ob aquarum inopiam in summo discrimine versatos opem in magicis maleficiis quæsivisse. Inventi enim ex oppidanis atque obsessis sunt, qui nocturnis in tenebris, deceptis castrorum vigiliis, per asperimas rupes furtim profecti ad littus, trahentes secum imaginem affixi ad crucem Christi, maledictis illam prius ac diro persecuti carmine, post in mare execrabundi immerserint, cœlo, mari, terrisque tempestatem imprecati. Quo etiam tempore Sacerdotes asino pro ædis foribus constituto, tanquam agenti animam, cecinere funestum carmen. Post divina eucharistia in illius os palatumque injecta conclamatum asinum funereis cantibus, vivum tandem ibidem pro templi foribus humavere. Hic verò vix dum perfecto sacro tanta è nimbis prorupit pluvia, imbresque tam validi, ut non cisternæ modo colligendis aquis satis non

 essent,

essent, sed arentia saxa, rupesque exustæ solibus torrentes undequaque prolapsos diffunderent. Itaque Rex, qui sola in siti potiundi oppidi spem collocaverat, frustra ab ea habitus ad Savonem vetera in castra rediit, Wierus *lib. 3. cap. 16.* & Bodinus *lib. 2. cap. 8.* Vincentius Bellua-censis *lib. 13. Specul. Histor. cap. 147.* Constantinopoli Imaginem Mariæ ex consilio Magi cujusdam in mare projectam, totumque ex hoc navalem exercitum fuisse dissipatum refert.

§. 6. *Cereas imagines* hominis necandi causa Lamias fingere, Ovidio notum est, qui de Medeâ saga ita canit:

Devovet absentes, simulacraq; cerea fingit,
Et miserum tenues in jecur urget acus.

Et Horatius *lib. 1. Satyr. Eclog. 8.* ubi Saganæ & Canidiæ Veneficarum duas statuas, ceream & laneam, maleficio imbuentium malitiam exaggerat & ait:

Lanea & effigies erat, altera cerea. Major
Lanea quæ pœnis compesceret inferiorem.
Cerea suppliciter stabat, servilibus, utq;
Jam peritura modis — — — —

Idem testatur Jacobus Cujacius, *in Paratit. Cod. de Malefic. & Mathemat. Imagines vel acubus pungunt, vel igne liquant, vel confringunt, & sic certum iis, quos tales imagines designant, interitum tabe, vel alio mortis genere adferunt. Ex cera imaginem cum imaginatione hominis, quem fascinare volunt, formant, formatam ligno quercino imponunt, & impositam sagitta ab arcu, ex chalybe parato feriunt, & quod fuerit percussum, membrum quasi apoplexia correptum paralysin contrahit.* Carrichterus in Cardilucii Stadt- und Land-Apotheck *Tom. 1. p. 487. Imaginem quoq; ex cera artificiose formatam spina pruni sylvestris, vel mucrone è quercino ligno facto pungunt, & compunctam mucronibusq; refertam sub limine, quod homo, cujus causa imago facta est, transire tenetur, fodiunt. Exinde homo maximos sentit dolores, & Lazari instar jam ex hoc membro clavos, ex isto acus, ex illo spinas facta suppuratione egredi sentit,* ut Carrichterus suis id vidit oculis. Ibidem *pag. 489.* E terra quoque, teste Roderico à Castro *Medic. Politic. lib. 4. cap. 2.* è gemmis aut alia quavis materia imagines fabricant, quas baptizant, adjiciendo quædam verba turpia, quibus etiam quandoque aperiunt pectora & ipsorum

corda ingenti calore ignita reddunt: vel etiam limo eorum, quos pervertere nituntur, effigies exprimunt, cujus maleficii Virgilius meminit in Pharmaceutria, dicens:

Limus ut hic durescit, & hæc ut cera liquescit
Uno eodemq; igni, sic nostro Daphinis amore.

§. 7. Notatu dignum exemplum refert Zacutus Lusitanus *de Praxi Medica Mirabili lib. 3. Obs. 134.* sequentibus verbis: Puellam annum agentem ætatis decimum sextum, ex nobili prosapia oriundam, formâ non vulgari præditam juvenis quidam speciosus & liberalibus artibus apprime instructus ita miserè deperibat, ut illius amore irretitus noctes plures, velut amens, insomnis duceret. At cum illum ea, ut ex infimo loco natum, temneret & irrideret, indignabundus sagarum consilio de ea magicis artibus vindictam sumere curat. Quare absentis puellæ imaginem cerâ confictam verbis prolatis sortilegæ compungunt, quibus recitatis insons sævis doloribus in toto corpore excitatis est afflicta, iisque infandis immisericorditer vexabatur, ut aculeis transfigi videretur. Quibus lenitis remanebat aphona, & convulsione mirabili arrepta, quà pedibus antrorsum pectus contingebat, cum oculis torvis, nigricante facie, pinnis narium inversis, linguæ tremore, lipothymia, omnimoda virium jactura, fastidio summo. His triduò perseverantibus, convocantur Medici, qui, postquam ultrò citroque de causa morbi disceptarunt, in eam unanimes convenerunt sententiam, ut crederent, hæc horrenda vitia ab utero, auraque venefica ad partes superas elata, tanquam à prima origine, emanare, quæ similem tragœdiam excitare nata est. Quapropter præsidia plurima adaptant in hunc usum. Sed cùm iis applicatis illa delira, furibunda, omni convulsionis specie premeretur immaniter, à Medicis tanquam spiritu malo apprehensa, aut veneficio vexata, deseritur. Hoc ita esse confirmavit postea enormis vomitus, cujus violentiâ nigerrimam materiam primo, postea glomeratos crines, tribulorum fasciculum, acus æneas, & tandem oviformem massam atro colore conspurcatam rejecit, qua dissecta erupere plures volantes formicæ, quæ adeò horrendum fœtorem ex se exspirarunt, ut nullus in domo persistere posset. Visis his omnibus patuit, cuncta hæc ex veneficio esse suborta. At cum in agone esset syncope oppressa, per vomitum laboriosissimè excrevit animal pugni formâ, colore

lore atrum, cauda oblonga, toto corpore pilosum, muris instar; quod postquàm in terram elapsum est, eximia pedum agilitate per domum obrepit, & emoritur. Parentes rei novitate & periculo filiæ commoti consulunt ariolos, sagas, sortilegos, magos & incantatores. Ex iis unus se eam sanaturum proposita multa mercede constanter pollicetur, dicens, ut adventante paroxysmo advocaretur. Sic factum. Nam cum accessio ferociter invalescit; convocatur ipse, qui super caput ægræ prius abrasum me præsente imposuit papyraceam chartam albissimam, in qua scriptæ erant literæ binæ : T. M. & imposita erat ungula asini semicombusta, & ille nescio quæ verba ad aurem obmurmurans, illam ab insultu & omni symptomate imposterum liberavit.

§. 8. De Duffi Scotorum Regis simulacrô à Saga quadam ligneo veru affixo, ignique admoto, unde in sudorem Rex solutus & ad maciem redactus fuit, diximus supra *Part. 4. Sect. 1. cap. 9.* §. 3. Quia verò Wierus & Cardanus, ut vidimus *Part. 4. Sect. 1. cap. 9.* §. 4. historiam hanc fabulis annumerant, aliam ejusdem commatis è Christoph. Brovveri *Annal. Trevirens. Lib. XI. ad Ann. 1066.* quam Vir *Max. Reverendus* Dn. D. Matth. Zimmermannus *Analect. Miscellan. hoc Anno editorum mense 2. cap. 14. pag. 106.* annotavit, adducere placet. Refert ille Eberhardum Archi-Episcopum Trevirensem obstinatum Hebræorum gentem ad Christiana sacra redigere voluisse, quare necem ejus quæsivisse Judæos. Excussis igitur diligenter consiliis ante diem XVIII. Kal. Mart. quo die proximo Paschali Sacro fonti, ex ritu Ecclesiæ Pontifex operam daturus erat, facta ex cerâ ad Episcopi similitudinem imagine, clericum ædis Paulinæ, nomen ei erat Christiano, sed Pseudo-Christianum ego potius dixerim, corrupere pretio. ut ad stygias has machinationes, imeginem eam undæ salutari immersam ablueret, ac veluti infantem sacro fonte tingendum, expiaret. Ubi igitur dies sanctioris hebdomadæ extremus illuxit, Archi-Episcopus Pontificali habitu ornatus & stolâ incinctus ad Sacrosanctum lavacrum, cum honesto clericorum agmine prodit. Tum verò Judæi præparatam jam maleficiis iconem lychnis inferentes accendere, ea porro absumta dimidiata Pontificem sacris mysteriis insistentem, vires omnes subitò liquere. Elanguidus Antistes, veneni afflatu, fascinoque propemodum enectus abscessit in sacrarium; ibi positis coram Christi in cruce pendentis effigie genibus

fusus

fusus in preces, capurque in Archidiaconi ſinum reclinans, ſpiritum exhalavit, cujus Epitaphium:

PAUSAT HIC EBERHARDUS TREVIRORUM ARCHIEPISCOPUS, QUI IN VIGILIA PASCHÆ SACRIS INSTANS OFFICIIS, EX CEREA IMAGINE PER JUDÆOS ACCENSA INFIRMATUS, AD SACRARIUM DUCTUS IBIDEM ELEXIS GENIBUS ORANS IN SACRIS VESTIBUS EXSPIRAVIT ANNO DNI MLXVI. XVII. KAL. MAII.

Plura videantur apud Delrium *D. M. libr. 3. P. 1. Q. 3. Sect. 4.* & Bodinum *lib. 2. Dæmon. cap. 8.* Idem hic *l. c. cap. 3.* hæc habet: *Plumbeum Crocodili ſignum in quodam Ægypti oppido (ubi non, ut in aliis ſecundum Nilum oppidis Crocodili fuerunt) inventum eſt, ſub ædis limine conditum, quam Mehemed ben Thaulon cremari juſſit: quo nomine expoſtularunt incolæ dicentes, ſe ex eo tempore à Crocodilis graviſſimè infeſtari.*

§. 9. *Sagitta, ſeu baliſtæ, bombardæ, glandes plumbeæ* inſtrumenta magica fiunt eorum, qui, ut infallibili ictu, quod velint, etiam longiſſimè diſſitum trajiciant, pactum cum Satana propterea ineunt. Solennia ſeu trivialia è Sprenger. *Mall. Part. 2. Q. 1. cap. 16.* eruit & proponit Delrius *lib. 3. D. M. P. 1. Q. 4. Sect. 4. p. m. 47.* Præſtant Dæmoni homagium mox ſexta feria proximæ Hebdomadæ Majoris, infra tempus miſſæ, ſacram crucifixi imaginem aliquam ſibi deligunt, in quam ut in ſcopum, tela colliment, vel (quod Pet. Binsfeldius teſtatur) ſclopô poſt tergum ejaculato glandes plumbeas emittant. Nec conſtat, an aliqua tunc verba ad hanc operis apoſtaſiam adjiciant. Poſtea, certô telorum numerô in crucifixi imaginem emiſſo credunt ſe totidem uno die, quoscunque deligent, necare poſſe; quocunque illi loco fuerint, etiam remotô & concluſo. Dæmon enim ſpondet, ſe tela eô perlaturum & hoſtili in corpore defixurum. Ea tamen hæc lege: ſi hominem necandum maleficus aliquando viderit, & tunc iterum de novo actuali (ut vocant) conſenſu eum occidi voluerit. Ultimo pollicetur, tantam illis ſe baliſtâ bombardave jaculandi peritiam tributurum, ut denarium capiti impoſitum, absque capitis læſione, valeant dejicere. Exempla vide ſupra *Part. 4. Sect. 1. cap. 11. §. 6.* Olaus Magnus *lib. 3. cap. 17.* Lappones

pones & Finnos de plumbô conficere scribit jacula magna digiti longitudine, & ea per quævis loca mittere in eos, de quibus vindictam expetunt, & hos oborto carcinomate in crure vel brachio intra triduum vehementia doloris emori. Sed tragicus sæpe est horum sagittariorum & sclopetariorum eventus, cujus notabile *in Malleo Malefic. Part. 2. Q. cap. 16.* reperimus exemplum: Nam in diœcesi Constantiensi, prope castrum Hohemzorn/ ac Monasterium monialium, Ecclesia quædam jam de novo cernitur constructa, in qua hujusmodi imago Salvatoris cum sagittâ infixa ac cruore effuso cernitur, cujus miraculi veritas tali ordine patuit. Miser enim quidam, dum juxta ordinem prænotatum, super tres aut quatuor tractus balistæ, ad interitum aliorum à Diabolo certificari cuperet, in bivio quodam imaginem crucifixi sagitta petit, & modo quo usque in præsens cernitur, transfixit, & dum cruor miraculosus erumperet, miser immobiliter, divina virtute gressu percussus figitur. Et ubi à prætereunte quodam, cur ibi fixus maneret, interrogaretur, miser caput agitabat, brachiisque ac manibus, quibus balistam tenebat, ac toto corpore tremens, nil respondere poterat: & alter hinc inde circumspiciens, dum imaginem crucifixi intuetur, & sagittam cum cruore effuso speculatur; Pessime, inquit, nequam, imaginem Domini nostri transfixisti: & alios convocans, attendite, inquit, ne fugam capiat: dum tamen, ut præmissum est, se de loco movere non poterat: ad castrum cucurrit, & rem gestam narravit: qui concitè descendunt, & miserum in eodem loco persistentem reperiunt, & inquirentibus de casu, dum crimen fassus fuisset, ex contactu publicæ justitiæ de loco movetur, & dignam pro commissis ultionem per miserabilem mortem recepit.

§. 10. *Panem eucharisticum* in S. Cœnæ administratione datum, & deinceps furtim reservatum Magorum ad nefarias actiones fieri instrumentum, dictu & auditu horrendum est. *Malefica corpus dominicum sumpsit, & declinans subitò peplum ori adhibuit, & in panniculum dominicum corpus extrahendo involvit, & in ollam, in qua bufo erat, sic à Diabolo informata, projecit, & sub terra in stabulum prope horreum domus sua occultavit, cum aliis plurimis rebus adjunctis, ex quibus sua maleficia exercere habuisset: sed assistente divina pietate tantum facinus detectum ad lucem pervenit. Nam sequenti die, mercenario quodam, causa sui laboris, prope*

prope stabulum, iter faciente, vocem quasi cujusdam infantis ejulantis audivit, & quantò propiùs accessit, usq; dum ad pavimentum, in quo olla abscondita erat, pervenisset, tantò clariùs audivit, & æstimans infantem aliquem à muliere subtumulatum, Scultetum seu præsidentem accessit, & rem gestam sua æstimatione à parricida perpetratam narravit: qui citò missis servitoribus esse, ut ille narraverat, repertum est. Exhumare autem puerum nolebant, sed potius custodes à remotis positis, si qua mulier accederet, sano uti consilio attendere haberent. Nec enim dominicum corpus ibi absconditum esse noverant, unde & contigit, ut eadem malefica locum accederet, & sub pallio aliis occultè cernentibus ollam abscondit. Unde capta & quæstionibus exposita facinus detexit, asserens Dominicum corpus cum bufone fuisse in illa absconditum, ut ex his pulveribus sua ad libitum nocumenta hominibus seu aliis creaturis inferre posset, Mall. Malefic. Tom. I. Part. 2. Quæst. 1. cap. 5. Ita laudatissima & sacratissima animæ infirmæ medicina in toxicum verti absurdè creditur. Nam nullius malignitas ex pane consecrato, cuicunque etiam admisceatur, exaltatur, sed omne, quod inde oriri creditur, ex pacto manat. Eum autem Dæmon à Magis postulat, ut abnegationis fidei remedium certiùs contemnant, & majorem Redemptoris offensionem periculosiùs incurrant.

§. 11. Pectora ad amorem fascinanda Sortilegos hostia abuti notat etiam ex Grillando *de Sortileg. Quæst. 3. a. num. 15.* Delrius *lib. 3. Part. 1. Quæst. 3.* eâque tum consecrata, tum nondum consecrata, sed circumscripta notis & literis sanguineis; super qua dici curant, quandoque unam, duas, tres, quinque vel plures missas, quibus celebratis tradunt hostiam ipsam, non integram prout est, sed in pulverem redactam valde subtiliter, personæ maleficiandæ, quam assumere faciunt in cibo, sicut in menestra, vel in potu: eodem modo faciunt cum calamintha &c. *Bis aut ter* (ait idem) *habui in facto sortilegos; qui, huic sortilegio sive maleficio incumbentes hostiam ipsam sacratissimam accipiebat, cujus partem ipse sceleratissimus, qui cupiebat amari, assumpserat, dicendo quadam verba satis turpia atq; nefanda, quæ hîc referre non expedit; reliquam verò partem hostiæ miserat ad ipsam mulierem, non in forma hostiæ, sed minutatim contritam, & in pulverem redactam, sumendam in cibo & potu. Iterum habui alium, qui hostiam nondum sacratam acceperat, & super illam circumcirca, cum sanguine annularis digiti, nonnulla verba satis turpia descri-*

pserat, deinde ipsam hostiam super altari deposuerat, hoc est, super nudo lapide consecrato, sub linteamine tamen altaris absconditam, & à quodam Sacerdote rotundæ conscientiæ super illa quandoque missas celebrari fecerat, certis rationibus ad ejus propositum superadditis; deinde hostiam ipsam sumserat, quæ tamen non erat expresse consecrata; cujus partem alteram pro se assumpserat, alteram verò partem personæ maleficiandæ tradiderat, redactam in pulverem, ut proximè dixi: asserentes, uterque ipsorum, qui hostiam ipsam assumpserant, indissolubili amoris vinculo ad invicem se colligandos, nihilominus nullum effectum apparentem vidi nec percepi. Nec sunt adhuc duo anni elapsi, quòd alium similem casum audivi Romæ accidisse, de quadam impudica muliere, in cujus cophinis reperta fuere duæ hostiæ, super quibus ambabus erant descripta quædam verba sanguinea &c. quas ipsa tenebat, ut asserunt, ad effectum tradendi cuidam alteri mulieri, ad instantiam viri, qui ejusdem mulieris amorem concupiscebat. Agnus Dei per superstitionem Papalem magica fit materia. Exemplum tradit Thyræus *Part. 3. Disp. de Dæmoniacis cap. 45.* ex Molano. *Anno 1568. cùm Princeps Auriacus numeroso exercitu in Brabantiam irrumpere tentaret, in agro Juliacensi, prope Trajectum ad Mosam quendam Hispanum captivum habuit, quem capitis damnatum milites arbori alligatum sclopetis vel bombardis occidere conabantur. Verùm frustra sua in illum emiserunt tormenta ænea. Tantum enim abfuit, vi illum sic arbori alligatum bombardis transverberare, ut nec creberrimis emissionibus lædere potuerint. Quo visu obstupefacti, cœperunt eum suis spoliare vestibus, arbitrantes, hominem occultis quibusdam armaturis communitum, quas vis tormentorum penetrare non potuerit: verùm nihil præsidii ab ipsis inventum fuit, præter dependens ex collo amuletum Agni, quo eidem sublato primo ictu bombardæ extinctus, occubuit.*

§. 12 *Indusium necessitatis*, inferni camisia, Germanis Nohts Hemd/ Hellen-Hemd/ Teuffels-Rock dictum inde, quòd in necessitate ejus usus sit proficuus: siquidem in bellis à quocunque telorum vel sphærularum bombardicarum ictu & armorum injuriis liberum reddit, & quodvis aliud corporis incommodum declinat. Parturientibus etiam, ut citiùs tutiusque fœtum deponant, succurrere creditur. Indusium hoc à proavis tantoperè commendatum ad fæces magicas rejiciendum esse, ejus conficiendi ratio prodit. Hanc tradit Wierus *lib. 5. cap. 18. §. 6. In*

una

una eademq́ nocte feriarum natalis Christi, filum ex lino in nomine Diaboli à junioribus notæ castitatis puellis neri texiq́ & indusium consui debuit. In pectore verò duo assuebantur capita, in quorum dextro longa propendebat barba, & velut galea erat imposita: sinistrum autem horridum, & corona ornatum, regis illius magni Beelzebub fuisse diceres: latus utriusque muniebatur cruce. Longitudine à collo medium contegit indusium cum manicis.

§. 13. An *Gladius magicus* Imperatoris Maximiliani, & aliorum huc referendus, ita ut vox Magicus, sensu non æquiore, quo etiam sagacibus & expertis Philosophis ac artificibus tribuitur, sed famosiori & in malam partem sumatur? Rationem fabricandi, quam è Staricio tradit Harsdörfferus im grossen Schauplatz Histor. 109. prius videbimus. Recipitur electrum magicum (quod est mixti metalli species) in conjunctione ♄ & ♃ præparatum, cui adduntur *auri* & *argenti* drachm. decem, *cupri* & *chalybis* drachm. quinque, *stanni* & *plumbi* drachm. duæ, *Mercurii vivi*, drachm. una. Ex his metallis benè purgatis cuditur gladius. Ignis ab igne in quercu à fulmine accensâ petitur, qui Tubalis ignis à Chymicis dicitur. Electrum illud, folles, forcipes, incus, gladius &c. in promptu sint, & tempus certum, dies nempe & hora Martis in exaltatione constituti observetur, requiritur. Versus Latini ad ista pronunciantur, quos alii omittunt. Ensi vel Loricæ signum martiale, Sagitta vel Leo, aut aliud quid, quod eorundem armorum possessori acceptum fortitudinis est memoriale, imprimitur. Tali gladio qui est munitus, eum ferunt fortem evadere, omnemq́ue hostium suorum impetum eludere. Sed vereor ego, ne per speciosum hunc ingredientium & circumstantiarum apparatum μυελοτεχνίτης & præstigiarum sedulus curator oculos mentis ita fascinet, ut gladii possessor eò securior & congressuum felicium pluralitate audacior factus certius & corporis & animæ periculum tandem incurrat: sicut & Harsdörfferus Nobilem quendam tali gladio magis, quàm Deo fretum tandem in periculo, quod amaverat, periisse notat. Nihil equidem mineralium virtuti detractum volo: non tamen me latet, *nonnullos de fossilibus, lapidibus & gemmis arrogantiùs, quàm verius scripsisse*, ut loquitur Dn. D. J. Rud. Salzmannus *Disp. de Occult. Qualitat. §. 2.* Et tantam metalla ista in gladio dicta lege fabricato cuivis, ei etiam, qui abjectioris fuit animi, virtutem addere, ut animum Hectoribus & A-

chillibus (quibus si non nomine & re simul, re tamen & virtute talibus natura nostra ætate Martis theatrum ornavit) heroicum cum corporis viribus eripere, & congressus suos victorioso exitu coronare queat, mihi non fit verisimile, eique qui facilioris assensus prærogativam jactat, ego lubens cedo.

§. 14. *Armorum* Diabolicè fascinatorum mentionem facit è Mejero Jordanus *de Divin. cap. 43.* quibus frater fratrem fascinavit. *Dux nimirum Aurelianensis, sublaturus per summum scelus omnem regiam stirpem, arma sua & annulum tradidit apostatæ cuidam monacho, diabolicis dicanda & initianda præstigiis. Evocantur per matronam quandam Dæmones in turri Mongeya juxta Ligniacum. His instrumentis postmodum Carolum germanus ejus dementavit adeo subtiliter, ut vix quisquam posset percipere. Prima incantatio facta apud Belloacum, quæ adeò erat virulenta, ut Regi ungues ac capilli deciderent. Alterum maleficium in Cenomanis, in quo tanta erat vis, ut nemo mortalium judicare posset, an viveret Rex nec ne. Jacebat enim absq; ullo sensu & spiritu vitali, quantum cerni posset. At postquam ad se redire cæpit, obsecro, inquit, auferte hunc gladium, qui mihi corpus transfodit, idq; mihi facit germanus meus Aurelianensis.*

§. 15. *Specula* Catoptromantiæ inservientia materiam artis magicæ fieri advertimus. Variant ista, & quædam non omnibus, sed quorum gratia sunt fabricata, quæ desiderantur, ostendunt, vel iisdem, vel per pueros, quia puriores viris æstimantur, & quidem alia imagines tantum, alia sermones ore aliorum prolatos scripto exhibent, alia literas, & quicquid calamô ab aliis consignatum est, utcunque secretissimum, monstrant. Apud Argivos ante Cereris templum speculum fuisse ex Pausania in Achaic. notat Natalis Comes *Mytholog. lib. 9. p. 944.* pertenui funiculo suspensum, & ad aquam fontis ibi existentis demissum: in quo ægri peractis prius sacrificiis de more ejus loci vel certam sanitatem, vel certissimam mortem ex offerentibus sese in speculo imaginibus sunt intuiti. Sed id non nisi ad comprobandam illam religionem ab impuris dæmonibus effectum esse, rectè ibidem advertit. Speculum Catharinæ Mediceæ Magus quidam ostendisse fertur, in quo tanquam in angusto conclavi Reginæ filiorum quilibet toties circumambulabat, quot annos regno esset præfuturus, cumque Henricus III. suas perio-

periodos abſolviſſet. Dux Guiſius quaſi fulgur ſpeculum percurrit, & poſtea etiam Navarræ Princeps bis ſupra vicies ſeſe oſtendens confeſtim diſparuit. Ludit & illudit Dæmon Catoptromantiæ arte, ut homines ſeu ex ſingulari curioſitate, ſeu vindictæ cupiditate impulſi ignota & futura illicito modo recognoſcendi cupiditate amplius inflammentur, nefanda patrent, & Dæmonis, non Dei, patrocininm cum æterno animæ exitio quærant. Vide quæ ex Rob. Holkoth adduximus *Part. 4. Sect. 1. cap. 11.* §. 6. Exempla varia quoque collegit Freudius *Quæst. 84.* Item Schottus *Phyſ. Curioſ. lib. 4. c. 13.*

§. 16. *Veſtimenta*, eorumque particulæ maleficiorum etiam materia fiunt, quibus perſonas remotas quoque, quarum iſta ſunt, faſcinant: prout malefica quædam in Iſpruch ſe jactare ſolebat, quòd ubi ad minus filum ex veſtimentis alicujus detenti haberet, tantum efficere poſſet, ut quantumcunque tormentantur etiam usque ad mortem, nihil fateri poſſet, Freudius *Quæſt. 315. n. 4.*

§. 17. *Quid Magi & incantatores cum acu, quâ cadaver in funebri veſte fuit conſutum, ad veneficia agant, novis nuptis virilem potentiam auferendo, haud ſcribendum, ne ad talia occaſio detur*, inquit Kornmannus *de Mirac. Mort. Part. 5. cap. 22.* *Amuleta* & *ſigilla* magica huc ſpectant, characteribus & figuris ad certum ſiderum poſitum inſignita & fabricata, quorum artifex inſignis Paracelſus ſchemata in libris ſuis Archidoxeos Magicæ varia exhibet. Inter *characteres* alios plurimos duos tantum veros & præcipuos eſſe ſcribit: horum primus, ait, conſtat ex duobus Trigonis ſuper ſe invicem ita depictis, ut ſexagonum conſtituant, & ſingulorum angulorum ſpaciis inſcribere jubet unam ex ſex literis nominis divini ADONAI. Alterum dicit priori eſſe potentiorem & efficaciorem, & eſſe Pentagonon ſive 5. angulorum acutorum; in quorum ſpaciis inſcribendas docet quinque literas ineffabilis nominis divini JEHOVA. Aut ſingulis ſpaciis inſcribendas docet quinque ſyllabas vocabuli *Te-tra-gram ma-ton.* Subjungit etiam olim Iſraelitas virtute horum duorum characterum inſignia miracula perfeciſſe, & non reperiri in ullis Magorum, aut Necromanticorum libris characteres efficaciores hisce duobus. *Qui ſi*, inquit impudico ore, *in placentulam melleam, aut oſtiam ſacrificulorum, quam noſtri* Abblat *vocant, depingantur, & patienti ad comedendum exhibeantur,*

antur, ab obsessis spiritus immundos expellunt, Diabolum fugant, & omnes morbos magica malitia inflictos, tam animi, quàm corporis, omnesq́ alias infirmitates, ubi aurum potabile, & quinta essentia antimonii nihil efficere potuerunt, tollunt & persanant, & ne, inquit, *quispiam dicat, hac in parte me peccare contra secundum præceptum, is sciat, me minimè peccare, cùm divinis nominibus non ad perniciem, sed ad salutem hominum utar. Dicant ad hac, quicquid velint, Theologi hypocritæ. Annuli* Magici exemplum lege infra *Part. 6. c. 12. § 13.* Talem habuit etiam Gyges, qui cum palam annuli ad palmam converterat, à nullo videbatur, ipse autem omnia videbat, Cicero *3. Offic. cap. 9. ex Platon. 2. de Rep.* Ast nullius annuli, quacunque etiam ex re conficiatur, talis de se est virtus, sed potius spiritus ejus, qui hodie quoque ejus, quem vult capere, genio se accommodans, annulo se capi simulat, h. e. Dæmonis.

§. 18. Plura ex artificialium serie congerere supersedemus: horum tamen quædam crassæ Magiæ inservire primo mox intuitu quivis advertit, ut quæ in nomine Dæmonum fiunt & elaborantur, quæ effectum natura simpliciter impossibilem edunt, v. g. longissimè dissitos sagitta trajicere, in crystallo ignota & remota certis saltem personis monstrare &c.. Quædam verò ad Magiam subtiliorem spectant, & sunt ea, quæ evidentem superstitionum apparatum non habent adjunctum: quæ verò superstitiosa videntur, sub apparente (sed in rigoroso examine mox disparente) ratione, aut occultarum qualitatum tegumento, aut per occultum siderum influxum quodam modo occultari possunt, v. g. si quis lethali pleuritide decumbit, solent aliqui confestim lanionum cultros è carnificinâ tollere, & potui ægrotantis immergere, credentes, quoniam sicut cultri confossionis sunt instrumenta, ita crebram lateris puncturam illorum virtute pelli ac cessare: Item si quis per hæmorrhagiam crebram copiosius sanguinem fundit, eum sceptri à judice super necis reum sententiam proferente diffracti frustrum in manibus tenere, id quod & alia plura advertit Raymundus Mindererus in *Threnod. sua Medica cap. 12.* Sed qui ad rationis incudem hæc & similia revocaverit, eorum ad effectus determinati productionem jactatorum absurditatem vel nullitatem, vel (nisi forsan in pau-

cis

cis quibusdam imaginatio aliquid effecerit) ipsius Dæmonis quoque ad gratificandum promptitudinem deprehendet.

§. 19. *Mixta*, atque ex naturalibus & artificialibus composita, aut confusa materia magica jam esset proponenda, sed operæ pretium non est, quia ex dictis ea intelligere, & obvia hujus farinæ exempla ad hanc sedem quivis revocare facilè potest. Unicum exempli loco ex Wiero *lib. 5. cap. 5 num. 6.* dabimus. *Ut fur deprehendatur, accede fluentem aquam, inde collectos tot numero lapillos, quot sunt, de quibus furtum commissum suspicaris, domum confer & ignescant. Hinc sub limine sepeliantur, per quod ingredi consueverunt homines, & triduum relinquantur, postea ante Solis ortum eximantur: deinde scutella cum aqua imponatur circulo, transversa obliquaq; mixtim cruce insignito, cui inscriptum est: Christus vincit &c. Scutella adhac cruce signata, & formula conjurationis per Christi passionem, mortem & resurrectionem adhibita, in aquam singuli lapilli in cujusq; suspecti nomine conjiciantur: & ubi ad rei lapillum fuerit ventum, tum calculus, tanquam ignitum ferrum, fervorem concitat. Ut insontem gravet fraudetq;, ejusmodi fingere ebullitionem diabolo non est difficile.* Varia hîc, naturalia & artificialia, quæ omnia absurda, junguntur.

§. 20, Summatim loquendo, omnia, quæ usui humano inserviunt, instrumenta magica fiunt tum, quando ex Cacodæmonis pacto seu explicito, seu implicito ad fascinandum adhibentur, atque ab iis effectus postulatur, qui eorum virtutem naturalem superat; neque etiam res promissionem habet, à supernaturali superiori, seu divino seu angelico effectum esse expectandum.

PARS VI.

De

MODO FASCINATIONIS MAGICÆ,

CAPUT I.

Modus est nodus, hoc est, explicatu difficilis. Nodi Cassiotici. Si modus in physicis sæpe ignoratur, quantò magis in metaphysicis? Τὸ quomodo decepit Wierum, ut historiam Regis Duffi in dubium vocaret. Diabolorum opera tribus modis efficiuntur: pleraque sine naturæ administra ope efficere nescit. Actio Dæmonum ab ipso effectu distinguenda: ista semper vera, hic sæpe apparens est. Corporalis obsessio quomodo fiat? Quomodo per imprecationes immittantur Dæmones? Obsessio spiritualis quomodo fiat? Satanam cor intrare, cor implere, quomodo intelligendum? Obsessio hæc suos habet gradus. Satanæ in ea technæ. Suggestio quomodo fiat? Intellectus fascinatio. Quomodo Dæmon artes & scientias doceat? Exempla. Ars Notoria. Non cujusvis intellectum Dæmon scientia & arte illustrat: illustrat usq; ad aram religionis: bona animi confert, ut animam ipsam lucretur. Historia. Scientiæ per res naturales momento non acquiruntur. Historia de Craca anguium tabe scientiarum copiam ingenerante privigno. Absurdum quidem medium, malè tamen propterea historiam ipsam negat Wierus. Quomodo ipsam sedem intellectus Dæmon perficiat? Mediatè etiam per phantasiam intellectus fascinatur Modus quo se anima rationalis ad species objectas applicare potest.

§. 1. AD *Modum*, qui formalis rationis vices in actionibus gerit, delabimur, qui quantò jucundior, tantò profundior, & investigatu difficilior. Proinde *Modus nodus*, cujus character *τὸ quomodo.* Nodus jam solutu facilis, jam difficilis, sæpe indissolubilis, qui non semper cras-

ſis rationis humanæ manibus, ſed gladio Spiritus S. ſolo ſolvendus, & qui ſacros nodos acutis faſcinatæ rationis unguibus ſolvere tentant, citius in filamenta externas nodi partes diſcerpunt, quàm nodum ipſum ſolvunt, h. e. ſchismata & hæreſes pariunt: imò nodos quidam ſoluturi Caſſioticos nodos ipſi nectunt. Caſſius mons eſt, & ejusdem nominis civitas in Ægypto vicina Peluſio. Ei genti quaſi genuinum ac gentilitium eſt, miros quosdam nodos nectere. His ſimiles multi in explicandis modorum nodis evadunt, qui, dum nodos ſolvere laborant, novos & miros in eodem filo nectunt, veritatemq́ue explicando implicant. Mihi in re ardua & difficili ne idem quandoque ſit eventurum, vereor: ei tamen qui meliorem ſolvendi modum monſtraverit, vacivas aures & oculos præbere non renuam. Latent in modo τὰ βάθη τῦ Σατανᾶ. *Apocal. 2. verſ. 24.* Iſta autem quis explicabit?

§. 2. Si in phyſicis & rebus materialibus ſæpiſſimè modus nodus eſt Gordius & Herculeus, hoc eſt, indiſſolubilis, quid fiet in metaphyſicis, & rebus à materia abſtractis, ſenſus (à quibus tamen omnis ferè cognitio nôſtra incipit) fugientibus? Homo mediante ſemine generat, & ſe multiplicat: at quomodo ſe multiplicet, & animam numero novam ſpecie eandem producat, homo ipſe neſcit. Brutorum familiaritas quotidiana neminem in eam deduxit notitiam, ut explicare queat, quomodo in iſtorum generatione animæ, quæ antea in brutis actu tales non extiterant, actu eſſe incipiant ſine animarum generantium vel diviſione, vel deciſione, vel decremento. Formas in rebus naturalibus omnibus per qualitates, & has per effectus deprehendimus: at qualitatum modus emanandi ſemper, modus verò agendi frequentiſſimè obſcurus manet. Præclarè proinde & modeſtè Cl. Sperlingius *Anthropol. lib. 1. cap. 3. Quæſt. 11. Sæpe,* ait, *re patente latet modus. Omnes rem videmus, modum capiunt pauci. Vivit planta, vivit animal: at quomodo, vix fragilitas capit noſtra.* Si jam modus agendi phyſicus phyſicum latet, quis agendi modum metaphyſicum Dæmonibus in actu faſcinationis, ut cauſæ principali proprium, indagare, aut comprehendere animo & ſpe præſumet? præſertim cùm illud ipſum agens, quia ſpiritus eſt, occultum ſit, in occulto agat, qualitates ſuas, quæ homini ſemper occultæ, in occulto exerceat, ſuumq́ue influxum ſtudio ex fraude, ne pietatis & juſtitiæ Sacerdotibus factio magica facilè prodatur, occultet. In nonnullis quidem, quid

possibile sit, & quibus possibilitas modis in actum deduci queat, in genere indicari potest; at modus certus in actione certa in specie indicari nequit. In multis tandem illa veteris judicii formula utendum: *Non liquet.*

§. 3. Τὸ *quomodo*, Wierum decepit, ut historiam Regis Duffi fabulis annumeraret. *Quomodo*, inquit, *simulacrum cereum liquefactum potuit ad regis imaginem confectum esse dignosci? Unde in sejunctissimo intervallo, vis tostionis, liquoris infusi, simulacri & carminum recitatorum, in Duffum resultare potuit? Quomodo item Rex in sudorem solvi quivit, & macie confici liquescente cerâ, quum cera igni admota facile & brevi tempore defluat, regem autem longo tempore morbo hoc contabuisse narretur? Quomodo etiam ex consumpta cera mors subsequi?* At si rationibus physicis magorum actiones metiri, & quæ adhibetur, materiam omnem ad rationis stateram revocare vellemus, facinora pleraque maleficorum forent neganda; quia quam perficiendis suis actionibus adhibent, materiam modò non semper vanam esse & absurdam, atque ad efficiendum ea, cujus gratia adhibent, impotentem, qui rationis potens est, inficias nemo ibit. Itaque materialia pleraque signa saltem sunt, & symbola fœderis atque consensus Lamiarum, quibus positis ad magicarum actionum productionem ex pacto Satanas concurrit. Sed quomodo concurrat, & quomodo primam & ultimam manum, ut loqui ita liceat, imponat spiritus, hoc ipsum mentis æquè ac corporis oculos fugit. *Sæpissimè enim talia sunt, ut nulla virtus ac subtilitas humana ad id sufficiat*, fatente Philosopho acutissimo Suarezio *libr. 2. de Superstit. cap. 16. num. 1.* Itaque & brevem & mancum fore omnem nostrum in indagando modo laborem, & ubique aliquid caliginis ac ἀλύτου observatum iri, inficias ire nolumus. Neque tamen dicendorum brevitas, investigandorum difficultas, & tractandorum obscuritas à conatu nos abstrahat, qui brevia etiam & tenuia ad superiora confirmatum & illustratum accedere confidimus. Servabimus autem methodum in objecto primario, quod homo est, ratione totius & partium, præcipuè ratione facultatum observatam.

§. 4. Præmittimus tamen circa modum, omnia Diabolorum & Magorum opera uno ex his tribus modis effici, vel per delusionem, vel per motum localem, vel per applicationem activorum cum passivis.

Delusio-

Delusiones seu præstigiæ multæ sine naturalium ope non fiunt. Activa & passiva è naturæ sinu pariter petuntur: ea etiam, quæ loco moventur, in naturæ foro solo habentur. Ipse Dæmon virtute propria saltem in conjungendis, separandis & transferendis rebus utitur, virtute aliena, rerum scilicet naturalium, quam ipse de se non habet, ad fascinationis negotium necessaria fretus. Quomodo verò activa passivis applicet, quæ illa sint, & qua qualitate imprægnata, qua quantitate, quo loco & tempore fiat applicatio, quis Dæmonum complicum numerus, qui sint permissionis divinæ limites, & quæ alia in spiritus operatione notari debent, nemo oculis tam mentis, quàm corporis benè percipit. Adeò callidè polytrophus ille & multiformis circulator decipiendis humanis sensibus invigilat, ut vix deprehendatur, nisi quodammodo ex effectu præsente rationem naturæ evidenter superante. Proinde actionum magicarum causas, quæ plures unius effectus esse possunt, certò determinare ratio nescit, easque non tam effari, quàm hariolari licet. Ignorata autem causa, ignoratur etiam modus. Efficiunt Dæmones corporea, ministra natura: spiritualia, propria indole: & ista in operibus res creatas, hæc in rebus animam attinentibus. Naturæ solius operatio nunquam de se mira sisteret, nisi artificiosa subitò collectarum naturalium rerum applicatione illam Dæmones juvarent. Hac ratione causæ naturales propriis suis viribus quodammodo præstantiora dant effecta. Imò & ea, quæ præstigiatoriè fieri dicuntur, absque administra natura non semper fieri inferiùs patebit. In actionibus verò per præstigiarum delusiones productis ipsa actio ab effectu distinguenda est. Actio quidem vera semper est, non autem effectus semper talis est, ut existimatur, sed apparens sæpe est. *Unde*, inquit Suarez. *lib. 2. de Superstit. cap. 16. num. 1. distinguendo omnes actiones Dæmones ab his fictionibus hominum dicere possumus, omnia opera Magiæ verè & realiter esse opera Dæmonum, sicut dici verissimè potest, columbam, quæ in baptismo Christi apparuit, actione verâ & propria Angelorum bonorum formatam fuisse, quia sive illa fuerit vera columba quoad substantiam talis animalis, sive tantum imago ejus, utroque modo debuit industria & motione Angelorum formari. Ita ergo in præsenti supponimus, hos corporeos effectus vel motus, qui per Magiam fiunt, per realem ac veram operationem Dæmonum fieri. Inquirimus autem de substantia ipsorum effectuum, qualis sit, id est, an sint vera res, quales*

apparent, vel solùm appareant per effectionem aliquarum veluti imaginum, specierum, aut phantasmatum, quæ omnia generali vocabulo præstigia vocamus.

§. 5. *Totum hominem* in totius, seu corporis & animæ obsessione simul facta; partes autem, & quidem corpus in corporali, & animam in spirituali obsessione distinctim ortâ, fascinari diximus. *Corporalis obsessio*, quando corpus à Dæmonio agitatur (δαιμονίζεται, ut habetur *Matth. 15. v. 22.* Germanus dicere potest, durchteuffelt) quomodo fiat, non ita planum. Spiritus malignus, dum corpus occupat, forma quidem assistens est, informantis tamen animæ, quæ ratione essentiæ spiritualis est (quod de quavis etiam formâ substantiali , Schoockius *Phys. General. Disp. 3. §. 15.* confirmat) indolem imitatur, & vel quasdam, vel omnes & singulas corporis partes intima περιχωρήσει permeat, seipsum illis communicat, easdem κατ' οὐσίαν & ἐνέργειαν inhabitat, & pro lubitu libituque, sed cum tyrannide regit, movet & agitat, in tantum tamen, in quantum divina Majestas permittit. **Der den Leib einnimt und denselben verderbt** / Dn. D. Danhauerus **im Scheid- und Absags-Brieff** *pag. 90.* Quemadmodum anima hominis, ita se Dæmones habent in corpore, quamvis interim alias Dæmones, alias anima habeat operationes, arctius etiam cum corpore anima, quàm Dæmones conjunguntur, uti Thyræus *Part. 1. Disp. de Dæmoniol. cap. 10.* §. 2. bene advertit. Non autem necesse est, ut ubi operantur, ibi sint αὐτοπροσώπως ipsi spiritus. Nam ut Thyræus *loc. cit. §. 5.* ait, *possunt hoc loco existere, & alio operari.* Alia est sphæra activitatis Dæmonum, alia præsentiæ. Igitur si tuber in aliqua hominis parte excitant, si obsessorum linguam protrudunt, si molestia hoc vel illud membrum afficiunt, non mox ibi spiritum esse necesse est dicere. Omnia hæc Dæmonum virtute fieri possunt, quæ ad plura, quàm ipsorum se præsentia extendit. Similiter dum aranei aut muscæ in obsessorum ore conspiciuntur, non ita iisdem Dæmones includimus, ut extra illa non sint. Possunt hæc animalcula producere, & in iis latere, possunt quoque extra ipsa subsistere, & nihilominus, quò libet, impellere.

§. 6. Dæmonem hominem obsessurum, Deo ex justo & occulto judicio permittente, ingredi diximus vel per se, vel ad Magorum imprecationes. Quomodo autem, & per quas partes ingrediatur, curiosum

ſum eſt diſputare. Cùm enim ſit ſpiritus agilis , totumque hominis corpus pervium, obſtaculo ei nihil eſſe poteſt. At cùm inferior in ſuperiorem , adeòque & homo in Dæmonem nullam habeat poteſtatem quæritur, qua ratione à Magis immittantur Dæmones ? Reſpondemus cum Schotto *Phyſ. Curioſ. libr. 4. cap. 4. hoc non provenire à facultate cogendi, quam Magi ac malefici habeant ; ſed vel ad imperium, vel potius ad petitionem maleficorum Dæmones ſuperiores cogunt inferiores, ut, ſi Deus permittat, deſtinatum hominem invadant, vel Dæmones ipſi, poteſtate ſibi à Deo facta, ſponte accurrunt, & ex pacto hominem invadunt, fingentes, ſe obtemperare, imò & cogi.*

§. 7. *Animam* hominis vel ratione facultatis propriæ, ut eſt rationalis, vel ratione facultatum communium, ut eſt forma hominis informans à Dæmone faſcinari diximus *Sect. 1. cap. 1.* §. *8. Ut eſt rationalis* faſcinatur, vel *immediatè* in obſeſſione ſpirituali, vel *mediatè*, per phantaſiam corruptam, de quo *cap. ſeq.*

§. 8. *Obſeſſio Spiritualis* non juxta obſeſſionis corporalis modum venit intelligenda, quaſi ſpiritus malignus in animam hominis illabatur eamque ſecundùm ſubſtantiam impleat & occupet, hoc enim ſoli Deo competere dictum eſt *Part. 2. Sect. 1. cap. 2.* §. *8.* Satanas quidem Ananiæ cor impleviſſe *Act. 5. v. 3.* & in Judam intraſſe *Luc. 22. v. 3.* dicitur, ſed hoc ita accipiendum eſt , quòd iniquas iniquarum cogitationum perſuaſiones de Chriſto Judæis prodendo & tradendo in cor Judæ immiſerit, ut *Joh. 3. v. 2.* exponitur. Diaboli perſuaſiones qui ſequitur, τόπον τῷ διαβόλῳ locum Diabolo dat, quod Paulus *Eph. 4. v. 27.* perhibet, Didymus Alexandrinus *ſub finem libri 3. de Spir. S. ap. Hieron. Tom. 6. Oper. p. 33.* citante D. Gerhardus *Harmon. Evangeliſt. Chemnitio-Lyſerian. cap 168 p. 1155.* ad illud, quod Satanas Ananiæ cor impleviſſe dicitur, reſpondet, quod *Satanas mentem alicujus & principale cordis impleat, non ingrediens eum & in ſenſum ejus atque ut ita dicam: in aditum cordis introiens, ſiquidem hæc poteſtas eſt ſolius Trinitatis, ſed quaſi callidus quidam & nequam, ac fallax fraudulentusq; deceptor, in eos animam humanam malitiæ affectus trahat per cogitationes & incentiva vitiorum, quibus ipſe plenus eſt.* Ad hoc, quod Satanas Judam intraſſe dicitur, reſpondet, quod *obſervans Diabolus, quibusdam motibus & operationum ſignis, ad quæ potiſſimum vitia Judæ cor proclivius, deprehenderit*

derit eum patere insidiis avaritiæ, & reperta cupiditatis janua miserit in mentem ejus, quomodo desideratam pecuniam acciperet, & per occasionem lucri proditor Magistri & Salvatoris sui existeret, argentum proprietate commutans & suscipiens precium sceleris à Pharisæis atque Judæis. Hanc ergò cogitationis occasionem locum tribuisse Satanæ, ut in cor ejus introiens impleret eum pessima voluntate. Introivisse igitur non secundum substantiam, sed secunndum operationem, quia introire in aliquem increata sit natura ejus, quæ participetur à pluribus; imparticipabilem autem esse Diabolum, quippe non creatorem subsistentem &c.

§. 9. Fascinatio hæc spiritualis suos habet in variis gradus. Gravis est & evidens in filiis incredulitatis, in quibus ἐνεργεῖ operatur *Eph. 2. v. 2.* (metaphora à corporali obsessione desumta) quos sibi tum per deliberati consensus impetrationem, tum per operis executionem subjugare laborat: acrior, sed obscura in piis, siquidem nec pii, & fideles à fascinatoris stygii tyrannide sunt immunes, quos per varias technas in insidiis tentat. Insidias aliquantulum verbis tropicis detexit B. Ephræm *Sermon. Exhortat. ad Fratr.* citante Filesaco *de Idol. Mag. pag. 7.* quæ quia ponderosa sunt, ea omittere nolo. *Caveamus*, inquit, *ejus insidias, quoniam per eas adversum nos decertat, ne dum nos velut ex omni parte securos ducimus, ipse sibi ingrediendi locum inveniat. Si enim tanquam leonem firma murorum communitione ipsum arceamus, tanquam canis efficitur, ut propter vilitatem eum minimè devitemus. Si ut canem excludamus, volucris instar per fenestram ingreditur. Metuimus eum, dum aquilam se exhibet, & mox passerculus apparet. Ejicimus ut corvum, velut apis insilit: cumque in omnibus cognoverimus eum, tunc in culicem sese transformans, non exigua nos injuria afficit.*

§. 10. Dæmon utrosque & fideles obsessurus fascinare audet, & infideles obsidens fascinare pergit suggestionibus & inspirationibus pravis, quæ tela ignita Apostolus *Eph. 4. v. 16.* vocat. Quomodo autem tela ejus ignita immittantur, seu suggestio & inspiratio fiat, non ita evidens est. Spiritualis cùm sit, spirituali ea explicanda modo, quem sanè hominis intellectus ex asse non percipit. *Missio ista spiritualis suggestio est, non fit per aurem, sed per cogitationes: ac per hoc non corporaliter, sed spiritualiter*, inquit Augustinus *Tr. 53. in Joh.* Modum nonnihil Michaeli Psello Marcus, in Chersoneso Græciæ contermina, vitam solit-

ſolitariam degens, ſive Marcus iſte fuerit Dæmonii cultor, ut Wierus *lib.1.cap.14.§.1.* eum appellat, nec ne, eleganter tamen explicavit. Ita ille apud Pſellum: *Spiritui, qui nobis ineſt, phantaſtico propinquant Dæmones, utpote, quia & ipſi ſpiritus ſint: verba perturbationum & voluptatum nobis inſinuant, non emittentes quidem vocem pulſatione quadam & ſonitu, ſed ſermonis ſuos absq; ſonitu immittentes.* At quonam pacto, inquam, reſpondet Pſellus, ſine voce ſermones nobis ingerere poſſunt? Quid mirum, ait Marcus, ſi modo illud animadvertas, quemadmodum videlicet, qui loquitur, ſi procul loquatur, vehementiore clamore eget, factus verò propinquior, in audientis aurem ſuſurrando ſubloquitur: qui, ſi poſſet cum ipſo animæ ſpiritu copulari, nullo ſono prorſus egeret, ſed ſermo ejus voluntate conceptus, nullo penitus ſono audienti illaberetur. De ſuggeſtionibus iisdem Dn. D. Danhauerum eleganter *Theol. Conſcient. p.147.* diſſerentem placet audire. *Tentare*, inquit, *ſolet hic tenebrio vel palam, craſſe ac immediatè, quaſi pirasmo afflixit Apoſtolum colaphis cæſum, & palo ſauciatum: vel clam tecte ſubtiliter per tela ignita ſubitò immiſſa, opinione citius ferientia, ipſis quandoq; precibus ſcævum quid injicientia, per ſuggeſtiones inſtar ignis aut fulminis vibrati, penetrantes, inflammantes, ſubtiles, celeres, quibus inflammat ſubjecta inermia, & facilè vincit, cùm intra obſidionem concupiſcentias inveniat, quaſi proditrices, in his ſemen ſuum effundit pater mendacii, ut tandem prolem pariat ſui ſimilem, filium Belial.*

§. 11. Ita intellectum Dæmon immediatè faſcinat, ſed moraliter ſaltem, & indirectè, aut occaſionatè, non autem phyſicè & directè, id quòd ſupra *Part. 4. Sect. 1. cap. 2. §. 3.* indicavimus. Intellectum poteſt afficere abſque media phantaſia aut phantaſmatibus, eidemque ſpecies intelligibiles immediatè proponere & imprimere, ſive id fiat per illuminationem, ſive per inſpirationem, ſeu vocem ſpiritualem, nos non adeò diſputabimus: quanquam nec prius dubium eſſe queat, quia, ſi de Angelis bonis conceditur, eos intellectum hominum movere illuminando, de malis Angelis negari nequit, vel ideò ſaltem, quia in naturalibus æqualis ſunt poteſtatis utrique. Faſcinat etiam Dæmon naturale & præhabitum lumen intelligibile, per ſpecies intelligibiles novas illud obſcurando & confundendo. Obſcuratus ita intellectus & per ſpecies intelligibiles erroneas corruptus, niſi revelati verbi lumine

reformetur, varia hæresium & errorum monstra parit, imò phantasmatibus suis immissis homines adeo turbare potest, ut vix aliud queant advertere, vel respondere, quàm quod ab eo suggestum fuit. De hoc intellectus sive animi fascino Aretius *Probl. Theol. Part. 3. p. 342.* ita disserit: *Fascinum animi est*, inquit, *quando Satan pravis dogmatibus corrumpit fidem & veram Christi doctrinam, ut in articulo justificationis, Galatæ mutata sententia putabant, Christi meritum non sufficere ad salutem, nisi circumcisionem simul, & alia legalia observarent. Hæc corruptela doctrinæ fascinum Satanæ erat per falsos doctores injectum. Ideò Apostolus ad Gal. 3. inquit: Quis vos fascinavit, ut non crederetis veritati? Huc pertinent igitur omnes omnium temporum hæreses & sectæ circa fidem. Ut enim corpus & oculi fascinantur, ut credant se videre, quod minimè verum: sic animus pravis opinionibus imbutus à veritate recedit, ut credat mendacio, interim juret per omnia sacra, veras se amplecti sententias.* His subjicimus elegantem B. D. Christian. Chemnitii discursum, ex ejus *Disput. Inaug. de Tentation. Spiritual.* §. 18. in quo quomodo intellectum hominis Satan adoriatur, & fascinet, nervosè tradit. *Quemadmodum*, inquit, *secundum Philosophos triplex est Operatio intellectus: Simplex rerum apprehensio: Compositio; & tandem Discursus: sic etiam Satanas tripliciter adoritur intellectum hominis: Primo; per modum simplicis apprehensionis, repræsentando nempe objecta vetita; sicut in Paradiso fructum arboris vetitæ Evæ objiciebat. Secundò: per Compositionem & divisionem; suggerendo enunciationes, in quibus composita sunt, quæ secundum verbum Dei essent dividenda: & in quibus divisa, quæ juxta idem essent componenda. Sicut ad Evam dicebat: Nequaquam morte moriemini; Persuadebat item: Arborem vetitam facere sapientem, Eos fore sicut Deos. Et sicut multis etiamnum blasphemas, impias, perditas & Verbo Dei contrarias suggerit propositiones: v. g. non esse DEUM; DEUM esse injustum; DEUM non amare homines; Biblia non esse verbum DEI; Nullum esse infernum; Mortuos non esse resurrecturos; Sacram Cœnam esse rem leviculam, & nullius ponderis: & quæ sunt ferè infinita alia mendacia, & propositiones falsæ ac impiæ, quas Satan hominibus suggerere solet. Tertio per Discursum: quando ad confirmandas suas mendaces enunciationes, etiam rationes affert, exempla, aut*

causas

causas, & audacter mentitur, omnem concutiens lapidem, & falsa veris miscens, fallaces quoque consequentias nectens; aut S. Scripturam depravans, totumq; Acheronta movens, ut, intellectum obtenebret, & per intellectum voluntati postea imponat, tandemq; in gravem lapsum tentatio desinat. Est enim hic mille artifex Satan, nec explicari potest, quot modis regiam hominis sedem, intellectum turbare conetur & evertere: quoniam novit, hac occupata regia, totum deinceps hominem à se teneri posse. Quamvis non negemus, Diabolum etiam aliquando dictamen intellectus planè pravertere posse: vehementius commovendo sensus, aut concitando affectus: vel impellendo voluntatem: Ut non expectato, quid intellectus censeat, homo salutis prodigus & securus in gravia scelera labatur, & videns meliora probansq;, tamen deteriora sequatur, ut maximè fieri solet in ebriis, iracundis, aut aliis enormibus vitiis & peccatis habitualiter assuetis.

§. 12. Quomodo Dæmon artes atque scientias sua mancipia doceat, ex dictis pariter patet. Sive autem suos informet immittendo lumen speciei intelligibilis, quo tanquam principio intelligendi ad conceptum formalem de scibili ante ignoto promtè formandum atque ad intellectionem eliciendam juventur; sive suggerendo scibilia velocissimè, sic quidem, ut Magus, cùm velocitatem non percipiat, simul & in instanti se didicisse existimet, quæ successivè & in tempore brevissimo acceperat, nos hoc loco non curamus. Fascinum diabolicum quomodo hîc occurrat, dixisse sufficiat: rationem appellationis dedimus suprà *Part. 4. Sect. 1. cap. 2. §. 4.* Atque ita omnes, qui nostro seculo magnos scientiarum & linguarum thesauros, quos nunquam ante tenuerunt, & sine labore & exercitio, sine lectione & auditione acquisiverunt, monstrant, Dæmonis, non Dei, ope fruuntur. Deus enim miracula talia, conferendo ex sinu gratiæ singularis amplissima sapientiæ munera, hodiè non facit, nec in Ecclesia sua plantata se facturum promisit, neque cur sibi singulariter conferantur, indicare potest ullus. Tales sunt fanatici quidam hæretici, qui cùm antea essent literarum ignari, Scripturam S. & res Theologicas memoria subitò pronunciant: item Enthusiastæ, quorum catalogo etiam Peucerus comprehendit mulieres, Sibyllas, & *omnes Diaboli fatidicos ministros, quos æmulatione veri Dei, qui per Prophetas sanctos locutus est cum patribus, Diabolus finxit, ne cedere Deo videretur,*

deretur, Lib. de Divin. tit. de Θεομαντεία *pag. m. 132.* In eodem catalogo Voetius Ignatium Lojolam, cui Diabolus ingentem copiam divinarum intelligentiarum in animum influxerit, reperit. Huc vani Notoriæ (& quæ hujus species putatur, Paulinæ) Artis cultores referuntur, Parisiis jam olim Anno 1320. damnati. Hujus artis discipulus primò per confessionem, totius vitæ maculas eluit, & per septem septimanas continuas quotidie septem Psalmos & certas preces recitat, jejuniis & bonis operibus se exercet, quibus peractis aliæ precum concipiendarum formulæ præscribuntur, in septem primos novilunii dies recitandæ ipsi Sole quotidie oriente, & postremò sibi diem eligit, in quo solus existit in templo, vel in agro, & flexis genibus manibusque ad cœlum sublatis ter primum versiculum hymni, *Veni Sancte Spiritus*, pronunciat, quod cùm fecerit, repente non minus, quàm Salomon, Apostoli & Prophetæ omni scientia eundem impleri dicunt, ut è Petr. Cirvelo narrat Torreblanca *lib. 1, Dæmonol. cap. 14. num. 2.* ubi artis istius vanitatem damnat & confutat. Ejusdem commatis sunt, qui per spirituum familiarium assistentiam splendida animi dona & omnis scibilis divitias anhelant.

§. 13. Non tamen obvii cujusvis, sed ejus, qui malitiæ magicæ nomen dat, nec cujusvis bubulci & agresti robore nati hominis, sed eorum fascinat & illustrat ingenia, qui ad magna nati sublimiorum rerum gratia curiosiùs mentis & ingenii alas explicant. Sic enim, quia alia ratione vix capere potest pruriientia ingenia, in tali puteo suffocat: simpliciores verò sua inscitia perire mavult, quàm ut per prudentiam & scientiam etiam fucatam, forsan sapere & ad meliorem frugem se recipere discant. Illustrat verò intellectum, sed ad aram usque religionis veræ. Fidei verò salvificæ notitiam ut augeat, tantum abest, ut potius præsentem omnem obscuret, & expungat, quæ summa est ignorantia & cœcitas. Sed artes & scientias dona Dei esse, si forsan objicis, admitto hoc de vera scientia & arte intellectum, quarum habitus excellentissimus vel per usum & experientiam ex supremi Numinis benedictione perpetuo perfectionis gradu coronatur: vel Dei omnipotentis larga inspiratione imprimitur, ita ut speciali Dei concursu sublato habitus suum vigorem ostendere pergat. Alia autem ratio fuit cognitionis Prophetiarum, quæ Prophetis non per habitum immanentem, sed transeuntem contigit. Inde Elisæus Spiritum Prophetiæ cantu musico excitabat 2. *Reg. 3. v. 15.*

itemque

itemque *cap. 7. v. 27.* fatetur, Jehovam celasse sibi mortem filii Sunamitidis, & non indicasse sibi. Ait, quod Magistellus Stygius suggerit, scientiarum & artium donum omne subtracto ejusdem influxu in nihilum resolvitur, ut in rudem iterum homo evadat. Vid. *lib. 3. Part. 4. Sect. 1. cap. 2. §. 4.* Verus enim bonifacius Dæmon nunquam est, malifacius semper. Bona pauca confert, ut mala multa inferat. Apparens bonum menti vendit, ut verum hominis bonum, animam ipsam, lucretur. Bonorum ubertatem malorum gravitate compensat. Mentem pro conditione hominis seducendi aliquandiu collustrat, sed quod collustraverat, tandem ut suum sibi vendicat. Exempli loco esto sequens in Gallia natum, quod Viri cujusdam Generosi candor, quem candidi venerantur, subministravit. Juvenis quidam ad amici sui instantiam in Scholam Magicam, in qua Dæmon ipse docuit, ut hospes seducitur. Finitâ lectione Doctor auditorem suum novellum blandis compellat verbis, &, ut singulis, ita & huic aliquid petendi concedit potestatem: renuentem hunc ille urget, ut vel aliquid saltem à se petat vel voveat, quodcunque etiam fuerit, se non denegaturum. Defatigatus urgentibus monitoris verbis hospes hoc sibi dari tandem vovet, ut ab eo, qui primus est à Rege, proximus, & sic tertius in regno esset. Dæmon dato nutu, ut compos discipulus voti sui fieret, se effecturum promittit. Magister linquit discipulum, discipulus Magistrum, totumque collegium magicum, animumque studiis deinceps seriis, de magicis securus, applicat; sed tantos cum omnium applausu facit progressus, ut magnis honoribus, & tandem loco à Rege secundo dignissimus fuerit judicatus. In eo constitutus, foribus aliquando pulsatis & apertis per advenæ præsentis faciem Magistri olim in Schola quadam sui vultum, & cum hoc promissionis suæ liberalitatem, Dæmon verò discipuli sui factum per promissi impletionem in lucem revocat, eumque totum ceu suum mancipium mercedis loco jam postulat. Territus ille fidei gladio & Spiritus S. favore benigno malignum Spiritum propellit. Sed ubi varios hujus Spiritus tyrannidem perpetuo spirantis regressus & insultus sensit, animæ & salutis majorem, quàm corporis & existimationis rationem habens Magistratui rei olim petulanter, & jam periculosè gestæ circumstantias proprio motu exponit, & impetratô capitis supplicio, quod sibi non innocenti decerni petiit, æternæ salutis jacturam per Satanæ importunitatem, si diu superstes

esset, metuendam præcavere voluit. Tantum est, vel semel Cacodæmonis blandientis petito assurgere, suique voti dispositionem veteratori committere! Magna hoc in casu fuit Dæmonis juvenem occulto influxu scientiæ & prudentiæ ubertate ditantis, istumque honoris gradum procurantis, ast sub his animæ inhiantis calliditas: major tamen Viri, quòd per occultam divini spiritus inspirationem æternum temporali præferret, & majus periculum per vindicem Magistratûs manum ultrò evitaret, prudentia.

§. 14. Absurdi verò sunt, qui per absurda, hoc est, per res ex naturæ gremio instinctu Dæmonis tractas, in se quidem sanas, sed in respectu ad effectum vanas scientiarum fontes haurire satagunt, cujus memorabile exemplum ex Saxone Grammatico *lib. 5. Histor. Danic.* Wierus *lib. 3. cap. 15.* recenset ita: Erant Ericus & Rollerus Regneri pugilis filii, patre eodem sati, diversaque editi matre. Matrem quippe Rolleri, eandemque Erici novercam, Cracam vocabant. Mittitur Rollerus à Patre, cognoscendi causa, quæ domi, interim dum abfuissent, essent acta. Is ut maternum fumare tugurium vidit, foris accedens, parvulumque foramen furtiva luminis applicatione trajiciens, introspectâ æde, animadvertit matrem in furni cacabo coctilia pulmenta versantem. Suspexit præterea tres colubras superne tenui reste depensas, ex quarum ore proflua tabes guttatim humorem epulo ministrabat: duæ quippe colore piceæ erant, tertia squamis albida videbatur, reliquis modico eminentius pensa. Hæc nexum in cauda gestabat, quum cæteræ immisso ventri funiculo tenerentur. Ille rem maleficio consentaneam ratus, silentio, quod viderat, pressit, ne matrem veneficii ream astruere putaretur. Ignorabat enim innocuam anguium extitisse naturam, nescius quantum vigoris illo epulo pararetur. Supervenientes deinde Regnerus & Ericus, ut fumidam aspexére casam, ingressi discubitum petivere. Quibus ad mensam sitis, Craca privigno filioque unà cibus capturis, catillum discoloris dapis admovit. Pars quippe picea, sed croceis guttis interlita, pars albida videbatur: quippe pro varia serpentum specie, geminus pultem color infecerat. Cujus cùm solam uterque particulam delibasset, Ericus non ex colorum habitu, sed interni vigoris effectu epulas æstimans nigrantem dapis partem, sed succo potiore contectam, catino quàm celerrimè verso ad se transtulit: albidamque sibi admotam prius

Rollero

Rollero applicans, cœnam feliciùs gessit. Et ne mutationis industria notaretur: taliter, inquit, æstuante freto puppim in proram referri solitam. Nec tenue Viri ingenium fuit, industrii operis dissimulationem à navigii consuetudine mutuantis. Ericus itaque fausta jam dape refectus, interna ipsius opera ad summum humanæ sapientiæ pondus evasit. Quippe epuli vigor suprà quàm credi poterat, omnium illi scientiarum copiam ingeneravit, ita ut etiam ferinarum pecudaliumque vocum interpretationem calleret. Neque enim solum humanarum rerum peritissimus erat, verùm etiam sensuales brutorum sonos ad certarum affectionum intelligentiam referebat. Præterea tam comis atque ornati eloquii erat, ut, quicquid disserere cuperet, continuo proverbiorum lepore poliret. At ubi superveniens Craca concham transpositam, partemque pultis potiorem ab Erico comesam cognovit, fortunam, filio præparatam, privigno cessisse condoluit. Cui mox gemebunda supplicare cœpit, ne unquam sua fratrem ope deficeret, quem ipsius mater tot novæ felicitatis opibus cumulasset: quippe sapido unius epuli gustu, rationis atque eloquentiæ summam, nec non gerendorum prosperè conflictuum gratiam assecutus videbatur. Adjecit quoque, Rollerum propemodum consilii capacem, futurumque, ut destinati sibi obsonii prorsus expers non esset. Monuit quoque, si suprema necessitatis violentia postularet, nominis sui nuncupatione remedium celerius esse quærendum: affirmans, se divinâ partim virtute subnixam, & quasi consortem cœlitum, insitam Numinis gestare potentiam. Ericus se ad astandum fratri natura pertrahi dixit, probrosam referens alitem, qui proprium polluit nidum. At Cracam magis propria molestabat incuria, quam fortuna filium gravaret adversa. Artificem enim ingenio suo deludi, magnum olim ruboris incitamentum fuit. Hæc Saxo.

§. 15. Wierus historiam hanc mendacem, aut mendaciis egregiè excultam vocat, quòd nulla creatura, multò minus virulenta anguium tabes excillaticia gignat rationis & eloquentiæ summum donum, aut prosperitatem in bellis donet, sed peculiaria illa sint Dei munera. Verùm enim verò lubens quivis sanæ rationis homo admittit & prius, nimirum falsum esse, creaturam, aut rem ullam è naturæ sinu tractam gignere rationis ac eloquentiæ summum donum, seu verum constans & perpetuum intellectus bonum. Quod autem creatura ad infernum damnata,

seu

seu Dæmon confert, fugitivum illud esse diximus hoc *cap.* §. *13.* & suprà *Part. 4. Sect. 1. cap. 2.* §. *4.* Admittimus etiam posterius, scilicet à virulenta anguium tabe rationis ac eloquentiæ donum provenire non posse: sed consequens, quod inde Wierus elicit, est inconsequens, historiam ipsam puta propterea esse mendacem. Non si historia rerum absurdè gestarum mentionem facit, propterea historica relatio ipsa mendacii arguenda. Ecquid frequentius Dæmoni, quàm ut ad absurdorum, vanorum, & ad effectum determinatum planè inefficacium usum suos vel cogat, vel suadeat? non tamen propterea, quia absurda fiunt, res gesta ipsa, seu rei absurdæ narratio absurda est. Absurdum quoque & ineptum ad scientiam acquirendam medium, quibus Sagæ utuntur, adduximus ex Niderio suprà hujus Libri *Part. 5. cap. 3.* §. *3.* non tamen quia medium est absurdum, historica Sagarum relatio ipsa propterea in dubium vocanda.

§. 16. Quomodo verò Dæmon intellectus sedem ipsam, ut ingenii acumen crescat, afficere queat, jam supra *Part. 4. Sect. 1. cap. 2.* §. *4.* paucis indicavimus, nimirum inferendo eidem commodiores dispositiones, humoribus videlicet densioribus motu locali dispulsis, vel agentium naturalium adhibitis medicamentis, vel spiritibus sensitivis expurgatis & ad organa dictorum modorum altero attractis, aut sanguinis defecatione iisdem spiritibus multiplicatis. Quò enim plures, meliores, purgatioresque sunt spiritus, & quò meliora ac expeditiora impedimentis sunt interni sensus organa; hoc intellectio expeditior atque felicior nascatur necesse est, Delrius *lib. 2. Quæst. 24.* qui quidem Angelorum bonorum hæc quasi propria esse munia vult: malos autem Dæmones potius humorum densitate, spirituumque paucitate, imbecillitate, atque impuritate tenebras mentibus humanis offundere ait. Quod quidem utplurimum Dæmones facere largimur. Sed ubi caprina & prurientia advertit ingenia, quæ felicitate & acumine suo ad magicas & alias ineptias sint abusura, quæque aliis retibus vix capi possunt, Dæmon aliquod bonum largitur, ut majus malum inferat.

§. 17. *Mediatè* etiam intellectum per phantasiam fascinatum, decipi & fascinari, supra *loc. cit.* §. *2.* diximus, & ibi modum insuper exposuimus, qui pluribus circa phantasiæ fascinum tradetur. Hunc ipsum etiam Excell. Dn. Posnerus Disp. *de Insomniis Vigilantium cap. 3.*

§. *9.* in-

§. 9. ingeniosè tradit, ubi modum, quo se anima rationalis ad species objectas applicare potest, exponit. Virum laudatum ipsum audire placet: *Quo momento phantasia perculsa speciem expressam elicit, imaginemvè, seu similitudinem rei, quæ in sensum incurrerit, sua vi exprimit ac format, h. e. ipsam rem quasi inspicit, eodem momento intellectus ob intimam sui præsentiam, & quasi cohæsionem, cum phantasia rem eandem contuetur, speciemq; ejus in se recipit.* Hinc etiam *intellectus possibilis seu potentialis* appellatur, quia omnium specierum intelligibilium imagines seu formas apprehendere potest. Et propterea etiam Aristoteles III. *de Anima cap. V. text. 14. potestate quodammodo intelligibilia esse dixit, antequam autem intelligat, eorum nullum esse actu.* Realiter tamen ab ipso intellectu agente non distinguitur, sed tantum per operationem mentis, & quatenus diversa obit munera, ut optimè ab aliis est ostensum. Unde dum intellectus speciem simul cum phantasia inspicit, & hæc ipsa fortior fuerit iis à sensu exteriori receptis, non mirum, ipsum tunc decipi, ut etiam pro verâ, & veluti ab externô sensoriô transmissam accipiat, sibique similem efformet imaginem, qualem in sensu interno deprehendit, à cujus imagine ordinariè oritur imago intellectualis.

CAPUT II.

Voluntatem Dæmon fascinat, non physicè, sed moraliter: item inspirationibus: ad vitia temperamento congrua homines solicitat. Risus fascinum: Risus quomodo fiat naturaliter & supernaturaliter? Sermonis fascinum. Organa vocis & sermonis quæ? ea Dæmon fascinare potest. Sagæ cujusdam equuleo impositæ Dæmon linguam in forma sciuri comprimit, ut taceat. Varias voces novit formare. Lingua abutitur energumenorum, ut blasphema effutiat, absentia indicet, ignota & futura prodat. Quorum futurorum Dæmon habeat cognitionem? Omniscius non est. Christianorum in sylvis Juliani tempore degentium locum ignoravit: item Lutheri Pathmum.

§. 1. V*oluntas* quando fascinetur, supra *Part. 4. Sect. 1. cap 2.* § 9. dicta insinuant, scilicet *non physicè*: positivè enim seu absoluta

necessitate à Diabolo cogi nequit, licet resistendi vis, Deo gratiam suam vel paululum subtrahente, non rarò debilitetur: *moraliter* autem fascinatur, proposito nimirum exterius objecto odibili vel amabili, vel etiam, ut habet Delrius *libr. 2. Q. 24.* excitatis imaginariis visionibus & cogitationibus; vel allecta & inclinata voluntate per passiones in parte sensitiva inflammatas, quæ quò vehementiores sunt, eò quoque acriùs inclinant, & quasi abripiunt aliquandò: nunquam tamen ullam voluntati necessitatem imponunt.

§. 2. Inspirationibus suis inprimis voluntatem ad continuandum actionum peccaminosarum exercitium fascinare satagit, objectum vel exaggerando vel attenuando. **Er machet die Sünde schön wie ein Döcklein / er macht sie klein wie ein Senffkörnlein / er schnitzet sie dünn wie ein Mohnblätlein / er macht sie süß wie Honigseim / er spricht für eine Sünd ist leicht gebüsst.** *Acrius autem tentat hominem ex illa parte, qua eum videt per excrescentem humorem facilè inclinare ad vitia, ut secundùm humoris conspersionem adhibeat etiam tentationem*, Bernh. *Serm. 67. de Mod. benè viv.* Nam, ut B. Gerhardus *in Epistolâ* quadam ad D. Zachar. Brendelium allegante Dn. Rauppio *Biblioth. Portat. Pract. loc. 4. p. 433.* scribit, *diabolus temperamentum uniuscujusque hominis perspectum habet, & ad quæ vitia naturalem inclinationem obtinet, ad illa potissimum eum solicitat, sicut in Urbis oppugnatione loca minus munita adoriuntur, qui eam oppugnare cogitant. Sic sanguineum ad libidinem, cholericum ad iracundiam, phlegmaticum ad ἀκηδίαν, melancholicum ad tristes ac desperabundas cogitationes impellit, unde vulgari proverbio dici cæptum, quòd caput melancholicum sit Diaboli balneum.* Hic latus Diabolicarum tentationum campus aperitur, sed quia is Dnn. Theologis tantùm patet, eum præteribimus.

§. 3. *Risus* fascinum, etsi exigui sit momenti, dimittere tamen nolumus; cumque risus per diaphragmatis, cordis & musculorum thoracis; & ex consequente inde per consensum dilatatione musculorum, qui circa buccas sunt, ob sanguinis calidioris & spirituum vitalium diffusionem fiat, per causæ supernaturalis, sanguinem & spiritus vitales debitò largiùs ad prædictas partes impellentis actionem fascinum risus, potissimum in obsessis, oboriri posse constat.

§. 4. *Sermonem* ψυχῆς ἄγγελον, *animæ nuncium & interpretem*, ut

Ennius

Ennius loquitur, fascinat, dum organa ipsa fascinat, ita ut lingua vel non loquatur, vel ea loquatur, quæ loqui non debet. Organa voci & sermoni formando necessaria quæ sint, diximus *libr. 1. Part. 1. Sect. 3. cap. 1.* Materia aer est. Ut sermo edatur, requiritur, ut aer intret & egrediatur liberè pulmones, per foramen laryngis sufficienter apertum, ut uvula pendula moveatur pro voluntate, ut lingua sit integra, seque liberè debita cum promptitudine & agilitate moveat, ab una parte ad alteram, ut dentes in ordine, labia disposita, palatum ritè cum naso formetur, ad faciendum ex aeris repercussione sonum vocis, qui producit loquelam, ut saliva sit in sufficienti quantitate ad humectandas omnes oris partes, & facilitandum motum uvulæ, labiorum & linguæ, ut tradit Jacob Rolandus de Beliad *Aglossostomograph. cap. 6.* Dæmon autem his partibus præsens non tantùm potentiâ propriâ eas in operando coercere, retardare & impedire, sed & humores ac spiritus impellere, vel repellere potest, v. g. ne spiritus animalis ad linguam confluat, ex quo paralysis ejusdem oritur; nervos comprimere, aut humiditatem superfluam ad eos devolvere potest: fauces & os præcludit, linguamque comprimit, debita tamen moderatione, ne suffocationis periculum sequatur. Saga quædam hac in Urbe tormentis subjecta fateri primùm nec voluit nec potuit. A carnificis autem ministro blandè, ne se tantis tormentorum cruciatibus porro submitti pateretur, ad confessionem admonita; tandem confessa est, se hactenus verba facere non potuisse, quòd procus infernalis sub specie sciuri rubri præsens linguæ usum ademerit, sibique non aliter visum esse, ac si ille caudâ suâ collum obturasset, linguamque compressisset: sed ad dicti ministri monitum Dæmonem in interiora corporis, ubi etiam aliquos dolores excitarit, se recepisse, per inferius guttur, & tandem ex hypocausto in prædicta forma exiisse. Pro variâ autem linguæ directione & dispositione in retrahendo, constringendo, dilatando, elongando, protrudendo, jam ad palatum, jam ad dentes, pro spiritus jam multi, jam pauci impulsione faucium etiam dilatatione & coarctatione variat ingeniosus & expertus artifex vocem, ut rugire, balare, latrare, grunnire, in energumenis queat.

§. 5. *Lingua energumenorum abutitur*, blasphema effundendo, & absentia, ignota ac futura eliminando. *Blasphema effutit*, & san-

ctissimam Majestatis divinæ famam lacerat, quia hostis ejus est infensissimus: *absentia indicat*, quia spiritus velocissimus omnes mundi angulos brevi pervolitare, & quæ ubique agantur, referre potest: *ignota & futura prodit*, quatenus à causis physicis necessariam habent dependentiam. Harum enim cum sit scientissimus, non potest non earundem effectus integerrimè perspicere: cumque Magnatum mores & studia eum non lateant, horum, quæ moliuntur, eventum futurum sagacissimè præscire, & plura alia (quanquam non raro falsissima sint) prædicere potest, id quod Autores, qui argumentum hoc ex professo tractarunt, pluribus remonstrant. Quapropter multiscius licèt sit, non tamen omniscius est. Ea novit, quæ in ejus notitiam cadere vel possunt, vel à Deo permittuntur. Itaque non plus prodere, & per linguam energumenorum fundere potest, quam ipse novit. Precibus Christianorum in sylvis degentium repulsus Diabolus Juliano Imperatori non potuit determinare locum, cujus recognoscendi gratia erat ablegatus, teste Eusebio *lib. 5. de Præp. Evang. Cùm D. Lutherus Ann. 1521. reversus à Comitiis Wormatientibus patriam suam repeteret, & ex mandato Clementiss. Illustrissimi sui Principis, Ducis Saxoniæ Friderici in Sylva prope Isenacum caperetur, & in arcem Wartburgum abduceretur, quò tutus ibi foret à proscriptione & persecutione Imperatoris, id quod tantum octo rescuscebant personæ, & fideli custodiebant apud se silentio: ecce! nullus ariolus, augur, Magus, necromanticus aut aruspex, quorum plurimi, per universam Italiam & Germaniam quærebantur à Pontificiis, divinare aut indicare potuit, ubinam locorum Monachus ille lateret*, Lercheimerus *loc. cit. c. 4* & ex eo Wolffius *Lect. Memor. Tom. 2. p. 924.* Si non omnia actu existentia novit, multo minus futurorum omnium notitiam sibi arrogare potest. Ignorat, quæ à Dei voluntate absolutè dependent, ut sunt supernaturalia mysteria, rerum publicarum mutationes, & quæ ex hominis arbitrio pendent. Hæc enim Deus ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ posuit, qui solus & regna & corda, quæque inde manant, mutare & prævidere potest. Quantum Diaboli præscientiæ ejusque prædictionibus tribuendum sit, vide sis apud Balduinum *Cas. Conscient. lib. 3. cap. 2. Cas. 2.* D. Mœbium *de Oraculis Ethnic. cap. 5.* Freudium *Quæst. 4.*

CAPUT

CAPUT III.

Facultas sensitiva quomodo fascinetur, & quidem in ecstasi Diabolica? in Lycanthropia Datur etiam Lycanthropia ex morbo: item ob phantasiam in somno fascinatam. Modi, quibus accidit vigilantibus, ut se in bestias transformatos esse credant, & aliis etiam tales videantur, exponuntur. Dæmon se in bestias sagarum loco transformans, quæ accipit vulnera, Sagis alibi dormientibus infligit. Exempla hujus. Sensus communis & phantasiæ fascinatio quomodo fiat? Dæmonem species novas phantasiæ subministrare posse confirmatur rationibus, & experientia. Vigilantium phantasiam Dæmon fascinat privativè & positivè, & quidem mediatè: eam confortat & confirmat: quomodo hæc fiant? Dispositionem ad phantasiam & memoriam requisitam Dæmon melius, quàm homo ullus, novit. Depravatæ imaginationis exempla: ea Dæmon novit, & hinc intermedia naturæ ope ipse phantasiam fascinare potest. Virtus memoriæ: eam Dæmon exemplis edoctus Medici instar confortare potest modo vel naturali vel supernaturali.

§. 1. Ad inferiores animæ facultates, & quidem eas, quas cum brutis homo habet communes, *Sensitivas* nimirum jam descendimus; ubi *Cognoscens*, quæ *Sensus* dicitur, primo limine occurrit. *Ecstasin Diabolicam* hic occurrere diximus *Part. 4. Sect. 1. c. 1.* §. *ult.* in qua sensus omnes vel in totum, vel in tantum, maximè tamen externi feriantur. Quomodo eam Dæmon efficiat, tradit Majolus *l. c. p. 165.* nim. ligando vel solvendo sensus exteriores, idque duobus modis. Prior est, quando illos tramites obstruit, quibus à cerebro spiritus sensitivi ad exteriores sensus penetrant, velut contingit somniantibus. Posterior quando eosdem spiritus sensitivos ab exterioribus sensibus, ad interni sensus organa attrahit, ibique retinet, ne ad externorum sensuum organa queant descendere. Ita enim contingit, ut in raptu ob nimiam internarum virium sensitivarum applicationem & spirituum sensilium ad interni sensus organa confluxum adeò impediantur sensuum exteriorum munia, ut corpus vivum cadaveris mortui, & immobilis speciem

ciem præ se ferat. Hæc tamen majorem lucem in speciali singulorum sensuum consideratione accipient. Wierus cum suis asseclis Cardano, Reginaldo, Scoto & aliis, qui pro fabulis omnia habent, nullo hic negotio implicantur. Quæ enim de lycanthropis referri solent, vel negant, aut morbo melancholico, aut diabolicæ illusioni, & imaginationis curruptioni imputant. *Verùm omnes historias & experientias falsi arguere nimis temerarium est, præsertim cùm nec Scripturæ, nec rationi repugnet, nec contradictionem implicet modus ille metamorphoseos præstigiatoriæ. Et necessariò ille statuendus est, cùm non tantum sibi & aliis videntur lupi, canes &c.* ita benè Voetius *Tom. 1. Dispp. Select. pag. 939.*

§. 2. *Lycanthropia* seu hominis in brutum conversio quomodo fiat, jam venit explicandum. Totalem transformationem supra *Part. 4. Sect. 1. cap. 2.* refutavimus, animamque verè & realiter transmutari negavimus: itaque saltem ex parte corporis modus nunc erit investigandus, & quidem ejus, qui non tantum sibi, sed & aliis lupus, equus &c. videtur. Proinde mittimus eos, qui per phantasiam vel *physicè à morbô* corruptam, vel *hyperphysicè à Satanâ* in somno fascinatam in bruta se transformatos esse existimant: *in illis* ob atræ bilis præsertim per febres ardentiores exaltatæ excessum phantasia, & hinc ratio ita corrumpitur, ut se bestias esse ægrotantes sibi persuadeant, ferinos mores induant, desiderioque homines invadendi, lacerandi, & vorandi teneantur. Petro Pomponatio celebri olim in Italia Medico, referente Majolo *Tom. 2. Colloq. 3. pag. 231.* oblatus est, quem rustici fortè sub fœno repertum, captumque, quia se lupum esse clamabat, & fugere illos jubebat, ne ab ipso devorarentur, excoriare cœperant, ut explorarent, an versipellis esset, i. e. inversos pilos haberet: (sic enim erant persuasi errore populari.) Sed Pomponatii intercessione dimissus, & per idonea medicamenta curatus fuit. Patavii agricolam fuisse meminit Fincelius *lib. 11. Mirab.* qui lupus sibi videbatur, multosque in agris insiliit, trucidavitque. Tandem non sine difficultate multa captus confidenter asseveravit, se verum esse lupum, discrimen solum existere in pelle cum pilis inversa. Quapropter quidam exuti omnem humanitatem, vereque lupi truces voracesque, tibias & ejus brachia gladio feriunt, amputantque veritatem rei exploraturi: cognita verò hominis innocentia, eum chirurgis tradunt curandum, sed post dies non multos

expira-

expiravit. *Hyperphysice* in sopore Sagis persuasionem talem imprimere potest Dæmon, quod ex historia, quam ex Augustino *lib. 18. de C. D. c. 18.* nos suprà *Part. 4. Sect. 1. cap. 3. §. 9.* adduximus, patet, idemque pluribus inferiora docebunt.

§. 3. Sed & vigilantibus nonnunquam accidit, ut lupi vel alterius bestiæ formam se habere existiment, & aliis tales videantur. Hoc autem sequentibus modis fieri potest. 1. quando Dæmon exuvias ferarum, (non omnium, sed earum, quæ staturæ hominis ferè convenientem habent quantitatem, ut sunt lupi, asini, vituli, equi minores &c.) hominibus, sive insciis, sive consciis accommodat, ita tamen, ut præstigiis falsitatis notas, quibus fucus prodi posset, compleat, ad exactiorem conformationem corpus disponat, ejusque agilitatem influxu & motu suo promoveat. Lupinam pellem in trunco quopiam cavæ arboris occultatam Dæmonem Magis dare, ex confessionibus quorundam constare ait Delrius. Atque ab his validissima etiam animalia in campis prosterni, prostrata discerpi, discerpta luporum more vorari deprehensum est. Veruntamen, ut D. Sennertus *Inst. Medic. lib. 2. Part. 3. Sect. 1. cap. 7.* monet, Dæmone administro, & conatus hos adjuvante, atque ea, quæ potentiæ humanæ desunt, supplente talia fieri posse, quilibet facilè æstimare potest. 2. Quando Dæmon ex aere effigiem efformat, brutum certum, ejusque membra omnia exactè repræsentantem, eâque Magum quasi induit, quæ tamen facilè diffluit & perit. Remigius *lib. 2. cap. 5.* mulierem fuisse scribit ejusmodi malis artibus addictam, cui & ea induendi alienas formas à Dæmone facultas fuisset tributa. Eam igitur, cum ejus pagi opilionem odisset impendio, ac quoquo pacto malè mulctatum cuperet, in ejus gregem pascentem lupi forma, atque habitu aliquando irruisse: sed ab illo accurrente injecta atque impacta securi vulnus in femore accepisse, quo debilitato coacta esset se illicò in proximum dumetum inferre, ubi ab assequente opilione reperta esset vulnus obligans vestis discissæ peniculamentis, quò sanguinem, qui ex eo magna vi diffluebat, sisteret: sicque eo indicio delatam ac compertam rem omnem agnovisse, ac tandem luisse ignis supplicio. Repete hoc loco historias quas suprà *Part. 4. Sect. 1. cap. 6. §. 5.* recitavimus. 3. Quando Dæmon ipse vel veras, & vivas bestias subit, & occupat (occupare eum vidimus *lib. 1. Part. 2. Sect. 2. cap. 5. §. 1.*) vel ex aere bestiæ cujusdam effigiem apposite format, & varia Magorem

gorum

gorum loco sub schemate isto agit, Magis ipsis interea alicubi in occulto loco soporatis, & per somnia purissima rerum à Dæmone alibi gestarum notitiam capientibus: somno verò excusso somniorum claritate decepti seipsos omnia egisse sibi persuadent. Idq; tum potissimùm fieri existimo, quando Magis transformationis non tantùm in majorum ferarum, sed & in minorum formas, ut muscæ, avis, bufonis, muris &c. (quæ quidem transmutatio per datos jam apparentiæ & delusionis modos est possibilis) opinionem Dæmon imprimere laborat. Modum hunc agnovit etiam Augustinus *loc. cit.* ubi ait: *Non itaq; solum animum, sed nec corpus quidem ulla ratione crediderim Dæmonum arte, vel potestate in membra, vel lineamenta bestialia veraciter posse converti, sed phantasiam hominis (quod etiam cogitando sive etiam somniando per rerum innumerabilium genera variatur, & cùm corpus non sit, corporum tamen similes mirâ celeritate formas capit, sopitis aut oppressis corporeis hominis sensibus) ad aliorum sensum nescio quo ineffabili modo figura corporea posse perduci, ita ut corpora ipsa hominum alicubi jaceant, viventia quidem, sed multò gravius atq; vehementius, quàm somno suis sensibus obseratis. Phantasticum autem illud veluti corporatum, in alicujus animalis effigie appareat sensibus alienis, talisq; etiam homo sibi esse videatur, sicut talis sibi videri posset in somnis, & portare onera, quæ onera si vera sint corpora, portantur à Dæmonibus, ut illudatur hominibus, partim vera onerum corpora, partim jumentorum falsa cernentibus.* His subjungit historiam de Præstantio, quam ex eo nos supra loco, §. hîc 2. indicato recitavimus. Confer Petr. Joh. Fabrum *Pallad. Spagyr. cap. 22. p. 889.*

§. 4. Joh. Fredericus Wolferhusius Philosophus Lipsiensis *in Orat. de Lycanthropis* ibidem anno 1561. habita, quam citat Voetius *l. 1. Disp. pag. 940.* Lycanthropismum, salvo spiritu & ratione humanâ, physicè fieri posse contendit sequenti modo, quem speciosè satis tradit & proponit: *Verisimile itaque,* ait, *ad transformanda hominum corpora & membrorum lineamenta externa materiam à Dæmone talem seligi, & per occultos meatus corporibus immitti, cui naturalis secundùm propositam effectionem alterandi facultas insit. Quia verò materia corporea ob nativam crassitiem inepta est ad penetrationem in quamlibet partem alterabilis, rectè, puto, cum Cæsalpino dixerim, tenuiorem ex rebus substantiam, quæ operi accommoda sit, à Dæmonibus elici. Ut enim Medicos ad tuendam sanitatem succos videmus exprimere, & Chimistas per sublimationem ex*

ex omnibus terræ nascentibus purissimam elicere essentiam, quam quintam vocant: ita omninò credibile est, spirituosam substantiam ab omni fæculentia probè expurgatam, & veluti formam materiæ crassitie liberam Dæmonum industria à rebus separari, & pro instrumento proximo ad formam peregrinam corpori affingendam usurpari. Atque hinc est procul dubio, quod affectiones quascunque fere momento temporis inducunt, cùm spiritus nimia tenuitate undiquaque penetret, ac, quod in pestilenti aeris statu, serpentum venenis & omnibus ferè morbis contagiosis patet, brevissimo tempore operetur. Sic autem agit (opinor) Dæmon, posteaquam intra corpus accepta est apta materia contagio, quemadmodum anima, quæ alendo & augendo animalis corpori est attributa. Ut enim hæc innati spiritus & caloris adminiculo sanguineum alimenti succum ad extimos venarum tubulos deductum miro subigit artificio, percoquit, densat, novaque & solidiore carnis specie vestit, illa tamen pro multiplici animalium natura & crasi, multiplice ac diversa: (sic in homine, tenuiore ac glabra cute molliter apparet obducta, duriuscula verò hirtaque pelle intecta in quadrupedibus: Atque illic in pedum manuumque digitos sectim, & decenter excrescit, hic in rigentes ungulas & incurvos horribilesque ungues desinit) ita Dæmon in corpora Lycanthropon invisibili spiritu illapsus materiam corpoream, suo mediante pharmaco, pro arbitrio turbat, variè commovet & commiscet, transfert, componit, dividit, motus celeritate & efficacitate pharmaci momento perficiens, ut materia, quæ alendo & amplificando corpori proxima est, peregrinis qualitatibus inquinata naturam ab insita diversam assumat, & ita non in partes humani corporis, sed membra bestiarum abeat, motum materiæ pro lubitu intus moderante ac dirigente spiritu. Inde mox pilis efflorescunt Lycanthroporum corpora, novoque unguium genere pedes & manus obarmantur, diducuntur aures, decora ac venusta facies in novam oblongo rictu oris deformem excrescit, transitque totus aspectabilis habitus naturæ rationalis, ad cœli contemplationem divinitùs erectæ, in figuram naturæ brutæ, depresso corpore & inclinata facie terram obtuentis. Hactenus Wolferhusius. Verùm nos 1. negamus, dari materiam, quæ ab omni fœculentia depurata & in corpus deducta materiam alendo & amplificando corpori proximam, peregrinis qualitatibus inquinet, & inquinata partes corporis transmutandi vim obtineat: siquidem specificam partibus tribuere figuram, non nisi formæ specificæ est, virtute πλαστικῆ

instructæ. At formam bruti nulla materia in subtilem essentiam resoluta in corpus humanum devehere potest. 2. Neque partes ipsæ naturalem recipiendi externas brutorum figuras aptitudinem habent, cùm v. g. cartilagines & ossa hominis naturaliter verti nequeant ita, ut, quod minus esse debeat, majus, & contra, evadat; quod hunc situm in corpore habet, alium situm in corpore mutato acquirat: quem numerum partes in hoc subjecto habent, in eodem immutato immutatum istum legant. 3. Citiùs (nonnunquam in momento) Lycanthropi bruti forma induuntur, quàm ut à materia naturali modo & motu, qui moram requirit, agente oriri id queat. 4. Momento etiam habitus lupinus sæpe deponitur: at à lupino habitu tali ad humanum regressus momento fieri nequit: Nec 5. indicari potest, quid & quomodo partes brutales in humanas naturaliter, & subitò rursus convertat. 6. Nec corpus belluinum ab anima humana potest informari, quia quælibet forma proportionatas & peculiares sibi dispositiones ac corporis organizationes requirit. Rationes, quas Wolfershusius longè arcessit, & pro sua sententia adducit, refutat Voetius *loc. cit.*

§. 5. Quæ in assumto aeris certo modo figurati corpore Dæmon videtur accepisse vulnera, ipse postmodum Magis domi vel alibi soporatis infert. Sic Remigius *loc. cit.* hospitam quandam diversoribus inter cœnandum felis specie petulantiùs insultantem ab eorum uno truncatam pede altero, postridie unimanam repertam fuisse scribit. Sprengerus *Part. 1. Quæst. 1. cap. 9.* refert, in diœcesi Argentinensi laboratorem quendam quadam die, dum ligna in domo secaret, catum non parvæ quantitatis molestasse, quem cùm abigeret, alius majoris quantitatis simul cum priori acrius ipsum aggreditur, quos iterum, ubi repellere voluit, tres pariter, & jam versus vultum saliendo, jamque inter tibias morsibus lacerando eundem invaserunt, quos per incisa ligna vix abegit. Post horæ spatium laborator ad judicem, & inde ad carcerem ducitur, in quo multis innocentiam suam querelis urget. Eductus & à judice, quòd tres civitatis matronas vulnerasset graviter reprehensus, pauper, *illa*, inquit, *horâ creaturas me percussisse recolo, non autem mulieres. Attoniti circumsidentes, cujusmodi creaturas percusserit, reserari cupiunt? Tunc ille rem gestam omnibus stupentibus recitavit. Et intelligentes opus Dæmonis fuisse, pauperem solutum & illæsum abire, & quòd negotium nulli*

nulli revelaret, præcipiunt. Rusticus quidam scapham à ripa cum filio suo admodum valido summa ope repellere non valens, militum trium prætereuntium sociam in repellendo operam, sed frustra, implorat. Expositis mercibus vident in sentina lucidum bufonem scintillantibus oculis eos intuentem, quem militum unus gladii cuspide perforatum ad guttur tumidulum in aquam ejecit. Ille quasi exanimis in tergum provolvitur, ventre resupinato. Vulnera natitanti imponunt, cæteri alia, & repentè navis solvitur. Rusticus cum sociis lætus in hospitium reversus heram in lecto animam agere ab ancilla percipit cum stupore, quod eam ante semihorulæ spatium salvam reliquisset. Intrans in thalamum invenit ejus collum & ventrem vulneribus confossam laceramque expirasse. Historiam hanc longè prolixiùs describit Delrius *lib. 2. Quæst. 18.*

§. 6. *Sensum Communem* & *Phantasiam* in præsenti tractatione jam propter eorundem affinitatem, & hujus ab isto in operando dependentiam conjungemus. Utrumque sensum Dæmon ab intra & extra, mediatè & immediatè fascinat. Sensus tamen communis, quia sensibus externis vicinus est, magis ab extra, phantasia verò, quia ab externis remotior, ab intra faciliùs fascinatur: quapropter etiam majorem phantasiæ, quàm sensus communis habebimus hoc loco rationem. Ab intra phantasiam Dæmon directè & positivè per nova phantasmata, qualia qualia etiam sint, modò scopo suo inserviant, fascinat, ea accuratè proponendo & objiciendo. *Censeo quoque à Deo ac Intelligentiis variè phantasiam affici posse tum varia earundem specierum agitatione, tum aliarum subministratione,* ait Kyperus *Anthropol. cap. 24. pag. 629.* Id confirmatur rationibus sequentibus: Nam 1. si intellectum Dæmon immittendo lumen speciei intelligibilis fascinat, quidni immediata aliqua & interna operatione imaginationem, immittendo speciem phantasticam novam, fascinare queat? 2. Lamiæ à somno reversæ ea quandoque referunt, quæ nullo unquam sensu exteriori, adeoque nec interiori perceperunt, res nimirum varias alibi visas, auditas & gestas, quia nimirum Dæmon Lamiis sopore oppressis rerum alibi earum nomine & figura fictitia gestarum species per somnia impressit. Hujus rei exempla passim prostant. Sequens tradit Majolus *loc.* sæpius *allegato Colloq. 3. p. 213. Æquè admirabile est,* ait, *judicium illud Magorum septem, quod anno 1549.*

apud Nannetas didici. Cùm igitur isti coram multis se indicaturos recepissent, ante horam, quid per milliaria decem in ambitum ageretur, exanimes conciderunt illicò, & tres horas defecti animo jacuerunt: exurgentes renunciaverunt, *quicquid in toto Nannetum oppido, & ambitu longiore perceperant, locis, factis & hominibus observatis, quæ omnia statim comperta sunt. Itaq; omnes isti accusati, & maleficiorum multorum comperti ad ignem fuerunt damnati.* Quæ autem nec phantasia, nec mediante hac memoria accepit, Dæmon revolvere nequit: itaque ipsum immediatè species novas per somnia suggerere colligitur. 3. Quia specierum in uno somnio & in eodem subjecto occurrentium tanta quandoque est varietas, ut à temperamento & humoribus derivari nequeat. Quivis enim humor phantasmata suæ naturæ congrua & conformia parit, quæque à cholerico humore moventur, non possunt à pituitoso oriri: proinde si phantasmatum quorundam ortus, neque speciebus asservatis, neque humoribus & temperamento est adscribendus, ea de novo à Dæmone fuisse immissa colligere licet. Specierum tamen in phantasia & memoria asservatarum ac humorum & vaporum artificiosè inter se permixtorum ope Dæmonem varia somnia concitare posse, non nego. Idem experientia constat, & exemplo, quod suprà *Part. 4. Sect. 1. cap. 8. §. 4.* recitavimus, patet, Dæmonem in Imaginatione, etiam vigilantium nedum dormientium desubitò species horribiles & monstrosas pingere posse.

§. 7. Idem experientia confirmat. Evidens ætas nostra exemplum in oppido Silesiæ H. ante quadriennium vidit, ubi in sexus præsertim fœminini personis multis tyrannidem tortor infernalis per intervalla non sine totius civitatis perturbatione & existimationis ejusdem apud vicinos jactura exercuit. Totam rerum ibi Cacodæmonis malitia gestarum narrationem secutura sine dubio tempora typis impriment. Ego jam, quod præsens concernit institutum, ex literis ab amico quodam in Silesia degente ad me prolixè exaratis, extraham. Filiæ duæ, Pistoris cujusdam altera, altera Figuli, illa 18. hæc 16. annos nata pilæ fuerunt præcipuæ, quibus in isto theatro præstigiator infernalis lusit. Accedente mali Diabolici paroxysmo, tempore, quod ipsæ præsciunt, definito, epilepticarum instar in lectum ad hoc stratum concidunt, in eoque velut ecstaticæ sine sensu & motu aliquandiu jacent: ocularis tamen

men inſpectio & animæ & corporis præſentiam advertit. Sed ad ſe poſtmodum reverſæ in amœniſſimo vireto apud patibulum circa lacum magnum in conventu multarum ſtrygum, ſibi, exceptis duabus, ignotarum, aſſeclarum decem vel duodecim menſarum, quarum nonnullæ etiam ex Candia adveniſſent, ſe hactenus fuiſſe dicunt. Præſidem Conventûs Dominum eſſe holoſerica veſte indutum ajunt, ibique jam exequias felis aut canis ſe celebrare, & adſtantibus pro præſentia actui funebri commodata gratias agere; ſicut & Piſtoris filia formalia parentationis verba aliquando recitavit: jam ſe comœdias adornare: jam magna hilaritate comeſſationibus & compotationibus, itemque choreis inter ſaltantes tibiarum & fiſtularum ſonos ſe indulgere: jam graves ſibi à Sagis imponi labores, cogique ut fila trahant, pinſent, triturent, lavent &c. atque geſtus eosdem, quos ſic laborantes edere ſolent, puellæ iſtæ cum adſtantium admiratione apprimè expreſſerunt. Dæmonem harum phantaſiam ſic faſcinaſſe, extra dubium. Quamvis ſpecies, quæ ſomniorum fuerunt materia, multæ jam ante in earum phantaſia & memoria latuerint, omnes tamen adfuiſſe, vix erit aſſerendum: neque apta ſomniorum cohærentia, & concinna ſine confuſione eorundem ſeries, ut Dæmonis commercium abfuiſſe, & ſolius naturæ negotium hîc viguiſſe dicamus, admittit.

§. 8. Nec dormientium tantùm ſed & vigilantium, eorum potiſſimum, qui animum magicis & ſuperſtitioſis actionibus applicare pergunt, phantaſiam faſcinat. Faſcinat eam & *privativè*, ſpecies in phantaſia hominis præſentes, ſed inſtituto magico non convenientes auferendo: & *poſitivè* & quidem *mediatè*, humoribus, vaporibus & ſpiritibus Sagæ faſcinandæ mediantibus, quibus *phantaſiam* vel *confortat*, ut inſomnia, quæ immittit, pro veris actionibus habeantur: vel *infirmat*, ne perceptæ à ſenſibus externis ſpecies accuratiùs ibi examinentur. Omnia hæc vel motu ſpirituum animalium, plicarum & anfractuum cerebri, phantaſiæ in perceptione ſpecierum inſervientium, vel alteratione per humorum & ſpirituum, qui mutationum ratione qualitatum cauſæ ſunt potentes, affluxum & refluxum efficit, idque melius ipſe, quàm homo ullus cognoſcit, & effectui dare novit. Quæ enim ad memoriam & phantaſiam diſpoſitio cerebri requiratur, in hac humana imbecillitate determinare difficile, imò impoſſibile eſt, fatente etiam Sennerto *lib. 1. Pr. Med. Part. 2. cap. 5.*

cap. 5. Certam tamen requiri, ex hoc cognoscere datur, quòd quibus antica capitis pars prominentior est, & tumidior, phantasiæ excellentia alios superent: superentur autem, quibus eadem pars subsidens in declive fertur. Memoria valent, quibus in posteriora caput protuberat: at quibus velut complanatum, cervici exæquatur, eandem experiuntur infirmam. Hæc ab extra & à posteriori homo cognoscit: Dæmon autem cùm spiritus sit subtilis, agilis, & spirituosis facilè præsens, omnes sensuum internorum operationes & requisitas organorum dispositiones cognoscere, & pro instituti ratione mutare quæque potest, ut officina hæc simulacrorum jam fertilis, jam egena, jam serena, jam tenebricosa, jam operosa, jam otiosa evadat. Species prætérea à sensibus externis per communem sensum suppeditatas cum speciebus ex thesauro memoriæ regurgitantibus jungit, ex quarum, ut & specierum insensatarum immediatè introductarum commixtione insolita phantasmata & varias rarasque species ex placito pro somniis tum vigilantium, tum dormientium, quæ Diabolica propterea ab efficiente causa vocamus, fabricat. Abstrusiores autem hæ sunt actiones, quàm ut exprimere modumque, quo fiant, explicare homo queat. Dæmon autem abstrussimarum in natura rerum & operationum jam inde à mundi origine peritissimus per experientiam naturales vitiatæ imaginationis causas habet cognitas, & juxta scientiam officinam specierum disponere & instruere potest.

§. 9. Theophilus Medicus referente Galeno *lib. 2. de Sympt. Diff. cap. 3.* ægrotans, cùm alioqui prudenter dissereret, atque eos, qui tum præsentes erant, exactè nosceret, Tibicines tamen quosdam arbitrabatur esse in angulo cubiculi, in quo decumbebat, eosque tibia canere atque pulsare, & se illos videre putabat, alios quidem stantes, alios autem illic sedentes, atque ita continenter canentes, ut neque noctu neque interdiu quicquam remitterent, aut quiescerent, ne minimo quidem temporis momento: proinde assiduè clamans jussit eos à cubiculo expelli, atque hanc habuit ille delirii speciem. Is, ubi convaluit, abeunte morbo, quicquid singuli eorum, qui ipsum visitabant, vel dixissent, vel egissent, narrabat, denique visa, Græci phantasmata vocant, quæ de cantoribus apparuerant, memoriter recitabat. Hollerius *Comment. 2. ad Aphorism. 7. lib. 3. Coac. Hippoc.* ait, se vidisse quendam, qui in phrenitide mediis ignibus, quos purgatorios vocant, versari sese affirmaret; cumque refutaretur, quod

quod ederet, loqueretur, respondebat, quem viderent edentem & loquentem, se non esse, sed fratrem: tandem tamen beneficio ætatis adjutum remediis convaluisse. Valleriola *Comment. ad cap. 3. Libr. de Symptom. different. Galeni*, Virginem curavit, quæ larvas, umbras, funera coram se multa, pollinctores, pullatos tædiferos, mortuum fratrem (qui haud ita multum antea fatis concesserat) adesse ita existimabat, ut ab ea meditatione avelli nulla ratione potuerit. Plures depravatæ imaginationis historias recitat Marcell. Donatus *libr. 2. de Medic. Histor. Mirabil. cap. 1. His autem retulisse sat sit, ad faciendam fidem* (ut Donati verba *pag. m. 101.* mea faciam) *non solum in sanis hominibus præsertim habentibus fortem & vehementem imaginationem* κατάληψιν *vocatam ab Alexandro Aphrod. sed & in iis, qui facultatem imaginatricem oblæsam obtinent, hujusmodi mirabilia observari, ita ut non immeritò scripserit Aver. in Comm. Lib. de Divinat. per somnia, imaginativam virtutem habere maximum dominium in melancholicis, ita ut in vigilia comprehendant illud, quod alii comprehendunt in somno.* Præterea ad demonstrandum, omnes illas cerebri in phreneticis & melancholicis indispositiones, earumque causas spiritum expertissimum omnia pervagantem non posse latere, eumque juxta illas tanquam ideas spiritus & humores movere, cerebrum disponere, qualitates exaltare, species varias miscere, imagines miras efformare, omniaque ex tempore facultate motiva, quæ ipsi propria, & alterativa, quæ humorum alterantium est, applicando activa passivis, modo insensibili & imperceptibili affabrè efficere, ita ut verè & realiter, qui ista patiuntur, evenire statuant, eò quidem pertinaciùs, quò clarius est simulacrum quodvis phantasiæ objectum. Quò clariora & puriora sunt simulacra à præstigiatore infernali efformata, eò fortiùs sedes illius facultatis percellitur, & perculsa perceptas species pro veris facilè reliquis potentiis, ipsi etiam intellectui sagarum jam ante spiritualiter fascinato obtendit. *Quare idem non licebit Diabolo tanquam artificioso spiritui, ut Deo connivente, in sensuum organa sese insinuet, & humores sibi commodos, vel vapores commoveat, vel aerem idoneum conferat; maximè delectu habito ex temperamento, ætate, sexu vel alia causa externa aut interna apta: Unde novæ species in imaginativa vi concepta plerumque etiam spiritui visorio per nervum opticum communicentur, quo se vidisse, vel designasse mortis etiam periculo affirmare audeant, quæ nun-*

nunquam vel visa, vel natura etiam non admittit? Ita quoque Wierus *de Lamiis cap. 10.* §. *2.* Operosus sine dubio fuit Dæmon in fascinanda Herodis M. phantasia apud Josephum *Antiquit. Judaic. lib. 15. cap. 9.* Ille cum tanto flagraret erga Mariamnem uxorem amore, eamque ira præventus occidi jussisset, magis magisque deinceps ejus exarsit desiderium, ita ut sibi imaginaretur eam in vivis esse, sæpiusque ejus tanquam præsentis nomen invocaverit, & blandis gestibus, veluti coram vultu suo stantem exceperit; præterea Mariamnem vocare ministris tanquam viventem valentemque præciperet. Naturali quidem ex fonte hunc imaginativæ laborem derivari posse non nego; sed & rivulos fascinationum Diabolicarum eò confluxisse, h. e. Dæmonem speciem uxoris impressam à cæteris depurasse & sedulò agitasse, ut rationis perturbatio graviorum malorum, concurrentibus suggestionibus Diaboli continuis, foret incentivum, omninò existimo.

§. 10. *Memoria* quomodo fascinari queat, ea, quæ *Part. 4. Sect. 1. cap. 4. §. 8.* diximus, non obscurè produnt. Quibus addimus hoc: *Virtutem memoriæ* esse, facilè recipere, diu retinere, prompte reddere. Hanc autem Metaphysicus ex inferno per naturam oberrans novit pro ratione Candidatorum suorum vel confortare, vel infirmare. *Confortat* modo *vel* naturali, *vel* supernaturali. *Naturali* remediis in naturæ sinu receptis, cùmque ea, quæ memoriæ obsunt, motu locali removet. Remedia memoriam confortantia, quorum catalogum D. Sebizius *Manual. Pract. Tom. 1. Part. 2. Sect. 2. cap. 14.* Lemnius *lib. 2. de Complex. cap. 4.* & Macarius Promptuar. *lib. post. cap. 5.* sistunt, vagabundo per omnia isti Physico non sunt ignota. Quæ memoriæ obsint, & quomodo nociva repelli queant, spiritus idem erraticus in omnia se insinuans facilè experiri, & quæ in corpore humano agantur & fiant, optimè perspicere potest. Quidam apud Benivenium *cap. 47. de Abditis*, ex morbo reconvalescens, quæcunque memoria fixa tenuerat, ita prorsus oblitus est, ut ne rerum quidem nomina reminisceretur, ne quidem amicos ab inimicis discerneret, quos etiam nominibus immutatis vocitarat. Sed eo velut prorsus amente atque deliro naturæ dimisso, cum 20. jam die hoc malo ageretur, cœpit venter fluere, variaque & diversa strigmenta, sanguinem, bilem viridem, mucosasque dejectiones deponere; quo factum, ut mens simul & memoria redirent, licet nihil eorum, quæ ipse interim gesserat, recordaretur. Christophorus à Vega

cap. 10.

cap. 10. lib. 3. de Arte Medend. vidit quendam Franciſcanum, memoriâ ſolutâ acutâ febre ita privatum, ut, cùm ipſe aliàs peritus fuiſſet Theologus, nec literas agnoverit, neque nomina rerum, quæ ſibi aſſiduè in uſu fuerant, memoriâ tenuerit: quatuor autem integris menſibus ſic affectum primas literas addidiciſſe, adhibitis tamen remediis, mirâ quadam celeritate, prædicto elapſo tempore in priſtinam ſuam eruditionem fuiſſe reductum. Hæc & alia plura in medico foro occurrentia Dæmon perſpicit, imò accuratius omnia, quàm Æſculapius quivis comprehendere, & per obſervationes confirmatus ſcitè Medici inſtar experientiſſimi tollere novit. *Supernaturali* modo confortat memoriam, ſive per communicationem luminis cujusdam intelligibilis, ſive per occultam & continuam ſpecierum & rerum ſuggeſtionem id fiat, de quo ſupra diximus. *Infirmare* & oblivionem inducere poteſt per media & actiones contrarias, organi ſcilicet temperiem laudabilem evertendo, humoribus illud plus juſtò irrigando, ſpecies aſſervatas auferendo, vel novarum, phantaſiæ acceptarum, multitudine obruendo; aut ſi memoria vigorem à lumine quodam intelligibili vel inſpiratione occulta habere creditur, ſubtracto iſto, vel ceſſante hac oblivio ſpecierum Dæmonis virtute communicatarum adeſſe putatur. Salmuth *Cent. 2. Obſ. 41.* Æditum quendam, nullo evidenti morbo perdidiſſe memoriam refert. *Hic enim*, ait, *dum ob gravitatem capitis pilulis utitur cephalicis, eaq; nihil operantur, caput dolere incipit. Sub noctem ſubitò tanta oblivione corripitur, ut adſtantes nec cognitos haberet, nec orationem Dominicam recitare poſſet. Altero die agnati quoq; ipſius adſunt, & varia ex eo quærunt. Neſcit ille ubinam ſit locorum. Nominatur quidem urbs Serveſtæ at qualis, vel quæ ſit, ignorat. Pedetentim tamen reſtituitur, præcipuè verò per decoctum ligni.* Talis diſpoſitio non latet Dæmonem, eamque & inferre & auferre mediantibus cauſis naturalibus ipſe novit.

CAPUT IV.

Vigiliæ & ſomnus quomodo per faſcinum magicum oriatur? quandoque difficulter cognoſcitur. Somni cauſa: eam Dæmon procurare poteſt. Non oritur ſomnus à digitis infantium, aut ſpinis humanis accenſis, niſi forſan ab inuncto oleo. Vaporibus narcoticis

 poteſt

potest Dæmon somnum inferre: item narcoticis cibo clam admistis. Narcotica quæ? ingrediuntur sine dubio unguentum Sagarum. Hoc ipso somnum inferri negat Bodinus, sed malè. Narcotica non omnia frigida sunt. An Epimenidis somnus fuerit Diabolicus? Quomodo Dæmon phantasiam somniis imprægnet? De mediata somniorum productione, eorumq; varietate, quæ Dæmoni in fascinandis Sagis inservit.

§. 1. Modus, quomodo *Vigilia & Somnus* per fascinum magicum fiat, ut jam ostendatur, nobis est vigilandum. Ast nec iste vigilacissimis semper fit obvius. Ad enormitatem quidem somnum & vigiliam per causas naturales, sed vehementiores à Satana per potentiam loco motivam applicatas reduci, *Part. 4. Sect. 1. cap. 5. §. 1.* diximus. Verùm causæ vehementiores vehementiora, seu evidentiora etiam sui signa edunt, quæ tamen hic non raro absunt. Duffus Rex Scotorum in perpetuam vigiliam incidit, de quo historia, quam *Part. 4. Sect. 1. cap. 9.* §. 3. recitavimus, nihilominus refert, suavem ac uniformem spirituum à corde motum demonstrasse, vitale humidum nihil temperie excessisse. Lamiæ equidem fascinatrices in vincula conjectæ carminibus suis recitatis causam pervigilii tribuerunt. Sed ineptiæ sunt quas dudum discussimus. Satan ex pacto cum Sagis Deo permittente liberum spirituum animalium in sensoria secunda à primo sensorio influxum, in quo ratio vigiliæ consistit, continuò promovit, & vapores, qui medicamentorum ope suscitati influxum istum impedire potuerunt occulta operatione removit: actionibus autem suis ineptis Sagæ procul absentes nihil effecerunt, licet se ista omnia effecisse, sibi ob incognitam Dæmonis propter signa magica concurrentis operationem persuaserint. Sunt & aliæ causæ, quibus Satan se immiscens fascinum vigiliarum inducit, quando vel speciebus expressis phantasiam, ut in præcedentibus ostendimus, imprægnat, quæ nullam spiritibus pausam concedunt, sed ad motum continuum irritant, vel vapores calidos & acres in corpore elevat, qui membranas cerebri vellicando spiritus turbant & agitant; vel vaporum, qui ad quietem spiritus invitare debebant, defectum cita discussione parit. Ex his jam tanquam ex opposito,

§. 2. Quomodo *Somnificum* maleficium producatur, faciliùs cognosci-

gnoscitur, nimirum causarum contrariarum in excessu peccantium il-
latione. Immediata somni causa est spirituum animalium detentio,
eorumque in organa sensus motusque influxus prohibitus. Quo ar-
ctiùs in sensorio communi spiritus continentur, eò gravior est somnus.
Arctè continentur, & agilitate sua privantur à vaporibus & humoribus.
A vaporibus quidem crassis, nebulosis & narcoticis. Ab humoribus
omnis generis, modô, quem Æsculapii familia in suis monumentis ab-
undè exponit. Ast loco motiva facultate Dæmon humores, qui in
corpore humano semper præsentes sunt, movere, ac his motis vapores
suscitare, & ad cerebrum, ut spiritus animales figantur & coerceantur,
suscitare potest. Si genius infernalis intimè præsens phantasiam per
somnia diabolica (quæ dari omnes concedunt) facilè movet; quidni
vapores & humores idem agitare queat, cùm, quia corporei isti sunt, &
magis sequaces, factu hoc sit facilius? Propterea

§. 3. Fascino mentis graviter laborant, & ad insaniam usque in-
eptiunt, qui digitorum infantium per abortionem egestorum, & spinæ
humanæ accensione, aut rerum absurdarum aliarum admotione sopo-
rem induci credunt. Talia enim signa saltem sunt, quibus ex pacto
positis Dæmon, permittente Deo, sopore profundissimo homines oc-
culta operatione modoque jam exposito obruit, quam virtutem Magi
& Magæ digitis, & absurdis aliis absurdè tribuunt, nisi forsan digiti ac-
censi oleo quodam somnifero fuerint inuncti, à cujus exhalationibus
sopor profundus oriatur. Si enim, ut ex Mercuriali notat Sennertus
lib. 1. Pr. Med. Part. 2. cap. 32. Sabæi populi ex odore & fragrantia
fructuum & florum apud eos nascentium in carum, qui est βαθὺς δυσέρ-
γετος ὕπνος, *altus & excitatu difficilis somnus*, incidunt: si stupor à car-
bonibus accensis, & à calce in cameris noviter incrustatis oritur, quid-
ni soporem effumationes ab oleo somnifero accenso prodeuntes idem
excitent? Dæmonem è rebus venenosissimis quandam quasi quintam es-
sentiam extrahere posse scribit Delrius *libr. 3. P. 1. Q. 4. Sect. 5.* Eun-
dem κακότεχνον ex rebus narcoticâ qualitate excellentissimis ad soporem
inducendum remedia in vaporosa substantia efficacissima elicere posse
ambigere nolo. Levin. Lemnius *Herbar. Biblic. Explicat. cap. 2.* hoc de
Mandragora sibi accidisse scribit. *Cùm æstivis mensibus (nam eo tem-
pore poma Mandragoræ se proferunt) semel atq; iterum in Museo nostro*

Dddd 2 *amabi-*

amabilem & speciosum ejus stirpis fructum negligenter collocassem, ita somnolentus sum effectus, ut ægrè sopor excuti posset. Cùm autem obnixè obluctarer somnolentiæ, illamq; excludere conarer, ægrè id obtinui: nec rationem tanti Veterni inire potui: Tandem cùm quaqua versum dimovissem oculos, obtulit se à tergo pomum Mandragoræ, quo amoto, & in altium locum translato factus sum alacrior, atq; torporem depuli, omnemq; oscitantiam duscussi. Talia effluvia Dæmon ad homines soporandos secum, quò libet, transvehere & externè, ut attrahantur, naribus admovere potest: eodem modo, ut spiritus hic sua natura qualitatis expers fœtidissimas exhalationes è cloacis & putridis locis rapere, & in visibili formâ apparens, donec disparet, occultate novit.

§. 4. Internè etiam narcotica cibis clam admiscere & exhibere potest, uti Chirurgi membrum quoddam sine doloris sensu amputaturi narcotica exhibent. *Cujus artis facetum quidem, sed tamen commiseratione dignum exemplum memorant de Narbonensi adolescente à Thracio pirata in servitutem abducto: cui interea, dum ex medicata potione altior somnus obrepit, tam bellè testes exsecti sunt, ut experrectus seipsum miraretur sic adempta virilitate novum hominem*, Remigius *lib. 2. c. 4.* Narcotica sunt solanum, papaver, hyoscyamus, opium, madragora, cujus mala] soporem afferunt olfactu, teste etiam Dioscoride *de Re Medic. lib. 4. cap. 74.*

Innumeræq; herbæ, quarum de lacte soporem
Nox legit.

Ut canit Ovidius *lib. 2. Metam.* Ea sine dubio unguentum Sagarum sopore obruendarum, quo se totas inungunt, ingrediuntur, ut soporem spiritibus & stuporem nervis inducat eum, qui nec verbera nec ustiones moretur. Hoc quidem Bodinus, ut felicius pro animæ in ecstasi emigratione pugnet, *pag. 511.* impugnat, pinguedine deceptus. Pinguia autem calida sunt. Itaque neque etiam unguentum illud pingue soporem inferre putat. *At non accidentalis, seu unctuosa forma, sed substantialis, quæ in temperamento considet, è basi confectionis nata: hæc, inquam, somnum generat. Adduntur autem pinguia, ut inungi, inunctumq; tenacius adhærere & agere possit. Nec verum est vulgò quod putatur, quæ ad somnum stuporemq; cogunt, frigida esse omnia. Indicant hæc opium, crocus, storax, vinum, cicuta, coriander, quæ calida cum sint*

vaporo-

vaporosa & indigesta, plus minusve humiditate spiritus ligant, ita Jac. Martini *lib. 3. Dispp. Miscell. 11.* §. *25.* Sed cùm internè, ut ostendimus, Dæmon maleficium somnificum parare queat, ut externis id concitet, eum laborare non existimo: possibilitatem tamen, ad confutandam magis remediorum, quibus maleficii istius gratia Magi utuntur, ineptitudinem remonstrare volui.

§. 5. An Dæmonis fascino diuturnus *Epimenidis Cretensis somnus* adscribendus? Is quærens ovem meridiano æstu speluncam ingressus sopore gravi victus LXXVII. juxta Pausaniam, vel XLVII. juxta Eudæmum, pauciores secundum alios quievit annos, experrectusque postea ratus, se parum indulsisse somno, oviculam quærere perrexit. Delrius *lib. 2. Quæst. 21.* Dæmoni id tribuit. Nos circumstantiarum ad judicium exactiùs formandum necessàriarum ignari rem in medio relinquere malumus, quàm aliquid certi determinare.

§. 6. Somniis quomodo phantasiam præstigiarum faber ingeniosus mediatè & immediatè imprægnet, res est obscurissima & humana ingenii sagacitate major, tum quia immediatus Dæmonis in phantasiam agendi modus est obscurus, tum quia actiones phantasiæ memoriæ latent, quomodo nimirum specierum fiat in cerebro perceptio, perceptarum asservatio, asservatarum repetitio, repetitarum commixtio, commixtarum explanatio & distincta repræsentatio. Præstat tamen aliquid dicere, & sua animi sensa citra præjudicium proponere quàm tacere.

§. 7. De somniorum mediata productione (immediatam supra *cap. præced.* vidimus) ut aliquid dicamus, supponimus, cerebrum per nervos spiritus animales in organa sensibus dicata versus exteriores corporis partes diffundere, qui ibi sensibilium species emanatione naturali ab iis resultantes suscipiunt, iisdemque velut qualitate nova imbuti ad cerebrum progressu continuò citoque, ob spiritualem nervorum & cerebri συμπάθειαν revertuntur, inque sinus ejus species deponunt. Spiritus isti cuilibet speciei sunt aptæ. Singulis præterea organis sui sunt & peculiares nervi, qui non promiscuè quævis, sed sui generis objecta percipiunt: optici colores & lucem, auditorii sonos, &c. Percipiunt autem spirituum beneficio, qui speciebus tincti ad sensorium commune & phantasiam revertuntur, ibique speciem in plicis deponunt, vel

 ipsi

ipsi ibidem subsistentes species retinent ; quas etiam memoriæ sedes, quæ cerebellum statuitur , sibi traditas asservat. Nec tamen confusio specierum hinc metuenda. Servant pro modulo impressionis species suam naturam, & ut infinita visibilium simulacra eo ordine, situ, colore & motu, quo repræsentantur visibilia, à parva pupilla hominis in altissimo monte constituti, citra confusionem recipiuntur , & in retina pinguntur ; ita sensibilium ideæ in tenui & rara cerebri substantia , quæ præter cæteros usus illius gratia ita singulariter condita est, figuntur, & numerosissimæ exiguo etiam spatio concludi & asservari possunt. Species istæ & ideæ à spiritibus discurrentibus facilè moveri & somniis materiam præbere, & si copiosiores sunt, ansam nobis etiam invitis ad cogitandum subministrare possunt. In somno autem species phantasiam quasi actuat, iis exactiùs judicandis incumbit, & operatione nova suum symbolum confert.

§. 8. Motum etiam specierum promovent vapores & exhalationes è corpore adscendentes, quæ si ideis præsentibus congruunt, eas affinitatis amore ad progressum pronas sollicitant , & somniorum telæ longiùs pertexendæ materiam amplam subministrant. Hinc *cholericus* vapor, qui calidus est & siccus ac mordax, imagines & species suæ naturæ convenientes suscitat & irritat, quibus conjunctis phantasia fortiùs afficitur, & phantasmata varia concipit, utpote rixas, contentiones, incendia, ustiones &c. Vapor *melancholicus* cùm obscurus sit & ater , somnia parit suæ naturæ affinia, caligines scilicet, tenebras, spectra, atros fumos &c. *Phlegmatici*, aquas, balnea, navigationes, pluvias, mersiones in aquam; *Sanguinei*, choreas, musicam, convivia, somniant. Ita pro qualitate imaginum per somnium ex humorum halitu firmius invectarum res ita visæ creduntur esse veræ. Dæmones verò ex divina permissione consecuti potestatem phantasiam fascinandi his se immiscent, species in cerebro præsentes spirituum animalium pro placito agitatorum ope movent, vaporibus certis, quos ipsi in corpore determinatè ex humoribus certis suscitare norunt, jungunt, specierum defectum novarum interpolatione supplent, vitiosas supprimunt, alienas à cæteris separant & ut omnia exactiùs intus repræsententur, spirituum animalium excursum ad exteriora inhibet, sensusque externos arctè ligat. Atque ita somniorum artificiosâ expressione Dæmones strigibus sic imponere posse, ut se

ad

ad conventicula verè deportari, choreas ducere, Venerem exercere credant, totamque phantaſmatum ſeriem pro veris accipiant, concedimus; ſed ſemper id phantaſticè fieri, realiter autem nunquam, nos cum iis, qui longo rerum uſu & experientia aliud ex actis judicialibus compertum habent, Wiero negamus.

CAPUT V.

Viſus faſcinum cognitu difficile. Oculus faſcinatur cum excutitur. Ex modis aliquis examinatur. Quomodo oculus faſcinetur, ut non videat ea, quæ ſunt, vel videat ea, quæ non ſunt. Etymologia Vocis Præſtigiæ. Præſtigiator quid? Ad oculos mentis vox iſta transfertur metaphoricè. Præſtigii inventum Mercurio tribuitur. Cauculator, Gauckler *unde? Ars cauculatoria quid? Okos Bokos unde dicatur? Cauculatores quandoque incantatores. Diabolus Cauculator peritus. Quomodo Dæmon ad præſtringendum ſe accingat, Pſellus per falſam hypotheſin explicat. Aere cur potiſſimum Dæmon utatur? Coloris natura. Ex aere Dæmon novit coloratum corpus formare. Opticæ ope Drebbelius mira perfecit: ita & Dæmon. Specula dantur naturalia & artificialia. Nubes ſpecula naturalia fieri poſſe oſtenditur. Dæmon ſpecula aerea varia fabricare, & per ea hominibus illudere poteſt. Ad hoc in phantaſia adminiculum quærit per imaginationem falſam, cujus exemplum traditur. Ex ſolo aere Dæmonem phantaſticum corpus formare negat Delrius, cui reſpondetur. Inſignia præſtigiarum ſpecimina per exempla oſtenduntur.*

§. I. AD *ſenſus externos* tractationis ordo nos jam vocat, ut quomodo hi faſcinentur, exploremus. Sed & hìc modus nodus eſt, rationi & ſenſibus noſtris ſolutu difficilis ob rationes ſuprà indicatas. Quis igitur νοήματα καὶ βάθη Diabolici ingenii in præſenti Diabolicarum artium & fraudum abyſſo perſcrutari poteſt? præſertim, cùm id, quod teſte Philone *de Mundi opificio* ad Philoſophiam prodeſt, oculum ſcilicet ipſum Dæmon faſcinet. *Viſus ad vitæ commoda maximè neceſſarius, ac præterea ad diſciplinarum inventionem certisſimus dux: ab eo pene ſolo maximam rerum partem exploratam eſſe manifeſtum eſſe*, inquit Scaliger

Exerc.

Exerc. 298. Sect. 6. At ducem eundem dux infernalis frequentissimè fascinat, oculosque præstringit, ita ut non videat ea, quæ sunt, vel ea videat, quæ non sunt, vel nihil planè videat. Si enim auditu & sermone homines impetrata à Deo venia privare potest, visu quoque data eadem Dæmonem homines spoliare posse, inficias ibit nemo.

§. 2. Spoliant autem *maleficio excussionis & divisionis oculi.* Beneficium excussionis & divisionis in jure benè apud creditorem, sed malè apud debitorem, cùm actu afficitur, audit: longè pejus excussionis & divisionis illud maleficium, quo (non omnes, sed eos, qui spreto septimo Decalogi præcepto bona proximi rapiunt) fures Cacodæmon in natura angit. Magi subsidiarias ad hoc operas conferunt hoc modo, quem tradit Wierus *lib. 5. cap. 5. §. 7.* Primùm legunt septem Psalmos, cum Letania: deinde formidabilis subsequitur oratio ad Deum Patrem, & Christum. Item exorcismus in furem: hinc in medio ad oculi similitudinem vestigio figuræ circularis nominibus barbaris notatæ, figitur clavus æneus triangularis, conditionibus certis consecratus, incuciturque malleo cypressino, & dicitur: Justus es Domine, & justa judicia tua &c. Tum fur ex clamore prodetur.

§. 3. Alios sequenti modo ceu maximè experto uti accepi, quo quidem non oculus excutitur, oculo tamen dolor maximus, donec ablatum à fure restituatur, incutitur, & beneficium visus adimitur: Albumini ovo conquassato carbonem quercinum miscent, quo in charta vel in assere oculum (vel quasi) hunc in modum pingunt, postea acum &c. Orationem Dominicam & sequentem ter certis legibus recitant: O HErr JEsu Christe der du ein gerechtes Gericht gefället hast / durch deinen Diener Josua in der Stadt Jericho von dem Diebstall Achis / verleihe daß dieser Dieb / so das genommen hat / solche Pein leide an seinen Augen / und sehen darinnen / so lange ꝛc. ꝛc. Sed modus hic est absurdus, impius, magicus & Diabolicus. *Absurdus,* quia albumen ovi, carbo quercinus & acus in absentes agendi virtutem nullam habent; verba autem tam sacra quàm profana virtute physicâ planè carent: *Impius,* tum quia peccatum est in abusu sacrorum verborum magicè applicatorum,



catorum, tum quia totum orationis veræ indoli contrariatur: quippe vera oratio ulciscendi studium & animi perturbationem horret, Deoque soli vindictam, qui eam in hoc seculo retribuit, per judices vicarios suos, relinquit: *Magicus*, quia Magorum est ex pacto seu explicito seu implicito, absonis & absurdis, nullam ex se ad determinati effectus productionem vim habentibus uti, & vanas observantias sectari: *Diabolicus* est, quia solus Diabolus totum excussionis oculi actum ad Magi voluntatem Deo justis de causis in furis pœnam permittente absolvit. Quomodo autem ipse Dæmon oculum excutiat, & dolores inferat, obscurum primo limine videtur, sed si potentiam ejus corpora loco suo, permissione data, movendi spiritualem considerabimus, movendo humores, partesque iis implendo continui solutionem, adeoque dolorem, tandem oculum vi validissima à partibus, quibus conjungitur, separando, excussionem fieri posse negari nequit.

§. 4. Oculum ipsum Dæmon etiam per varios morbos, quos, ut aliis partibus, ita & oculo, partim immediatè, partim mediantibus causis naturalibus, occultè inferre novit, potest fascinare. Eos autem Sagæ per imagunculas, & alias ineptias se intulisse credunt. Sic Freitagio *Noct. Medic, cap. 21.* muliercula rusticana de intolerabili sinistri oculi dolore, conquerens dixit, eum sibi inflictum, à vicina Saga qer ceream imagunculam, cui cùm primum loco dentium impressisset acum, se ex dentibus laborasse; extracta verò acu & imagunculæ oculo sinistro impressa, dolorem è dentibus in sinistrum suum ocellum translatum esse; idque incantandi genus in suo pago & vicinia familiare & vulgare esse, & vulgo vocari einen Schwick setzen. Pro causarum verò & morborum magnitudine differentium varietate oculus vel nihil planè, vel saltem obscurè videt, vel non videt ea, quæ sunt, & videre se arbitratur ea, quæ non sunt. *Prius* efficit Dæmon, 1. cum spiritus animales, qui sunt commune omnium sensuum instrumentum, & propterea lucidi ac tenues esse debent, obscurat, vaporumque melancholicorum ac caliginosorum admistione incrassat: cùm nervorum opticorum angustiam, eos vel comprimendo, vel obstruendo inducit: cùm pupillam vel angustiorem reddit, sic, ut pauciores radii, qui à quolibet objecti visibilis puncto ad quodlibet pupillæ punctum radiant, debiliter illuminati oculum ingrediantur, vel ampliorem reddit, ut exinde à luce copiosiùs ingrediente imaginum

obliteratio : cùm per vapores obscuros & crassos insitos natura oculos humores obscurat; cùm situm humorum, præsertim crystallini mutat, & tunc, si uno oculo fiat sitûs crystallini humoris mutatio, aut alter sursum, alter deorsum, vel ad latera vergat, res duplicatæ apparent. Quas sanè mutationes, præcipuè obsessis, in quibus dominium habet, infert.

§. 5. *Posterius* per præstigias potissimùm efficitur, de quibus, quia in fascinatione Diabolicâ frequentissimè occurrunt, in genere aliquid differemus. *Præstigia*, Præstigium Isidoro *Etymol. lib. 8. cap. 9.* est sensuum & oculorum delusio. Nomen non à *Styge* venit : id enim & scripturæ, & quantitatis diversitas confutat : non à *præstinguendo*, ut doctè Joh. Pincier Otii Marpurg. *lib. 3. cap. 23.* exponit : sed à *præstringendo*, quòd præstringatur oculorum acies. Hebræis dicuntur Præstigiatores מְכַשְּׁפִים, & sunt, qui mutant & transformant res naturales ad adspectum oculi, à כשף *præstigiis usus est*. Nec visum solum, sed & reliquos sensus Dæmon præstringit, ut miseri homines jurent, se audire, tangere, gustare & olfacere aliquid, quod tamen revera non audiunt, tangunt, gustant & olfaciunt, cùm objectum sit putatitium, non verum. Vox tamen *præstigium* præcipuè de oculorum fascino dicitur. Solet distingui aliàs inter veneficos & præstigiatores. Illi enim nocent veneficio, ut Sagæ, striges; hi tantùm ludunt homines, faciuntque, ut aliud appareat, ut asinus, vacca, equus, qui homo est, aut arbor, quod est culmus straminis; chartæ lusoriæ pro breviario. *Ferè* [imo verè] *tamen sunt etiam venefici & incantatores*, inquit Dn. D. Libavius *Exam. Philosoph. nova pag. 30.* Præstigii inventum tribuitur Mercurio. Ita Sarisberiensis *lib. 1. Policr. cap. 9. Præstigium*, inquit, *Mercurius dicitur invenisse, quòd aciem præstringat oculorum, fuitq́ Magorum peritissimus, ut quascunq; res vellet invisibiles faceret, aut, ut videbatur, in alias species transformaret.* Sed nos in primis primi Magi incunabulis præstigium, quod velut insigne ornamentum Magiæ autoritatem magnam parit, fuisse repertum, existimamus. Itaque præstigiatores sunt, qui opera Satanæ hominum oculos incantationibus & illusionibus fascinant & fallunt, ut non videant ea, quæ sunt, & videre se arbitrentur ea, quæ non sunt, Godelmannus *lib. 1. cap. 3. num. 3.* Per metaphoricam significationem transfertur ad oculos mentis. Ita Paulus *Galat. 3.* τὶς ὑμᾶς ἐβάσκανε *quis vos fascinavit*, hoc est, oculos mentis præstrinxit, ut non crederetis veritati? Ut enim oculi corporis

poris fascinantur, ut homo credat, se videre, quod tamen verum non est: sic oculi mentis fascinantur, & apparente pravarum opinionum specie præstringuntur, ut homo credat mendaciis speciosis, & per omnia sacra juret, se veras amplecti sententias. Huc spectat ejusdem Apostoli dictum *2. Cor. 4. v. 4. Deus hujus seculi excæcavit sensus incredulorum, ne illucesceret illis lumen Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei.* Præstigias autem Dæmon agilitate etiam efficit, qua in re Cauculatorem perfectissimum agit.

§. 6. *Cauculator*, caucularius dicitur à voce caucus & cauca, i. e. patera, unde bibitur. Unde German. Gauckler/ M. Lipenius *Strenar. Histor. cap. 3. §. 75.* Hujusmodi Cauculatores vocantur etiam *Saccularii*, quia ex sacco artis suæ specimina edunt. Est autem ars ejusmodi, qua peculiari quadam agilitate, celeritate & occultatione miri aliquid facere videntur, & facere se jactant, cùm revera nihil tale faciant. Agyrtæ vocant *Okos Bokos*, vocabulis à vero vel ficto nomine Itali cujusdam, hujus artis Mystæ & Mystagogi, aut aliunde desumptis, ut tradit Voetius *lib. 3. Dispp. pag. 542.* De arte hac edidit libellum M. J. P. quem inscripsit *Hocus, Pocus*, oder Taschenspieler. Tam aptè autem isti oculos videntium præstringunt, ut, qui Philosophiæ expertes sunt, pro Magis eosdem habeant. Forsan etiam Magi Caucalatoriæ artis nomine Dæmoniaca quandoque multa vendiderunt, eaque agilitati suæ adscripserunt, quæ tamen è Veteratoris cooperantis dolo promanarunt. Hinc etiam *in Capitular. Caroli* cauculatores pro incantatoribus sumuntur, Lipenius *loc. cit.* Et Saccularii communiter dicuntur, qui quasvis artes vetitas, etiam Diabolicas exercent. Turnebus *in Adversar. lib. 9. c. 17.* & JurisConf. *ad L. Saccularii in ff. de extraordin. crim.* notante Voetio *loc. cit.*

§. 7. Si autem mira, quæque fidem omnem ferè superant, Cauculatores absque magica arte agilitate summa scyphulis, globulis, ligaminibus & similibus perficiunt oculosque intuentium fallunt, quantò magis Dæmon, qui mille artifex (rotundo quidem numero, sed quo summa ejus notitia, & innumeri fallendi modi significantur) salutatur, oculos præstringet, qui non tantum agilis & velox, sed & ipse invisibilis, potentiam movendi se & alia à se distincta obtinet, socios habet multos, elementa novit impellere & repellere, corpora grandia adducere & reducere, dispersa colligere, & collecta dispergere, visibilia occultare, objecta variè

disponere, corpora assumere, activa passivis applicare, organum ipsum alterare, sensus pervertere & plura alia fallendi scopo inservientia exactè callet? Ludovicus Vives *Comment. ad Augustin. de C. D. lib. 10. cap. 16.* eleganter de hoc disserit & ait: *Nec mirum est, hæc fieri posse à Dæmonibus, & falli ab eis obtutus nostri aciem, cùm à circulatoribus nobis sic imponatur, ostendanturq́ue, quæ nisi à tali hominum genere agerentur, pro miraculis qui caperent, non deessent: etiam sic facta admirationi sunt, & vix acumen ingenii rationem illorum consequitur. Suntq́ue qui credant, sine dæmoniaca vi non perfici; artis tamen sunt exercitatissimæ, quæ celeri motu atque agitatione defixum in res obtutum præstigiis frustratur. Ita qui edit panem, spuere cernitur farinam siccam, qui bibit vinum, per frontem id, aut etiam per jugulum remittit. Magno spectatorum metu ac horrore, gladii vorantur, & ingens vis evomitur acuum, zonularum, nummorum. Transeo, quæ ex Magia naturali fiunt, subitò apparere convivas omnes truncos, aut asininis capitibus, extendi per triclinium vitem. Quorum rationem plurimi norunt, nam libri his de rebus sunt conscripti, & factu facilia sunt: quantò magis Dæmones, qui nobis & agilitate præstant, & peritiâ rerum naturæ hæc norunt?*

§. 8. Quomodo præstigiator infernalis se ad decipiendum & præstringendum accingat, aptè satis Michael Psellus explicaret, si modò, qua nititur, vera esset hypothesis, Dæmones scilicet esse corpora. Verba ejus recitat Wierus *libr. 1. cap. 14. §. 1.* *Dæmones*, ait, *licèt sexu & propriâ linguâ careant, corpus tamen illud aereum sibi concessum pro arbitrio velut nubes vento flante, in varias formas mutant, contrahuntq́ue atque extendunt; quemadmodum lumbricis videtur accidere ob substantiam molliorem, ductuq́ue facillimam: neque solum magnitudine diversitas in eis accidit, verùm etiam figuras coloresq́ue variant multiformes. Corpus enim Dæmonis ad utrumq́ue est natura paratum; qua enim ratione est natura facile cedens, sic in varias figurarum species transformatur: qua verò aereum est, diversos aeris instar colores subit. Sed aer quidem extrinsecus coloratur; corpus verò Dæmonis, juxta animi sui affectus, species colorum mutat, velut & hominis: sed longè melius, ut quod anima sit obedientius. Omnia tamen celeriter dilabuntur ob corporis mobilitatem tenuitatemq́ue. Sic tanquam vir apparet, & mox occurrit ut fœmina: leonis more fremit, saltat ut pardalis, latrat ut canis, atq́ue ad utris vasisq́ue formam se aliquando transfert.*

§. 9. Sed

§. 9. Sed licèt spiritus corpora non sint (id quod Metaphysici & Pneumatici juxta cum Theologis contra antiquiores Doctores Ecclesiasticos atque Philosophos thesin istam professos demonstrarunt) adeoque nec Dæmones corpora aerea: aere tamen potissimum utitur & abutitur. Nomine aeris tamen latè etiam exhalationes quascunque, fumos & vapores hoc in loco intelligimus: sive auram ex triplici præcipuè particularum genere compositam, nempe ex particulis aeriis, ætheriis & igneis, quibus porro accedunt particulæ aqueæ, oleosæ, salis aliorumque corporum resolutorum, ut loquitur Dn. Samuel Reyherus *Dissert. de Aere cap. 1.* Hic præstigiis commodam subministrat materiam. Est enim mollis, rarus, laxus, mobilis: omnis quidem figuræ expers, per modificatam tamen formationem omnes recipere aptus: omnis soni expers, promtè tamen omnes excipere aptus. Coloris quidem omnis est expers, per lumen tamen variè inflexum & modificatum induere aptus. Colorem ex lucidi cum opaco mistione oriri, seu lumen esse, cui admistum est perspicuum & opacum ope majoris lucis in visum radiare potens, Opticis constat. Colores autem diversimodè apparentes (ut & opacitas ac diaphaneitas) dependent à varia incidentia ac emersione radiorum lucis, lucidique cum opaco commistione. Radii enim in materiam subjectam incidentes refractique lumen aggregant, quod in principio fortius; cùm lumen idem ulterius procedit, debilitatur, & alium gignit colorem. Si in transitu parum radii refringuntur, citrinus emergit color; plus adhuc refracti ruborem sistunt: cum exigua opacitate colorem puniceum, cum mediocri viridem, cum majore purpureum inducunt: si radii lucis incurvantur, adeò ut non denuò emergant, opacitas aut nigredo oritur: sin ab extima superficie statim reflectuntur, albedo emergit. Hinc videmus in nubibus omninò colores, lacteum, nigrum, viridem, rubrum aliasque innumeras differentias, *sed earum causa est lumen refractum*, ait Magnenus *Democrit. Reviv. Disp. 3. c. 4.*

§. 10. Nubes cùm sit aer vaporosus, magis coactus & crassus; at qui nos circumstat, vaporosus quidem, sed dispersus & rarus: Dæmon dispersas vaporum particulas facilè ad figurandum corpus phantasticum potest colligere, & compingere, easdemque ita disponere, ut lucidum cum opaco commisceatur, & quos ipse vult, colores per misturam exprimantur, lucisque radii particulis vaporosis impacti, & juxta omnes inclinatio-

nationum & directionum modos reflexi simulacrum referant, cumque sequaces particulæ sint, & singulis præsens spiritus animæ instar movere queat, totum quasi vivum apparere facit. Flammantes Eliæ equos & currum, *2. Reg. 2.* licèt nonnulli Angelos fuisse censeant, sunt tamen, qui nubem fuisse rutilam, ad currus & equorum similitudinem in aere affabrè effigiatam statuunt; eam tamen verè & formaliter igneam non fuisse, ex eo probant, quia deferendum Eliæ corpus adustionis periculum incurrisset; præterea quia alia quoque meteora, præsertim emphatica, igneum ejusmodi colorem naturaliter solent mentiri. Jam si ostenta in aere varia & singularia efficiendi potestatem in angelis bonis agnoscimus, ea nec Dæmoni erat neganda, quia hæc ad naturalia eorum dona spectat per lapsum non amissa. Et quamvis modum ipsum, quo in producendis in atmosphæra ostentis & præstigiis utatur, nos perscrutari nequeamus, nobis tamen Dæmonem ea efficere posse, scire sufficiat, eoque, quem rationibus non frivolis nixi conjecturando asseqnimur, simus contenti.

§. 11. Admiranda, quæque stuporem incutiunt, Optica Practica exhibet spectacula, quæ vide sis quasi per indicem monstrata in **Vortrab und Entwurff eines neuen Optischen Platzes** Cl. Dn. M. Kolhansii, qui egregiam Opticæ navavit operam, & pluribus omnia in Tractatu suo Optico exposuit, ut jam Cornelii van Drebbel Alcmariensis insignis Mathematici & Optici verbis, quæ ad amicum suum Isebrandum à Rietroyck teste Gotefrido Hegenicio *Itinerar. sui Frisio Hollandic. pag. 75.* perscripsit, quæque res admiratione plenas continent, facilè fidem habeamus. Ita autem ille: *Ego in camera manifestè sedeo solus nemine mihi adsistente. Et primò vestitum meum transformo in præsentia & adspectu illorum omnium, qui in cubiculo sunt. Nunc induor totus nigro holoserico, & momenti spatio, imò tam confestim, quàm aliquis cognitione assequi possit, holoserico viridi ac rubro amictus sum, in colores omnes Mundi me transmutans. Nec solùm hoc, sed commuto meam vestem cum qualibet specie pannorum, qua ipsemet volo: nunc bombycina seu serica colorum omnium: tum ex villis texta omnium colorum: nunc argenteo, nunc auro variegatis vestibus utor: nunc regio ornatu & adamante atque omni gemmarum specie sum splendidus, at in momento postea mendici*

dici habitum assumo, pannus obsitus ac deformis, cum in illo actu unicam duntaxat vestem habeam, quam abs me non depono.

§. 12. Ludunt autem & oculis ferè illudunt Optici potissimum speculorum & vitrorum arte factorum ope: Sed & Dæmonem, qui ut Physicus est excellentissimus, ita & Opticus ingeniosissimus, in fascinandis hominum oculis, quandoque speculis, sed naturalibus uti, nullus dubitabo. *Est enim aliud speculum naturale, aliud artificiale. Naturale est oculus, aer densus, nubes, aqua limpida, umbrosa & placida &c.* Cl. Kolhansius *Admirand. Optic. pag. 21.* Nubes præcipuè naturalia specula quandoque fiunt sic, ut diversarum rerum simulacra in iis, veluti speculis aereis, repræsententur, quæ arte omni humana majora videntur. Et quidem in freto Mamertino naturam inexhaustos pictoriæ supellectilis suæ divitias aperire scribit Athanas. Kircherus *lib. 10. Artis Magn. Lucis & Umbræ Part. 12. c. 1.* & ex eo Gasp. Schottus *Mag. Univ. Part. 1. lib. 4. cap. 1. Parast. 1.* Referunt enim tempore, quo ardentissimus Sol æstu fervoribusque mare Mamertinum concoquit, in vaporoso aere castella plurima ordinatissimè disposita, palatia & ædificia ad perspectivæ regulas fabricata, umbrosos sylvarum tractus, campos, innumeras hominum turmas, boum armenta, ovium greges, omnia tanta colorum varietate, tam artificiosa lucis & umbræ mistura, tam vivis gestibus nonnunquam spectanda exhiberi, ut nihil humana industria simile producere videatur; causam esse variam rerum in aere vapido & ad reflectendum imagines apto reflexionem docent. Aerem densum speculum fieri, ex Aristotele etiam habemus, qui *lib. de Memor. & Reminisc.* refert, Antipherontem in aere propriam imaginem continuò versantem vidisse, & Visellio *lib. 10. Perspectiv.* scriptum reliquit, cuidam noto suo, cùm antea per multas noctes insomnis fuisset, nocte equitantem imaginem suam, h. e. virum secum equitantem vidisse, qui sanè vir omnia ageret eadem, quæ ille agebat, & flumine trajecto illum quoque vidisse, mox ubi ad aerem serenum & perspicuum devenisset, imaginem illam evanuisse, citante Marcell. Donato *lib. 2. cap. 1.*

§. 13. Ad eundem modum Princeps aeris scientissimus Dæmon aerea specula specularibus superficiebus referta, plana, concava, convexa, cylindracea, unum vel plura, tota vel quasi confracta conficere, in iis, quæ fabricat, corpora phantastica repræsentare, & mille modis

oculos

oculos præstringere potest: nimirum speculum ita statuere, ut res radio recto non viso per speculum videatur, oculo vidente non viso: speculum horizontaliter situm offerre, in quo superna fiant inferna, dextra apareant sinistra, & contra: ex plano mox convexum facere speculum, ut aspectabile exhibeatur minus & convexum: vel concavum speculum, ut visibile conversum & eversum appareat: vel speculum diversarum specierum, ut plures imagines majores & minores, aliæ propius, aliæ longius, aliæ dextræ, aliæ sinistræ spectentur. Ita medium densius, vel rarius procurare, ut visibile propinquius & majus, vel remotius & minus, videatur, & quæ alia Opticæ Sacra, spiritui perspectissima, quæ aereis suis speculis citò transformari aptis spiritus subtilis & expeditus felicius, quàm perfectissimus Opticus artificialibus ad usum & actum transferre novit. Activitate enim potente, agilitate summa, scientia per diuturnam & multiplicem experientiam confirmata maxima est prædítus, citò & specula aerea, & objecta phantastica formare & reformare, præsentare & occultare, addere, dividere, subtrahere, & multiplicare, insuper phantastica objecta pro placito ad omnes situs differentias movere potest. Et quia phantasiam hominis ipsam Dæmon, ut supra docuimus, variis imaginibus imprægnare potest, eam ab extra delusam & errantem porro in errore confirmare, ac ad scopum suum, qui est hominis deceptio, dirigere omnia potest. Animus etiam metu perculsus faciliùs imaginationibus spuriis subjicitur, cujus exemplum esto illud quod Cominæus *in fine Libri. 1. de Reb. Gest. Ludovici XI. Gall. Regis* scribit. *Cùm Carolus Dux Burgundiæ, & alii Principes exercitum ad Lutetiam admovissent, eum per indicium cognovisse, quòd Rex postero die cum omnibus suis copiis eos adoriri constituisset. Sequenti igitur die Carolus præmisit equites speculandi causa: qui, cùm cælum obscurius, aer densior, ac vaporosior esset, putarunt se eminus videre ingentem numerum hastatorum: progressi dein longiùs cælo jam sereniore, cognoverunt eum locum, in quo arbitrati erant Regem copias omnes habere coactas, consitum esse præaltis carduis, qui ex longinquo per medium densius sui species refringentes, hastarum speciem præbebant.*

§. 14. Ita Dæmon ex aere corpus phantasticum formare, mediante lumine cum opaco legitimè mistô colores eidem conciliare, quandoque autem vera corpora, aut eorum partes citissimè jungere, & retrahere,

trahere, totum verò per potentiam propriam motivam loco movere & transferre poteſt. Delrius tamen *lib. 2. Quæſt. 27. Sect. 2.* an ex ſolo aere materiam Dæmon deſumere poſſit, ambigit, & putat, eum non poſſe ſolum aerem condenſare, ita ut quid ſolidum exhibeat. Sed ſive poſſit, ſive non poſſit, ait, ſolere ipſum aeri commiſcere partes terreas & aqueas, nubium, vaporum, exhalationum, ut & colores faciliùs hac mixtione exprimat, & meliùs membra conglutinet, atque condenſet. Atque hoc ipſum Virgilium non ignoraſſe dicit, cum *Æneid. 10.* cecinit:

Tum Dea nube cava tenuem, ſine viribus, umbram
In faciem Æneæ, viſu mirabile monſtrum
Dardaniis ornat telis &c.

Verùm ſi ex partium terreſtrium cum aqueis mixtione color & membrorum conglutinatio expectanda, illæ longè pauciores ſunt, quàm ut pro tanta in uno corpore colorum varietate & partium diverſarum conjunctione ſufficere queant. Neque in phantaſtico corpore ſoliditas vera, ſed apparens, & præſtigiatoria datur, id quod ſubita, & totalis phantaſticorum corporum in conclavibus undique clauſis evaneſcéntia prodit, cùm nullum poſt eam craſſioris materiæ appareat veſtigium: Vapor autem craſſus mox ejus inſtar, qui à cibis calidis ſurgit, diſpergatur & in auram abeat.

§. 15. Excellens præſtigiarum ſpecimen edidit nequam ille *Matth. 4. cùm*, ut Eraſmus loquitur, *mirum quoddam gloriæ mundanæ theatrum oculis Chriſti repente objectum magnorum Regum ſtrepitus, opes, famulitium, palatia, copias, tubas, adorantium obſequia, pompas, triumphos objecit, ut ad animam iſta admitteret & præſtigiatorem adoraret.* Simile huic eſt, quod D. Sacco mendicus quidam retulit, nimirum ſibi caſtra olim ſecuto, indeque cum ſociis reverſo, inopi ac triſti viruneulum obviam veniſſe, qui ſe Grau-Röcklein nominarit, & promiſerit, ſi ſe ſequi velint, theſauros fodiendi, futura prædicendi, atque ita divitias comparandi artem ſe iſtos edocturum. Artis arcana his poſtulantibus dicit fortunæ rotæ eos eſſe imponendos, & ſi artem addidiciſſent ex iis unum ſibi mancipatum manere. Conſentientes in hoc omnes duodecim viruneulus rotæ imponit, cujus tantus fuit ambitus, ut ſinguli à ſe invicem trium ulnarum longiorum ſpatio diſtarent. Adſpectus

ctus mutuus sub comminatione inversionis colli fuit interdictus. Rotam Magister unguibus suis à sinistra versus dextram movet. Inter circumgyrandum crystallinæ claritatis aquam infra se sibi videre videntur insessores, in qua quid singuli in mundo agant, extemplo perspicere, homines cognoscere, suisque nominibus appellare potuerunt. Ignis infernalis desuper resplenduit, dependentibus stiriarum instar flammis. Transacto sic 12. horarum spatio Dæmon, juvenem elegantem Consulis cujusdam è Misnia ortum filium de rotâ dejecit, & per medias flammas traduxit. Reliqui undecim consternati, quæque sibi evenissent, ignorantes in campo sub dio aliquot horas sopore obruti jacuerunt. Excusso somno vestes instar fomitis friabiles deprehendunt, & ruinosas. Tantum enim in rotâ senserant calorem, ac si in medio ignis sedissent. Postea viam, quæ placuit, quisque spe pinguioris fortunæ erectus iniit; se verò ad tantam redactum esse egestatem, ut eleemosynam quærere cogatur, mendicus erat conquestus D. Sacco, è quo Titius *Locor. Theol. Histor. Art. 11. c. 6. n. 3.* hoc recitat.

§. 16. Magnum etiam & præcipuum subsidium modò non ab ipsa hominis fascinandi phantasia præstigiator accipit, quatenus latentes in ea rerum imagines suscitare, depurare, & exaltare, easque aptè reformatas ita non tantum menti proponere, sed & ad sensus exteriores remittere potest, ut revera extra fieri existimet, quæ intra advertuntur. Sic & Jacob. Martini *lib. 3. Dispp. Miscell. 11. §. 28. neque solùm*, inquit, *species & figura rerum externarum oculis suscipiuntur, sed à phantasia similes sponte effinguntur, tanta quidem vi & evidentia, ut & foras ad communem sensum, inde ad oculos redundent: sic pueri auditis* μορμολυκείοις *faciem occultant, quòd species horrenda ab impotentiori phantasia efficta, jam in oculis sit. Itaq; perstringi possunt oculi imagine à sola phantasia.*

§. 17. Quæ omnia cùm ita sint, Magos ope & auxilio Diaboli variis modis illudere, & oculos hominis præstringere omni tempore potuisse, negandum non est, ut v. g. homo alius, quàm sit, videatur: ut in S. Clementis historiâ legimus per Simonem Magum effectum esse, ut Faustinianum amicorum nullus agnosceret: item Neroni Imperatori dixisse, ut sibi cervices juberet abscindi, se enim tertio die resurrecturum esse, quod cum Nero (ut videbatur) fecisset, eum tertio die

rever-

revertisse: Neronem verò miratum ei statuam Romæ posuisse cum hac inscriptione: *Simoni Mago Deo*: Neronem ex eo tempore in artes magicas incubuisse totum, Bodinus *lib. 2. cap. 6.* Plura alia præstigiarum exempla passim in hoc Tractatu, & apud alios occurrunt. Ridiculum tamen, antequam ad alia transeo, non possum non dictis subjungere. Camerarius hoc *Comm. de Generib. Divinat. p. 113.* refert & ait: *Audivi ego, iis affirmantibus, quibus de multò majoribus rebus fides habenda esset, fuisse in meâ patria quondam, qui prodiens aliquando in forum piscarium pisces simularet se velle emere, cumq; delegisset, quos sumeret, cœpisse prætendere oblivionem domi obliti marsupii, & dicere, se pecuniam statim esse missurum. Muliercula, quæ ad venales pisces assidebat, perhibet, quod metueret, ne falleretur. At ego, inquit ille præstigiator, tibi caput meum pignori relinquam, & deposito capite ante eam ita truncus discedit. Territa muliercula clamat, ut pisces sibi haberet, modo caput simul auferret.*

CAPUT VI.

Dæmon visum fascinat subtrahendo objectum tum simpliciter, cum impedit, ne objecti species ad oculum deferatur, vel delata recipiatur, vel recepta in tunica retina pingatur: tum secundum quid. Quomodo visum fascinet, ut alia forma visibile, & quidem ratione figuræ appareat. Corpus visibile, quod Dæmon induit, vel verum est, vel phantasticum, vel partim verum, partim phantasticum. Mortuorum corpora à putredine præservare novit, edoctus à natura. Talis mixtura exemplis probatur. Inanimata ad præstigiarum fucum trahit. Phantasticum corpus pro finis varietate variat. In Christi figura Martino, in Angeli forma Ludovico Regi Germanorum Dæmon apparuit. Apparet in forma bona, ut fallat. Alia ratione Dæmonem se in Angelum lucis transformare ostenditur. Wierus & Reginaldus Scotus, qui Dæmonem cum Lamiis pacisci negant, notantur.

§. 1. HÆc de Præstigiis in genere præmissa facem jam plerisque *de Fascinatione visus Part. 4. Sect. 1. cap. 6.* adductis admovent, ut faciliùs modus, quo Dæmon visum fascinet, & fallat, intelligi queat.

Objectum ipsum visui subtrahit, ut præsens ab adstantibus actu non videatur, & invisibile fiat, *vel* simpliciter *vel* secundùm quid. *Simpliciter*, ut objectum planè non videatur, præstat, quando nimirum impedit, ne *vel* objecti visibilis species ad oculum deferatur, *vel* delata recipiatur, *vel* recepta in retina tunica pingatur. *Ad oculum non defertur*, quando nimirum *vel* crassiori aere ipsum objectum induit, *vel* ex tempore aliud corpus sive fictitium, sive verum inter organum & objectum supponit, *vel* momento visui objectum subtrahit, & in alium locum transfert. *Ne recipiatur*, in causa esse possunt in ipso organo vapores & humores alieni, quos ad oculum, & in oculo commovet, qui non tantùm speciem recipiendam, sed & receptam, *ne in retina tunica pingatur*, impedire possunt. *Secundum quid* & secundum partes quomodo visui objectum subtrahatur, ex dictis patet. Helmontius *Libr.* quem inscripsit *Injaculatorum modus intrandi* scribit, Satanam rem in se visibilem facere invisibilem non tantùm per oculorum effascinationem, sed & suo spiritu invisibili, quo res ipse circum apprehendat. Verùm an & quomodo hoc fiat, ego fateor, capere nequeo, essentiam scilicet invisibilem posse sua essentia occultare visibile, ita ut & ipsum invisibile fiat.

§. 2. *Ut alia forma visibile*, & quidem ratione *figuræ* secundum vel totum, vel partes appareat, facile hoc esse Dæmoni, ex dictis intelligit quivis, aerem scilicet compingendo, celerrimè ad determinatam speciem figurando, & colorem debitum per certam luminis cum opaco miscellam producendo. Hinc discusso aere pristina mox adest forma. Sic Jobius Fincelius *Libr. de Mirabilit.* scribit Lycanthropum Paduæ fuisse deprehensum, cui lupini pedes resecti sunt, & momento manibus pedibusque truncatus homo exstitit. Accedit & hoc, quod Satanas complicum suorum & Lycanthroporum phantasiam quoque ita fascinet & dementet, ut se verè bestias esse existiment, hominum societatem fugiant, & in sylvas se recipere gestiant; subtracto autem præstigiarum fuco homines suam figuram omnium oculis mox conspiciendam exhibeant, eademque & eo in loco vulnera, quæ ut bestiæ acceperant, ostendant. Sic exemplorum *§. 5. loc. cit.* adductorum, ut & cæterorum ratio constat; quomodo item quantitatis tum continuæ, tum discretæ, nec non coloris, motus & quietis ratione fiat immutatio. Inde pariter, quomodo ratione omnium vel plurium fieri queat fascinatio patet, cum v.g. porri-

porrigitur & agnoſcitur, ubi coloris, figuræ quantitatis & reliquorum accidentium ſit immutatio. Quanquam hîc ſtatuere malim Dæmonem viſibilem factum veram monetam ſæpè ſubminiſtrare, ſed eandem inviſibiliter ſumma celeritate Sagis non advertentibus rurſus ſubtrahere, & ſpurium in veri doni locum ſubſtituere.

§. 3. *Corpus viſibile*, quod Dæmon induit, vel phantaſticum vel verum eſſe diximus. *Verum* vel ex patibulis, vel ſepulchris, vel locis, ubi hominum & jumentorum ſtrages edita, rapit,& citiſſimè, ut ſolet viva corpora, transferre breviſſimo temporis ſpatio novit, in quibus, quod ex parte corporis deeſt, phantaſticis illuſionibus ſupplet: animæ autem vices ipſe, permeando & regendo omnes corporis partes, obit. Sic commenſalis illius Corn. Agrippæ Diabolum ignotis verbis conjurantis, ſed repellere neſcientis & propterea à Dæmone ſuffocati cadaver Dæmon ingreſſus vivum hominem repræſentavit. *Reverſus domum Archimagus videt*, inquit Majolus *loc. cit. pag. 175. exultantes ſuper eam Dæmones; utitur ſolitis artibus, adſunt vocati, narrant rem, ut geſta. Ille homicida jubet cadaver ingredi, & per forum (ubi cæteri ſolebant ſtudioſi frequentius convenire) aliquoties obambulare, tandemque corpus deſerere. Ambulavit ille ter quaterve, tum corpus concidit, diffugiente eo, qui regebat.* Balduinus *Comm. 2. Cor. pag. 532.* ait: *Hanc ad rem fieri poteſt, ut mortuorum corpora ingrediatur, eaque circumferat, & pro lubitu eis abutatur*, Mortuorum corpora etiam præſervare novit à putredine, à natura ipſa, cujus vim & operationem probè perſpicit, edoctus. Non rarò enim cadavera à putredine diu incorrupta natura ſervat, id quod Mumiæ Ægyptiorum teſtantur, quæ ſeculis plurimis incorruptæ perſtant. Ammianus Marcellinus *lib. 19.* refert, Cadavera Romanorum à Perſis in prælio occiſorum diſcerni potuiſſe à Perſis. *Noſtrorum enim cadavera*, inquit, *cæſorum mox fatiſcunt & defluunt, adeò ut nullius mortui facies poſt quatriduum agnoſcatur. Interfectorum autem Perſarum inareſcunt in modum ſtipitum corpora, ut neque liquentibus membris nec ſanie perfusâ madeſcant, quod vita parcior facit, & ubi naſcuntur exuſtæ caloribus terræ.* Exempla varia etiam collegit Th. Bartholinus *Centur. 1. Hiſtor. Anat. 62.* Caſp. à Reies *Quæſt. 34. num. 13.* Kornmannus *de Miracul. Mortuor.* paſſim. Dæmon eam naturæ in præſervando curam perſpiciens remediis quoque naturalibus corporum defunctorum integritatem, ut ſint apta

in præstigiarum theatro materia, procurare satagit, & quidem vel motu locali noxia pellendo, vel medicamentorum vi juvantia applicando.

§. 4. Ut autem totum, sic & partes corporeas nonnunquam substituit caucalator infernalis v. g. cornua aliunde celerrimè allata, quæ personæ fascinandæ affixa ipse tenet: ori partes solidiores præstigiis correctas applicat, linguam regit, ut non nisi mugitum edere queat, & phantasiam per sensum externum decipit, ut verè omnia fieri æstimet. Talia phantasticorum & realium corporum mixturâ veteratorem versipellem uti & homines fascinare omninò existimandum. Si Magi Pharaonis Dæmonis ope & fraude serpentes aliunde allatos intuentium oculis ita subjecit, ut virgæ in serpentes viderentur conversæ, idem in actionibus magicis etiamnum fieri, variaque celerrimè Dæmonem substituere, ac cum phantasticis ad sensus certiùs fascinandos conjungere, non est dubitandum. Lutherus de Doctore quodam Medicinæ refert exemplum, qui tantum ex baptismo suo animum sumsit, ut nec Diabolum, nec infortunium ullum metueret. Quare cum Dæmon in forma hirci villosi ei aliquando obviam esset factus, cornibus eum apprehensum in mensam projecit, sed corpus evanuit, remanentibus in manu cornibus. Ut cornua, ita & sanguinem, stercora, carnem & alias partes præstigiator fallax citissimè transferre novit. Egregium præstigiosi miraculi sanguine canino à Satana editi recitat Deusingius *Dissert. Select. 3. §. 22.* *Cùm Præstigiator Satanas*, ait, *ante aliquot annos in Cænobio quodam Coloniensi (historia recens ac verissima est, infinitos habens oculatos testes, qui nondum consenuere) omnes cænobii virgines impura sua magia infecisset atque obsedisset (quarum maxima pars ibidem igne cremata est) ex simulacro quodam Salvatoris cruci affixo stillare aliquamdiu faciebat sanguinem, eumq; verum.* Res summæ admirationis fuit, ac superstitioni deditis hominibus ingentem cernebatur religionis suæ zelum excitare: sed cùm fraus Satanæ præstigiosa tandem pelluceret ac detegeretur, misellorum ac superstitiosorum hominum dementiam ridebat ipsemet ex monialibus obsessis, quòd caninum sanguinem pro sanguine Salvatoris penè adorassent: ipseque plurimorum eorum cadavera, è quibus sanguinem pro suo præstigioso exercendo miraculo sustulerat, in quodam urbis angulo secretiore congesta indicabat.

§. 5. Si jam Dæmon animata, eorumque partes in scenam hanc producit,

producit, non inanimata idem negliget, quorum cum magnus ſic numerus, quantum erit ejusdem præſtringendi artificium, maximè ſi vel ſolum lapidem Bononienſem cogitaverimus, qui ſoli expoſitus, lucem ita capit, ut receptam retineat, & in tenebris etiam luceat: quo ipſo & aliis pluribus luce ſplendidis, noctuque lucentibus (de quibus ſingulari Tractatu egit Bartholinus, quem inſcripſit *de Luce Hominum & Brutorum*) varias eum præſtigias promovere nemo ambigat. Non intactum relinquam Polypum mineralem, h. e. lapidem mirum, cujus *Annus III. Natur. Curioſ. Obſerv. 102.* facit mentionem, qui in aquam immiſſus incipit in margine lucere, & lucidam, ſed ſuccineam umbram aquæ communicare; pauculi temporis ſpatio per variegatos colores, ſuccineum, amethyſtinum, nigrum, album, nebuloſum, & quaſi fuliginoſum præſentat, tandem totus lapillus antea opacus in aqua vertitur in translucidum, perſpicuum lapillum, coloris fulvi, ſuccinei. Aqua exemtus per omnes eos recenſitos colores retrogrado motu ad priſtinum ſtatum redit.

§. 6. Phantaſticum corpus deterrimus præſtigiator ſæpe aſſumit ex vaporoſo aere ingenioſè & artificioſè formatum, idque pro finis, quem ſibi habet propoſitum, varietate variat. Διαβολολατρείαν in B. Martino quærens in Chriſti effigie eum circumvenit, teſte Sulpitio *in Vita Martini cap. 25.* qui ex ipſius Martini ore hoc ita geſtum eſſe, ſe didiciſſe refert: *Diabolus B. Martino circumtectus ipſe luce purpurea, quo facilius claritate adſumpti fulgoris illuderet, veſte etiam regia indutus, diademate ex gemmis auroq; redimitus, calceis auro illitis, ſereno ore, læta facie, ut nihil minus, quàm Diabolus putaretur, oranti in cellula aſtitit, hæſitanti & anxio B. Martino dixit: Agnoſce Martine quem cernis, Chriſtus ego ſum, deſcenſurus ad terram, dubitanti ſanctiſſimo Viro iterum ingerit: Martine quid dubitas credere, cùm videas? Chriſtus ego ſum. B. Martino Luthero quoque ardentiſſimè oranti & paſſionem Chriſti in memoriam ſanctè revocanti idem ſub ſpectaculi Chriſti vulneribus quinque inſigniti figura in fulgore excellenti apparuit. Sed Lutherus Deiturientis veteratoris ludibria & dolum facilè olfaciens ſpurium Chriſtum, ut mox diſpareret, pro zelo profligavit*, Freudius *Quæſt. 28. n. 4.* ubi aliam quoque iſti affinem hiſtoriam recitat.

§. 7. E[illegible] in Angelum lucis Satanas transfiguratur, μεταχηματίζεται εἰς ἄγγελον φωτ[illegible] *[illegible]r. 11.* Et tali integumento apparente ſe involvit, ut

homines

homines faciliùs seducat; uti seduxit Carolum Ludovici Regis Germaniæ filium, quam historiam Wolffius *lib. 2. Memor. pag. 291.* ita recenset: *Quodam tempore Germanorum Rex Ludovicus (teste Eginaldi historia) conturbatus fuit acerbè à filiis suis, quorum tres fuerunt numero, Ludovicus Junior, Carolus, postmodum cognominatus Crassus & factus Imperator, & Carolomannus, qui fuit pater Arnulphi, postea facti Imperatoris. Nam Ludovicus & Carolus maximo odio flagrabant & invidia adversus fratrem suum Carolomannum, & pluribus in rebus erant inobedientes, & pravas moliebantur machinas contra Patrem, eò quòd ipsis videbatur, ipsum semper eis alterum præferre, se autem exhæredatum iri metuentes. Et aliquando die quadam, quando dictus Ludovicus Rex Germaniæ fuit Francofurti cum suis duobus filiis, Ludovico & Carolo, Diabolus in forma Angeli cujusdam apparuit dicto Carolo, & dixit ei, quòd parens ei intentaret & pararet mortem, ut possit præferre & evehere ad Regni fastigia fratrem ejus Carolomannum; & de hoc facto Deum valdè irasci, & offendi gravissimè: constituisse enim Deum dare Imperii potestatem Carolo. His verbis Carolus totus fuit attonitus, & ex pavore aufugit in templum, loco illi proximum. At Diabolus eodem subsequitur eum, & dicit illi: Cur timidus es tu & fugis? Cogitas tu, quòd, si verba mea non essent ex Deo, in hoc ingressus essem templum? Igitur credas mihi velim, & recipe Sacramentum Domini ex manibus his (offerebat ei formam hostiæ cujusdam) meis. Verùm quid fit? Continuò ingressus in eum est Diabolus, & obsedit corpus ipsius, & incepit clamare, & boare horrendum, Diabolo vexante. Ex hoc igitur Pater ejus & universa nobilitas fuit maximopere perturbata & perterrefacta, & curaverunt cantari missam, eo præsente: hac durante, interea ipse, præsertim verò, cùm cantaretur Evangelium, clamavit horribiliter, alta voce confiteri cœpit, hoc infortunium supervenisse ei eò, quòd conspiraverit contra patrem suum. Post missam parens ejus Ludovicus emisit quæsitum Sacerdotes, Episcopos, Pastores religiosos & sanctos, & qui pietatis haberent nomen, ut orarent ad Deum pro filio suo, horumq; etiam precibus fuit ab hoc tandem malo liberatus.* Hæc ille.

§. 8. Nimirum *fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps* infernalis. Quod aperto Marte non audet efficere, fraudibus aggreditur. Lupinam pellem ovinâ tegit. *Quis enim*, ait Remigius *libr. 1. cap. 9. adeò est confidens ac securus, qui, si prima fronte, quod ajunt, cornua ostendentem*

dentem

dentem i. e. perniciem apertè intentantem videat, non statim obnixè illum vitet ac defugiat? Improbus malas merces suas, ut venaliores hominibus obtrudat, eas speciosis involucris tegit, ac (quod de sui temporis Philosophis dixit Seneca) pharmacopolarum more pyxidibus venena occultat, quæ tamen honestissimos titulos præ se ferant. Transfigurat se insuper Dæmon in Angelum lucis, quando bona facere, & vitia fugere, munditiem consectari, & utilitatibus providere jubet. Hoc autem cur faciat, tradit Ambrosius *Comm. in 1. ad Thess. 4.* citante Lavatero *de Spectr. Part. 2. cap. 18. Solent spiritus immundi fallaciter, quasi per imitationem dicere bona, & inter hæc subinducere prava, ut per hæc, quæ bona sunt, acceptò ferantur & mala. Et quia unius spiritus dicta putantur, non discernantur abinvicem: sed per id, quod licitum est, commendetur illicitum, authoritate nominis, non ratione veritatis.*

§. 9. Ex dictis jam patet, in fumum abire magnorum Sagarum Patronorum Wieri & Reginaldi Scoti Nobilis Angli argumentum. Ille enim Dæmonem extensa manu, firmaque stipulatione cum Lamia fœdus inire negat, quod spiritus carnem & ossa non habeat, adeoque nec manum, quæ istis constat: hic pariter Dæmonem, utpote corpore destitutum, pacisci negat, quod ideo vel ipse creare dicendus, vel à Deo in ipsius usum creatum accipere: utrumque absurdum; primum enim Diabolum efficere creatorem, secundum Deum creare aliquid de novo, idque, quo Satan ad fraudes suas abutatur. Sed optimè ad hæc respondet Nobiliss. Dn. D. Mauritius Professor jam Kilonii Celeberrimus *Dissert. Inaug. de Denunciat. Sagar. Tubingæ Ann. 1664. habita, pag. 44.* pacisci etiam Deum dici cum homine, non ergò requiri hac acceptione ex utriusque paciscentis parte corpus: nec necesse esse, si corpus assumat Diabolus, ut id vel Deus, vel ipse ex nihilo creet, datur enim tertium, assumptio alterius corporis jam compositi, & quartum ex creatis plurimis minutis corporibus, aut ut aliqui volunt ex aere, corporis majoris, in humanam similitudinem ficti, compositio.

CAPUT VII.

Hominis speciem Dæmon induit sub variis simulacris , id quod variis exemplis confirmatur. Non tantum autem hominis in communi, sed certarum personarum, & mortuarum, & adhuc viventium formam assumit. De Spectro quodam fœminæ vivæ imaginem hic Coburgi referente. Dæmon etiam futurorum, ut ita loquar , hominum speciem exprimit. Cur Hominis speciem libentius assumat ? an semper turpitudine quadam notatus appareat : An verum sit , Dæmonem pedes suos nunquam obtegere? Moraliter hoc explicatur.

§1. H*Ominis* speciem hominum omnium adversarius scelestissimus sæpe induit , & sic se conspiciendum hominum oculis exhibet, spectrum inde dictus. Variis autem sub simulacris se sistit, & comœdi instar exercitatissimi in theatro mundi agit personam quamcunque : Jam *Juvenis* elegantis, vel *Virginis* formosæ forma his , qui Veneris delicias animo securo versant, apparet : jam *nobilis*, jam *rustici*, jam *mendici* personam mentitur, &, ut *homines omnium horarum* dantur & dicuntur, qui seriis pariter ac jocis sunt accommodati; ita Dæmones spiritus sunt omnium statuum , ætatum, & sexus omnis , qui cuicunque per præstigiatorias metamorphoses externa specie se accommodant. In mulieris forma se obtulit Curtio Rufo, senis macie & squalore confecti Athenodoro Philosopho Athenis, referente Plinio Secundo *lib. 4 Epistolar.* Specie grandis fœminæ nihil vestitu aut facie à Tragica permutatæ furia Dioni apparuit apud Plutarchum *in Ejus Vita.* Bello Macedonico P. Vatinius Reatinæ Præfecturæ Vir noctu urbem petens vidit duos juvenes excellentis formæ equis insidentes, obvios sibi factos nunciare, die, qui præterierat, Persen Regem à Paulo captum, Valerius Maximus *lib. 1. cap. 8.* C. Cassius Julium Cæsarem , seu Dæmonem in ejus imagine in prælio post mortem vidit humano habitu augustiorem, purpureo paludamento amictum , minaci vultu, & concitato equo in se impetum facientem, Idem *ibidem.* In area ædium Matthæi Vice-Comitis, qui Magnus dictus est, post occasum solis visus est Vir armatus in equo , longè specie humana major, qui, ubi à

multis

multis conſpectus fuit per horæ ſpatium, poſtea evanuit, magno eorum qui rem viderant, horrore, ex Baptiſt. Fulgoſo Lavaterus *Part. 1. c. 15.* Judæis Dæmon apparuit in forma Moyſis, & ſe ducem iis in promiſſionis terram futurum pollicitus, induxit perſuaſos ad mare transfretandum, plurimosque illorum undis involvit. In Furnenſi agro, pago Eggafridi inferioris Germaniæ, Gerardum Ducem Britanniæ ſe mentitus eſt, & diu multumque variis præſtigiis illuſit hominibus, donec tandem à Diacono quodam Rodolpho adjuratus, quod erat, immundum ſe ſpiritum confeſſus eſt. Jacob. Mayerus *lib. 5. Annal. Flandr. Ann. 1153.* citante Schotto *Phyſ. Curioſ. libr. 2. cap. 34.* Dæmones metallici Virunculorum ſpecie apparent, de quibus eruditè Excell. Dn. D. Posnerus *in Diſput. quadam* egit. Plura non tantum in hiſtoriarum monumentis, ſed & in Judicum actis occurrunt exempla eorum, qui Dæmonem in hominis forma, modo ſub hoc, modo ſub iſto habitu conſpexerunt. Et vix erit, qui, ſi non propriis oculis, tamen auribus viſa ab aliis non hauſerit. Proteus ille in montibus Sileſiæ Rubezahlius Comœdum in theatro ſuo excellentem agit, qui non modò in bruta, & res alias, tum naturales, tum artificiales, ſed & in hominem ſe transmutat, varia cujuscunque ſtatus, ætatis & ſexus ſchemata exhibet, multisque iter facientium oculos præſtigiis fallit, quo de Prætorius *Dæmonol. Rubenzalii Sileſii Part. 2. & 3.* videatur.

§. 2. Non tantum autem hominis ſimulacrum indeterminatè, & in communi, ſed & determinatè certæ perſonæ tam adhuc viventis quàm demortuæ aſſumit. Samuelis demortui imaginem Regi Sauli Dæmonem exhibuiſſe diximus ſupra *Part. 4. Sect. 1. cap. 6.* § 9. & Julii Cæſaris C. Caſſio *§. præced.* ex Valerio Max. vidimus. Vivos etiam Dæmon repræſentat, eorumque formam & habitum exactè refert. Lavaterus *loc. cit. cap. 19.* ſcribit, ſe ex Viro gravi & prudente, ditionis Tigurinæ Præfecto audiviſſe, qui aſſeverabat, ſe æſtate ſummo mane cum ſervo ſuo iter facientem per paſcua vidiſſe quendam optimè notum, qui equæ ſeſe nefariè commiſceret: ſe obſtupefactum reflexiſſe iter, pulſaviſſe ædes illius, quem putabant ſe vidiſſe, atque certò comperiſſe, quòd ille cubiculo ſuo nunquam egreſſus eſſet. *Novi ego*, inquit Autor *Cautionis criminalis Dub. 48. p. 345. virum probum, doctum, & religioſum, egregia forma, in quem cum procax quædam mulier & ſaga in-*

Ggggg 2 *ſano*

sano furore Veneris exardere cœpisset, nec tamen ulla via, quas varias tentarat, potiri optata spe posset, hoc uno se utcunque leniebat, quod Dæmonem suum concubinum in illius semper faciem formatum accipiebat, ut ei deinde ipsamet est fassa. Et *pag. 347.* recitat historiam, quam in loco Germaniæ celebri contigisse ait. *Vocaverat ad mensam suam Princeps religiosos duos, viros spectata virtutis & doctrinæ: inter epulas deinde Princeps ad alterum eorum: Mi Pater, inquit, existimas ne ex æquo & recto geri, cùm eos hactenus in nervum abripimus, qui à decem & duodecim sagis denunciati sunt in saltibus comparuisse? vereor non parum, ne mille artifex suis assèclis illudat, & non æquè tuta sit ad veritatem via, quam per hasce denunciationes sternimus: præsertim, cùm & Viri gravissimi, doctissimique non pauci passim incipiant reclamare, & conscientiam nobis commovere. Dic igitur, quid sentis? tum ille, ut est acer subinde, & profusus impetus eorum, qui non ultra pedes quatuor à fornace absiti philosophari solent: quid malum, inquit, quod nos anxios hic facit, ac conscientiam constringit tot testimoniis convictam? Scrupulus sit existimare id unquam Deum permissurum, ut innocentium personæ ita traducantur: non est, quod ad tantum denunciationum numerum Judex hæsitet, quin tutò progrediatur. Ad quod cùm rursus à Principe replicatum esset, atque ultrò citroque multa in utramvis partem hinc inde mota, videreturque religiosus penitus obtinere velle, concludens tandem disputationem Princeps: Atqui verò, inquit, doleo mi Pater, tuam vicem, qui in re capitali tuomet ore te confodisti, nec habes adeo, quod reclames, si te quoque in custodiam recludo: quippe quem à se in conventibus suis visum non minus quindecim denunciarunt: neve putes, rem serio non agi, nihil impedit, quin è vestigio acta afferri jubeam, ut te ipse ibi legas, tot testibus, quot nec ipse postulabas convictum. Obstupuit vir bonus, & dejecto vultu non habuit, quod sic subitò opponeret præter confusionem, & è summa facundia silentium.* Dn. D. Ericus Mauritius *loc. cit. §. 16. in MSto quodam Consilio* (sic) Amplissi. Facultatis Juridicæ Tubingensis exstat, uti ex transmissis actis à Judice Criminali Göppingensi; & propterea reæ voluntariâ confessione constitit: Mariam Braitengeriam ex Bermaringen in agro Ulmano Anno 1629. septendecim tunc annos natam, & cum adolescente quodam in Holzhausen nimis familiariter consuescentem, ac quandoque concumbentem, cum ad gramen colligendum exiisset, à Diabo-

Diabolo sub forma adolescentis, quam assumpserat, illam fallente compressam fuisse. Qui cum deinceps quæsivisset ex ea, an ipsi addicta esse vellet, eaque nondum cognosceret Dæmonem, idque ei concessisset, eique annulum suum donasset, ei demum, qualis esset, ostendit, ac evanuit. Plura exactiùs conquirere fugio, nec tangam, quæ D. Reinking *Respons. Juris n. 80,* aliique notarunt exempla.

§. 4. Hoc unum subjicio, quod Dn. D. Mengernig *Informator. Conscient. Evangel. Dominic. Invocav. Quæst. 2. pag. 164.* adducit. Spectrum nimirum Præfectum quendam in castello Coburgensi habitantem, uxoris suæ viventis specie sic delusisse, ut spectro contubernium ingrediente ipse mensæ adsidens dubius quandoque fuerit, quænam vera ejus esset conjux. Relationi huic quod mihi eam in rem inquirenti fama narravit, ego subnectam. Præfectus ille Vir Nobilissimus G. P. V. Z. tempore Joh. Casimiri Principis nostri Laudatissimi gloriosæ recordationis, primùm eques aulicus, deinde Stabuli Ducalis fuit Præfectus, qui in hoc oppido degens, spectri istius effugiendi causa habitacula aliquoties mutavit. Primùm in plateâ, quæ Spittelgaß vocatur, deinde in his meis, quas ego nunc possideo, postea in ædibus magnis prope suburbium urbi vicinis die Rosenau dictis, inde in castello, cui Præfectus fuit, habitavit. Sed spectrum, velut vivam uxoris imaginem, in omnibus ædibus habuit sequens. Muliere nobilissima habitationem novam effugiendo spectro aptam aliquando in his meis, marito suo commendante, clara voce illud infit: Du ziehest gleich hin / wo du wilt / so ziehe ich dir nach: wenn du auch die gantze Welt durchzögest / id quod etiam factum. Nam sequenti post emigrationem die sonum fores ædium mearum posteriores ediderunt, quasi cum impetu occlusæ fuissent, ex quo spectrum nunquàm hic visum, in novo Viri Nobilissimi domicilio se conspiciendum exhibuit. Quali vestitu uxor fuit induta, tali etiam spectrum semper comparuit, tam festivo quàm lugubri, jam eleganti, jam domestico. Ipsa sine comite ad domestica obeunda nunquam abiit: comparuit autem phantasma tempore plerumque meridiano inter 11. & 12. Confessionarius Dn. Joh. Pfrüscherus Diaconus rogatus meridie aliquando accedit: sed eo tempore non comparuit simia infernalis: sequenti die ad prandium vocatus Pastor itidem adest, sed neque hoc, neque sequenti ullo alio tempore, præsente isto, spe-

ctrum comparuit, nisi quod cum Nobilis juxta cum uxore & sorore Virgine ad gradus discendentem comitaretur, spectrum ab infra gradatim adscendens per clathrum ligneum scalæ vicinum succinctorium Virginis, quæ sola spiritum viderat, arripuerit, edito autem ab hac clamore mox disparuerit. Superliminari culinæ aliquando brachiis incumbens phantasma muliebre, coquæ interroganti: quid vis? respondet: Dominam tuam volo. Damnum tamen nullum mulieri nobilissimæ spectrum intulisse percepi; mariti autem sorori fuit infestum, cui alapam aliquando impegit tantam, ut vesicæ in mala inde fuerint ortæ, virgo etiam propterea ad lares paternos redire fuerit coacta. Ædium mearum fama propter istud spectrum fuit primùm inclemens, inclementiam tamen tempus mitigavit, earumque innocentiam prodidit. Neque ego per 20. annos, quibus eas incolui, (faxit Deus & reliquis feliciter!) vel domestici mei per Dei gratiam phantasma ullum conspexerunt; nisi quod 6. septiman. ante obitum filiolæ meæ suavissimæ Mariæ Barbaræ die 10. Febr. hujus anni 1674. denatæ (cui æternum benè sit) ancilla mea noctu inter horam 11. & 12. negotiis prope fontem meum domesticum implicita, infantem indusio albo amictum prono & mœsto capite fonti insidentem, & mox disparentem viderit; quem tamen mortis prænuncium non nisi post ultima filiolæ fata indicavit. Tantum de spectro isto domestico, de quo disserendi Dn. D. Mengering, relationis raritate mirâ & ipse invitatus, occasionem subministravit.

§. 4. Ne tamen innocentibus forsan manibus injuria fiat, & hoc addam, me quidem ex fama in ore paucorum, qui eo tempore vixerunt, residente ista accepisse: verùm ut in rei veritatem certiùs devenirem, meipsum mulierem quandam satis annosam, quæ Matronæ nobilissimæ à servitiis fuerat 9. annos, non quidem una serie, sed distinctis temporibus, etiam in his meis ædibus, de relatione in Muséo meo interrogasse, sed eandem famæ communi non sine indignatione contradixisse. Neque enim vel sibi, vel reliquo famulitio spectrum sub viva vivæ Dominæ imagine unquam (nisi semel, ut mox indicabitur) comparuisse frequenti ore edixit: nobilissimam matronam famæ suæ per totam urbem crebrescentis iniquitatem ægrè ferentem sæpius deplorasse, & Confessionario suo Viro prænominato querula voce exposuisse, eumque propterea, ut solatio

ſolatio ſibi ſuccurreret, quandoque ad prandium invitaſſe: ædes quidem ſpectris tumultuantibus, non autem viſibilibus fuiſſe infames, & propterea Dominam juſtò timidiorem vix ſolam ædes perambulaſſe. Tandem autem mulier hoc fatebatur. Videbar tamen mihi, inquit, noctu aliquando voce Dominæ meæ excitatæ videre eandem habitu ſuo domeſtico indutam lectoque adſtantem dicere: Margethla, ſurge, deſcende in cellam, in pariete ejus à dextro latere lapis eſt (per circumſtantias eum deſcribebat) poſt quem theſaurus latet abſconditus tibi ſoli donandus & extrahendus. Ego verò juvencula ſpectri facie & voce perterrita luminibus clauſis lecto me ſepelio. Triſtior ex hoc ego facta rem geſtam poſt aliquot tempus parenti meo de triſtitiæ inſolitæ cauſa me acriter interroganti omnem enarro: De theſauro autem nemo fuit ſolicitus. Aliàs nihil mihi viſum fuit unquam; neque domeſticos aliquid vidiſſe unquam inaudivi. Hæc iſta mihi coràm retulit. An verò ex amore erga ſuam Dominam defunctam famæ malitiam ſimulando redarguere mulier hæc voluerit, me latet. In gratiam autem Lectoris, cujus judicio hæc committo, hæc adducere volui.

§. 5. Majorem verò hoc parit admirationem, Diabolum etiam formam repræſentare hominum, qui ſunt, ut ita loquar, futuri, v. g. maritorum, qui nondum tales & ſic conſiderati ad contingentium numerum ſpectant, quorum utpote agentis maximi directioni liberæ & nutanti hominum voluntati ſubjacentium non eſt determinata veritas. Eò ſiquidem veſaniæ curioſitas & præſciendi quodammodo fatorum futurorum qualitatem cupiditas petulantes juvenculas adigit, ut ſacra natalitiorum Chriſti nocte media in nomine Diaboli nudæ contractis cruribus & brachiis, averſo à janua corpore, immota facie &c. menſæ ſilentio adſideant, impoſitis prius pro ſingulis perſonis vitris tribus, quorum primum aqua, ſecundum cereviſia, tertium vino repletum. Aqua fortunæ tenuis, cereviſia mediocris, vinum ampliſſimæ eſt index, ex quibus Dæmon in habitu mariti futuri accedens in generalem conditionis futuræ notitiam unum aufert. Ancillam habuerunt parentes mei hujus expertam. Hæc Nobilis cujusdam Fœminæ, cui à ſervitiis fuit, ſuaſu cum ancillis duabus aliis, obſervatis iſtis ritibus (Domina rem in hypocauſto geſtam omnem per apertam cubiculi januam interea conſpiciente) menſa ſe aliquando adſediſſe retulit. Singulæ vitra tria ſuo loco in

menſa

mensa reposuerant, liquoribus dictis impleta. Spectrum primum servi domestici habitu ingrediens, vitrumque aqua plenum, quod primæ ancillæ fuerat, manu arripiens discessit. Sequens victoris instar secundum secundæ vitrum, quod cerevisiam tenuit, pari ausu amovit. Tertium, vestimento Ludimoderatoris pagani instar nigro & tibialibus albis indutum tertium liquore optimo refertum abstulit. Magicæ huic explorationi nefando suasu & ausu susceptæ eventum respondisse tertia retulit. Primæ enim, quæ servo cuidam nupsit, tenuis fuit conditio; secundæ victori nuptæ fortuna pinguior. Quæ verò ipsius tertiæ demum fuerint fata, compertum mei non tulerunt. Finito enim famulæ hujus apud parentes meos famulitio, finita fuit ejusdem in patria præsentia & hactenus etiam fama. Magnus hîc, si extravagari liceret, excurrendi campus & varia diabolicorum ausuum, quibus sacram istam noctem improbæ juvenculæ divinationis gratia profanant, exempla in medium producendi locus daretur, sed reprimo calami libidinem, & hoc saltem, quod exemplis aliorum didici, morale subjungo: Qualis labor, talis merces : Diabolicum augurium sequitur Diabolicum conjugium, i. e. rixosum & calamitosum. Vereor, ne conjugii fata ejus, in cujus nomine præliminaria facta, dispositioni divina Nemesis relinquat, cùm æquum non sit, florem primitiarum conjugii Diabolo, reliquum verò jam ante magico fermento conspurcatum Deo consecrare.

§. 6. Hominis speciem, utpote ad congressum & colloquium convenientissimam Dæmon libentiùs sibi assumit. Et in hoc Dei gratiam elucere erga miseros mortales ait Remigius *lib. 1. cap. 7.* quòd nunquam tam commodè illam speciem effingat, quin fucus etiam crassioribus appareat. Nam aut in vultu fœditas est, ac turpitudo, aut uncis hamisque, quales obscœnis vulturibus insunt, manus pedesve depravatos habent, aut denique insolita atque insigni aliqua nota, quæ naturæ immanitatem prodat, conspicuos se ostendunt. Sed Delrius *lib. 2. Quæst. 28. s. 3.* putat, si majori potestate Dæmones non impediantur, posse, qua velint, apparere forma, humanamque perfectam, & omni ex parte pulchram, pulcherrimamque exhibere; obstare tamen ei voluntatem Dei, ut semper aliquid adsit, quo detegatur impietas & impostura, ne quam mortales ignorantiæ justam causam prætexant. Vulgò dici solet: **Wenn der Teuffel schon die schönste Gestalt an sich nehme / so könne er doch seine Füsse**

und Klauen nicht verbergen. Hoc quidem propriè intelligi posse & explicari Freudius *Quæst. 33.* non negat; perpetuum tamen non esse ex eo colligit, quòd in Angelum lucis, imò in Christi speciem se transformet Dæmon. Moraliter autem sic explicat: Darum so ist diese Rede/da man sagt/ er könne seine Füsse nicht verbergen / nicht von den Füssen zu verstehen/ darinnen er erscheinet und sich sehen lässet/ sondern also/daß/ wenn er dem Menschen zusetzet/ und sich gleich anfangs freundlich gegen ihm erzeiget / und gantz süß und lieblich mit ihm redet/ und eine Sach gar schön vormahlet/ so sey doch das Ende und der Ausgang schrecklich/ und höchstschädlich/ an welchem er alsdenn recht erkandt werde.

CAPUT VIII.

Brutorum formas Dæmon assumit. Viri etiàm ignei forma apparet. Unde ille ignis? Hirci formam in conventu Sagarum assumit. Dæmonibus hirci forma apparentibus Judæi sacrificarunt. De voce לשעירם, *Levit 17. v 7. Gentiles etiam Satyros coluerunt. Jupiter Hammon in arietis forma cultus: Pan caprina facie, hircinis cruribus. Cur superbissimus spiritus hirci fœdi formam exhibeat? Ratio Delrii, Ursini, Autoris. An verum sit, Dæmonem Lucii, Ovis & Columbæ effigiem non posse repræsentare? Affirmantium rationes diluuntur.*

§. 1. IN *Brutorum* etiam formas & mille species alias Satanas novit se transformare, Proteumque agere, & ut canit Virgilius *4. Georg.*

Tum variæ illudunt species, atque ora ferarum,
Fiet enim subitò sus horridus, atraque tygris,
Squammosusque draco, & fulva cervice leæna,
Aut acrem flammæ sonitum dabit.

Et paulò post:

Omnia transformans sese in miracula rerum,
Ignemque horribilemque feram fluviumque liquentem.

Apparent spiritus, inquit Lavaterus *de Spectris Part. 1. cap. 19. forma brutorum animantium nunc quadrupedum, ut canis, porci, equi, hirci, catti, leporis, nunc volatilium, vel serpentium, aut forma corvi, noctuæ, bufonis, anguis, draconis, quorum gentiles multos in templis & etiam domi suæ ha-*

 buerunt,

buerunt, & nutriverunt, ut passim videre est apud Poetas. Aliquando spiritus forma grata & jucunda, aliquando horribili apparuerunt. Nunc visus est aliquis equo vehi, nunc pedibus incedere, vel brachiis & pedibus niti. Nunc visus est vir igneus, nunc sanguinolentus, nunc ventre dissecto viscera propendere visa sunt. Interdum umbra solùm apparuit, aliquando manus, aliquando instrumentum aliquod, puta baculus, gladius, aut simile aliquid, quod spectrum in manibus habuit: aliquando apparuit instar ardentis fasciculi straminis. Hæc Lavaterus. Anno 1545. Rotivilæ per urbem Satanas vagatus est, sæpe leporis, sæpe etiam anseris, interdum quoque mustelæ assumpta forma, claraque & diserta voce minatus est, se urbem incensurum; quam rem non parum terroris hominibus incussisse scribit Fincelius *lib. 1.* In Patria mea, præsertim ante bellum Germanicum, & hactenus per multos iterum annos Dæmon in forma Viri ignei jam maximi, jam parvi, seu virunculi noctu in campis oberrantis & brevi hinc inde discurrentis apparuit, nostratibus proinde der feurig Mann dictus. Viro cuidam Rodachensi nocte tenebricosissima obviam aliquando factus, tantam terræ mox adspersit lucem, ut obulus in ea, si ibi jacuisset, videri potuisset, ut Vir idem mihi retulit. Quorundam noctu iter facientium dorso incumbit, ut aliquandiu pondus non sine anxietate, citra tamen adustionis periculum, portare cogantur. Atomos autem igneas per aerem dispersas Dæmon colligere, & in flammam jam densiorem, jam rariorem, modò majorem, modò minorem compingere, calorem ne adurat, inhibere, flammam ipsam rursus in minima dispergere & oculis subtrahere potest.

§. 2. *Hirci* formam ut plurimum Cacodæmon in conventu Sagarum nocturno assumit: sicut & jam olim antiquissimis temporibus apud Hebræos & gentiles assumsit. Judæos etiam Dæmonibus hirci forma apparentibus sacrificasse ex illo *Levit. 17. vers. 7.* colligitur, ubi prohibet Deus, ne sacrificent לשעירים *lasehirim*, ubi LXX. quidem vertere ματαίοις, hoc est, *vanis & futilibus;* sed Aquila vocis proprietati insistens reddidit τριχῶντας, uti Arias Montanus *pilosos*, à שָׂעַר *horrere, horrescere*, unde שָׂעִיר *pilosus, hirtus;* & speciatim *Sahir* hircus, ut *Levit. 4.* ubi agitur de manu imponenda hirco inter sacrificandum, notante Vossio *lib. 1. Idolol. cap. 8.* qui addit: *Sanè in illo etiam Levitici loco XVII, 7. per sahirim hirci; per hircos, Dæmones intelligunt R. David Kimchi in Libro Radicum, &*

R. Moses

R. Moses Maimonides Lib. III. More Nebuchim cap. XLVII. Ac causam adferunt, quia Satanas præcipuè in hirci figura se soleat hominibus offerre. Videatur quoque Seldenus *de DIS Syris Prolegom. p. 38.* Gentiles etiam stulta superstitione Satyros, sive Dæmones pro semi-Deis sive sylvestribus Numinibus coluerunt. Satyri autem hircum si non in totum ex parte tamen inferiori referebant. Et vox Satyrus levi immutatione à voce, qua Moses *loc. cit.* utitur, derivari potest. Capram & Hircum Mendesii coluerunt, Alex. ab Alexandro *Gen. Dier. lib. 6. cap. 26.* Jupiter Hammon in Hirci vel Arietis forma fuit cultus: hinc Arietinum oraculum, de quo Aul. Gellius *lib. 3. cap. 3.* Lucanus *lib. 9.*

> *Ventum erat ad templum, Libycis quod gentibus unum*
> *Inculti Garamantes habent, stat corniger illic*
> *Juppiter, ut perhibent, sed non aut fulmina vibrans,*
> *Aut nostro similis, sed tortis cornibus Ammon.*

Pan antiquissimus, fuit apud Ægyptios Deus: *ejus simulacrum*, inquit Herodotus *in Euterp.* (Ægyptii) *& pictores pingunt, & statuarii scalpunt quemadmodum Græci* αἰγοπρόσωπον καὶ τραγοσκελέα *caprina facie, hircinisque cruribus: haudquaquam existimantes, eum esse talem, sed similem cæteris Diis,*

§. 3. Cur autem superbissimus & Deuturiens ille spiritus hirci aspectu fœdi, atri, olidique imagine in conventiculis, ubi se suis honore & adorationis cultu afficiendum exhibet, apparet? Delrius *libr. 2. Q. 28. Sect. 3.* hujus rei hanc, quæ prima ei est, dat rationem, *quoniam ob reverentiam Verbi incarnati Deus non patitur, eum tunc assumere humanum schema.* At cùm Dæmon homines, quos societati suæ jungere quærit, primùm aggreditur, humana, & quæ sæpe honestam morum compositionem præ se fert, specie occurrit, cur reverentiam verbi incarnati tunc periclitari patitur Deus? Alias idem reddit causas, nimirum, animalis hujus salacitatem (quam rationem etiam dat Bodinus *lib. 2. cap. 6.*) superbiam & alia vitia, quæ moribus & actionibus suis Dæmones studiosè imitentur: siquidem, ut Remigius ait, regem decet eo habitu in publicum prodire, qui maximè virtutes ejus exornet ac demonstret. Item quod hircus ad sinistram locandorum Dæmon sit caput. Sed neque has rationes ad quæsitum de Imagine Majestatis quicquam facere advertit Ursinus *Analect. Sacr. Vol. 1. cap. 39.* qui hanc submini-

ministrat rationem : *Stulta mortalium*, inquit, *eaq; pervetusta illa opinio* Pana *Deum esse naturæ, qui ut bipes hircus pingi solebat & coli, stultissimum spiritum ita cepit, ut non aliter appareat, ubi magnificentissimè vult, quam hirciformis, quasi se jactet Dominum naturæ in Hirco, ab antiquissimis temporibus cultum, cujus Symbolum Hircus sit, & suis fidelibus habeatur*. Verùm hæc ratio apud gentiles forsan, quibus hieroglyphica ista notatio nota fuit, locum habuerit, non ita autem simplicem recentiorum temporum plebeculam, quam ratio ista fugit. Ego existimo non debere nec posse Dæmonem, qua velit, apparere in Comitiis magicis, specie ad Majestatem quandam compositâ, obstante ita Majestatis divinæ voluntate, ut in tremendô Judicis extremô judicio ii, quibus illustrissimi in orbe Christianæ veræ divinitatis radii affulserunt minus sint excusabiles, & cultus abominabilis ac vesaniæ suæ causa, quam prætendant, destituantur. Nam in quibus per naturam rationis, & per institutionem pietatis vel mica saltem reliqua est, omnem in τραγολατρείᾳ veræ divinitatis indolem abesse facilè cognoverit. Est enim ut Remigius apprimè eum describit, hirci obtutus trux ac ferox, frons cornibus aspera, barba promissa ac inculta, villi temerè pendentes, succincta crura, totusque adeò corporis habitus ad deformitatem, fœditatemque comparatus, ut aptior ab eo deligi non queat, qui intus forisque fœda horrenda, atque immania habet omnia. Oscula non loco amoris, sed fœtoris, podici suo imprimi præcipit: nec virtutes suadet sed vitia, non lucem, sed tenebras sectari jubet, atque hoc unum satagit, ut blasphemiarum plaustris veri Dei Majestas conspurcetur: qui tamen Satanæ complices, quod vel solius Jesu aut Dei nomine ore pio prolato subitò Magorum grex dissipetur, in se descendere, & ex hoc verbi fulmine veram superioris & nobilioris agentis, quod est SS. Trinitas, Majestatem cognoscere & venerari debebant.

§. 4. Multorum quidem, non tamen omnium animalium effigiem Dæmonem assumere, & quidem ex *aqueis* Lucii, ex *terrestribus* Ovis, ex *volatilibus* Columbæ imaginem non posse repræsentare nonnulli contendunt, quod passionalia in capite *Lucii* reperiantur instrumenta : Christus *agnus Dei Joh. 1. v. 29.* & Spiritus S. in columbæ imagine apparuerit *Matth. 3. v. 16.* Sed specie falluntur iidem. Non quia actu Dæmon speciem quandam repræsentare non est visus, repræsentan-

ſentandi iſtam potentia eidem deneganda, propter iſtas exigui valoris rationes. Nam 1. licèt quædam in capite *Lucii* partes paſſionalium instrumentorum figuram exprimant, non tamen inde, quo minus Lucii ſpeciem imitari queat, terretur, cùm ne crucis quidem figuram horreat, nec in templis imagine ipſius crucifixi exornatis verbum Dei ex cordibus auditorum rapere deſiſtat: ne tangam phantaſiam & imaginationem, ut Matth. Berneggerus *Obſervat. Hiſtorico-Politic. 23. pag. 229.* advertit, ex ſpinis ſibi iſta inſtrumenta effingere: præterea figuram de ſe agendi poteſtatem nullam obtinere. 2. Metaphoricus loquendi modus, quo Chriſtus Agnus vocatur, non impedit iſtam in *ovem* ſe transformandi potentiam, cùm ne quidem hominis, cujus tamen eſſentiam verè Filius Dei induit, figuram aſſumere Dæmon impediatur. Et qui 3. *Columbæ* ſpeciem non induere queat Satanas, quem in Chriſtum, qui Spiritum S. miſit, & in Angelum lucis ſe quandoque transfigurare ſupra vidimus? Vide Freudium *Quæſt. 32.*

CAPUT IX.

Faſcinum Auditus quomodo fiat, obſcurum. Soni natura eſt abdita. Organum, quod eſt auris, quomodo faſcinetur? Sonus quid? is variat: ubi ſubjectetur, quomodo diffundatur. Dæmon de ſe ſonum non efficit, ſed mediante corpore, aere ſcilicet. Vox Dæmonis non propria, ſed mutuatitia ſaltem eſt. E fiſtulis & organis pneumaticis novit, quæ ad ſonum formandum requirantur, quomodo is formandus? Ἐγγαστρίμυθοι & πύθωνες? Pythoniſſa in Endor ex obſcœnis oracula edidit. Cathedram divinatricem Dæmon ubique formavit. Dæmonis vox qualis. Phantaſiam Dæmon ſpeciebus honoris imprægnare poteſt. Ex parte objecti & medii quomodo fiat faſcinatio auditus.

§. 1. AD faſcinum *Auditus* tendimus. Sed & hic modus nodus. Auditus enim objectum ſonus eſt: at hujus & vocis *tam abdita eſt natura, tam arcana productio ac propagatio, proprietates ac effectus tam miri ac prodigioſi, ut cùm nihil magis ſit obvium ſono, tamen minus cognitum ac penetratũ à ſummis philoſophis videatur,* fatente Schotto Magiæ Phonologicæ peritiſſimo *Mag. Univ. Part. 2. lib. 1. in Procem.* Si jam

Soni abdita est natura & propagatio, longe magis abdita erit fascini circa sonum ratio, cùm ipsius quoque Dæmonis fascinum inferentis operatio occulta sit & abdita, omniaque ingeniosissimus præstigiarum faber modo à sensibus nostris remoto efficiat.

§. 2. *In auditus autem fascinatione* afficitur vel organum ipsum, vel objectum, vel medium. *Organum auris* est cum omnibus suis partibus, tum internis, tum externis variis, quas Anatomici enumerant. Has autem Dæmon si permissionem habet, fascinare potest inferendo morbos, & intemperiei & conformationis, & solutæ unitatis. Potestatem enim suam naturalem operandi ad extra, quando licet, ubique & semper in corporeis exercet: propterea mediantibus humoribus & spiritibus, quos ad aures commovere novit, facilè alterationem inferre, aurium meatus sive ductus obstruere, tympanum, quod membrana est tenuis & sicca, humectare & incrassare, ossicula tria, quæ sunt incus, stapes & malleus, loco movere, nervum auditorium, qui ad sonos speciatim percipiendos contrahitur, obturare, aërem congenitum impurum reddere potest. His autem ita malè dispositis vel nulla, vel difficilis fit auditio, h. e. externi aëris commotio seu sonus nequit interno aurium aeri per tortuosos antractus communicari: neque aër externus internum ferire, adeoque nec per nervum auditorium ad cerebrum, quod est sentiendi principium, sonus transmitti potest.

§. 3. *Objectum Sonus* est, qui est qualitas auditum movens, orta ex corporum virtute sonativa, quæ virtus & potentia soni effectrix motu ac collisione corporum actuatur. Sonus verò pro diversitate temperiei corporum collidentium variat, & ex magnitudine, ex duritie, lævitate & concavitate diversificatur. Atque is subjectatur in corpore sonante, indeque sphæricè secundùm rectas lineas intra certam activitatis sphæram per aërem intermedium, donec ad aures perveniat, propagatur, eò quidem faciliùs, quò ille purior, & ab obstaculis densis propagationi ejus obsistentibus liberior. Unde pluvio vel ningente cœlo non tam benè audimus, quàm sereno: clausis ostiis ac fenestris obscurius sonus percipitur, quàm apertis, & vento abreptus, minus clarè & tardiùs auditur. Eò quoque longiùs sonus diffunditur, quò idem fortior & medium penetrabilius. Suæ tamen activitatis sphæræ limitibus magis

magis magisque appropinquans magis & magis debilitatur, tandemque evanescit.

§. 4. Jam cùm soni cum naturis materialibus & corporeis, ex quibus resultant, & à quibus producuntur, cohæreant; Dæmon autem spiritus sit, & proinde potentia sonativa careat, hinc ut in præstigiis oculorum, ita & aurium, sine naturalium ope, quæcunque & quomodocunque corpora colligat, & ad invicem collidat, præstigias auditus efficere nequit. Proinde si curabit, ut homo audiat, quæ non sunt, sonum scilicet vel simplicem vel multiplicem & reflexum, quasi sit vel ranæ, vel corvi, vel canis &c. hoc ipsum etiam mediante aëre crasso efficiet. Si enim, ut disserit Corn. Gemma *libr. 1. Cosmocritic. cap. 7.* à venenato spiritu inflatæ hominis arteriæ, diductæque in amplitudinem, secundum longitudinem ita contrahuntur, ut *necesse sit, aliquando mulierem strangulari, voces mirandas ex imis visceribus exaudiri, nunc velut ranarum coaxatus, nunc serpentum sibilos, nunc crocitus corvorum, gallorum cucurritus, latratus canum &c. quæ tamen pro viarum & erumpentis spiritus proportione casus effingit:* quidni ingeniosus artifex & præstigiator antiquus, aërem, ubi libet, ita cogere, disponere & impellere queat, ut similem istis sonum & strepitum edat? Ipsa etiam corpora aliis loco aperto invisibilia supponere & ex eorum collisione strepitum concitare, aut nocturno tempore, ut solent spectra tumultuantia, ipsas ollas, orbes, patinas, mensas, sedilia & supellectilia quæque cum strepitu subvertere, & loco suo illæsa omnia restituere potest. Ita auditus fascinatur, ut homo susque deque mota & confracta omnia existimet, quæ tamen nullam sui læsionem manè exhibent.

§. 5. Quæ ad soni articulationem & vocis humanæ productionem requirantur instrumenta, & qua vi impellendus sit aër, ipse optimè novit. Proinde hominis auditum fascinat, ut putet, se hominem vel brutum audire, illum verba, hoc vocem, utrumque vi naturali & propria, facere; quæ tamen vis mutuatitia saltem est, non Dæmonis propria, quia veris organis voci formandæ necessariis caret. Instrumenta autem, quibus ad vocum formationem utitur, vel vera itidem sunt vel phantastica, vel mixta ex veris & phantasticis. Illa brutorum, quæ ingrediuntur, linguæ sunt: ista aer certo modo dispositus & verberatus: hæc

hæc partim aer, partim solida corpora alia, quæ vel visibilia sunt, vel hominibus invisibilia facta ad ampliorem aeris collisionem isti junguntur. Hæc omnia sequentibus confirmantur. Felix Malleolus *Lib. de Nobilit. cap. 30.* citante Lavatero *de Spectr. Part. 1. cap. 17.* scribit in historia Rodolphi Regis Romanorum extare, quod Rodolphus, quum prælio Othocarum Regem Bohemiæ vicisset in campo, ubi prælium commissum fuerat, pernoctarit, quodque intempesta nocte lemures exercitum horribili clamore & tumultu turbarint. Quod autem lemures fuerint, hinc apparuisse, quod fumi instar disparuerint. Legio Diabolica (das wütende Heer) è spectris variis variorum animantium simulacra referentibus collecta, noctu hinc inde oberrans, venatorum militumque clamorem, canum latratum, ovium balatum, equorum hinnitum, porcorum grunnitum, mentitur, & mira sonorum distortorum mixtura auditores decipit: quæ legio momento tota disparens nulla sui vestigia relinquit.

§. 6. Si industria humana è fistula, tibia, vel alio instrumento aerem exprimere, & sic cogere potest, ut certum sonum & vocem referat; cavæ etiam valles repercussam vocem articulatè reciprocant, quidni simili modo, ut vox oriatur, Dæmon aerem cogere & impellere queat? *Si humanam figuram sibi ex densato aere asciscere potest, qui minus ex ejusdem diverberatione, agitationeq́, vocem sibi effingere poterit, quàm etiam exceptam ac repercussam valles sæpe articulatissimè reciprocant atque imitantur?* inquit Remigius *lib. 1. Dæmon. cap. 8.* & paulò post ibidem: *Quemadmodum organorum pneumaticorum soni sola (ut Juvenalis verbis utar) crispi numeratione pectinis in varios accentus ac tonos distinguuntur: ita & Dæmones solent pro sua in fingendis rebus dexteritate aerem sine lingua, sine palato, sine faucium, laterum, pulmonum ulla vi & figura in quemvis sermonem atq; idioma informare.*

§. 7. Ea ratione jam olim ex ventre & partibus genitalibus Simia infernalis, Dei oracula ex κακοζηλίᾳ imitans, responsa dedit. Homines, quorum ex ventre responsa dabantur, ἐγγαστριμύθους & πύθωνας Græci vocabant. *Act. 16. v. 16.* legimus ancillam πνεῦμα πύθωνος, *spiritum Pythonis* habuisse, qui scilicet ex ejus quoque ventre locutus fuerat. Ex Pythonissæ illius, quæ *1. Sam. 28.* Regi Sauli Samuelis imaginem repræsentavit, obscœnis Satan etiam locutus est. Nam fœminam hanc vocat Scriptura אֵשֶׁת בַּעֲלַת־אוֹב, *mulierem habentem Ob.* LXX. Interpretes verò; γυναῖκα ἐγγαστρίμυθον. Et Saul inquit *v. 8. divina quaso mihi in Ob.* LXX.

Inter-

Interpr. transtulere: μάντευσαί δή μοι ἐν τῷ ἐγγαστριμύθῳ. *Ob* igitur hoc loco est ventriloquus ſpiritus, qui ex obſcœnis partibus oracula edebat, Dn. D. Mœbius *de Orac. Ethnic. cap. 4. pag. 64.* Vid. quoque Libavius *Exam. Philoſophiæ novæ Sect. 11. pag. 27.* Nihil autem fermè in mundo reliquit, è quo non verba verſipellis ſpiritus fecit, & cathedram formavit divinatricem. *Xanthus equus Achillis*, verba ſunt Cyrilli *lib. 3. contra Julian Domino ſuo mortem prædixit. Fluvius Cauſus Pythagoram ſalutavit.* Arbor incantata Apollinem allocuta eſt: Dodonæa quercus humana voce dicitur uſa: Argo navis alloquitur Argonautas in tempeſtate: Taurus Jovis in Rhodo locutus fertur: quæ ſi non magis poeſin quàm hiſtoriam redolent, alium autorem non habuerunt, niſi quem diximus, *omnibus occaſionibus advigilare, quibus mortales attenderi ac ludibrio haberi poſſunt*, inquit D. Danhauerus *Theol. Conſcient. pag. 7.*

§. 8. Cùm autem phantaſtica illa inſtrumenta ad loquendum apta ſatis non ſint, inde fit, ut Dæmonis vox ſit ſtridula, ſubſibilans, confuſa, obſcura, debilis, puſilla, & quaſi ex dolio vel teſta rimoſa, ut ex Sagarum confeſſionibus narrat idem Remigius *lib. 2. Dæmon. cap. 8.* Dn. Joh. Wilh. Otto Paſtor quondam in Mommelsdorff ſuperioribus Martis temporibus durum paupertatis clavum ſibi infixum ſentiens ex mœrore corpus laſſum grabato imponit. Hunc vicem ſuam dolentem in abſentia uxoris, oluſculum in horto famis ſedandæ gratia colligentis, jam ſolùm velut in deſerto degentem tentator in forma virunculi parvi inſtar ruſtici ſub menſa prodiens accedit, ejus miſeriam exaggerat, & oblato cultro (cultro ipſe & domus tota tum caruerat) ut finem malorum ipſe ſibi faciat, ſuadet. Tentatus ad hæc tacens tanta conſternatione corripitur, ut ſtramen è grabato arreptum in tenues particulas manibus inſcius attriverit. Uxore verò fortuna revertente Dæmon relicto cultro (quem Nobili ſuo Sacerdos poſtea dono dedit) diſparuit. Iſta conſternationem inſolitam è mariti facie legens neglectis quæſtionum ambagibus ei ſe mox jungit, & hymnos ac preces juxta cum marito ad Deum ore pio mittit. Paſtor, cujus anima jam in requie beata, mihi id & hoc inter alia in Eßhauſen/ tum temporis ibi Paſtor narravit: Der Schelm redete / als wenn er aus einem holen Topff redete. In pago quodam Jenæ vicino hoc ſeculo ab eleemoſynis earundem Præfectus quinque florenos abalienat. Sed in tantum ob id deinceps à Satana tentationis & deſperationis peri-

culum inducitur, ut nec suavissimæ Pastoris præsentis & vicinorum consolationes ignita Dæmonis tela ab eo repellere, ejusque animum ad tranquillitatis portum reducere potuerint. Tandem aliquando præsentium Sacerdotum cura rustici animus ita erigitur, & sibi redditur, ut de omnibus tentationibus triumphum reportasse crederetur. Sed ecce! post fornacem ex improviso vox non humana, sed quasi serpentina sibilans, disertè tamen loquens, à rustico & præsentibus in contubernio Pastoribus auditur: **Es werden nicht alle / die zu mir sagen / HErr / HErr / in das Himmelreich kommen / sondern die den Willen thun meines Vatters im Himmel.** Ex eo denuò in caminum tentationum præcipitata fuit anima, ut sibi penitus emori & languore confici fuerit visa: ex quo tamen, sed non nisi magno Dnn. Jenensium & aliorum Theologorum labore, adspirante divini numinis gratia, fuit demum eductus, & mens pristinæ sanitati reddita.

§. 9. In Energumenis ipsorum linguâ ad sermonem abutitur, uti mox in Paradiso per linguam serpentis primos parentes decepit. Istam quidem de serpentis cum Eva collocutione historiam Julianus Apostata irrisit, inquiens: *Quonam idiomate Serpentem cum Evâ usum dicimus? nunquid humano? & quid differunt hæ fabulæ ab iis, quas Poetæ Græci finxerunt?* Cui Cyrillus *lib. 3. contra Julian.* egregie respondet: *Hoc, quod diximus* (sermonem illum Dæmonis operatione esse factum) *efficere ac præstare, Dæmonibus esse facilimum, confirmatur clarissimorum apud illos Gentiles, tum Poetarum tum Philosophorum testimoniis. Etenim Homerus prodidit, Achillis equum, inditâ sibi à Junone loquendi facultate prædixisse Achilli. Porphyrius item vitam describens Pythagoræ, narrat, cum Pythagoras multis comitatus flumen Causum transiret, audientibus cunctis flumen ei locutum esse, & salutantium more dixisse: Salve Pythagora! Philostratus, qui Apollonii nomen disertè scripta ejus vitâ & factis nobilitare & illustrare voluit in lib. 6. c. 5. narrat, cùm Apollonius venisset ad Gymnosophistas, principis eorum Thespesionis jussu arborem ulmum, propter quam consederant, humana voce salutasse Apollonium & vocem quidem fuisse articulatam & distinctam, tenuem tamen & exilem, ac muliebri similem. Quin etiam Isigonus Cithiensis in Rhodo insula dicit, Jovis taurum humani sermonis expertum non fuisse. Si Dæmon igitur per equum, taurum, flumen & arbores, humanas voces fingere*

potuit;

potuit; cur incredibile Juliano visum est, potuisse eum per serpentem cum Eva loqui? Hæc ex Cyrillo.

§. 10. Phantasiam etiam Dæmon intestina latentique grassatione agitare & speciebus sonoris impraegnare potest, ut homo se audire putet, quæ non sunt, eidemque eveniat id, quod Bessus ille apud Plutarchum *in Libello de Sera Numinis vindicta*, expertus est. Is cum Patrem interfecisset, delituit longo tempore, metu interim, ne deprehenderetur, agitatus. Tandem cùm aliquando cœnatum iret, nidum hirundinum ex ædibus hasta deturbavit: cùmque simul cœnantes hanc ejus crudelitatem detestarentur & objurgarent: Nonne, respondit, jam diu falsum testimonium adversum me ferunt, clamitantes me Patrem interfecisse? Præsentes admiratione ducti hæc verba ad Regem detulerunt; qui tormentis Bessum subjecit, reque diligenter discussa ac deprehensa, parricidii pœnas de illo sumpsit.

§. 11. Melancholici etiam sibi, se ea audire, quæ tamen non sunt, quandoque imaginantur, id quod Horatius *lib. 2. Epist. ad Florum* quodam exemplo docuit:

> — — — *fuit haud ignobilis Argis,*
> *Qui se credebat miros audire Tragœdos*
> *In vacuo lætus sessor plausorq; theatro &c.*
> *Hic ubi cognatorum opibus curisq; refectus*
> *Expulit Elleboro morbum, bilemq; meraco,*
> *Et redit ad sese: Pol me occidistis amici,*
> *Non servastis, (ait) cui sic extorta voluptas*
> *Et demptus per vim mentis gratissimus error.*

Sic & Dæmon fascinandæ phantasiæ species, ut rerum quasi visibilium ita & quasi audibilium, seu sonorum, clamorum & vocum variarum objicere non dormientibus tantum, sed & vigilantibus potest; sic tamen, ut novæ non simpliciter sint dicendæ. Neque enim ejus, qui à nativitate surdus fuit, & species sonoras nunquam percepit Dæmon species sonoras sistere valet, sed ex speciebus phantasiæ & memoriæ expressis, occulto & spirituali nobis incognito modo elicit & specificè determinat.

§. 12. Puerorum Hammelensium auditum Magus ille mira sine dubio moderum fistula editorum varietate fascinavit, nec auditum tan-

tùm, sed & visum indumenti (forsan etiam gesticulationum) raritate & per hos sensus ipsam phantasiam, quæ occulta & magica virtute tracta solis ridiculi ludionis actionibus inhærens, ejus ductum extra urbem in cavernam secuta.

§. 13. Præterea hominem, ut non audiat, quæ sunt, fascinare potest immutando non modo organum, ut §. 2. vidimus, sed etiam objectum, ac medium. Ex parte *objecti* contingere potest, quando sonus, qui successivè per motum diffunditur, propterea que tardiùs, quàm visus sua agit, cùm aere motô aliò transfertur, ut vel non, vel debiliter percipiatur, vel aliorum sonorum ex aliis corporibus excitatorum mixtura adulteratur. Ex parte *medii*, quandò aërem crassum inter organum & subjectum interponit, ut sonus vel non, vel debiliter itidem ad aures perveniat: vel propter aeris variis in locis densitatem subinde reflectens multiplicatus audiatur.

CAPUT X.

Quomodo reliqui sensus fascinentur? & quidem Odoratus ex parte subjecti, objecti & medii. Gustus ex parte subjecti & objecti. Hominis omnivoracis exemplum. Pica quid? Ejus exempla. Quomodo saporem certis proprium in insipidis & alienis Magorum lingua cum gratia percipiat? Magi Anthropophagi: horum scilicet Anthophagorum exempla plura.

§. 1. AD sensus maximè belluinos servilesque (ita *Odoratus*, *Gustus* & *Tactus* vocantur, quòd pecudes & feræ ventri atque inguini deditæ iis maximè trahantur) jam mentis sensus vertimus. In his itidem ad meliorem modi fascinationis enodationem organi, objecti & medii consideratio necessaria est. *Odoratum* quod attinet, ejus *Organum* Dæmon fascinat, cum humoribus ad internos processus nerveos & os ethmoides commotis temperiem eorum destruit, vel alienis vaporibus occultè nasum externum, ne ad odoratus proprium organum objectum veniat, replet. *Objectum* Dæmon *vel* subtrahit, *vel* depravat. Objectum *subtrahit*, quia odoris vehiculum utplurimum est καπνώδης ἀναθυμίασις: hanc ipsam autem, sicuti nubes ad pluviam, cogere, repellere, sursumque à sensu omnium vel quorundam procul movere potest,

test. *Adulterat & depravat* alienis aliunde convectis particulis, quibus rei suaviter olenti, facilè immixtis & præponderantibus odoratus non percipit ea, quæ percipere debet. Atque, hinc quomodo ex parte *medii* Dæmon in fascinando odoratu agat, constat, idque rei certæ vicinæ solum, etiam particulis odoris imbuere potest, ut homo odoretur ea, quæ non sunt, h. e. rem oculis & naribus subjectam de se inodoram odoram esse existimet.

§. 2. *Gustum* quomodo fascinet Dæmon, ut lingua non gustet ea, quæ sunt, faciliùs est hariolari, quàm hoc, quomodo linguam fascinet, ut gustet ea, quæ non sunt. *Prius* facit subjectum & objectum (medium hic non occurrit) immutando. *Subjectum* seu organum *Lingua* est, quam, ne gustet ea quæ sunt, Dæmon fascinare potest vel commovendo ad eam humores decentem ejus temperiem corrumpentes, *vel* adulterando aut obtundendo salivalem ejus humiditatem, quæ secundum naturam se habens gustum juvat, *vel* impediendo spirituum gustu destinatorum influxum, & tunc omnia, insipida, fœtida, abominabilia, dura, sicca, cum sapidissimis pari per guttur passu & gratia ambulant, sicut de Lazaro vitrivorace scribit Realdus Culumbus *libr. 15. Anatom.* qui expers omninò gustus amara æque ac dulcia, vitra, saxa, lapides, carbones, vivos pisces nullo discrimine voravit, conjugatione nervorum quartâ, qua pro gustu lingua gaudet, ad occipitium legata, & proinde spirituum præsentia denegata: *vel* inferendo siccitatem: *Arescenti enim lingua papillarum cæci meatuli constringuntur, nec sunt satis salibus excipiendis ciborum, qui medullitus latent, nisi accedat in menstruum saliva.* Ita Carol. Fracassatus *in ingeniosa de Lingua Exercit. Epistolic. p. 170.*

§. 3. *Posterius* quomodo efficiat, ut sapor etiam gratus in re, quæ isto caret, percipiatur, perceptu est difficile. Pica affectus est, in quo ea quandoque appetuntur, & cum voluptate assumuntur, quæ alii aspernantur, imò abhorrent, ut ne tantillum posito etiam & promisso magno pretio degustent. Marcellus Donatus *Hist. Mirab. Medic. lib. 4. cap. 1.* se vidisse, ait, puellam lacertorum desiderio detentam, ut quoties illi liceret, arrepta fronde oblonga per hortum currendo venaretur, innoxieque devoraret. Victorius Trincavellius *lib. 7. Cur. Par. Aff. cap. 4. Mater mea,* inquit, *cambaros fluviatiles crudos comedit, dum in utero haberet me-*

miniq; me visitasse puellam nobilem, quæ fila ex vestibus, quibus erant consuta, extrahebat & comedebat. Novi aliam, quæ calcem à parietibus deradebat & comedebat. Vir quidam nobilis apud Fernelium *lib. 6. de Par. Morb. & Sympt. cap. 3.* edendæ calcis vivæ desiderio diu pressus illam tandem pugni magnitudine voravit recreatus inde nulla viscerum offensione. Causam vitiosæ & depravatæ hujus appetentiæ Medici humorem esse dicunt prava qualitate & ventriculi orificio tunicisque insertum. Quæ autem in specie sit illa qualitas, occultum est omnibus, non autem scientissimis spiritibus. An ergò Deus hujus seculi in suis mancipiis, in quibus à Majestate divina aversis plenius dominium habet, per varia ingesta humores generat, quibus ad orificium ventriculi delatis appetitus etiam cum gaudio feratur?

§. 4. At quomodo saporem certis cibis proprium in insipidis & alienis Magorum lingua cum gratia percipiat, majorem scrutantibus parit difficultatem. *An* quædam propter substantiæ similitudinem & affinitatem saporis quoque affinitate fruuntur, ut inter carnem felium, luporum, canum & inter cæterorum animantium quibus vesci communiter homines solent, nulla vel exigua sit differentia? *An* per phantasticas saltem in somniis delusiones Magi sopore oppressi se certis cibis cum palati gratia accipere existimant? *An* veros cibos aliunde allatos Dæmon substituit, ut quæ bufones pro avibus se assare vel propinare credit, aves revera à veteratore citissimè suppositas asset vel propinet? *An* papillarem linguæ substantiam primi boli aliunde ex vero cibo adducti qualitate gustûs organum ita imbuere potest, ut sequentes rerum absurdarum boli similem primo referant saporem? Sicuti febricitantes, quorum lingua bile est suffusa, dulcissimum vinum felle amarius esse putant. Et hîc modus nodus.

§. 5. Magos carnis humanæ esu delectari minus miramur, cùm etiam per affectum naturalem talis ventriculo imprimi possit appetitus. *Non defuerunt*, inquit Marcellus Donatus *loc. cit. lib. 4. cap. 1. nostra memoria, quæ conspecto viro quodam toroso ac corpore succulento, morsu hujus appeterent armos, quod ipsum cuidam gravidæ, quo illius desiderium expleret, & ne quid incommodi accideret, haud gravatè admisit. Itaq; illa dentibus partem avulsam crudamq; paululum modo mandibulis confectam devoravit, illa verò nec dum satiata iteratò id tentavit. at vir illam repulit,*

pulit, nec denuò in corpore suo lanienam pati sustinuit, quæ confestim mœrore, tædioq́ affecta parturire occipit, ac quum geminos gestaret, alterum, quod eodem pulpamento frustrari contigerat, mortuum edidit. Si autem à causis naturalibus juxta Medicorum affectus iste mirus oritur, per Dæmonis astutiam & facilitatem eundem etiam in Sagis promoveri posse per dicta fit verosimile. Quin & Anthropophagi, præcipuè illi Americani fidem rei faciunt. Mulier quædam apud Hector. Boethium *Scotor. Histor. lib. 18.* ob homicidia ad supplicium tracta, multisque ob esum carnis interfectorum execrationibus onerata vultu crudeli ad sequentes converso: *quid,* inquit, *me objurgamini, veluti scelus homine indignum admisissem? mihi credite, ubi experti essetis, quàm palatum delectet caro humana, qui à liberorum esu abstineret, inveniretur nemo.* Scoti sive Hiberni B. Hieronymi tempore ἀνθρωποφάγοι etiamnum erant, atque in deliciis maximè habebant virorum quidem nates, mulierum verò ubera, Vossius *de Idolol. lib. 3. cap. 73.* Suetonius *in Vita Neronis, credimus,* ait, *etiam polyphago cuidam Ægyptii generis, crudam carnem, & quicquid mandere daretur, assueto concupivisse vivos homines laniandos absumendosq́ objicere.*

CAPUT XI.

Quomodo Tactus fascinetur? Cur sensus pereat illæso motu? Stuporis universalis exempla. Causa in membranis Cerebri investigatur. Objectio diluitur. Stuporem universalem etiam Dæmon inducere potest, ut causa mediata, per membranas cerebri læsas, per narcoticos corporis humores & cibos, item per externa narcotica. Lapis Memphites: media stupefacientia. Quomodo stigmata Sagis impressa fiant insensibilia? Quomodo ab ignis injuria Magi reddantur immunes? Ignes, qui non urunt, dantur. De cutis induratione, ut impenetrabilis ab armis fiat: eam herba Victorialis non efficit, nec pulvis Ægagropili. Cutis induratio naturalis non satis validè impugnatur: quæ per verba acquiritur, non à Deo vel bono Angelo est, sed à Dæmone: quomodo Dæmon eam efficiat? Quomodo tactus fascinetur, ut sentiat ea, quæ non sunt? Tactum fascinat Dæmon etiam per dolorem.

§. 1. *Tactus*

§. 1. T*Actus* verò quomodo fascinatur, ut non sentiat ea, quæ sunt, & ἀναισθησία in parte sentiente tormentis subjecta oriatur? Facem ars medica hîc nobis itidem præluceat. Stuporis causam Asclepiadea familia assignat spirituum animalium in organo tactus defectum. Sed cur sensus pereat, illæso motu? non infimi commatis est quæstio. Brassavolus *ad Aph. 9. lib. 7.* refert, se vidisse quendam ab hœmorrhagia narium corporis totius stuporem incurrisse. Fernelius *lib. 5. Pathol. cap. 3.* scribit, universi corporis cutem ex crapula & vinolentia stupore affectam illæso motu, notante Sennerto *lib. 1. Pract. Medic. Part. 3. Sect. 1. cap. 1.* Notatu dignam observationem adjecit *Ephemerid. Colleg. Natur. Curios. Ann. III. Observ. 251.* Excell. D. Ludovici *Medicus Ducalis Saxo Gothan. excellentissimus*, quæ legi meretur. *Juvenis 18. annorum*, inquit, *macilentus, debilioris*q; *ventriculi citra sufficientem causam vesperi praviam, aut perceptam capitis perturbationem, post somnum manè aphonus in lecto reperitur: pertentantibus autem, num fortè membrum quoddam sit resolutum, tangentes se, pungentes, cutimvè vellicantes nullatenus sentire significat, & reipsa deprehenditur: quo, pro more, apoplectica quædam sunt infusa. Sed cum nihilominus commodè incederet, ederet, biberet, somnum caperet, & reliqui sensus interni ac externi forent integri, ab aliis ex eorum numero habebatur, qui morbum simulare solent. Post biduum fortè superveniens ego, rei novitate motus, surgere hominem jubeo, aversum*q; *nec tale quippiam expectantem, in capite, nucha, scapulis, tergo, hinc inde pungo, acicula sæpe in locis carnosioribus ad dimidium, sed sine animadversione dolore*q; *quodam, adacta. Postmodum adversum in ventre, pectore, brachiis, similiter configo: iste ridebat, seu singularitate casus, seu quasi bene secum ageretur. Cæterùm cum primùm videretur loquelæ restitutio, ranulas aperiri jussi, & ecce! sub mediocri sanguinis profluvio non solùm loquela integrè, verùm etiam eadem opera sensus undiquaque in tantum rediit, ut levis saltem stuporis qualiacunque vestigia superessent &c.*

§. 2. Dn. D. Sennertus *Instit. Medic. lib. 2. Part. 3. Sect. 2. cap. 5.* quæsiti causam ex nervorum insertione deducit: si nimirum nervus aliquis solùm in membranam aut cutem, partemque motui non destinatam inseratur, atque is afficiatur, tunc solum sensum integro motu lædi ait. Id quidem de particulari partis cujusdam stupore concessero; at

si sermo

si sermo sit, de universali totius corporis stupore, minimè. In hoc enim solùm nervos membranæ aut cutis affici, illæsis musculorum nervis, vero non est simile, propter nervorum musculis & membranis dicatorum plurimis in locis vicinitatem, & ad causam, quæ in universali gravior, quàm in particulari, suscipiendam facilitatem. Nobis Autoris Anonymi *Libri de Ratione Musculorum*, qui accessit Anatom. Cerebri Th. Willisii, sententia arridet. Statuit ille, omnes in corpore membranas sensiles à cerebri tunicis oriri, iisdemque per nervos sensum attribui: membranas istas in summa tensione ac tono debito existentes habere se ad modum campanæ, aut vitri purissimi, quorum ea est indoles, ut, si partem aliquam ferias, reliquæ universæ tremula quâdam vibratione concutiantur. *Si iste*, inquit, *membranarum tonus vel universim, vel ex parte corrumpatur, ac naturalis, qui fuit, particularum situs ac ordo turbetur, vel accedente nimia humiditate, vel ex vulnere, aut alio quovis modo; tum quidem vibratio illa ac undulatio particularum, ex qua sensus fit, interrumpitur: ut in campana, aut vitro, cui fissura accidit, sonum tinnulum ac acutum in raucum quendam & ingratum strepitum permutari notamus.* Atque hæc isti Ludovicianæ observationi conveniunt. Materia enim, quæ membranarum cerebri tonum læserat, per ranularum sectionem detracta, membranæ istæ ad tonum suum & per consensum reliquæ totius corporis ad officium redierunt.

§. 3. Difficultatem quidem redire video: siquidem in contusionibus, vulneribus, & materialibus cerebri intemperiebus tonus meningum pariter & quidem sæpe afficitur: at stuporis universalis exempla sunt rara. Verùm & hîc sine dubio immoderatio non quævis, sed certa, rationi nostræ obscura, membranarum tonum perdit, ut sunt plura, quæ immoderationem aliquam perferunt, graviori ruunt: sicut nec quovis pulsu vehementiori, nisi justo vehementior sit, campanæ sonus & tonus perit. Jam rationis calculum subducimus: Si per materiales res internas natura tantùm corpori inferre potest stuporem, ut fiat insensile, & à rebus continui solutionem procreantibus dolorem nullum percipiat, quidni Satan in Magis velut suis mancipiis, data à Deo permissione (quam in omnibus Satanæ actionibus præsuppono) eodem modo, quem perspectissimum habet, res in corpore materiales, quarum ope materiales

 & natu-

& naturales perficit effectus commoveat; ut membranarum cerebri tonus ad ἀναισθησίαν inducendam supprimatur?

§. 4. Præterea stuporem ναρκωτικὰ *stupefactiva* inferunt, sensus ligant, motum tollunt, soporem ingenerant, & spiritus quasi sopiunt. Atqui *tales humores & vapores in corpore nostro generari impossibile non est, cùm constet soporem, carum, & similes somnolentos affectus ex humoribus in corpore genitis provenire, quorum causa frustra ex sola frigiditate deducuntur:* Et paulò post: *Quamvis narcotica plerumq; soporosos saltem affectus inducant, tamen impossibile non est, si eorum vis sit major, quin ipsam apoplexiam inducere possint:* Ita Sennertus *lib. 1. Princ. Med. Part. 2. cap. 33. Quæst. 3.* Ut humores tales in corporibus sagarum generentur, in conventibus Magicis Dæmon cibos & potus narcoticâ qualitate præditos & singulari arte præparatos Sagis exhibere potest, ut impressam humoribus stupefactivam tempore, quo sibi placet, in actum facilè deducat, & ad tolerandos in equuleo cruciatus Striges aptas reddat. Quæ autem in amplissimo naturæ theatro sint narcotica, quomodo virtus ex illis compendiosa quantitate & arte extrahi queat, infernalis Doctor exactiùs, quàm omnes artis Medicæ Proceres, tenet. Recole hîc, quæ suprà *cap. 4.* adduximus.

§. 5. Stuporem etiam narcotica benè præparata & externè in unguentis, odoramentis admota inferunt. Id si hominibus est notum, Dæmonem latere nequit: imò is essentiam narcoticam in atomos resolutam, & per nares in cerebrum, ac per poros ad nervosas partes transferre novit. Forsan etiam narcotica unguentis Sagarum Spiritus sagax artificiosè sic immiscet, ut qualitatem sensus stupefaciendi non repentè, sed vel stato vel placito tempore in actum deducere ipse queat. Lapide Memphite tradunt trito & illito, quæ urenda aut secanda sunt, sine periculo obstupescere, ita ut non sentiant cruciatum, ait Dioscorides *lib. 5 cap. 115.* Quæ tortos in equuleo stupefaciant, indicat Cardanus *lib 8. de Variet. Rer. cap. 44. Quæ hominis sensum,* inquit, *in tormentis auferunt, præter stupefacientia, sunt veluti succus apii, chelidonia, crocus, fuligo, medulla, & pinguedo humana, & hæc arteriis allita, ut etiam oleum lacertarum; ebibitum quoque vinum, in quo octo diebus infusum fuerit semen portulacæ marinæ, prohibet, ne tortus confiteatur.* Idem *lib. 7. de Subtilit.* mirabilis cujusdam lapidis mentionem facit, cui acum astrictam

carnem

carnem ſine dolore penetrare ſcribit. *Attulerat*, ait, *Laurentius Guaſcus Cheraſcius, Provinciæ Turonenſis Medicus Empiricus his diebus hunc lapidem, pollicebaturq́, poſſe, ſi vel ſtylum aut acum tangeret, carnem totam absq́ ullo dolore penetrare. Quod cùm nobis, ut par eſt, ridiculum videretur, rem experimento in meis contubernalibus confirmavit. Ego tandem, ut tam incredibilis rei periculum facerem, acum ipſam prius lapidi affricatam, cuti adjutorii brachii intuli, ſenſiq́ primò leviſſimam punctionis imaginem: poſt cùm totum muſculum quaſi directè penetraret, acum quidem in profundum, qua pererrabat, penetrare ſentiebam, dolorem nullum penitùs ſenſi; tuncq́ familiaribus, quod in me fueram expertus, credidi. Dimiſi verò longo ſpatio, flectens undique brachium, nec quicquam moleſtum ſenſi, nec detracto effluxit ſanguis, nec foramen ullum relictum eſt; quandoq́ ſemiguttula levis cruoris, non autem ſanguinis effluit, qua veſtigium vulneris deprehenditur.* Nobiliorum ſine dubio, quæ ſcopo eidem inſerviant, in naturæ ſinu latentium Phyſicus φύσει carens noticiam habet, utpote qui non tantùm aliorum experientiam novit, ſed & ipſe rationem ſimplicium vires cognoſcendi tenet, neque ut longo ſtudio, labore & uſu addiſcat, opus habet, qualis opera ut navanda ſit, jam olim alter Medicinæ Parens Galenus nervosè ſatis, ſed & noſtra ætate non minus ſcitè Doctiſſimus Dn. Herm. Grubius in ſuo *Comm. de Modo Simplicium medicam' Facultates cognoſcendi*, operè egregio, ut Celeberrimus Th. Bartholinus *in Epiſtol.* ad eundem iſti præfixa meritò vocat, tradidit. *Quocirca non videtur abſonum*, ait & reſpondet Greg. Horſtius *Epiſtol. Medic. Sect. 7. pag. 417.* ad Quæſtionem: *Quomodo Sagæ tormenta ſomniantium inſtar perferant? vi quâdam narcoticâ principium αἰσθήσεως ita iisdem obturari aſtu diabolico, ut inſtar apoplecticorum nihil quidquam tormentorum percipiant, qua ratione videmus epilepticorum corpora omni dolore deſtituta, licet absque dolore, (quem tamen ob læſum nervorum principium percipere nequeunt) partes convulſivæ non tendantur, unde poſt remiſſionem paroxyſmi languor totius apparet.*

§. 6. Jam quomodo ſtigmata à promotore ſtygio miniſterii magici Candidatis impreſſa inſenſibilia queant fieri, ita ut nec acus longiſſimè infixæ præſentiam ſentiant, ex dictis ſatis eſt colligere. Nervi partem cuti ſubjectam etiam, dum ſtigma imprimit, ita corrumpere poteſt, ut ſpiritus animalis pro ſenſu ad ſignatam partem deferendus ibidem

non recipiatur, & proinde sensus ibi non percipiatur, licèt ejusmodi vestigia teste Remigio *lib. 1. cap. 5.* illo ipso temporis momento, quo à fide defecerunt, inscribantur: Puncturam tamen, adeoque subjectarum partium læsionem factam esse produnt cicatrices in levem callum obductæ, si quis parum istis credulus periculum facere velit. *Et quod magis mirum videri possit, totus ille locus ita exsanguis est, ac sensu labefactatus, ut ne admissa quidem acus altissimè aut dolorem faciat, aut sanguinis minimum eliciat*; verba sunt ejusdem Remigii *loc. cit.* Si Characteris latitudo satis magna (aliquando enim est simile leporis vestigio, aliquando autem bufonis pedi, aliquando araneæ, catello, gliri) stupefacientem quandam essentiam occultè fuisse immissam dixerim. Non tamen stigmata sagarum omnium insensibilia esse experientia edoctus notat Delrius *lib. 5. D. M. Sect. 4.*

§. 7. Ne ignis furorem sentiat homo, uti Simon Magus in igne positus non arsit, Dæmon efficere potest, vel ungendo corpus per se, aut per alium, remedio quodam, quod igni resistat; sicuti succo malvæ manus inunctas circumforanei pice liquata innoxiè lavant: vel subtrahendo præsentem ignem, & substituendo alium, qui comburendi vi careat. Ignes, qui non comburunt, dari, ex variis tradit Jonstonus *Thaumatograph. Natur. Class. 2. cap. 1. Art. 5.* In Pithecusis tradit Aristoteles *Lib. de Admir. Audit. cap. 31.* ferventem & calidum ignem reperiri, qui non comburit. Plinius *lib. 2. c. 107.* ait, in Puteolano monte sulphureo ignem esse manantem, qui neque oleo, neque cerâ aut quolibet pingui, neque sulphure quidem accendatur aut augeatur, neque aqua restinguatur aut accendatur, stupam injectam non adurit, nihil denique in eo accendi posse luminis. Hunc Majolus *Colloq. 22.* non ignem sed igneam aquam esse existimat. Joannes Diaconus *in Vita S. Nicolai apud Methodium*, citante C. Schotto *Phys. Curios. pag. 133.* scribit, esse penes urbem Pataram Lyciæ quendam locum campestem, qui totus per noctem quasi ferrarii fornax ignivomam vaporat flammam talis naturæ, ut si quis manus propiùs admoverit, ardorem quidem sentiat, sed nullam patiatur adustionem.

§. 8. Fascinatur etiam *Tactus*, cum *impenetrabilis ab armis fit cutis*, ita ut eam gladii acutissimi & bombardarum globuli penetrare nullo modo queant. *An naturalibus remediis id procurari queat?* quæritur

tur. Herbæ Victoriali ea vis tribuitur, quæ & nomen inde habere creditur, sic ut & Germanis Sieg-Wurtz / item Aller Manns-Harnisch appelletur, quia, secundum Lonicerum, gestata hominem à vulneribus præservat. Sed ut rectè advertit Pancovius *Herbarii sui pag. 413.* **Es müssen nicht harte Schläge seyn / sonst möchte mancher zu kurtz kommen.** Magirus *Mag Natur. libr. 1. cap. 29.* **Ich möcht es nicht darauf wagen / es könts einer probiren.** Radix Victorialis pomposum habet nomen, sed ut sic victoriam non infert, ait Dn. D. Amman *Medicin. Critic. in Discurs. super casum 40. num. 5.* Et Facultas Medica Lipsiens. ibidem: **Wir sind der gewissen Meinung / daß weder mit dem Allraun / noch der** Victorial **Wurtzel sich jemand fest machen / oder sonst den Leuten Schaden zufügen könne / es wäre denn / daß deß bösen Feindes Betrug und List / dadurch er die armen Leute auch mit natürlichen Mitteln bisweilen zu sich locken pfleget / dazwischen käme.** Schröderus *Pharmoc. lib. 4. cap. 356. Plebi nostrati,* inquit, *Judæisq́; familiarissima est* (Victorialis) *quo à spectris, aëreq́; infecto se tutos fore persuasi sunt.* Et Hoffmannus *de Medicam. Officin. lib. 1. cap. 7. §. 20.* scribit, Metallarios se Victoriali munire adversus spiritus immundos, & vocare ideò **Sieg-Wurtz / Ober-Harnisch / Aller Manns-Harnisch.** Ex hoc sine dubio factum, ut Magi, quo artis Passàviensis dignitas stabiliretur, nominis herbæ Victorialis rationem ad immunitatem corpori contra armorum impetum præstandam transferrent.

§. 9. Sunt, qui pulverem Ægagropili manè jejunis datum XXIV. horarum spatio sumentes ab omni armorum genere, aut hostium insultu incolumes servare credant, quod alii ipsis quoque doronici radicibus impiè lustratis effici putant. Sed hos Excell. Dn. D. Georg. Hieron. Velschius *Dissertat. Medico Philosoph. de Ægagropilis 1. pag. 64.* ad eos relegat, qui præstantissimis usibus dicata medicamenta plurima pessimo abusu profanant. Alii in corde rupicapræ globulum exiguum reperiri ajunt, qui è corde adhuc calido extractus & gestatus cutem induret, & impenetrabilem efficiat, eosque generosissimum & fortissimum quendam Comitem in castris Suecorum instructum olim inter globulorum grandines perstitisse incolumem accepi. Fides sit penes autores. Scaliger *Exerc. 181. S. 27.* arboris in Java meminit, cujus medulla ferrea sit, de qua qui fructum gerat, ferro impenetrabilis sit.

§. 10. Nos equidem, quamvis de experientiæ fide in rebus jam

allatis ipsi dubitemus, rationem tamen firmam, qua cutis induratio naturalis per media naturalia procuranda impugnari, & inter impossibilia simpliciter referri queat, sufficientem non videmus. In contrarium quidem obvertitur ordo à Deo in natura institutus, secundum quem corpus hominis ita producitur, ut vehementiori ictu dissolutionem continui patiatur, quam sequitur dolor. Induratio autem est contra naturæ institutum. Rebus à Deo conditis aliter uti, quàm ut à Deo creatæ sunt, magicum esse, & corpus ab instrumento lethali graviter tactum à vulnere servare tutum, Diabolicum servandi modum dicunt. Verùm & is ordo à Deo in natura institutus est, ut sanguis, qui fluidus est, datâ per vulnus porta effluat, non tamen propterea, si ordo invertitur, & fluxus sine vulneris obligatione sistitur (quod fieri posse supra *lib 1. Part. 2. Sect. 2. cap. 22.* ostendimus) actio pro magica habenda. Neque rebus à Deo conditis aliter uti, quàm à Deo creatæ sunt, magicum semper est. Nam venenum sibi, vel aliis propinare, non tantùm contra naturam hominis est & Dei ordinem, sed & abusus veneni ad id, ad quod à Deo creatum non est: non is tamen, qui propinat, Magus, sed malus propterea audit, & pulveris pyrii ingredientia non eum in finem, ad quem milites usurpant, à Deo creata sunt: sulphuris tamen & nitri in pulvere pyrio usus magicus audire nequit. Distinguendum itaque inter rei usum primarium, & secundarium: hunc ille non tollit. Ordinem à Deo in natura institutum mediis superstitiosis & illicitis invertere, rebus à Deo conditis superstitiosas & absurdas vires affingere, iisdemque eo nomine uti, & corpus ab instrumento lethaliter tactum, à vulnere tutum medio superstitioso & vano servare, hoc magicum esse nos ipsi fatemur. At omnia, quæ pro induratione cutis ex natura afferuntur, media absurda esse, superstitiosa, effectumque istum naturæ potestatem superare, in quæstione est, neminemque, nisi Adamiticam vel Salomoneam scientiam sibi arroganter arrogare velit, qui id simpliciter affirmare, aut ullum in natura dari medium, quod cutim indurret, negare ausit, fore existimo. Superstitiosis autem & absurdis rebus virtutem, corpus à globorum & ictuum injuria immune præstandi sæpe tribui, certo certius est. Tribuunt autem omnes, qui eam in verbis & characteribus extollunt, quæ cùm in iis non detur, ut *lib. 1.* evictam dedimus, nihilo tamen minus in effectu deprehendatur, à quodam

dam principio eam deducendam esse, non potest non affirmari. Non autem à Deo est, vel bonis Angelis. Nam 1. Deum promisisse, se vel per se, vel per bonos Angelos characteribus & verbis, vim peculiarem ad cutim indurandam daturum, probari nequit. 2. Verba sæpe sunt ludicra, barbara, obscœna & blasphema, quibus Dei manus auxiliatrix non immiscenda. 3. Dei manus omnipotens non ita infirmanda est & restringenda, ut eam quasdam corporis humani partes ab armorum injuria per verba defendere, quasdam verò nimirum oculos, os, cervicem &c. negligere dicamus. 4. Nec eandem naturalibus repelli impio ore asseramus. Asseritur autem si immunitatis illud privilegium cera Hispanica, terra recenti, vitro, argento, sordibus aurium certa lege usurpatis, &c. tolli statuitur, quibus & aliis pluribus indurationem solventibus mediis iidem Passavienses artis cultores oborto inter se dissidio ad perdendos adversarios complices utuntur. 5. Actiones Dei gratiosas tragicus & funestus non excipit exitus. Talem autem sæpissimè induratos experiri, historiæ testantur, quarum plures collegit Freudius *Quæst. 133. n. 27. & seqq.*

§. 11. Quapropter cum istud immunitatis beneficium, quod per verba acquiri putatur, non à verbis ipsis, nec à Deo, nec ab Angelis bonis sit, & præter hæc agentia nullum aliud, nisi Dæmon detur, à Dæmone indurationem manare, non potest non statui, *Is nimirum, ut homines à Dei cultu abducat, & sibi obnoxios reddat, paciscitur cum aliquo, si à Deo ad se desciscat, eum ab armorum omnium vi immunem & inviolabilem se præstiturum, si periaptum tale gestet, vel characteres chartæ inscriptos devoret. Cujus pacti sese obnoxios reddunt, qui eosdem characteres usurpant. Sunt enim characteres illi alphabetum Diaboli, & tessera quasi militaris, è qua suum auxilium implorantes agnoscit. Etsi verò nonnulli hic ab omni idololatria, superstitione, & impietate sese immunes esse, & nihil commercii cum Diabolo intercedere putant; tamen falluntur, dum mediis non à Deo, sed à Diabolo ordinatis utuntur*, Sennertus *lib. 5. Pr. Med. Part. 4. c. 24.*

§. 12. Quomodo autem impenetrabilitatem & cutis indurationem Dæmon efficiat, nodus est durus, rationi vix penetrabilis. *An* cutem occultè ita constringit, ut corii instar durissimi aciei transitum neget? *an* rem durissimam occultè & invisibiliter aciei & globulo accedenti

denti opponit? *an* gladii aciem obtundit & recurvat, prætentibus fascinato oculo id non advertentibus? *an* arcano quodam naturæ occulto adhibito indurationem promovet? *an* lædens & lædendus ita fascinantur, ut uterque fallatur, & sentiat ea, quæ non sunt? *an* globulos ad cutem protrusos Satanas, qui, ut corpora loco movere & promovere potest, repellit? *an* eorum cursum inter meandum sic infringit, ut debilitati, ubi ad cutem appulerunt, penetrare nequeant? *an* modi, quos supra modum excogitare Dæmon novit, alii in ejus profunditate habentur nobis ignoti? Sed filii hujus seculi corporis majorem, quàm animæ rationem habentes non de causa vel modo, sed de effectu magis sunt soliciti; de fide salvifica Spiritu Dei adversus varios Satanæ hostis nostri abjurati insultus omnium maximè induranda securi, quibus propterea sola verborum simplicitate facilè & miserè proh dolor! imponit Deus hujus seculi.

§. 13. *Ut Tactus sentiat ea quæ non sunt*, vel non esse putantur, Dæmon efficit, vel substituendo corpus alienum, quod ratione tangibilis qualitatis cum alio affinitatem habet: vel fascinando phantasiam & sensum communem, & quidem sensum utrumque imprægnando specie quadam tangibili, quæ cùm ex superioribus pateant, uberiorem non merentur explicationem. Tactui se opponere, & durum etiam reprimere potest, ut difficultatem fascinatus sentiens mollia pro duris habeat: & contra duris retractis, vel occultè divisis hæc pro mollibus agnoscat. Non tamen ita fascinare potest tactum, ut ignem aquam, & aquam ignem esse judicet. Tactum etiam Dæmon fascinat, cùm depravatur per dolorem. Dolor oritur à continui solutione, quam inferunt res secantes, perforantes, distendentes, rumpentes, & contundentes, sive sint humores interni à Satana agitati, sive res alienæ ab eodem immissæ. Exemplum, in quo plures sensus fascinati fuerunt, recitat Petr. Joh. Faber *Pallad. Spagyric. cap. 22. pag. 890.* quod quia prolixum, studio præterimus.

CAPUT XII.

Quomodo Appetens Facultas fascinari queat? Quomodo Dæmon affectus juvet? De Fascino Amatorio. Nomen Philtrum considera-

ſideratur. An amor philtris conciliari queat? Nonnulli negant: quidam affirmant. Horum cõciliatio. Cognitio triplex. Senſus duplex. Amor naturalis quomodo actuetur? C. à Reies rationes ſolvuntur. Amorem per philtra naturalem conciliari poſſe, probatur autoritate, ratione & experientia. An magicis artibus & philtris amor conciliari poſſit? An & quomodo Dæmon in voluntatem noſtram agat? quomodo amorem excitet? Pulchritudo faſcinatis oculis quandoque ſpectata amorem parit, qui philtris adſcribitur. Philtra abſurda. Hippomanes. Pernicioſi philtri exemplum. Philtra jam olim damnata. Damnantur naturalia malè præparata, item magica. Annulo magico Carolus M. ad amorem faſcinatus. A philtrorum naturalium uſu cur abſtinendum? Jeſuitæ interrogando philtra confitentes puellas docent.

§. 1. A*ppetentem Facultatem* jam appetimus. Quomodo ea & in genere & in ſpecie faſcinari queat, in genere ſupra *Part. 4. Sect. 1. c. 5.* §. *1.* brevibus indicavimus; nimirum voluntatem Dæmon movet per exaggerationem objecti amoris, odii, iræ, timoris, & ſimilium paſſionum, ut perturbatio & pugna oriatur inter partem voluptatum doloriſque capacem, & inter conſultantem ac judicantem. Exaggerat intus objectum per ſuggeſtiones & inſpirationes, quibus perturbato intellectui in fingendis rationibus ad objectum vel elevandum, vel deprimentum ſuccurrit. Non minorem enim poteſtatem Spiritus malus in animos hominum ſibi arrogat, quàm Spiritus S. in animos pios, qui bonorum motuum ipſis cauſa exiſtit. *Voluntatem hominis impellit Satan, ut faciat homo lubentius id, ad quod propendet. Impulſus iſte fit propoſito objecto & turbatis affectibus*, Balduinus *Caſ. Conſ. p. 577.* De Suggeſtionibus autem quomodo fiant, diximus ſupra *cap. 1. §. 10.* quæ ſi in genere cognoſcantur, facilè, quæ circa affectuum particularium faſcinum veniunt explicanda, intelligi queunt. Specialem faſcini circa ſingulos affectus conſiderationem, ne labor idem multoties redeat, ſtudio præterimus. Ab extra objectum quaſi intenſius ſiſtit, ut ſpecies ejus percepta majus ſit ad affectiones inflammandas incentivum. Affectus etiam ipſe juvat, agitando & incitando humores, nimirum ſanguinem, flavam & atram bilem, humores frigidos, qui affectuum illorum

sunt materia. Quo de B. D. Chemnitius *Diss. de Tentat. Spiritual.* § 16. Diabolus hominem aggreditur, & animæ illius mala suggerit movendo *sensus*, vel commovendo *affectus*, vel turbando *memoriam* & *phantasiam*, vel seducendo & obtenebrando *Intellectum*, vel solicitando ad malum *Voluntatem*.

§. 2. *Fascinum* tamen *amatorium* ex affectibus in schola Magorum frequentissimum negligere nolumus. Quod ut faciliùs fiat, prius quæstionem examinabimus: *An per Philtra naturalia amor in certum subjectum conciliari queat?* Postea an per fascinum amor induci queat? Quantum enim per philtra naturalia in homine effici potest, tantum etiam Satanæ ac Magis non negandum.

§. 3. *Philtrum* φίλτρον, ἀπὸ φιλεῖν *amare* dictum, nominatur etiam poculum amatorium, quia in potu vel potulentis frequentiùs amoris pharmaca exhibentur; Germanis Lieb-Tranck / ut proinde Latinorum & Germanorum nomen specialius sit, liquidam ejus formam exprimens; Græcum autem generalius, ipsum effectum, amorem notans, quem, qui poculum propinat, intendit; quamquam intentioni effectus non semper respondeat.

§. 4. Amorem autem Philtris non conciliari plurimi statuunt, quòd affectus oriantur ex rei notitia, & quidem amor ex rei pulchræ (sive revera talis sive apparentis) cognitione. Ignoti enim nulla cupido. Res autem naturales vel pharmacorum usus rei notitiam non conciliat: Siquidem objecta movent sensus, & quidem *visibile* pulchritudinis gratia amabile visum, sensúsque internos: sensus hi movent voluntatem, intellectum & appetitum, ex quo desiderium. Hinc illud: ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίγνεται τὸ ἐρᾶν. Et *oculi sunt in amore duces*. At Philtra sensum Visus afficere nequeunt, proinde nec efficiunt, ut hoc, & non aliud objectum placeat, nec voluntati & intellectui deligendi facultatem largiuntur. Nunquam Chærea exarsisset amore Pamphilæ, nisi in plateis eam conspexisset. Nunquam Dido Æneæ Ducis Trojani amore fuisset accensa, ejusque amplexum expetiisset, si eum non vidisset. Autores tamen iidem concedunt, pharmaca talia irritare semen, totum calefacere, & sic ardorem & stimulum in Venerem concitare posse, præsertim in iis, qui amore prius alicujus personæ ardent: qui tamen stimulus non in unam certam personam, sed in omnia promiscè individua

con-

concitetur, ut non tam philtra, quàm pharmaca venerea ſint dicenda.

§. 5. E contra alii noſtra præſertim ætate (quæ Veterum diligentia adjuta, & Recentiornm curioſitate edocta priorem omnem experimentorum multitudine ſuperat) ſentiunt & ſtatuunt, amorem rebus naturalibus poſſe conciliari, qui quidem ſententiæ ſuæ fundamentum ponunt in ſympathia naturali, quæ amorem notat naturalem: iſti verò, quos præcedenti theſi vidimus, cognitionem ſenſualem, quæ viam ad amorem ſenſualem ducit, urgent. Ita qui contrarii primo limine videntur, contrarii non ſunt. Res naturales notitiam ſeu cognitionem non pariunt, ſcilicet ſenſualem, benè tamen naturalem. Triplex enim datur *cognitio*, naturalis, ſenſualis, & intellectualis: de qua diſtinctione videatur Sperlingius *Inſtit. Phyſ. lib. 1. c. 6. Q. 2.* à quo parum abit Dn. D. Rolfinck *libr. 2. Vegetab. Sect. 1. cap. 16.* per diſtinctionem ſuam inter *ſenſum* naturalem & animalem. *Animalis* eſt, quo prævio animi judicio ſenſibilium objectorum perceptio fit. *Naturalis*, cujus beneficio quodlibet congruum ſibi alimentum appetit, & quod gratum eſt, percipit, illove gaudet. Hujus generis eſſe ait naturalem illam rerum ad ſe invicem inclinationem, & à ſe invicem averſionem, quam ſympathiam & antipathiam vocamus, quæ abſque judicii interventu naturalibus motibus ſine dubio adnumeranda. Ita philtra amorem naturalem parere poſſunt, ut perſona certa non ſenſuum, ſed naturæ impulſu & motu per naturalem inclinationem ſeu ſenſum naturalem, quæ cognitio naturalis vocari poteſt, amore proſequatur eum, qui philtrum, non promiſcuè quodvis à quavis anicula commendatum, ſed conveniens, benè elaboratum prudenter exhibuit. Actuatur ſive in actum deducitur amor naturalis per artem acquiſitus præſentia, viſu & converſatione: ſicut magnes, qui ferrum amat, abſens ſui amoris naturalis indicia non edit; ei autem junctus virtute tractiva amorem teſtatur. Augetur autem amor naturalis formæ gratia, morum venuſtate, ac illecebris variis; ſiquidem

moribus ac forma conciliatur amor,

ut canit Ovidius, amator juvenili ſua ætate maximus. Iſte per philtra partus naturalis amor ſenſuali deinceps junctus intenſior evadit.

§. 6. *Amorem per Philtra naturalem conciliari poſſe*, probatur autoritate, rationibus & experientia. Quanquam nos 1. non tam *autoritatem*,

tatem, quàm scientiam, & quæsiti noticiam, quam Viri literati & experti habuerunt, per eam urgeamus. Paracelsus *Tract. 1. de Morbis Amentium cap. 5.* scribit ita: *Quòd illi, qui ederunt aut biberunt aliquid à scorto datum, in amorem alicujus conjiciantur & rapiantur, causa hæc est, quòd simplicia quædam existant, à nobis hîc minimè enumeranda, quæ istam in se vim habent, quæ si viri fœminis, aut hæ illis propinant, amor indissolubilis & pertinax inducitur. Simili opera canes quoq; & pecora ad eorum amorem coguntur, qui medicinas istas præbent.* Christophorus à Costa in descriptione herbæ cujusdam Indicæ, quam & vivam, & amoris vocat, scribit, interrogatos à se nonnullos indigenas Medicos, an aliquas hujus plantæ facultates perspectas haberent, illamque in usum adhiberent, affirmasse, utilem esse ad virgines corruptas restituendas in integrum, miræque efficaciæ ad conciliandum amorem. Helmontius Libr. *Jus Duum-Viratûs* inscripto *§. 54.* docet, *dari simplicia, quæ inebriant, somnum, stuporem amentiam, furores, & deliria inducunt; esse item alia, quorum usu in amores, rixas, imò in certas saltem personas feruntur.* D. Sylvester Rattray *Libr. de Sympath. & Antipath. causis inveniend. pag. m. 56.* philtra, seu potiones amatorias, quæ fiunt ex spermate, menstruo sanguine, radicibus aut seminibus herbarum, aut animalium partibus, qualia sunt orchis species, eringium erucæ, passeres, scinci, testiculi animalium salacium, sudore hominis irrigata, & sic exhibita, ait conciliare amorem, ita ut comedentes sequi cogantur eum, cujus sudore imbuta sunt. Dn. D. Beckerus Profess. quondam in Academia Regiomontana celeberrimus, *Spagyr. Microcosm. pag. 89.* philtrum ex sanguine humano fieri scribit, quo infensissimæ in gratiam redigi, odiaque & simultates in amorem transformari queant. Modum ibi docet, & subjungit: *Ejus exhibe alteri personæ, quæ odium alit, in vini haustu Dr. j. ad Dr. ij. aliquoties repetendo, & mirabili admodum metamorphosi animi dissidentium conciliabuntur, omnium rixarum fomites, seu irritamenta cessabunt, si duntaxat præter hanc medicinam, & piorum consolationes, & jucundæ suasiones accedunt: malevolorum verò garritus & nugæ abarceantur. Hac ratione conjuges furiis rixarum agitati redintegrato pristino favore in individuum amorem, mutuosq; amplexus rediisse explorata & confirmata apud Philosophos experientia fidem facit.* Hæc Beckerus. Itaque quæ in contrarium Casp. à Reies *Elys. Jucund. Quæst. Campo Quæst. 29. num. 20.* profert, nostram

ſtram ſententiam non convellunt. 1. Autoritatem multorum objicit, qui omnes voluntatem philtro nullo cogi poſſe ſtatuunt, id quod & nos aſſerimus: ſympatheticam enim illam amoris vim naturalibus productam, non in animæ voluntate, ſed in peculiari temperamenti proprietate, quæ non ingenita, ſed acquiſita, fundari dicimus. 2. Ait, ſi philtris amor induci poſſet, etiam nunquam viſa nec cognita in amorem trahi poſſent, nec rei amatæ aſpectus neceſſarius foret. ℞. Diſtinguendum inter actum & potentiam. Plura ad illum, quàm ad hanc requiruntur. Ut actuetur amor, præſentia partis utriusque & in homine converſatio mutua requiritur. Mercurius aurum amat, ejus autem amor non in diſtantia magna & in abſentia actuatur. Semel autem per præſentiam in homine amor actuatus intenſior deinceps per morales actiones evadit, qui poſtmodum in abſentia ob imaginationis ſpeciem gratam recolentis ἐνέργειαν uberiora ſui indicia prodit, quæ inferioris gradûs animata prodere nequeunt. 3. Sic quicunque hoſtis in amorem trahi poſſet, & ad pacem inter principes diſſidentes promovendam medium eſſet optimum &c. ℞. Imò hoſtes etiam in amorem philtris trahi poſſunt. Sed quòd non trahantur, conditionis ſine qua non defectus in cauſa eſt. Neque enim diſſidentium Procerum præſentia & converſatio mutua ad actuandas amoris producti ſcintillas procurari poteſt. Reliqua, quæ Reies ſubnectit, facilè componi poſſunt.

§. 7. II. *Rationibus* idem confirmavit Excell. Dn. D. Clauderus *Medicus Ducalis Altenburgi feliciſſimus, Amicus noſter optimus* in Inaugurali ſua *de Philtris Diſputatione, §. 34. & ſeqq.* quæ quia in paucorum manibus eſt, ex eâ rationes præcipuas accommodatò petere placet. Ratio I. ſumitur à *contrario*. Si dantur res medicamentoſæ conſortium Amicorum infucatorum, conjugum &c. in contumax convertentes odium, uti teſtatum eunt incomparabilis naturalium indagator Helmontius *in Duumviratu* §. 54. Schenckius *lib. 7. Obſervat. pag. 930.* P Borellus *Centur. 1. Obſ. 91.* & curioſiſſimus rei botanicæ perſcrutator, Excell. Dn. D. Urſinus, qui herbam nominavit, quæ ſi aliquandiu in manu detenta à maſculo porrigatur fœminæ, pervicaciſſimam excitare reciproce inimicitiam, creditur. Si itaque dantur res in odium nos abducentes, quis tam injurius eſſet in divinam Majeſtatem, ut velit negare, eandem etiam nonnulla per fortiſſimum illud FIAT ordinaſſe, quibus amorem

alteri alter inducere valeat? 2. *A Simili.* Si viperam & simiam, animalia incomparabile invicem nutrientia odium, possum conciliare, & quidem via naturali, ceu Autorum fatentur plurimi, cur, quæso, idem erit factu impossibile in hominibus, utpote specie non differentibus, & sibi magis convenientibus. 3. Si canem, aut aliud brutum perpetuum mihi associare possum comitem, cur non etiam hominem homo in amabile pellicere fœdus poterit? *Magnifico Dn. Præsidi D. Michaelis* (sunt ejusdem Dn. D. Clauderi *§. 23.* verba) *quondam narravit Chymiater suæ artis primarius Joh. Hartmannus curiosum quendam naturalium indagatorem sibi illud ipsum de Amore adfirmasse; utq; fides constaret verbis, pulveris parum ipsi dedit, quod in cibo passeri capto propinavit, unde factum est, ut postea passer iste perpetuus ejusdem aut adsedendo, aut advolando voluerit esse comes.* 4. Si morborum plerosque, & quidem modo naturali, bruto cuidam communicari, in aliam item plantam aut arborem transplantari, ut morbus iste relicto priori, id est, hominis convalescentis domicilio brutum aut subjectum illud infestet, possibile est, cur itaque hominem aliarum rerum similes vires experiri posse impossibile erit?

§. 6. III. *Experientia apud Philosophos*, ut loquitur Dn. D. Beckerus, *confirmata cùm sit, non curabimus, quæ forsan opponi potest ejusdem in vulgi foro raritatem, cùm propter metuendum amorificæ rei abusum præstet talia silentii sipario obtegere, quàm lascivis libidinis explenda amore amorem reciprocum desiderantibus retia amoris in perniciem monstrare. Novi herbam,* ait Helmontius *loc. cit. passim obviam, quæ si teratur, & manu foveatur, donec intepuerit, mox alterius manum detinueris, quoad & illa tepescat, ille continuò tui amore ardebit per aliquot dies. Detinui pedem catuli, hic confestim me peregrinum secutus est adeò, ut noctu ante cubiculum ejularet.* Amorificæ herbæ nos suprà *lib. 1. Part. 2. Sect. 3, cap. 4. §. 7.* ex Laurembergio fecimus mentionem. Virgini cuidam formosæ in præcipua quadam Italiæ civitate referente Bartholomæo Anhorn *Magiolog. pag. 956.* elegantissimum, aromatum & ornamentorum apparatu splendidè instructum pomum dono datur, & ut fructu suavissimo vescatur, monetur. Virgo domum delatum pomum matri antè ostendit, quàm comedat. Sed mater pomum filiæ manibus ereptum per fenestram in plateam projicit, quod porcus casu invenit

invenit & devorat. Porcus autem hic continuo circa ædes ejus, qui Virgini pomum dederat, moratus est, & quando in publicam prodiit ille, rostro suo vestimenta ejus coagitavit, ut propterea cum porci Domino transigere fuerit coactus, quò vel domi ille detineretur, vel mactaretur. Quæ equidem pomi hujus amatorii fuerint ingredientia, non constat. Nihilominus

§. 9. His præmissis jam ad quæstionem: *An magicis artibus & philtris amor conciliari queat*? affirmativè respondemus. Nulla equidem Diabolo in voluntatem humanam directè competit jurisdictio, aut coactio, ut causalitate physica pro lubitu in personæ certæ hominem impellere queat: solus enim Deus directa & immediata motione mentem & voluntatem hominum movet. Indirectè autem, & mediatè Dæmon in voluntatem agere, atque amorem excitare novit, mediante ipsa natura. Ordini enim naturæ ac terminis Dæmon, de se naturæ expers, ita est adstrictus, ut ejus opera opus habeat, si velit ex permissione Dei effectum naturalem promovere. Efficit autem istud, cùm res amorem naturalem excitantes, homines, seu ipse, seu per Magos, docet præparare & occulto modo propinare. Res istæ è regno tam vegetabili & minerali, quàm animali, præsertim homine ipso, qui alterius amorem desiderat, desumitur. Ex harum usu excitata cognatione sympathetica desiderium unionis cum eo, qui philtrum exhibuit, oritur, idque eò faciliùs, quò certiùs spiritus iste spiritibus humanis & phantasiæ hominis (sive philtrum verum, sive absurdum accepit) se jungit & associat, objecti, in quod cogitationes dirigi debent, species suscitat, & occulta inspiratione ac persuasione illius pulchritudinem assiduè commendat. Ita demum fieri potest, ut animus amatæ in amantem commoveatur, maximè si amans philtri exhibiti fiduciâ eam accedat, ore suavissimo rosas loquatur, manu liberali eam sibi devinciat, & humanitatis officia quæque exhibeat.

§. 10. Quandoque etiam amor excitatur, qui non tam philtro, quàm pulchritudinis gratiæ adscribendus: adscribendum autem esse Dæmon artibus suis nugaciter persuadet. Olympiadi Regis Macedonũ Philippi uxori aulici nonnulli persuadebant, Regem, qui amore puellæ cujusdam flagrabat, philtro assumto in amorem esse pertractum: quod cum Regina ægerrimè ferret, puellam adduci jussit: adductam verò, cùm

& for-

& formæ elegantia, & morum ſuavitate excellere videret, ſuſpicione de philtro abjecta exclamavit: χαιρέτωσαν διαβολαί: σὺ γὰρ ἐν σεαυτῇ φάρμακα ἔχεις. *Valeant*, inquit, *calumniæ: Tu in te philtra habes*. Pari ſine dubio modo oculos quorundam Dæmon faſcinat ita, ut majorem in ranâ, quàm in Diana admirentur formoſitatem, indeque amoris ſcintillæ ſuſcitatæ in flammam ampliorem erumpant, quæ continuo ſpecierum in phantaſia cultu nutritur. Ita amoris, qui ex ſenſuum deceptione ortus, cauſam philtro inepto ſimpliciores deinceps tribuunt.

§. 11. Hoc autem facit veterator, ut virtutis ad amorem conciliandum rebus abſurdis & ineptis mediis adſcriptæ opinionem credulis ingeneret & confirmet. Abſurda media ſunt verba, ſigna, charecteres, imagines, hoſtia conſecrata, annuli, pilus in extrema lupi cauda, ejusque virga, remora piſciculus, os de ranâ viridi in formicarum acervo exeſa, Hippomanes, quo de Virgilius *Æneid. 4.*

Quæritur & naſcentis equi de fronte revulſus
Et matri præreptus amor.

Item *3. Georg.*

Hinc demum, hippomanes vero quod nomine dicunt
Paſtores, lentum deſtillat ab inguine virus:
Hippomanes, quod ſæpe malæ legere novercæ,
Miſcueruntq; herbas & non innoxia verba.

Quibus in locis hippomanes notat & virus ex equarum inguinibus tempore, quo amoris furore feruntur, defluens, & caranculam pullo equino in fronte caricæ magnitudine, colore nigro genitam, quam ſtatim edito partu devorat pariens, neque fœtum ad ubera admittit, ſi quis præripuerit, ut habet Plinius *lib. 8. cap. 42.*

§. 12. Hic mos eſt Satanæ, ut cùm aperto Marte per res manifeſtò abſurdas homines aggredi non audet, ne fucus mox deprehendatur, res quasdam naturales, ſed æquè ineptas, abſurdiſſimis jungere, vel iſtas ſolas in uſum trahere ſuadet. Pernicioſum philtrum memoratur à Franciſco Bencio in *Literis* Anno 1589. Romæ excuſis de pio adoleſcente Genuenſi, citante Jordano *de Divin. cap. 23.* *Is amore languens poſt miſſa ultrò citròque munera & furtivas literas idq; trimeſtri ſpatio, mirum quàm immundas ſordes evomuit, crines muliebres, ovium villos, linum, bombycem, acus crinales & ſutorias, unguium ſegmina, oſ-*

ſium

sium fragmenta, & ferramentorum non parvum numerū unà cum sanguine. Cùm ægro occulta quadam voce innotuisset, arculam amasiæ ab adstantibus quæri, arculæ clavem horrendis clamoribus postulat, & acceptam eadem voce admonente, injecit in os voraturus, nisi prohibitus fuisset. Eam deinde pulvino supponit, & oculorum usum amittit. Admonet mater, ut doctus malo reddat clavem. Eam cum quærens non inveniret, furto ablatam credidit. Tunc incipit magis vociferari; nec tamen reperta in toto lectulo diligenter excusso. Vi tandem cum arcula esset reserata, binæ literæ amatoriæ inventæ & igni traditæ sunt. Quo facto restitutus ei videndi sensus, & clavis non sine admiratione apparuit ante oculos quærentis exposita. Melius interim habere cœpit & corpore & animo, & paulò post sanus omninò factus est.

§. 13. Fucum, absurditatemque philtrorum jam olim viri non ignobiles deprehenderunt. Ovidius peritissimus artis amatoriæ Magister, qui de Amoribus & arte amandi libros scripsit, ab iis abstinendum esse suadet *lib. 2. de Arte amandi*, ubi ita canit:

Fallitur, Æmonias si quis decurrit ad artes,
Datq;, quod à teneri fronte revellit equi.
Non facient, ut vivat amor, Medeides herbæ,
Mistaq; cum magicis mersa venena sonis.

Hoc ipsum exemplis Medeæ & Circes postea comprobat.

Phasias Æsoniden, Circe tenuisset Ulyssem,
Si modo servari carmine posset amor.
Nec data profuerint pallentia philtra puellis:
Philtra nocent animis vimq; furoris habent.

Aristoteles *lib. 2. Magnor. Moral.* scribit, uxorem marito propinasse poculum amatorium, quo maritus sæpius exanimis & mortuo similis concidebat. *Nostra ætate*, ait Jordanus *l. c. p. 88. à philtro totum aliquando corpus velut in truncum aut stipitem obriguit, crusta densissima undiq; obtectum, ita ut sex integris septimanis perdius pernoxq; steterit, commiseratione dignissimus juvenis.* Hæc omnia verò de philtris vel naturalibus malè præparatis, vel Diabolicis seu magicis sunt intelligenda quippe quæ non tantùm furorem, sed & mortem accelerare possunt. Magicum ad amorem conciliandum medium fuit annulus ille, quo Carolus M. fuit fascinatus. Hic enim, ut refert Quercetanus, immani cu-

jusdam lascivæ amore vi magica annulo cuidam (quem secum semper portabat scelerata ista) impressa illaqueabatur: Pedem unum jamjam, quod dicitur, in Charontis cymba habens meretrix ista, quò post mortem mortuæ non minus, ac antea vivæ amore Cæsar dementaretur, in ore annulum abscondit. Nec frustra: Cæsar enim fœtens illud mortuæ cadaver adeo deperibat efflictim, ut in proprium conclave reponi curarit. Consiliarii Cæsarei huic amori inhumano magici aliquid subesse subolfacientes, in mortuæ ore maledictum invenere annulum, quo exemto evanuit subitò vanus Cæsaris fervor. Bartholom. Anhorn/ *loc. cit. pag. 962.* sibi à fide dignis hominibus in Germania relatum esse scribit, viduam quandam lascivam (cujus nomini & loco parcit) aliquid ex corpore Viri cujusdam nobilis & strenui accepisse, cui res magicas addiderit, eaque pulvillo consuto inclusa habuisse. Quoties verò pulvillus axillis subditus incaluit, toties Vir pius ac strenuus magicâ vi adactus arcem & conjugem suam deserere, ad Thaidem lascivam properare, & per aliquot dies ei cohabitare fuit coactus. Domum reversus conjugem suam (cum qua vitam aliàs tranquillam egit) humiliter, ut sibi ignosceret, deprecatus est non sine lachrymis, fascino magico se constrictum teneri fassus est, & ut ab eo liberaretur, animitus ipse vovit.

§. 14. Friderici Austriæ Ducis gratiam nobilis mulier marito suo conciliatura philtrum propinavit, ex quo sensim Dux tabescens defecit. Sic Vetula quædam tres Abbates propinatis in philtro scybalis suis interemit, referente Sprengero *lib. 1. Quæst. 7. pag. m. 113.* Quare non immeritò jura civilia in eos, qui philtra, seu pocula amatoria (nimirum magica, & nociva illicitè) exhibuerunt, pœnas constituunt capitales: ipse etiam Dn. D. Clauderus *loc. cit.* § *19.* quosvis, à philtrorum, etiam naturalium, usu, ut abstineant, monet, quòd & ista, ob errorem in conficiendi aut propinandi methodo commissum, vel generalem & confusam erga omnes amentiam aut furorem amatorium conciliare, vel maniam & melancholiam producere, vel planè morti subitaneæ fenestram aperire queant: Quæ ratio est Physica & Medica. Accedit etiam Ethica & Theologica. Qui matrimonii Candidatus certam personam non tam virtutis, quàm formositatis gratiâ in vitæ suæ societatem obstinatè eligit, & philtrorum virtute magis, quàm divina voluntate fretus ducere gestit, non primum conjugii Authorem, sed primum ejusdem depravatorem

habet

habet propitium, & conjugium futurum variis calamitatibus propterea patens, id quod experientia observationibus variis testatum semper fecit. Naturalibus autem benè præparatis & honestum in finem propinatis philtris debitam honoris laudem detrahere nemo potest.

§. 15. Mirum verò Jesuitas in Confessionis loco Virgines interrogando docere philtra. Sic enim in Tractatu quodam Patres pro faciliori à Laicis commissorum peccatorum exploratione informari, ut & hoc quærant: num confitens piscem in suis genitalibus suffocatum ei, cujus amorem expetiisset, ad comedendum propinarit? Vir quidam tam candoris, quàm pietatis & eruditionis laude maximè commendatus in literis, quas etiamnum adservo, ad me pridie Calend. Februarii Anno 1664. perscripsit. Tantum de fascino amatorio.

CAPUT XIII.

Affectuum reliquorum fascina inferendi modus in genere indicatur. Affectus quid? Tria sunt, quibus ad mala facienda impellimur. Fascinum odii inducitur per suggestiones, & per naturalia. Absurda etiam Dæmon suadet. Odium naturale cum maleficio odii non confundendum.

§. 1. EX dictis, quomodo reliquorum affectuum fascina Dæmon inferat, quodammodo (nemo enim modos omnes, quibus callidissimus spiritus utitur, hariolari potest) cognoscitur. Sunt enim animi affectus nihil aliud, quàm motus appetitus sensitivi orti ex apprehensione boni, vel mali, cum aliqua mutatione non naturali corporis. Itaque & circa animum, & circa corpus occupatus est fascinator stygius. Ibi phantasiam, hîc humores afficiendo, modo, quem præcedentia pluribus indicant. Huc Maximi, Philosophi Platonici mellitissimi, quem Magnum, & terrarum Domini Præceptorem Heinsius vocat, verba *Centur. 2. cap. 33.* spectant. *Tria sunt*, inquit, *quibus ad mala facienda moventur & impellimur, nimirum affectus, Dæmones, & malum propositum. Affectibus* hoc pacto ad mala rapimur, nempe quando præter rationem rei alicujus desiderio tenemur, videlicet aut cibi, ultra quam tempus & necessitas exigit, aut mulieris præter scopum procreandi liberos, aut etiam illegitimè; & rursus irascentes, aut tristantes præter modum, scilicet ad-

versus eum, à quo aut contumelia, aut injuria affecti sumus. At *Dæmones*, quoties nostri curam non habemus, ipsi observata oportunitate ex improviso in nos magna cum vehementia irruunt, & excitantes in nobis prædictos jam affectus & similes. Porrò *malum propositum*, videlicet cùm quod bonum est cognoscentes malum tamen eligimus.

§. 2. Exempli loco fascinum & maleficium folius *odii* ponimus, cum v. g. Sponsa Sponsum, maritus uxorem, & contrà aversatur, & odio ita habet, ut absentem perditè amet, præsentem autem tolerare nequeat. Ad hoc inducendum menti Cacodæmon (quia libertatem arbitrii, seu voluntatis nostræ actione physica cogere nequit) speciosas rationes, propter quas persona odio sit habenda, inspirat, & contrarias refutat, istas & amaritudinis modos exaggerat, omnes odio oportunas imagines phantasiæ objicit, & ut sæpius ad animum revocentur, curat. Humores etiam propter objectum odiosum commotos concitatius movere & impellere satagit.

§. 3. Naturalia etiam pharmaca dantur, quibus teste Jordano *loc. cit.* humorum ratione ferocitas, morositas, crudelitas, imò tandem misanthropia; ut vel ipsis caritatibus nostris nos subtrahamus, inducitur. Confer suprà *Part. 6. cap. 12. §. 7.* Exemplum vide infrà. Ista quomodo sint præparanda & propinanda, suos etiam Dæmon naturalium peritissimus eodem modo, ut pocula amatoria conficiendi rationem, edocet. Absurda tamen eundem quoque suis ad conciliandum odium suadere constat; quæ tamen tesseræ saltem, & signa pacti conventi sunt, quibus Satan more suo superstitiosos sibi magis devincit, ut sunt, specula, quibus verba adjiciuntur, per quæ periculosissimum fascinum inferri scribit Carrichterus *p. m. 485.* capita serpentum, & pelles sub limine defodere, aliasque ineptias agere, quales ex illo Godscalci Molleri, quod refert Delrius *lib. 3. Part. 1. q. 4.* colligere licet.

§. 4. Odium autem naturale cum maleficio odii confundere caveamus. *Novi*, inquit Schottus *Mag. Univers. Part. 4. lib. 5. cap. 5. quodam loco honestas fœminas, matrem & filiam; fuerat filia jam aliquot annis matrimonio juncta, sed propter incredibilem horrorē ab actu matrimoniali nunquam admittere voluerat virum, eumq; adeò aversabatur, ut viso illo aufugeret, & accedentem modis omnibus abigeret. Existimabant pas-*

sim

sim, eam dicto maleficio affectam, *nec parum pecunia insumpserat mater in remedia. Venit tandem ad me mater*, *suum infortunium conquestura. At quoniam difficulter credo, maleficium subesse, ubi causa naturalis subesse potest, judicavi*, *filiam melancholia laborare. Suasi igitur honestam animi laxationem ei concederet; quo facto, non diu post cum melancholia evanuit & odium erga maritum.*

CAPUT XIV.

De Fascino Facultatis loco motivæ. Id Dæmon mediantibus causis naturalibus infert, motum naturalem vel inferendo, vel depravando. Violentum motum quomodo inferat: eundem in Strigiportio confert. Unguenti Sagarum ingredientia. Unguentum motum non confert. Quidam per artem volarunt. Corpora deportare spiritui non repugnat. Exempla. In velocissimo isto motu Sagæ aliquid violenti patiuntur.

§. 1. F*Acultatem* hominis *locomotivam* Dæmon fascinat, cum vel *motum* ejus *naturalem aufert* aut *depravat*, vel *violentum infert*. Istud mediante natura, hoc virtute propria præstat. *Natura mediante*, seu causis naturalibus fretus motum aufert, quatenus organa & instrumenta motui naturali inservientia, nervos scilicet & musculos afficit, commovendo humores aut ad nervos, eosque comprimendo, ne spiritus animalis influat, aut ad ligamenta, quæ articulos obvolvunt, ut hi laxiores redditi in naturali situ retineri nequeant: vel nodis & callis inde genitis occupentur, removendo etiam humidum balsamicum & gluten, quo tendines oblinuntur, siccitatem movendis partibus nocivam inducit. *Depravat* motum commotis ad nervosas & fibrosas partes humoribus continuo vellicantibus. Sic Dæmonis malitia Juvenis quidam, referente Fernelio *lib. 2. de Abdit. Rer. causis*, corporis concussione, & quasi convulsione ex temporum intervallis laboravit, quæ nunc solum sinistrum brachium, nunc dextrum, interdum etiam digitum unicum, aliàs crus alterum, aliàs utrumque, aliàs corporis truncum tanta celeritate exagitavit, ut vix à ministris quatuor decumbens cohiberetur. Venena etiam quædam paralysin pariunt, quæ proinde cibis occultè admista & propinata motus naturalis impotentiam inducere possunt.

§. 2. *Violentum* motum infert, quando invitos tum obsessos, tum non obsessos data permissione divina virtute sua potente ad motum impellit & urget. Sic obsessos quosdam in ignem, quosdam in aquam, præcipitat. Vir ille *Luc. 8.* qui Dæmonium multis temporibus habuit, accedente Christo ruptis vinculis agebatur à Dæmonio in deserta. Per phantasiam etiam turbatam loco motivam hominum motu non destitutorum potentiam positis à Mago signis fascinat, ut nolentes volentes cursum suum fascinati invertant, & domum, vel ad locum à Mago destinatum revertantur. Lictores suis id tribuunt ineptiis, vestimenti fugitivi particulam cum bufone in medio cruciformis viæ sepelientes: quæ tamen minora sunt, quam ut fugitivum sine agentis naturâ superioris virtute retrahere queant. Fugitivorum Christianorum, quos magicis artibus Turcæ retrahunt, phantasiam Dæmonem excellenter ab extra & intra turbare, supra vidimus, objiciendo nimirum eidem varia phantasmata, ut fugientes putent sibi in itinere vel leones, vel dracones incursare vel flumina contra se inundare, vel omnia tenebris nigrescere, donec terriculis repulsi ad herum redeant. Casp. Schottus *Mag. Univ. lib. 4. p. 407.* se puerum adhuc sequens, quod apud alios quoque legerit, vidisse scribit. *Ex urbe quadam egrediebantur duo juvenes artificis gladiis accincti, & sarcinulis onusti, peregrinaturi ad opificium in aliis urbibus exercendum pro more patriæ. Horum unus bene potus, nescio ob quod verbulum licentiosius effusum antea in hospitio, alterum provocat ad duellum. Renuit hic, ut temulento parceret. Temulentus è contra evaginato gladio irruit in alterum, & excusso primùm pileo lædit in vertice ad copiosum sanguinis defluxum. Coactus igitur congreditur cum temulento, post gladium per inguina transadigit, prostratoq́; inimico in terram supino abit cum sarcinula sua, Accurrunt statim ex urbis vicina porta multi ad occisum adhuc spirantem, interq́; illos, militis uxor protinus evertit spirans cadaver, ut vultu ac ventre terram contingeret: & ecce! eodem statim momento, ut notatum ab excubitore milite supra urbis portam fuit, fugiens se retrahi sentit, & post longam luctam inter abitum & reditum tandem sponte redit ad urbem & Magistratui se sistit. Retractus igitur hic fuit non ab alio, quàm à Diabolo, ex pacto cum militis uxore, seu explicito seu implicito.* Hæc Schottus.

§. 3. Violentus is est motus, quo Magi & Sagæ furcis, colis, scopis,

pis, pallio, hircis, aut equis insidentes, qua corpus qua animam ad conventicula & alia loca deportantur, qui ab externo principio, quod Dæmon est, oritur. Non illa deportandi virtus unguenti magici est, quo Striges ad iter se accingentes, vel sua corpora sive tota, sive secundùm partes, vel furcas aut baculos inungunt. Nam unguenti ingredientia, quæcunque etiam sint (esse dicuntur adeps felis, canis, asini, lupi, & alia quæ teste Petro de Lancre nemo unquam ex toto rescire potuit, potissimum infantis pinguedo additur) talem virtutem, quæ rei merè naturalis potestatem transcendit, non obtinent: siquidem determinatio motus ratione temporis, medii, & loci, sive termini non à re merè naturali, sed ab intelligente est. Arte quidem hominem aptando sibi pennas volatum quodammodo imitari posse, si vel maximè largiar; sicut Calvisius Chron. Belg. ad Ann. Christ. MLVII. narrat, fuisse quendam Henrici IV. Imperat. temporibus, Oliverium, qui Icari fabula auditâ adaptarit sibi pennas, ut volaret, nec infeliciter processisse, quando volatum periclitaretur: & Staricius in Helden-Schatz *pag. 11. Lobsingerus*, ait, *Noribergæ multis adhuc viventibus notus beneficio alarum ingeniosè cum rotulis ad motationem proficuis paratarum in aere avis instar volando ex alto descendit*: Motus tamen spiritualis, & quasi momentaneus nullâ arte, nulloque unguine acquiri potest. Tardus est volatus arte partus, & periculo non caret. Oliverius ille, cùm de turri quadam multa collecta pecunia devolaret, exorto ventorum turbine in terram dejectus crura fregit, quibus pennas adaptaverat, & Lobsingerus ex incuria, rotulis vitium facientibus, decidit, & crus fregit. Adhæc Sagas quandoque sine unguenti ejusdem usu aliò verè esse devectas constat apud Bodinum *Opin. Joh. Wieri Confutat. pag. 510.* Itaque Dæmon est, qui verè & realiter de loco ad locum deportat. Hoc autem ei impossibile non est, quia Spiritus completus est, at Spiritui completo corporalia quoad motum localem obediunt. Simon Magus à malignis spiritibus vere sublatus, sed precibus Petri detrusus, repentino elisu extinctus est, teste Egesippo *lib. 3. Excid. Hieros. cap. 2.* Apollonius Tyanæus verò à suo spiritu, Smyrna Ephesum translatus est, referente *Philostrato in Ejus vita.* Antidius, Turonensis Episcopus verè à Cacodæmone Turone Romam delatus, & ab eodem Roma Turonem relatus

latus est, teste Sigeberto *in Chron. sub. ann. 411.* notante ista Voigtio *Deliciar. Physicar. cap. 7. pag. 248.* Confer ea, quæ supra *Part. 4. Sect. 1. cap. 9.* §. *ult.* sunt tradita. Spiritus movens movetur pneumaticè per mutationem τȣ ubi, mobile verò, sive corpus deportandum physicè mutando locum. Defert & refert id bajulator officiosus ocyus Euro, (non tamen momento) ad loca quandoque vicina, nonnunquam verò satis remota ad aliquot passuum millia, incredibili celeritate. Et in hoc *Theologi omnes conveniunt, Dæmonibus post lapsum atq; apostasiam integra mansisse naturalia dona: uti sunt immortalitas, potentia, motus, celeritas, scientia aliaq; id genus veluti dotes, quas à sua acceperunt origine: Bonis autem spiritibus promtum esse, ut vel momento temporis non tantùm ipsi immensa aeris spatia decurrant; sed & homines nullo negotio unà secum traducant, satis demonstrant, quæ in eam rem paulò ante de Propheta Abacuc & Philippo Diacono à nobis sunt recitata. Minus igitur mirum jam videri debebit, si hæc quoque præstant mali*, Remigius *lib. 1. cap. 29. pag. 168.* In velocissimo tamen isto per aerem tractu & motu violenti aliquid respirationis organa patiuntur, propterea lassitudinem totius corporis insignem Sagæ domum reversæ sentiunt. Quamvis verò modus angelicus movendi corpora penitus nobis non sit perspectus, certum tamen est, quòd ab ignoratione modi ad negationem rei ipsius non valeat consequentia, ut benè *loc. cit.* advertit Voigtius.

CAPUT XV.

Vegetativæ Facultatis fascinum. Causa morbi remota quadruplex est. Morbus triplex. Dæmon omnis generis morbos potest inferre. Modos venena applicandi varios Dæmon novit. Sagas naturaliter, non per Satanam fascinare scribit Helmontius. Ex universalitate effectus caute de causa ejus est dijudicandum. Sagas per ideas fascinare Helmontius operosè probare laborat; quæ sententia examinatur & profligatur.

§. 1. AD Facultatis *Vegetativæ* Fascinum missâ Sensitivâ jam progredimur. In ea Vitam, Nutritionem, Augmentationem & Generationem occurrere diximus. Dæmon & hic per modos nodos ingenio solutu difficiles nectit. Quamvis idem nihil ferè sine naturæ ipsius

ipsius ope efficiat ipse tamen modus, quo ad fascinum naturæ abutitur, occultus est & difficultatem creat.

§. 2. *Vitam* per morbos, & mortem à Dæmone vel ipso immediatè, vel socia Magorum opera infestari, supra *Part. 4. Sect. 1. cap. 9.* exemplis confirmavimus: jam modus & ratio erit evolvenda. *Causa morbi* secundum χαρίεντας, quibus purior philosophandi modus arridet, in immediatam & mediatam, & hæc in remotam & proximam dispescitur. *Remota* quadruplex est, naturalis, præternaturalis, non naturalis, & supernaturalis. Ad *supernaturalem* fascinum, malus genius, incantatio referuntur, D. Schenckius *Synops. Instit. Medic. lib. 2. Art 3. Sect. 2. Morbus* triplex est, vel *intemperiei*, in partibus similaribus: vel *compositionis* in partibus dissimilaribus: vel *solutæ unitatis* in partibus utrisque. Per partes jam ire & ostendere, quomodo Dæmon, ut causa remota ad morbi cujusque in specie productionem, concurrere queat, hoc esset Institutionum Medicinæ partem quandam hoc loco operosè tradere, & Lectori forsan tædium parere. Scire hoc loco sufficiat, Dæmonem, ut quandoque omnium confessione à potentissimo potentiam impetrat, animam hominis miris modis affligendi, ita ab eodem permissionem nonnunquam accipere, corpus humanum fascinandi, id quod eo modo efficit, humores variè commovendo, spiritus corporis agitando, phantasiam turbando, & singulas partes afficiendo. Ipse enim spiritus subtilissimus omnia corporis permeare aptus potentia sua corporeas res movendi potente pro permissionis concessæ gradu loco movere, & mirè turbare potest, v. g. ad *intemperiem simplicem & manifestam* producendam sanguinis circulationem, ad immoderationem pro intemperie calida, ad remissionem pro frigida reducere novit. Quartana febre ex fascino contracta ultra biennium Licentiatum quendam laborasse refert Bald. Timæus à Güldenklee *lib. 7. Cas. Medicin. 24.* Rejecta demum per vomitum materia, quæ intemperiem quartanam produxerat, liber ille evasit. Intemperiem *occultam*, seu totius substantiæ morbos producit convehendo particulas venenatas, malignas & pestilentiales cum aere vel per os, vel per poros attrahendas, vel subministrando occultè cum cibo & potu venena, & alia perniciosa. *Conformationem* lædit mox in utero matris phantasiam, & per hanc virtutem πλαστικὴν in utero turbando, & humores ad partes justò copiosiùs, vel

parciùs commovendo. In ætatis progressu pariter humoribus qualitate peccantibus inordinatiùs ad meatus & cavitates extra vel intus, ut & ad partes alias ad conformationem spectantes delatis, obstructio, compressio, durities & mollities, magnitudinis, situs & connexionis varia vitia oriri possunt, quæ etiam in variis jactationibus, luxationibus, convulsionibus & contractionibus advertuntur. Morbum solutæ unitatis excitat tum propria virtute, tum mediantibus naturalibus rebus partium continuitatem solventibus, sive intus genitis, & ad partes copiosè, ac impetuosè detrusis, sive ab extra immissis; utrisque copia & qualitate peccantibus. Quæ omnia fusiùs confirmat Gutierrius *de Fascino Dub. 8. p. 172. & seqq.*

§. 3. Hæc & præcedentia illustrabimus ac confirmabimus verbis Vallesii, Medici & Philosophi Clarissimi, *de Sacr. Philosoph. pag. 169.* ubi quærit: Quo pacto spiritus immundi possint esse causæ morborum, & respondet sic: *Dæmon est causa externa morborum. Non enim intra corpus ipsum latenter nascitur, sed extrinsecus accedit morbos illaturus. Eos igitur, qui pendent ex materia, non aliter infert, quàm aliæ causæ procatarcticæ, puta movendo internos, ut melancholiam morbum, augendo melancholicum succum, & eum, qui inerat commovendo, deferendoq; in cerebrum, & internorum sensuum sedes, vapores nigros. Augere verò potest melancholiam eam, quæ naturaliter generatur, detinendo, ne expurgetur: aut quascunq; exurentes causas admovendo: Epilepsiam verò apoplexiam, paralysin aut catochum, deferendo crassos succos, ac per eos cerebri ventres, aut ipsas nervorum radices obstruendo. Cæcitatem aut surditatem eodem modo, excrementa ad oculos, aut aures acervando: quanquam hæc duo mala sine interna causa facere per sese possit, nervos visorios, aut auditorios comprimendo, quo minus per eos facultas sentiendi transmittatur: aut cæcitatem quidem humorem aqueum, qui crystallino oppositus est, agitando: surditatem detinendo aerem congenitum, quo minus moveatur.* Hactenus Vallesius. His junge Weckeri verba §. *ultim.* citanda, & Medici in Anglia Excellentissimi Th. Willis *lib. de Morb. Convulsiv. cap. 7. Concedimus*, ait, *admiranda in corpore humano pathemata à Diaboli præstigiis sæpenumero produci, quatenus nimirum iste, pro mira, qua pollet, agendi subtilitate, animæ sensitivæ, sive spirituum animalium Systasi, atomos sive corpuscula heterogenea insinuat*

nuat, adeoq; functionibus ejus modò stimulos addit, modo vincula injicit, modo eas in perversum rapit: quin etiam aliquo modo ipse corpus humanum subit, & quasi altera anima ei, coextenditur, singulas partes & membra actuat, vigore insolito inspirat, ac pro lubitu suo regit, ac ad facinora immania & supernaturalia perpetranda incitat. Th. Erastus Vir judicii limatissimi *de Lamiis p.61.* non esse dubium dicit, quin humorum, spirituum & seminis commotione titillationem efficere valeant Dæmones, non minus, quàm eorundem perturbatione morbis excarnificare.

§. 4. Per venena Angelorum & hominum excrementa (ita Dæmonem ejusque mancipia jure dixero) ægritudinem, vel necem hominibus sæpe intentant. Modos applicandi in genere D. Thummius *Tract. de Sagar. impiet. pag. 41.* tradit & scribit: Venenum istud vel *introsumptione*, vel *applicatione exteriore* per *contactum*, vel *inhalatione* propinatur: *introsumptione* fit, quando in *cibum* aut *potum* injectum in corpus assumitur; *applicatione exteriore*; cum *unguentum*, quo manus suas impunè illeverunt, *corpori adfricant*, vel *virgis* aut *manu perniciali* aliqua re illita, quasi *adblandientes*, & *benevolè ominantes*, vel *suaviter demulcent*, vel *feriunt* quos perditos volunt; vel saltem *illic*, quà *transeundum* & *supergrediendum est*, *collocant* ac *condunt*; denique per *inhalationem*, quando *halitu & afflatu nocivo* inficiunt; fit hoc, quando *venenum in ore*, antidotis contrariis prius præmunito *gestant*, vel *Dæmonem ipsum*, venenum exhalantem, *ori inclusum* habent. Sagæ (ut tradit Carrichterus) succo ex herbis venenatis juxta certam cœli configurationem collectis (quibus verba quædam admurmurant) expresso, manus ter lavant, & retentis in manibus herbis spontè eas exsiccari permittunt. Obviam deinde his, quibus malè cupiunt, factæ manum porrigunt, quos, si precibus non sunt muniti, spiritus herbæ venenatus momento subit, omnes sanguinis spiritus suffocat, & atrocissimos ventris dolores excitat. Quanquam in multis non tam veneni natura, quàm Satanæ ipsius malignitas sit accusanda.

§. 5. Helmontius *Lib.* cui Titulus: *Recepta injecta*, alium hîc fascinandi & vitæ humanæ insidiandi modum effingit, quo non Satanam, sed Sagas naturaliter uti scribit, quem jam audire placet. Primò quidem mediorum, quæ suis Dæmon præscribit, vanitatem ipse agnoscit, at-

que ita refutat, cum ait: *Si media à se præscripta ullam operandi vim in se haberent, quam apud suos jactitat, de necessitate quoque naturali semper, ubiq; in cujusq; manu & æqualiter idem efficerent, absq; reflexione in pactũ vanasq; circumstantias.* Verùm hoc cautè accipiendum est. Siquidem media & actiones variant. Medii unius & simplicis vanitas facilè exploratur: at si absurdorum magna detur in actione operosa varietas, veterator fraudulentus absurda media virtute occulta in omnium etiam manibus, ad quas veniunt, semper & ubique stabiliendi & promovendi facilè accipit permissionem. Deus enim actionibus à se non mandatis temerariò ausu extra pietatis & vocationis viam susceptis, cùm in sui tentationem cedant, per specialem & miraculosum concursum Dæmonis laborem non reprimit, sed id, quo temeritas, & vana hominum curiositas delectatur, ut à Dæmone patretur, fieri Deus permittit. Quis jam, quia in similibus actionibus per characteres figuras, & verba adornatis omnes semper & ubique effectum sentiunt eundem, naturalem quandam necessitatem inde exsculperet? Atque ita sólet auceps universalitate effectus superstitiosos irretire, ut, cum v. g. hæc vel illa verba cum ritibus pronunciantur, & characteres etiam à puellis Magiæ omnis ignaris formantur, promtus occultè actionem effectu ipse coronet, quem homo, latentis virtutis ignarus, verborum, rituum & characterum esse, vana credulitate deceptus credit. Et si vel maximè actio destituatur effectu, frustrationis tamen causam impostor facilè per instantiam desumtam à naturalibus, quæ non raro effectu proprio carent, apud suos excusare, & in aliud rejicere potest.

§. 6. Idem Helmontius post ista Sagarum potentiam non à Satana, sed à Sagis ipsis naturaliter, & quidem ab earum ideis mentalibus & operativis manare contendit. *Nec valet*, inquit, *argumentum: Satan suis præscribit vana verba, superstitiosa, & in se omninò impotentia; ergò totus illorum effectus, qui incantatis accidunt, ex solo sunt Satana. Siquidem licèt media in se sint vana, nulliusq; momenti, potentiæ vel efficacia (qualia sunt verba non significativa, figura, characteres, numeri, Gamahea, Talismanica, adorationes, cum omni vanarum observantiarum superstitioso exercitu) attamen concurrunt insuper alia media operativa, quæ non sunt Satanæ. Quandoquidem Diabolus non habet vim idealem, seminalem & sigillarem, qualem habet homo ex dignitate imaginis divina,*

na, qua ipsius pedibus substituta sunt bruta &c. Ergo Diabolus has mutuat ideas mentales & operativas Sagarum, quas potest sigillare in sordibus & venenis. Accendere autem ait Cacodæmonem in Sagis desiderium & odium, quæ sint passiones imaginantis creantes ideas non inanes, sed exsecutivas atque incantamenti motivas. Hoc illustrat exemplo gravidarum, quæ mentis perturbationes, & harum ideas constantes seminaliter fœtui imprimunt. Similes ideas ait formare Sagas non gravidas, Cacodæmonem eas inde mutuare & easdem imprimere in sordes, atque ita ex non venenis fieri venena: hæc applicari tam per loco motivam Diabolo vernaculam, & liberam, quàm etiam, quòd transferantur ad objectum, ad intentum, cui nocere voluerit. Utitur & simili à Basilisco & Torpedine sumto, quo demonstrare vult homini nedum, sed vilibus animalculis naturaliter inesse vim attributivam & exsecutivam intentionis illorum, quibus solo visu, intentione, desiderio vel odio nocere instituunt.

§. 7. Quantum ex contextu Helmontii obscuro (ut solet obscurè & confusè multa tractare) colligere licet, statuit ille Sagas desiderio & odio à Satana *accensis* accipere ideas, quæ fiant venena in proprium desiderii & odii objectum emanativa: easdem Dæmonis auxilio sepultis sub limine vel suspensis imprimi; vigorari autem ab idea accensi desiderii, ut, sicut Basiliscus & Torpedo venena sua in objectum determinatum tantùm emittunt, ita Sagæ ideas in quod dirigunt commoveant.

§. 8. Verùm enim verò iste Helmontii discursus non realibus, sed specularibus seu idealibus nudis nititur, quæ à phantasia autoris concepta & per manus ejusdem edita non nisi in librorum involucris, à parte verò rei minimè reperiantur. *Idea* exemplar notat, repræsentans id, quod est, vel esse concipitur. Sic Plato perfectissimum Reipubl. Statum, licet non detur, in idea adumbravit. Conceptus rerum in mente sunt ideæ objectorum intelligibilium & sensibilium: conceptuum rursus dantur ideæ, quæ vel verbo vel scripto exponuntur, suntque exemplaria repræsentantia conceptus. Proinde *mentales ideæ* vel intelligibiles sunt, vel sensibiles. *Intelligibiles* sunt imagines conceptuum, quos intellectus speculando, quandoque etiam citra phantasmatum sensibilium adminicula, producit, qui in mente hærentes ibidem alterius intel-

lectui per verbum dictum vel scriptum communicari possunt, ut conceptus hujus sint idea conceptuum illius: & conceptus illius idea imaginum, quas intellectus ex se ipse formavit, & quando libet, porrò sibi ipsi ad ulterius speculandum objicere potest. *Sensibiles* ideæ sunt imagines specierum ab objecto sensuum externorum ad commune sensorium & potentiam cognoscitivam delatarum, quæ inibi retinentur, & tandem obliteratæ pereunt. Tales ideas dari phantasia propria quemque, & gravidas docet, quæ rebus visibilibus nimium attentæ visarum specierum ad potentiam cognoscitivam delatarum imagines fœtui imprimunt. Imagines hæ in fœtu sunt ideæ phantasmatum ab imaginatione matris conceptorum, & hæc ideæ sunt objectorum.

§. 9. Verùm neque intelligibiles, neque sensibiles species ex intellectu & potentia cognoscente egrediuntur. *Non intelligibiles*, quia sunt qualitates spiritales, quæ realitate & efficientiâ physicâ carent. Si enim species intelligibilis, quam intellectus agens producit, ab omni materialitate est abstracta, quantò magis id, quod speciei illius idea est, ab ea erit libera: proinde nec ad indolem materialium mente realiter egredi queunt. Communicari quidem illæ possunt, non physicè, sed ethicè, non per realem translationem, quasi illæ proprium subjectum deserant, & alienum subeant; sed per aliqualem significationem verbo vel scripto expressam. *Sensibiles*, quæ pariter qualitates sunt spiritales, corpore egredi, nulla ratione adstrui potest. Fœtus quidem sui immutationem ab ideis, quas mater prægnans concipit, patitur: ast alienum à matris corpore fœtus subjectum non est, sed quatenus in utero est, ejus pars est, eique per commune vasorum commercium continuatur, ut mirum non sit, ideas imaginum à matre conceptarum spirituum beneficio ad contentum in utero materno fœtum per sanguifluos ductus communicari. Deinde ideæ illæ è corpore progredi nequeunt, quia rerum sensibilium qualitates, quò magis disperguntur, eò magis imminuuntur, ut tandem pereant: sicut sonus, quò longiùs abit, eò magis debilitatur, ut demum in nihilum abeat. Pari ratione specierum sensibilium idea, cum sensorio communi imprimitur, ita imminuitur, ut ad extra regredi nequeat. Adhæc licèt ideas istas egredi posse concedatur, dirigi tamen ab imaginativa ad objectum quandoque multa milliaria distans, aut sub limine altè defossum nequeunt. Anima enim, quia spiritus

ritus eſt incompletus ad aliud conſtituendum ordinatus in ſubjectum, proprium, non in remotum & diſtans, ut ſpiritus completus, agere poteſt.

§. 10. Tandem licet ideæ egrediantur, & ab anima dirigantur, venenatam tamen qualitatem induere nequeunt. Corruptio enim & infectio illa fieret vel ab intra, ab ipſo ſagarum corpore, vel ab extra à re quadam externa. Si prius, Saga ſeipſam prius & potiùs, quàm alium faſcinaret: Si poſterius, dico jam: ſi rerum ſenſibilium ſpecies alterationis ſunt expertes, ut v. g. color, & ſonus reali qualitate affici nequeat, multo minus earundem ideæ, quæ in facultate cognoſcente ſunt, licet inde eas egredi poſſe concedatur, erunt alterationi per venena ſubjecta. Itaque modus iſte faſcinandi Helmontianus nullus eſt, qui ſi daretur, quantus foret Magorum & Sagarum numerus; ſiquidem multitudinis capita multa ſocietati magicæ non adſcripta affectuum turbine inſpiratione Dæmonis ferè quotidiè abripiuntur, ita ut odio flagrent Vatiniano, & neſcio quas odii ideas concipiant, non tamen iſta eos, quos odio habent, nec Domina famulam (ut ſunt mulierum affectus intenſiores) faſcinat.

§. 11. Admiramur tamen Helmontii ſcientiam & liberalitatem, qui *lib. de Injectis materialibus*, ideas conceptas veſtit, & veſtitarum operationem oſtendere novit. *Homo*, inquit, *quatenus eſt ſimulacrum Dei, creat ex nihilo entia quædam rationis, ſive non entia in ſui initio, idq; in propria virtutis phantaſtica dote, Quæ tamen ſunt aliquid amplius, quàm merè ens privativum. Nam inprimis dum ejusmodi conceptæ ideæ tandem ſe corpore veſtiunt, ſpecie imaginis fabricatæ per imaginationem fiunt entia jam ſubſiſtentia in medio illius veſtimenti, cui per totum æquabiliter inſunt. Et hactenus fiunt entia ſeminalia atque operativa, à quibus videlicet ipſa ſuorum aſſumta ſubjecta totaliter mox diriguntur. Hæc autem poteſtas data eſt ſoli homini.* Adeò facilè fuit Helmontio chartam ſpeculationibus & ideis vanis veſtire. Unde enim ideæ illæ, quæ ſua natura entia rationis, eodem fatente, ſunt, veſtimentum, quod corpus poſtea ipſe vocat, acceperint, an ex aere, aut contentis in eo corpuſculis, an ex regno cœleſti vel ſubcœleſti? quale ſit illud veſtimentum, ſimplex an mixtum? quis applicarit, an Satan, an aliud agens?

agens? unde vis & operatio physica, quam idea in se non habet, vestimento accedat? an vestimentum in se habeat? an ex ente rationis, & re naturali ens unum per se & activum fieri queat, & isti conjugandi aptitudo insit, Helmontius non probat, nec per similia, quæ ineptè adducit, institutum suum probabit unquam.

12. Transeant alia inconvenientia in discursu isto occurrentia, Dæmonum scilicet auxilio defossis imprimi malignas ideas, cur non ad objectum ipsum recta, vel ad ejus vestimenta aut lectum deferuntur istæ, ut propior sit fascinandi occasio? Defossà ab idea desiderii accensi vigorari ridiculum est. Quid sepultura confert ad fascinum? ea non tam promovet, quàm retardat venenatæ ideæ vim, quæ melius ad rem non sepultam dirigi potest. A Basilisco frustra peti simile, ea quæ de Basilisco *lib. 1. Part. 2. Sect. 1. cap. 9.* docuimus, produnt. Torpedo obvios quosque, ad quos venenum ejus traducitur, non ut Sagarum maligna signa certum subjectum, lædit, ut propterea ab hoc quoque frustra simile sit tractum.

§. 13. Mittimus ergò Helmontii ideas, & causas modosque, quos exposuimus, retinemus, quamvis ratio omnium non ita pateat, sed in occulto multa maneant. *Morbos*, inquit Weckerus *Secret. lib. 2. pag. 38. Dæmon complures inferre potest, quorum nobis incomperta est ratio. Potest autem, quod subtilis existens facilè corporis partes universas pervadat, quas constringat, divellat, aut aliter excruciet: Viscerum quoque actiones ad vitam sustentandam necessarias inhibere potest. Quin & tetro halitu, variisque venenis nobis incognitis pulmones, aliasque corporis partes inficere potest, unde morbi præter naturalem modum exoriuntur. Sed corporis tamen corruptionem inducere nequit, nisi mediante natura. Hippocrates ergo & Avicenna, & hos secuti Pomponatius, & Levinus Lemnius minùs certè negarunt, morbos ullos per Dæmones mortalibus inferri posse, ducti hac ratione, quia morbi omnes naturalibus ex causis nasci queant. Consequentia enim hæc nulla est; Morbi omnes possunt ex naturalibus causis oriri. Ergò Dæmones nullos mortalibus inferre possunt. Id enim agunt per naturalia media.* Hæc ille.

CAPUT

CAPUT XVI.

Injecta morbos pariunt. Dubitatur tamen, an ea, quæ è corpore rejiciuntur, revera in corpore fuerint, & verè ejiciantur: quidam affirmant, alii negant. Rationes pro negativa Wieri, quas tamen non adeò firmas esse ostenditur. Autor quædam revera, quædam autem præstigiatoriè fieri sentit. Vias ordinarias Dæmon mediante sensuum fascino legit. Quomodo materialia in partes externas Dæmon immittat? Sententia Delrii & Helmontii: hic citra dimensionum penetrationem materialia non à Satana, sed à Saga immitti statuit, & exemplis è natura petitis confirmare satagit: idem ad suas ideas recurrit: quæ omnia examinantur & refutantur. Historia pueri, cui venefica femoris os, & os tibiæ surripuit. Modus morbos inferendi prodit etiam modum mortem inferendi. Lamias quandoque per somnia deceptas credere, se homines verè occidisse historia quadam confirmatur.

§ I. MObos etiam varios Dæmon per ea, quæ occultè immittit, & in corpore variè agitat & movet, excitat. Dæmonem autem varia immittere, ea, quæ excernuntur, vel arte chirurgica extrahuntur, testantur: quæ cùm naturaliter in corpore generari nequeant, ut acus, clavi, plumæ, pili, pelles, porcorum setæ, stramen, ferramenta, & alia plura, sequitur eadem à supernaturali causa fuisse immissa. Dubium tamen movetur à multis, an talia revera in corpore fuerint & inde rejiciantur, an verò præstigiæ Dæmonis sint, in cutis superficie saltem talia ostentantis? Modus hic nodus, qui difficultatem parit hanc, quomodo à Dæmone hujusmodi corpori inserantur? Sennertus *lib. 5. Med. Pr. cap. 5.* varias variorum sententias recenset, & dicit, nonnullos putare, hominem in somnum profundum demergi, & tum Diabolum corpus, vel membrum illud incidere, & ea, quæ velit, inferre, ac ea subtilitate & arte vulnus id consolidare, ut nulla cicatrix appareat: *alios* statuere, à Diabolo poros cutis distendi, & per eas inseri stramen, setas porcinas corium & similia: *alios* opinari, Dæmonem nullo negotio res ejusmodi in minutissimas partes, & in pulverem etiam frangere ac conterere, sensimque in hominum corpus ingerere; ingestas verò rursum com-

pingere posse: alios existimare, etsi sua sponte œsophagus non ita dilatari possit, ut corpora tam magna per eum rejici possint, tamen ut à Diabolo extra consuetum modum extendatur, impossibile non esse.

§. 2. E contra alii, cùm in modis istis, quo animus veritatis avidus satiari queat, non inveniant, negant ea in corporis meditullio fuisse. Wierus *de Præstig. Dæmon. lib. 4. c. 2.* & *de Lamiis cap. 17.* statuit, monstrosas materias, dum per os, aut anum naturalium fit excrementorum ejectio, vel subtilitate, velocitateque Dæmonis summa aliunde afferri, iisque mira dexteritate admisceri, vel ejusdem præstigiis pro veris supponi, cùm tamen ficta tantùm sint, & apparenter talia, qualia hominum sensibus fascinatis atque delusis occurrunt. Rationes ejus sunt 1. quod excreta magnitudinem œsophagi, quoad fieri possit in homine vivo, tensi distractique naturalem diductionem exsuperet, quibus 2. nec alius ab ore introrsum laxior pateat meatus. 3. quòd fieri non possit, quin os ventriculi, quod exactissimo tactus sensu præditum est, ac levi flatu facilè afficitur, à rebus acutis & pungentibus transeuntibus læderetur, cùm tamen nihil doloris post monstrosarum rerum ejectionem sentiant. 4. quia tametsi mox vel paulò longiùs à cibo subsequatur vomitus, nihil tamen cibi vel chyli appareat mixtum, idque diligenti inspectione se observasse ait, uti & 5. scribit, vigilanti studio se ante & post vomitionem & ventriculum contrectasse, valideque sursum ac deorsum pugno, palma & digitis variis torsisse modis, nullam tamen à contentis putatis injuriam sensisse ventriculum.

§. 3. At vereor, ne & hic ab ignoratione modi ad negationem ipsius rei illicitus fiat progressus. Modos sine dubio μυριοτεχνίτης callet innumeros, quos nec ratio, nec sensus hominis penetrat unquam: cumque multa, etiam in natura, fiant admiranda, quæ ipsa, nisi sensibus paterent, ratio ob modi ignorationem negaret. Nihil proinde mirum, etiam ea, quæ à supernaturali agente modo longè sublimiori immittuntur, revera immissa esse ob speciosas in contrarium allatas rationes negari. Ut ad Wieri argumenta accedamus, concedimus 1. excreta monstrosa quandoque magnitudinem & naturalem partium diductionem exuperare: non autem exsuperant supernaturalem diductionem. Ut partium quarundam longitudo supernaturalis, ita & latitudo ac profunditas supernaturalis naturalem superare potest. Sic Dæmon mulieris

ris cujusdam, quam obſederat, linguam ſæpe in modum probuſcidis elephantinæ protruſit (Thyræus *Part. 1. de Dæmoniac. cap. 6. §. 6.*) quæ protruſio ſupernaturalis naturalem longiſſimè ſuperat: ſiquidem nullum agens naturale motu vel naturali vel violento ad eam quantitatem linguam trahere poteſt. Ut autem ratio elongationis, ita & dilatationis partium ſupernaturalis eſt, & manet occulta. 2. Annon, ſi per os non immitantur aliena, alio modo & per alias vias ſi non naturales, tamen præternaturales à Diabolo paratas immitti queant, in quæſtione eſt. Multa cruribus, natibus & ſubcutaneis partibus magicè immittuntur, ad quas partes per communes nutritionis vias ab ore usque ad arteriarum extremitates faſcini materiam deferri, nemo erit, qui ſine aperto crimine læſæ rationis id aſſerat. 3. Si Dæmon toti corpori ſtuporem & immunitatem ab armorum injuriis conferre novit, quomodo etiam pars aliqua, ut orificium ventriculi, ne à transeunte acie lædatur, ſit præmunienda, non erit neſcius. 4. In vomitu ſolos aliquando humores, non autem cibos recens aſſumptos ſimul excerni, experientia vulgo etiam, nedum Medicis teſtatum facit. Proinde nihil miri, ſi & alia è ventriculo ſine ciborum vel chyli admiſtione reddantur. Ad 5. dicimus, annon ipſius etiam tangentis manus in iſta Diabolica faſcinatione faſcinata fuerit, ut ea, quæ ſunt, tactu non perceperit, nemo certare audeat, cùm infallibilem negationis rationem in re ardua & obſcura, ut ſunt omnia ſpirituum molimina, perſcrutari arduum ſit & difficile. Nec facile eſt actiones naturales omnes, quibus Dæmones ſe immiſcent, à purè naturalibus diſtinguere.

§. 4. Non autem nos aſſerimus, omnia, quæ è corpore excerni putantur, in eo revera latuiſſe, & immiſſa fuiſſe: è contra non ſtatuimus nulla fuiſſe immiſſa arte magica. *Non omnia fuiſſe immiſſa* ſentimus, quia cauculatorem ſtygium fraudibus & machinationibus præſtigiatoriis, quas nos ipſi deteximus, uti conſtat. Ei proinde æquè, ut in aliis, ita in his, facile eſt, ſumma agilitate faſcinatis oculis aliena, tam vera, quàm phantaſtica, ſubjicere, ut homo ſe è corpore excreta cernere exiſtimet, quæ tamen excreta non ſunt, ſed aliunde adducta & ſuppoſita: prout & illa in Exemplo Langii à nobis ſuprà *Part. 4. Sect. 1 cap. 9.* adducto, maximam partem præſtigiatoriè fuiſſe ſuppoſita exiſtimamus. Dæmon etiam dolores & cruciatus atrociſſimos prius in corpore, ac ſi à re

suppositicia fuissent orti, excitare potuit. Atque hoc spiritus tenues efficere posse, superius dicta produnt. Refert Codronchus *lib. 2. cap. 3.* mulierem quandam veneficam cùm fœminæ cujusdam gravidæ ventrem blandè quasi tetigisset, eam mox fœtus motum inconsuetum sensisse, & postea fœtum in frusta comminutum rejecisse. Fœtus in frusta comminutionem non natura ipsa, nec Sagæ tactus, sed Dæmon ad tactum, ut ad signum accurrens effecit, qui si fœtui tantam ex Dei permissione potuit continui solutionem inferre, quantam data eadem licentia partibus inferet? quantos per hanc dolores excitabit? Uxor quædam Erfurti per 4. annos lecto affixa per alvum præcedentibus doloribus immanissimis res varias, ut fila serica rubra, nigra, ossicula varia, lapillos, aristas, ligna excrevit. Aperto post mortem cadavere Dn. Lic. Hermannus nullum in ventriculo & intestinis incantationis vestigium; os autem pubis valde protensum invenit & crassum, substantiâ tophacea quasi incrustatum, vesicam sphacelo correptam, nigram, constrictam, & admodum duram, continentem calculum magnitudine ovi gallinacei, in urethra alium columbino paulò majorem calculum, & rupturam ligamenti uterini dextri lateris offendit, *Ephemerid. Colleg. Natur. Curios. Ann. 2. Obs. 171.* An ergo res Magicæ ante mortem excretæ fuerunt præstigiæ & celerrimè suppositæ, an veræ & ante ultima fœminæ fata omnes excretæ, ut nullæ remanserint post obitum in ejus corpore conspiciendæ: an calculus & reliqua mala à fascinatione fuerunt orta? Nihil horum certò statui potest, quia nullum impossibilitatem involvit.

§. 5. Cornel. Gemma *libr. 2. de Nat. Divin. Characterism. cap. 4.* refert, puellam quandam vivam anguillam vomitu rejecisse: hanc tamen exenteratam in loco alto, ab animalibus tuto suspensam repentè evanuisse; ex quo anguillam præstigiosum quid fuisse colligit D. Sennertus. Gregor. Horstius *lib. 1. Epist. Medic. Sect. 7.* refert, quendam Illustrissimi Principis sui Consiliarium narrasse fratri suo, cùm ex incantatione gravissimâ ophthalmiâ laboraret, quotidie magnam scoparum minutim incisarum copiam per oculos egressam fuisse, ita ut scopæ purgandis ædibus vix emptæ statim amitterentur. Tantum scoparum minutim concisarum corpori à Diabolo pòtuisse inseri, ut eæ per oculos egrederentur, nemo sibi persuaderi patiatur; propterea per præstigias ab extra oculis eas fuisse ostensas, statuimus cum Sennerto. Helmontius *Tract.* *de*

de Injectis Material. se olim Liræ in Belgio vidisse, ait, pueros, orphanum per vomitum rejecisse equuleum, manibus astantium extractum: scamnum scilicet quadrupes suâ rotâ atque funiculis instructum. Quo situ autem locaretur equuleus, erat facilè duplo major gutture. Præstigiatorio & occulto modo Dæmonem equuleum substituisse, eundemque interea doloris sensum virtute propria, quasi ab equuleo esset ortus, supplevisse, existimo.

§. 6. *Nulla autem à Dæmone in corpora immitti* asserere nobis sit religio: siquidem hoc ejus potentiam non superat. Quæ oris & ani quantitatem non excedunt, per eas etiam vias, sopitis præsertim sensibus, & sopore gravissimo sepultis, Dæmonem concessâ licentia corpora aliena invisibiliter & insensibiliter ingerere ut dicamus quid prohibet? Forestus *lib. 18. Obs. 16. in Schol.* refert se vidisse pannum, clavos, ferramenta, capillos & ossa vomitu fuisse rejecta. Balth. Timæus à Güldenklee *libr. 7. Cas. Medic. 24.* ait, Juris quendam Licentiatum acus musco involutas, & inter has cultelli scriptorii fragmentum cum portiuncula manubrii eburnei rejecisse. Idem *loc. cit.* narrat, Filiam quandam carbonem, putamen nucis, plumbi particulam, spinas piscium, acum crinalem argenteam &c. exhibito vomitorio rejecisse. Quæ omnia imò & ea, quæ Studiosus ille in ultimo exemplo vomitu rejecit, (licet D. Timæus Dæmonis præstigias hîc intervenisse sentiat, cujus tamen possibilitatem impugnare nolo) per vias ordinarias fascinatis sensibus corpori potuisse injici, nullus dubito. Cingaros equis suis venalibus, ut agiliores fiant, anguillam per anum immittere me legisse memini. Et hanc viam sine dubio Dæmon, cum aliena immittere ei permittitur, legit.

§. 7. Sed quomodo materialia in brachia, crura, pedes & partes subcutaneas injiciuntur, ad quas licet ab ore per nutritionis organa viæ dentur, minores tamen & angustiores istæ sunt, quàm ut per eas deferri ista queant? Carolus Comes Mansfeldensis maximos in juventute sua dolores per fascinum inductos perpessus est, ex cujus crure supra talum animal vivum lacertæ instar est excisum, referente ex Nicol. Isthuansii *Histor. Ungaric. lib. 10.* Zeilero *Epist. 418.* Delrius *lib. 3. D. M. Part 1. Q. 4. Sect. 6.* duos agnoscit modos: Primus est, ut profundo somno Dæmon hominem obruat, & sensum doloris eximat, tum dextrè incidat membrum, & materiam illam duram imponat, denique eâdem subtilitate vul-

nus adeò consolidet, ut nulla cicatrix vel vestigium relinquatur ; quod periti Chirurgi nonnunquam faciunt. Secundus est, ut idem Dæmon res solidas dividat & comminuat in partes minutissimas, & eas iterum uniat, idque tam properè & subtiliter, ut cernentium oculi nequeant ob nimiam motus celeritatem id advertere, ideoque putent ea integrè immitti & emitti.

§. 8. Helmontius *loc. cit.* Delrii opinionem quoad secundum modum exagitat: ipse verò alium modum ostendere, & probare conatur, injectiones ejusmodi omnes immediatè fieri per hominem, non autem per Satanam, neque opus esse ait auxilio Satanæ, ut corpus aliquod solidum absque sui comminutione per viam se longè minorem immittat, cùm hoc ipsum etiam per naturam fieri queat. Quod ut probet, multa exempla adducit, quæ ostendere videntur, corpora solida satis magna stomachum, intestina, uterum, omentum, abdomen, & membranas, vulneris aliàs impatientes, sine vulnere penetrasse, quod æquivalere penetrationi dimensionum factæ in natura absque ope Diaboli ait. Ex iis notatu digniora placet excerpere. Rusticus Polonus tentaverat sibi anginam in gutture aperire brevi cultro, quem incautus deglutivit, eundem tandem dextro abdominis latere cum multo pure post multas anxietates reddidit, & incolumis supervixit. Ambros. Paræus refert de quodam, quem latrones coegerant deglutire cultrum, quem dein sospes reddidit per apostema lateris. Alex. Benedictus alterius meminit, cui sagitta in dorsum penetraverat, cujus uncum deinde latitudinis trium digitorum per anum excrevit absque læsione. Idem narrat de puella Veneta, quæ acum degluti verat, eamque post triennium eminxit calculo incrustatam: de muliere Hetruscâ, quæ cupream acum deglutitam triennio inde juxta umbilicum sana excreverat.

§. 9. Verùm exempla quæ allegat (modò etiam in omnibus præstigiæ Dæmonis absint, quod tamen in re ignota pro certo nullus asserere audebit) id non probant. Natura enim rei, ratione insitæ suæ gravitatis progressum molienti vias extraordinarias quandoque concedit, vel ipsa per insolitas vias, si per ordinarias commodè non licèt, rem molestam expellit; sed cùm sit sui conservatrix studiosissima, res transeuntes arctè ambit, ne laudabilis liquoris fiat profusio ; easdem sensim & lentè movet, ne subitâ continui solutione partis inflammatio oriatur.

Ut

Ut pars verò ipsa continui solutionem passa sensim interea restituatur curat: propterea viæ in exemplis ab Helmontio allatis, corporibus transeuntibus minores non fuerunt, neque dimensionum penetrationem ita demonstravit. Et naturam aliena sine continui solutione non expellere sequens , quod fictam illam dimensionum penetrationem refutat, exemplum probat. Panarolus enim *Pentecost. 1. Obs. Medic. 8.* scribit, Juvenem quendam instrumento (quod vulgo vocatur Schioppo) à tergo vulneratum, vulnus autem hujus conditionis fuisse: Pila plumbea ingressa per medium temporis sinistri super aurem, egressa est per sinistrum oculum cum laceratione magna & totali ipsius ablatione, & spatio quatuordecim dierum citra spem omnium judicatus est. Subjungit Panarolus : *Mirum, quanta sit Naturæ vis ad individuum conservandum, ut vulnus hoc periculosissimum, ac si leve, & nullius momenti fuisset, ad sanitatem perduxerit.* Tandem Helmontius multis in medium inaniter productis *Tractat. seq.* quem inscripsit: *Injaculatorum modus intrandi*, modum declarat, quo corpora in corpus intrant vel admittuntur. Ibi, postquam dixisset, Diabolum facere res injiciendas invisibiles, sive id fiat per oculorum fascinationem, sive alio modo, subjungit: *Res igitur injiciendas, factas invisibiles, transfert Diabolus ad objectum, dirigente iter idea desiderii humana. Etenim quia Diabolo non est permissum ullatenus introire in hominem, multò minus, ut eum lædat, atque omnium minimè cum onere invisibili, quod ipsus circumvolveret : ideò utitur Blas libero hominis arbitrio sibi devincti. Homo ergo suum Blas motivum liberum imprimit in corpus, invisibile factum: Diabolus autem defert usq; ad hominem , in quem injicitur: & sicut culter per desiderium atque consensum vulnerantis infigitur in carnem vulnerandi; ita hoc corpus, factum invisibile per Diabolum injicitur in corpus incantandi, per ideam Blas motivi Sagæ, conspirante ad hoc Satana, propter directionem ferientis hominis.*

§. 10. Ita redit Helmontius ad suas ideas, & Satanæ, tanquam causæ instrumentalis auxilium, quod antea negarat, manifestò agnoscit, eumque res injiciendas invisibiles factas transferre ait ad hominem, in quem injicitur : itineris autem directionem ideis adscribit. Sed quid de ideis his earumque activitate & directione sit sentiendum , diximus *cap. præced.* Casp. Schottus *Mag. Univers. Part. 4. libr. 5.* fusiùs, quàm

quàm nos fecimus, Helmontii sententiam, & pleraque ipsismet Autoris verbis refert, nullo verò verbo examinat, fusè tamen se voluisse referre ait, *ut ex his vel in unico Tractatu ab eo assertis judicet Lector, quàm phantasticus sit Helmontius, & quàm ad fingendum sine ullo fundamento pronus. Nihil refuto, quia refutatione non indigent, quæ suomet vitio sponte corruunt.*

§. 11. Proinde cùm in imaginationis potestate non sit, ideas ad fascinandum tales efficere, quæ è suo subjecto egressæ vel corpus in viâ induant, & cum eo se uniant, vel corpus injiciendum à Dæmone invisibile factum ad objectum dirigant, & per vias corpore injaculando longè minores cum penetratione dimensionum immittant, aliud agens erit agnoscendum, quod cùm Saga seu homo non sit, supernaturale quoddam erit. Non autem Deus est vel Angelus. Ergo Diabolus omne punctum, impetrato à Deo permissu & ab homine consensu, absolvit. *At contra pietatem est*, inquit Helmontius, *quòd insontibus Cacodæmon nocere posset pro lubitu. Quod sanè fieret, si passim ejusmodi injiceret pro nefario lubitu, puerulis, inquam, insontibus, virginibus piis, atque Deo singulariter dicatis hæc evenisse vidi.* Verùm non major est Sagarum, quàm Dæmonis potentia, pro lubitu homines fascinandi, quamvis illa Dæmonis sit restrictior, ut propterea ad fascinandum magorum sæpe requirat consensum, cujus causam dedimus supra *Part. 3. Sect. 1. cap. 2. in fine.* Neuter tamen, nec Magus nec Diabolus sine Dei permissione fascinandi voluntatem ad actum transferre potest. *Pigritiæ*, ait, *saltem immensæ inventum fuit, omnia in Diabolum retulisse, quæ non capimus. Nec velim Diabolum invocatum, ut nostris satisfaciat quæstionibus per temerariam potestatum attributionem.* Concedo hoc de iis, qui omnia, omnia inquam, in autorem stygium referunt: sed & temeritatis est immensæ, in naturam referre ea, quæ ejus genium transcendunt, & per temerariam potestatum attributionem naturæ pallio fraudes Cacodæmonis occultare. Quid? quod cùm ipse ex naturæ potestate immittendi modum derivare nequeat, Diaboli auxilium quàm maximè agnoscat. Dæmon enim, ex ejus mente, rem injaculandam facit invisibilem, eam ad corpus fascinandum defert, & dimensionum penetrationem promovet. Effectum concedimus, at modum istum ex imaginationis & Dæmonis actionibus mistum negamus. Nos, ut dixi-

diximus, ea, quæ ſuperioris & inferioris gutturis quantitatem non excedunt, Dæmonem per eas partes varia hominibus ſopore oppreſſis immittere, &, ut humores & ſpiritus, ita & immiſſa corpora aliena loco movere & impellere poſſe: immiſſa verò poſtea virtute naturæ expulſiva, vel ope Diaboli, corporibus ipſis viam ſibi aperientibus & dilatantibus, expelli ſtatuimus. Quo verò modo ſubcutaneis, & carnoſis partibus citra præſtigiarum fucum (quem tamen & hic non raro adeſſe conjicio) aliena immittat, obſcuriſſimum: non tamen ſi modus dari nequit, propterea alius, ab omni ratione alienus fingendus, aut affectus ipſe negandus. *An* cutis extendi apta, ut in obeſis apparet, ita à Satana dilatatur, ut ſi faſcinandi permiſſionem habet, facta ejusdem dilatatione & continui ſolutione, rerumque alienarum immiſſione in ſeipſam deinceps regredi, & latera collapſa poſt medicinæ optimæ ex naturæ fundo petitæ applicationem conſolidari facilè queat? *An* ſpiritibus, Deo permittente, corpora ſic cedere & obedire coguntur, velut gravibus aquæ, ut facta diviſione res varias ſecum trahere & immittere queant? *An* alius modus, indagine humana ſuperior? Certe mirus eſt Dæmon in ſuis actionibus ludio, & cauda ſua veſtigia iniquitatis leo infernalis ingenioſè occultare novit. Si cibum & potum clam ille ſubminiſtrare, vel ſubminiſtratum auferre poteſt, (de quo mox in *ſeqq.*) clam etiam corpora alia immittere poteſt, licet modum, quo id fiat, non comprehendamus, effectum tamen ex facto, & ignoratione modi mentis noſtræ in ſpirituum actionibus imbecillitatem agnoſcamus. Repetimus ergò hic illam veteris judicii formulam: *Non liquet:* nec pudet nos in hyperphyſico modo fateri doctam ignorantiam, qualem fateri in naturalibus Scaligerum ſubtiliſſimum non puduit. Certè ſi ſpiritus è corpore partes ſolidas modo indicibili & inviſibili ſine idearum hominis commercio & ope ejicere novit, idem ſine dubio ſolida corpora modo ſimili citra ullam Sagæ ideam & adminiculum injicere noverit. Prius confirmat hiſtoria, quam Gregorius Horſtius ad D. I. Chriſtoph. Eiſenmengerum perſcripſit *in Epiſt.* quæ habetur *in Additione ad Hiſtorias Medic. Marcelli Donati p. m. Edit. Nov. 724.* de Viri Nobilis Haller von Hallerſtein Conſulis in Hermenſtad Tranſſylvaniæ filio, cui per incantationem in pueritia femoris os & os tibiæ ſurreptum fuit à venefica, quæ per torturam id ipſum confeſſa eſt, promiſitque reſtitutio-

Ppppp nem,

nem, si eidem concederetur, ut alteri cuidam illa ossa per artem Diabolicam extraherentur, propterea quod ossa propria deperdita jamdudum in profundum maris projecta sint. Vixit autem prædictus Haller ad ætatem consistentem, equitare, sedereque potuit femore cum pede huc illuc deposito.

§. 12. E modo morbos inferendi jam patet, quo modo Dæmon cum suis sociis mortem quoque inferat, nempe modô tum quasi naturali, per media naturali ratione calidum nostrum innatum sensim, vel subito intus destruentia, tum violento per externam quandam violentiam repente vitæ flammam extinguendo: quamvis nescius non sim, τὸ naturale in divisione mortis in naturalem & violentam, in Physicis aliter accipi. Si enim homo hominem veneno, philtris, ferro, aliisque modis tollere potest, quidni Magi ope Dæmonum naturalia agentia passivis applicantium? Nec rejiciendæ tot historiæ de miseris hominibus, quos Diabolus suffocavit, aut elisa cervice sustulit, aut duro alicui corpori illisit, aut alio modo rupit, contudit, ex alto præcipitavit, avexit, ut postea nunquam conspecti sint, uti Voetius *lib. 3. Disp. Select. p. 584.* disserit.

§. 13. Diffiteri tamen nolumus, (1) Lamias, ut absurda alia, ita & morbos & mortem se hominibus intulisse, non ex rei veritate, sed quandoque phantasiæ propriæ deceptione, credere & ad hoc credendum somniorum, quæ Diabolus artificiosè immittit, claritate induci. Memorat Tannerus *Tom. 2. Disp. 4. de Just. Quæst. 2. Dub. 2. num. 42.* citante D. Mauritio *loc. cit. pag. 88. in quadam civitate ad Rhenum accidisse, quod & certa relatione ad Facultatem Juridicam Ingolstadiensem delatum constet, ut, cùm damnatarum velut strigum confessio publicè prælegeretur, & inter alia varia homicidia & maleficia certis ac nominatis ibidem personis illata referrentur, illæ ipsæ personæ tunc præsentes salvæ & incolumes falsitatem prælectæ confessionis redarguerint.* Confessionis falsitatem peperisse phantasiam per insomnia Diabolica fascinatam ambigere nolo.

§. 14. (2.) Alia ratione Lamias egregiè falli, quando veterator, ut est rerum naturalium peritissimus, hominem ex apparatu morboso gravi morbo correptum iri prævidet, sagis fascinum meditantibus suadet, si, quæ jubet, adhibeant, futurum exinde, ut homo gravi morbo corripiatur,

ripiatur, quo tamen ille, licet fascinatrix nihil egisset, fuisset correptus. Sagæ interim sibi persuasum habent, sua opera per signum loco, tempore & modo à Dæmone indicto constitutum fascinum fuisse inductum. Vide quoque Sennertum *lib. 5. Pr. Med. pag. m. 402. & 442.* Gutierrium *de Fascino pag. 282.*

CAPUT XVII.

De Nutritionis Fascino. Nutritionis causa tum efficiens, eaq; triplex, principalis, instrumentalis & impulsiva, tum materialis. Quomodo in his fascinatio fiat? Alimentum Dæmon clam subtrahere, & clam subministrare potest. Herba Scythica, Tabacum, Coca famem sedant, sed ad tempus non adeò longum. Fascinata Nutritiva Facultate Augmentativa fascinatur. Quidam ex liberis suis arte Pygmæos effecit. Catellos Pygmæos efficiendi ars. Homo procerioris quidem, sed non gigantéæ quantitatis per artem fieri potest: Sic & Diabolico fascino.

§. 1. N*Utritionem* quomodo Dæmon fascinet, ut melius cognoscamus, brevissimis hoc loco recolimus *causam Nutritionis* efficientem, & materialem. *Efficiens* triplex est, principalis, instrumentalis & impulsiva. *Principalis* anima est, quæ ut omnium operationum fons est & origo, ita suis est stipata facultatibus, ex quibus nutritiva etiam est. *Instrumentalis* calor naturalis est, & organa corporis varia nutrition inservientia, quorum quædam alimentum alterando præparant, quædam excrementa separant, quædam transmittunt, quædam suscipiunt, quædam expellunt, quædam salubrium succorum in omnem partem deferendorum sunt viæ. *Impulsiva* appetitus est, cujus causa fermentum est sui generis ventriculo insitum, ac à reliquiis fermentatorum ciborum salivaque continua deglutita sustentatum. *Materialis* causa est alimentum, quod mutatione conveniente in substantiam corporis converti debet.

§. 2. Jam si fraudulentiam, agilitatem, subtilitatem, potentiam & in spiritus ac humores corporis dominatum Dæmonis, cum permissionem impetravit, ex dictis recoluerimus, quomodo nutritivam hominis facultatem idem fascinare queat, obscurum esse nequit. *Principalem* e-

quidem nutritionis causam, animam scilicet, quatenus ea nutritiva facultate pollet, fascinare Dæmon quoad actum primum nequit, quia facultates à suo subjecto adæquato dependentes immutabiles in se semper sunt: fascinare autem eam potest quoad actum secundum, seu *instrumentalem* causam, quam calorem & organa nutritioni dicata esse diximus, fascinationis ludibrio exponere potest. *Calorem* quidem, cum debilitando vel extinguendo, cum naturalia ei adversa occultè ingerit: item succum pancreaticum, lympham, bilem, & salivam, quæ secundum recentiores ad nutritionis opus non minus veniunt, vel depravando, vel ab isto opere removendo. *Organa* ipsa verò, eorundem intemperiem, conformationem, aut unitatem destruendo, modis istis, qui in antecedentibus sunt propositi, quos, ne cramben bis coctam hîc apponamus, præterimus. Proinde *nutritionem* universi corporis retardare, seu *atrophiam universalem* inducere potest, chylum seu auferendo, vel vitiosis humoribus conspurcando, sanguinemque depravando: *particularem*, impediendo ad partem ipsam sanguinis fluxum, arteriasque ad ipsam tendentes comprimendo. *Impulsivam*, seu appetitum fascinat, ita ut vel minuatur ac tollatur, vel augeatur. *Prius* facit Dæmon commovendo ad ventriculum humores viscidos & pingues, qui fermentum ventriculi insitum obtundunt: *Posterius* suscitando ex succis justo acidioribus, si in corpore abundant, vapores, eosque ad ventriculum convertendo. Monstrosi appetitus varia passim prostant exempla, raraque ad *Annum I. Naturæ Curios. Obs. 83.* Nobiliss. Dn. D. Fehr, & in *Schol.* Dn. D. Sachs contulerunt, quorum causa investigatu homini difficillima, spiritui autem callidissimo facillima, qui secundum noticiam, si præsens sit causa in corpore remota, ut proxima fiat, promtè efficere novit. Ex parte *materialis causæ* seu alimenti fit fascinatoria deceptio, quando vel materia alimentaris denegatur, vel inutilis subministratur. *Alimentaris* denegatur, vel per ejusdem subtractionem, vel phantastici aut inutilis nutrimenti exhibitionem. *Subtrahitur* vel ex ipsis faucibus, aut ventriculo. Nobilis cujusdam minister spiritum familiarem habens poculorum fuit heluo strenuus. Certamine inter hujus Dominum & alium de ejus in bibendo potentia oborto, ille 6. cantharos vini Hispanici ministrum suum evacuare & tolerare posse affirmavit, hic negavit. Dirimendæ litis ergò Bacchi mancipium vocatur. Adest servus, qui occasionis

gratæ

gratæ raritatem admiratus, de palma tamen Domino suo conferenda primùm dubitat: nihilominus ejusdem suada animatus rem fortiter aggreditur, & gutture suo suavissimum, sibique rarissimum liquorem condit, ac sponsioni finem Domino gratum imponit. Idem tamen postea dixit, se quidem primum vini haustum in gutture percepisse, cæteros verò fuisse imperceptibiles, & quò transierint, se ignorare. Spiritus nimirum familiaris reliquos vini haustus occultè abstulit, ut homo familiaris citra ebrietatis notam oneri isti fuerit ferendo. Simili modo in aliis alimentum clam subtrahendo nutritionem fallere potest. In energumenis idem patrat, quo de suprà *Part. 4. Sect. 1. cap. 4.* §. *11.* diximus.

§. 3. *Phantastici & inutilis nutrimenti* exempla adduximus suprà *Part. 4. Sect. 1. cap. 9. §. 10.* Quæ cùm ita sint, non maciei causa in terram, in qua fascinandi hominis vestigium est, effossam, & in camino perfumationis ergò à Saga suspensam, referenda; de quo Carrichterus *Edit. ult. pag. mihi 476.* videatur. Signum saltem id est magicum, non causa. Neque enim per vestigium, transitorio sæpe gradu terræ impressum, è corpore aliquid egreditur, quod propter susceptam in camino alterationem malum homini ipsi faciat commune.

§. 4. Ut autem Dæmon alimenta clam subtrahere, ita & clam subministrare potest, ut longam homo inediam tolerare posse fraudulentæ subministrationis ignaris videatur. Ita Prosper Aquitanicus *Lib. de Promiss. & Prædest. cap. 5.* referente Sennerto *lib. 3. Pr. Med. pag. m. 84.* notat, juvenem quandam Arabam, quæ Carthagine à Dæmone fuerat obsessa, tres ferè menses jejunasse, & tandem sumpto SS. Eucharistiæ Sacramento liberatam fuisse, & retulisse, noctu ab ave liquorem quendam in fauces sibi instillatum fuisse: ubi subjungit Sennertus: *negandum non est, homines à malo spiritu obsessos diu jejunium ferre posse, Dæmone vel clam cibum subministrante, vel alio modo corpus sine cibo conservante.* Ut homo inediam perferat, licèt alimentum Dæmon occultè non subministret, per res tamen naturales clam immissas id efficere potest. De Scythica herba hæc tradit Matthiol. *in Epist. nuncupator. ad Comm. Dioscorid. Scytha,* inquit, *Scythicam herbam circa Boeriam crescentem adinvenêre, gustatu quidem prædulcem, cujus magna quidem commendatio, quòd in ore eam habentes famem sitimq; non sentiant. Idem præstat apud eosdem Hippice dicta, quòd equis quoq; eundem effectum præbeat. Traduntq; his*

herbis Scythas etiam duodenos dies durare in fame & siti. Tabacum sitim & famem sedare Tabaci Scriptores annotant, quia, ut sentit Magnenus *de Tabaco Exerc. 9. pag. m. 136.* spiritus animalis, qui motui inservit, lentior fit, & fortioris compaginationis, unde & tardius diffiatur & evanescit. Ego autem existimo calori ventriculi vitali, & propter hoc ejus fermento tabacum narcotica sua qualitate esse adversum, ut ob istius penuriam nulla fiat in ore ventriculi solicitatio. Sic & Cocæ herbæ usum ad sitis famisque sedationem inservire rerum naturalium scriptores produnt. Hæc omnia tamen diutinam non efficiunt inediam, nisi forsan diuturnitas continua subministratione promoveatur.

§. 5. *Augmentativam* facultatem, quæ à nutritiva pendet, quomodo fascinare queat Dæmon, ex præcedentibus jam constat. Quo enim modo nutrix, ne cunctæ hominis partes alimentum accipiant, & in sui substantiam vertant, impeditur, eodem etiam auctrix retardatur, quia augmentatio est amplior partis secundum omnes dimensiones nutritio. Hanc quidem facultatem impediri, ut Pygmæi generentur, non autem amplificari posse, ut Gigantes oriantur, ostendimus supra *Part. 4. Sect. 1. cap. 9. §. ult.* D. Jac. Joh. Wenceslaus Dobrzensky de Nigroponte *Obs. ad Ann. 1. Natur. Curios. 79.* virum quendam egenum fuisse refert, qui prolem suam à die nativitatis solitus fuerit unguento quodam per spinam dorsi, & juncturas artuum ungere, ita ut postliminio exsiccata medulla spinali, aut induratis ossiculis liberi non potuerint accrescere, sed pusilli manentes, Magnatibus oblati, & *simul* gratiosi alimoniam parenti conciliarint, usum autem *fuisse triplici adipe* ex animalculis minimæ magnitudinis, ut sunt glis, vespertilio & talpa. Adipes vi sua exsiccativa incrementum prohibuisse conjicit idem. Simile in caniculis etiam, ne majus capiant incrementum, effici posse, Bononiæ se non semel observasse scribit, ubi statim à die qua nascuntur catuli, spina dorsi & pedunculi sæpius, spiritu vini inunguntur. Ex his non malè idem autor collegit, vice versa homines proceræ etiam magnitudinis posse effici, si unguentis ex animalibus proceris & multum humidi nativi habentibus medulla spinalis, & juncturæ artuum inunguntur, seque Pragæ hominem novisse ait ex parentibus mediocris staturæ genitum, quem in juventute sua hectica correptum amici unctionibus multam fidem dantes duorum ferè annorum spatio perpetuo per

per spinam dorsi & costas unxerunt, ex quo in lentam postea proceritatem excreverit, ut vir factus spectabilis parentes suos statura multum superarit. Non tamen Gigantes ea ratione produci posse, inferre licet. Nec est, ut forsan objicias: Dato uno contrariorum, datur & alterum. Quod si absolutè & universaliter verum esse existimas, simili modo inferas: Ergò & malum transcendentale datur, quia bonum transcendentale datur: cui tamen collectioni Metaphysicæ Doctores contradicent.

§. 6. Jam si mediis naturalibus augmentativæ facultatis virtutem homo artifex potest infirmare, eandem etiam infirmare & fascinare poterit spiritus mille artifex (quem titulum impostor infernalis ob scientiam multijugam reportat) cum suis synergis Magis & Lamiis, quia non tantum plura & nobiliora ad effectum istum producendum media & quomodo artificiosè præparanda ac sagarum manu applicanda sint, novit, sed & insuper nutritionis opus modo jam indicato infringere potest.

CAPUT XVIII.

Genetricis Facultatis fascinum tradere difficile est. Ligatio ligulæ est actio magica. Debiti conjugalis solutionem Dæmonem decem modis impedire posse ostenditur. Historia de juvene, qui ob phantasma interjectum se sociæ jungere non potuit. Herodis Zelotypia insana. Historia de Dæmone, qui invisibiliter succubus factus semen viri provocavit. Partium genitalium ablatio fit vel verè vel phantasticè. An Dæmon sexum mutare queat? mutationis naturalis exempla. Vera sexus mutatio non datur, sed apparens. Causa apparentiæ & erroris est 1. lusus naturæ, quæ vel partes viriles aliquandiu occultat, vel clitoridem longiorem producit, vel Androgynos parit. 2. error quorundam, statuentium partes genitales virorum & mulierum solo situ differre.

§. 1. GEnetricis Facultatis Fascina verborum fascibus ultimo loco colligenda veniunt. Ea autem colligere & modos tradere laboris est non exigui propter nodorum in materia præsenti ubertatem & difficultatem, actionumque magicarum obscuritatem. Tentabimus tamen,

tamen, & si industria nostra nodi & modi erunt majores, aliis eosdem ut solvant, officiosâ manu commendabimus, nulliusque in solvendis istis dexteritati invidebimus.

§. 2. Diximus I. Marem & fœminam fascinari ita, ut congredi, debitumque sibi conjugale reddere nequeant, idque maleficium potissimum novis conjugibus nodatione, vel ligatione ligulæ inferri. Quod quidem execrabile maleficium, etsi quandoque sine expressâ conventione & societate cum Diabolo committatur, actio nihilominus est Diabolica, & supplicio capitali digna, ait Gödelmannus *libr. 1. cap. 6. n. 18.* nimirum propter pactum cum autore primo initum Diabolus ingeniosus turbandi conjugii artifex ad vanæ rei observantiam, velut ad signum advolat, & malevolo ex pessima φθονερία multiplicationem generis impedienti, & in detestanda actione Satanæ auxilium tacitè expetenti gratificatur. Propterea Magiæ implicitæ nodatores isti fiunt rei. Effectum quidem nodationi in se ad hoc ineptæ tribuunt, & in sua opinione tum formularum nodandæ ligulæ varietate, quarum referente Bodino sunt amplius quinquaginta, tum nefandorum ausuum feliciter promotorum pluralitate. Ast Deo occulto, sed nunquam *injusto* judicio permittente Satanas omne perficit. Sic nec serarum compressio in templo copulationis tempore facta, earundemque sub aquas *immersio*; nec lini grana neogamis, templum die nuptiali ingressuris, admota; nec vestimenta è panno, quo cadaver quoddam fuerat contectum, parata; nec lintea, in qua demortuus jacuit, ad incubandū substrata; nec serpentum sub limine defossio; nec rami quercini ad rectum angulum sursum incurvati in terram lotio Sponsi madidam insitio tantam vim, quantam fascinati sibi subito, sæpe in satis magna distantia, inferri sentiunt, ad fascinandum obtinent. Faciliùs tamen Sagis quoad inferendam sterilitatem virtutis per absurda media acquirendæ opinionem imprimere, & confirmare potest, quando ista apud personas adhibere jubet, quæ sua natura propter frigiditatem, siccitatem, & alia vitia sunt impotentes. Suadet autem Lamiis ad ejusmodi scelera pronis, saltem ut per officia etiam apparentia sibi eas magis devinciat, & impietatis cursu animet.

§. 3. Dæmon autem congressum, & debiti cojugalis solutionem impedit (1.) *morbos inferendo*, v. g. *intemperiei* vel *frigidæ*, cum frigidos

dos humores ad organa generationis commovet, eorumque calorem debitum, seu testium fermentum destruit; vel *sicca*, cum humidum balsamicum destruit; vel *humida*, cum humores ad nervos penis ejusque musculos in copia commovet, quibus penis erectio impeditur. (2.) *spiritus* qua *vitales*, qua *animales repellendo*, & sic languorem inferendo. (3.) *naturalia* vel *occultè adhibendo*, vel per Magos fraudulentiæ insciis *suadendo*, quæ fervorem reprimunt, & sterilitatem vi insita inducunt. Sic me legisse memini, Dn. D. Langium Prof. quondam Lipsiensem observasse, testiculos cujusdam ex nimio spiritus vitrioli usu, cujus singulis diebus quatuor saltem guttulas appetitus promovendi causa sumserat, ita fuisse imminutos, ut ferè pisorum magnitudinem æquarint. Neglecto autem istius usu, genitalia cibis benè nutrientibus ad pristinam rediisse magnitudinem. Nitro semen extingui confirmat apud Balch. Timæum à Güldenklee *lib. 2. Cas. Medic. 52.* historia lectu digna. (4.) *phantasiam variis cogitationibus obruendo*, quale quid hypochondriacis etiam solet contingere, id quod Salmuth. *Cent. 2. Obs. Medic. 78.* notavit. *Duos novi*, inquit, *qui sese impotentes, & quidem maleficiatos imaginabantur, cùm antea in militia illa satis strenuos sese præbuissent, etiam cum conjugibus. Ambo verò ut melancholici, & quidem hypochondriaci à me tractati atque curati, se ipsos postmodum riserunt. Melancholicos autem illos ex eo conjiciebam, quòd circa actum illum variis se cogitationum cumulis obrui quererentur. Inde enim de effectus istius causa facile constare poterat.* (5.) non tantùm *phantasiam*, sed & *visum*, & *alios sensus fascinando*, ut v. g. oculis sociæ species falsis imaginibus deturpata appareat, & per hanc omnia comparis tela venerea ille obtundat, vir sociam invisam habeat, & alias amore prosequatur: sicuti, cùm vel Venus juxta Stesichorum, vel Medea injecto pharmaco fecit, ut omnes fœminæ Lemni graviter olerent, sicque illas mariti sunt aspernati, notante Delrio *lib. 3. P. 1. Q. 4. Sect. 6. p. m. 61.* Huc spectat exemplum supra *Part. 4. Sect. 1. cap. 8.* §. 5. adductum. Valazza Libussæ Bohemæ famula mulieres à Virorum amore per veneficium adeò avertit, ut conjuratione initâ suos quæque maritos, fratres, patres, filios, una nocte interfecerint, mox arce Vissegradensi obsessa Primislai Regis exercitum ad internecionem ferè ceciderint, Æn. Sylvius *Hist. Bohem. cap. 7.* (6.) *odium excitando* vel per phantasticas illusiones, quas supra *cap. 14.* expressimus

vel per calumnias, quæ tela sunt acutissima maximum in tenero mulierum animo dolorem generantia, vel per naturalium pharmacorum misanthropiam inferentium usum. Quo Excell. Dn. D. Clauderus sequentem Borelli *Cent. 1. Obs. 91* historiam refert. *Cum uxor* (inquit Borellus) *Domini de M. Pastoris Ecclesiæ de Savarat cibum quendam à strige sumpsisset, post conjugii benedictionem, statim amor, quo pro marito flagrabat, in tantum odium commutatus est, ut nec ejus quidem præsentiam ferre posset. Eo verò absente miseram suam conditionem agnoscens, in se jurgia vertens, valde angebatur, quod Vir tanti meriti ab ea adamari non posset; tandem elapso magno temporis spatio, absque ullo à Medicinæ pharmacis levamine à quodam Mago facilè curata fuit, adeò ut cum marito amicè vitam duxerit.* Quamvis in hoc exemplo (quod pace Viri amici dixerim) ego soli & immediatæ Dæmonis operationi odium adscribere malim, quàm naturali virtuti, quia dictæ mulieris odium in præsentia saltem mariti flagravit, in absentia autem remisit, ipsaque miram affectus sui καταςροφὴν doluit. (6.) *fascinum oblivionis inducendo*, quo Viri uxores, & contra adeò susque deque habent, ut videantur earum non meminisse, cujus exemplum dedimus supra *Part. 4. Sect. 1. cap. 8. §. 4.*

§. 4. (7.) *Phantasma*, aut *aliquid aliud intermedium interponendo*, quod historia lectu digna, quam Vincentius Beluacensis *libr. 26.* recitat, confirmatum ibimus: *Romæ*, inquit, *temporibus Heinrici III. Imp. fuit juvenis quidam locuples & nobilis, qui recens uxorem duxerat & sodales suos opiparo convivio nuptiali exceperat. Exivere in campum à prandio lusuri pila. Sponsus, ludi Dux, pilam poscit, & ne excideret annulus sponsalitius, inserit eum statuæ Veneris æreæ, quæ in proximo erat. Omnes unum petebant, sic citò defatigatus ipse à ludo secessit & ad statuam rediens, annulum recepturus, ecce! videt digitum statuæ usque ad volam manus recurvatum, & quantumvis conatus annulum recuperare, nec digitum inflectere, nec annulum valuit extrahere. Rediit ad sodales, nec illis de ea re quicquam indicavit. Nocte intempesta cum famulo ad statuam revertitur, & extensum, ut initio, digitum reperit, sed sine annulo, jactura dissimulata domum se confert ad novam nuptam. Cumque torum genialem ingressus, sponsæ se jungere vellet, sensit impediri sese, & quiddam densum ac nebulosum in suum conjugisque corpus*

pus volutari, sentiebat id tactu, videre tamen nequibat. Hoc obstaculo ab amplexu prohibebatur. Audiebat enim vocem dicentem: Mecum concumbe, quia hodie me desponsasti. Ego sum Venus, cui digito annulum inseruisti, nec reddam. Territus ille tanto prodigio, nihil referre ausus est, vel potuit: insomnem duxit noctem illam, multum secum deliberans. Sic factum est per multum tempus, ut qua hora cum sponsa concumbere vellet, illud idem sentiret & audiret. Erat sanè aliàs valens & domi aptus & militiæ. Tandem uxoris querelis commonitus, rem parentibus detulit. Illi habito consilio, Palumbo, cuidam presbytero suburbano rem pandunt. Is autem erat Necromanticus, & in maleficio potens. Illectus ergò promissis multis compositam epistolam dedit juveni dicens: Vade illa hora noctis ad compitum, ubi quatuor viæ conveniunt, & stans considera. Transient ibi figuræ hominum utriusque sexus, omnisque ætatis & conditionis, equites & pedites, quidam læti, & quidam tristes, quicquid audieris non loquaris, sequetur illam turbam quidam statura procerior, forma corpulentior, curru sedens: huic tacitus epistolam trades legendam, statimque fiet, quod postulas. Ille autem juvenis totum implevit, ut edoctus erat. Viditque inter cæteros ibi mulierem in habitu meretricio, mulam inequitantem, crine soluto per humeros jactato, vitta aurea superius constricto, auream virgam gerentem in manibus, qua mulam regebat, præ tenuitate vestium penè nuda apparebat, gestus exequens impudicos. Ultimus Dominus turbæ terribilis in juvenem oculos exacuens ab axe superbo smaragdis & unionibus composito causas viæ ab eo exquirebat. Nihil ille contra, sed protensa manu epistolam ei porrigit. Dæmon notum sigillum non audens contemnere, legit scriptum, moxque brachiis in cælum elevatis: Deus, inquit, omnipotens, quamdiu patieris nequitias Palumbi presbyteri: Nec mora, satellites suos à latere mittit, qui annulum extorquerent à Venere. Illa multum tergiversata, vix tandem reddidit. Ita juvenis voti compos sine obstaculo potitus est diu suspiratis amoribus. Palumbus autem, ubi Dæmonis clamorem ad DEUM audivit de se, intellexit sibi præsignari finem dierum. Quocirca omnibus membris ultrò citroque truncatis, miserabili pæna defunctus est, confessus coram populo Romano inaudita flagitia. Hæc Beluacensis.

§. 5. (8) *Zelotypiam & rivalitatis metum causando*, cujus exemplum in Herode subministrare potest Josephus *lib. 15. Antiq. cap. 13.* qui

ſequentia de eo refert: *Herodes, qui ſemper ardenter amavit Mariamnem conjugem, ſtatim perturbatus eſt, non ferens zelotypiæ ſtimulos. Ægrè tamen ſe continens, ne à recta ratione transverſum raperetur inſanis affectibus, ſeorſim Mariamnem percunctatus eſt, ecquid haberet cum Joſepho commercii: illa verò pernegante factum cum dejerationibus, & quicquid inſons fœmina poſſet, in defenſionem adducente, Rex paulatim aſſentiendo placari ſe ſinebat, victus amore uxorio, ut poſtremò veniam peteret, quod temerè fidem habuiſſet rumoribus, agebatq́ ei gratias pro ſervata pudicitia, ſuum viciſſim amorem commemorans, tandem, ut mos eſt amantium, prorumpentibus lachrymis ruunt in complexus mutuos, cùm tamen nondum uxori amoris ſui fidem faceret, tantoq́ magis conaretur id efficere; tum illa: Non eſt*, inquit, *amantis mandare, ſi quid humanitus accidat, uxorem innoxiam addi fati comitem. Hoc verbo Rex velut ictus præ dolore, confeſtim eam è complexu dimiſit, vociferabaturq́ capillos ſibi lacerans, tenere ſe manifeſtò conſtupratam à Joſepho conjugem: nunquam enim proditurum fuiſſe data ſibi privatim ac ſecreto mandata, niſi obſtricta mutuum fide per ſtupri conſuetudinem: atque ita parum abfuit, quin eam interficeret. Sed amore victus, licèt ægrè, cohibuit ſe tamen. Veruntamen Joſephum ne in conſpectum admiſſum juſſit interimi, & Alexandram, ut malorum omnium cauſam, vinctam conjecit in cuſtodiam.*

§. 6. (9) *Semen provocando & ſubtrahendo*, cum ſuccubus fit Dæmon modo inviſibili, quale quid cuidam contigiſſe narrat Sprengerus *Mall. Malefic. Part. 2. Quæſt. 2. cap. 1. pag. m. 403.* ſequentibus: *Eſt in civitate Confluentia pauper quidam ſic maleficiatus, quòd in præſentia uxoris omnem actum Venereum, prout viri cum mulieribus agere ſolent, etiam repetitis vicibus per ſe exercet, nec ab illis ad inſtantiam & ejulatum mulieris averti poteſt, quia uno aut tribus actibus expletis verba replicat: volumus iterum denuo inchoare, cùm tamen nulla perſona corporali viſu cernatur ei ſuccumbere, fitq́, ut poſt diutinas hujusmodi vexationes pauper ille colliſus in terram omnibus viribus deſtituitur, & dum poſt aliquarum virium recuperationem interrogatur, quomodo, & qualiter iſta ſibi contingant, & anne perſonam ſuccumbentem habuerit: Reſpondere ſolet, ſe nihil videre, ſed ita mente captivatum, ut omninò abſtinere non valeat.*

§. 7. (10) *Partium genitalium ablatione* vel vera, vel præſtigiatoria. Verè Dæmonum poteſtate genitalia quandoque auferri, inde

primò

primò colligit Sprengerus *loc. cit. Quæst. 9. pag. m. 132.* quia majora possunt Dæmones, ut homines occidere, vel localiter transferre, ut patet de Hiobo & Tobiæ 7. viris occisis. Ergò etiam possunt membra hominis verè & realiter auferre. Reliquas ejusdem rationes, quæ ejusdem ponderis non sunt, præterimus. Diabolum sanè, permissione à Deo impetrata, multa posse patet: sed an, & quando Deus permittat, latet; tantò quidem profundiùs, quantò altiùs præstigiarum fucus extenditur: extenditur autem modo captu humano majore. Præfecti cujusdam in districtu Coburgensi dormientis cubiculum Saga ista, cujus mentionem suprà *cap. 2. §. 2.* fecimus, noctu foribus admoto unguine citrino sponte apertis ingreditur, & unguento rubidi coloris genitalia ejus inungit: post inunctionem virilitas, sive penis carni crudæ similis digiti longitudine è cute velut vagina in manum Sagæ involat, quem domi scatula inclusum tandem Dæmonis jussu in nomine ejusdem in lacum projecit. Præfectus eo lento morbo confectus tandem ad meliorem & æternam vitam est profectus. An vera, an apparens in eo fuerit partis illius ablatio, nemini facilè potest innotescere tum propter circumstantiarum ad exactam cognitionem requisitarum ignorantiam, tum propter præstigiarum Diabolicarum potentiam. Faciliùs autem præstigias in sequenti exemplo, quod recitat Sprengerus *loc. cit. Part. 2. Quæst. 1. cap. 7.* deprehendimus, quia partes verè ablatas Dæmon restituere nequit, æquè ac vitam semel excussam verè reddere nescit: In oppido Ravensburg juvenis quidam juvenculæ adhæsit, quam relinquere volens membrum virile perdidit, præstigiosa utique arte, ut nihil videre aut tangere præter planum corpus posset. Anxius inde cellare quoddam adiit, ut vinum emeret, & paululum residens mulieri cuidam alteri supervenienti caussam tristitiæ suæ aperiendo singula enarravit, & ita esse in corpore demonstrabat. Astuta illa, anne aliquam suspectam haberet, inquisivit. *Hic:* utique, talem ipsam denominando, & rem gestam narrando manifestavit. Et illa: Expedit, ut per violentiam aliquam, ubi benevolentia tibi non suffragatur, pro acquirenda sanitate ipsam inducas. At juvenis in crepusculo noctis viam, quam transire Malefica solebat, observavit, & ipsam reperiens, dum pro sanitate corporis sibi reddenda supplicaret; & illa, se innoxiam, nec quicquam scire assereret, ipsam invadendo, manutergium quoddam ad collum fortiter comprimendo, strinxit

& dixit: Nisi mihi sanitatem restitues, è manibus meis peribis. Unde illa, quia clamare non poterat, & jam facies tumefacta nigrescebat: Sine, inquit, me liberam, & te sanabo. Et juvenis dum nodum & stricturam laxasset, Malefica manu ipsum inter femora seu coxas tetigit, dicens, jam habes, quod desideras. Et juvenis, ut postmodum referebat, notabiliter persenserat, antequam visu aut tactu ipsum certificasset, membrum sibi ex tactu duntaxat Maleficæ fuisse restitutum. Hæc ille. Vid. quoque Th. Bartholinus *Cent. 3. Hist. Anat. 71.*

§. 8. Quæstio hîc ventilanda occurrit: *An Dæmon sexum ipsum sic fascinare queat, ut ex maribus fiant fœmina, & ex fœminis mares?* Affirmativam prima fronte variæ in historiarum monumentis de naturali sexus mutatione occurrentes historiæ suadere videntur. Si enim per naturam ea est possibilis, Dæmon causis naturalibus fretus, divino permissu, eandem quoque efficere poterit, quia omnia naturæ sacra, vires & operationes habet perspectissimas, quomodo humores ac spiritus commovendi, phantasia exaltanda, & activa passivis sint applicanda, exactè tenet. Quapropter ejus instinctu naturam ad id, quod sibi relicta omisisset, nimirum ad sexus mutationem impellere, & suscitatis ab anima facultatibus inferioribus his se comitem jungere, & quantum per propriam indolem potest, suppetias ferre potest, quod ipsum majorem ejusdem in fascino partibus genitalibus inferendo potentiæ probationem subministrat.

§. 9. *Mutationis marium in fœminas* exempla occurrunt rariora, fœminarum autem in mares frequentiora habentur. Ausonius *lib. 1. Epigramm.* Beniventi puerum quendam repentè virginem factum his versibus prodit:

Nec satis antiquum, quod Campano in Benevento
Unus Epheborum Virgo repentè fuit.

Tiresiam vatem Thebanum, cum coëuntes angues baculo percussisset, mutatum fuisse in fœminam; & post annos 11. cùm iterum percussisset coëuntes angues, virilem naturam recepisse refert, Ovidius *in Metamorphos.* Proinde, ut idem tradit, Jupiter & Juno contendentes, utrius sexus major esset libido, hunc, qui utrumque esset expertus, arbitrum elegerunt. Tiresias autem pro Jove sententiam tulit, asserens, fœminam plus libidinis habere.

§. 10. *Ex fœminis mutari in mares* non esse fabulosum ait Plinius *libr. 7. N. H. cap. 4.* & addit: *Invenimus in Annalibus, P. Licinio Crasso, C. Cassio Longino COSS. Cassini puerum factum ex virgine sub parentibus, jussuq; Aruspicum deportatum in insulam desertam. Licinius Mutianus prodidit, visum à se Argis Arescontem, cui nomen Arescusa fuisset, nupsisse etiam, mox barbam & virilitatem provenisse, uxoremq; duxisse. Ejusdem sortis & Smyrnæ puerum à se visum. Ipse in Africa vidi mutatum in marem nuptiarum die, L. Cossicium Tisdritanum.*

§. 11. Philostratus *lib. 1.* de Empedocle Agrigentino verba faciens inquit:

Et puer ipse fui, nec non quandoq; puella.

Amatus Lusitanus *Cent. 2. Consult. Cur. 39.* hanc recitat historiam & scribit in oppido Esguerra novem leucis à Coimbrica, nobili apud Lusitanos civitate, puellam extitisse nobilem, cui nomen Maria Pacchera erat, quæ cum ad ætatem pervenisset, in qua mulieres menstrua primùm emittere solent, vice mensium, priapum usque ad id tempus intus latitantem extramisisse, sicque ex fœmina masculum factam, virilique toga indutam ac sacra aqua respersam Manuel vocatum, qui ad Indos perveniens dives & clarus factus ad suos rediit, & uxorem duxit, at semper imberbis vixit. Plura ad fidem historicam facientia profert Wierus *lib. 4. cap. 24.* Delrius *l. c. D. M. cap. 22.* Marcellus Donatus *de Medic. Histor. Mirab. lib. 2. cap. 2.* Franc. Torreblanca *lib. 2. Dæmonom. cap. 17.* Casp. Schottus *Phys. Curios. lib. 1. c. 31.*

§. 12. Verùm enim verò sexum reverà mutari fabulosum omninò est: quæ autem observata fuit mutatio, vel ficta vel apparens saltem fuit. Causam apparentiæ & erroris dedit (1.) lusus naturæ, seu, ut Sperlingius *Anthropol. pag. 724.* vocat, *monstrosa partium genitalium conformatio.* Nam 1. ut in aliis, ita & in genitalibus partibus natura quandoque sic ludit, ut virilia intus occultet, relicta extus rima, etiam membro virili recipiendo apta. *Nascuntur*, inquit Cardanus *de Rer. Variet. libr. 8. c. 43. p. m. 560. pueri contracto genitali membro obductaq; membrana, quasi sinu quodam, atq; in eo foramine angusto, ob quod puellam existimant, qui non attrectaverint. Aliis autem sponte, ubi penis erigitur, adolescentiæ initio, fracta membrana penis erumpit; pluribus in conatu viri, dum cum sponsa rem habere se putat, fracta membrana*

& at-

& attritu erecto pene masculus prodit. Id eleganter confirmat historia, quam ex Alberto citat Dn. D. Sennertus *lib. 3. Pr. M. 398. In quodam*, inquit, *nostri temporis nato testiculi intra pellem contenti erant superius, ita quod prominentia eorum repræsentabant duo labia vulvæ, & fissura videbatur esse in medio clausa per pellem, ut habilitaretur ad coitum. Incisione facta prosilierunt testiculi, & virga, & postea duxit uxorem, ex qua plures genuit filios.* Iidem tamen naturali vel etiam violento motu protruduntur, vel congressus vehementia ruptis, quibus ista incarcerabantur, vinculis ad prolapsum solicitantur. Motus enim naturæ peculiaris secundo septenario in adolescentibus æquè ac in fœmellis observatur. In illis enim mutatio per primam seminis generationem, & inde ortam vocis mutationem, in his per menstruorum, & seminis productionem secundum communes naturæ leges obtingit, quem per motum membranis laxatis virilium prolapsui, & hinc errori de sexus mutatione concipiendo occasio subministratur. Sic puellam quandam Vitriaci suo tempore fuisse testatur Mich. Montanus *lib. 1. Experim. cap. 21.* apud Delrium *l. c.* nomine Mariam, quæ cùm saltaret violentiùs, subitò virilibus erumpentibus in virum mutata sit, & ab Episcopo Suessionensi Confirmationis Sacramento mutato nomine Germanicus vocari cœperit. Fulgosus *lib. Exempl. cap. 6. Ebuli*, inquit, *sub eodem Rege* (Ferdinando I.) *puellæ, quæ jam quatuor annos viro promissa Sponsa habuerat nomen, quà nocte primùm viro tradita cum eo cubuit, sive ex confricatione, sive aliam ob causam, quæ ignota sit, effractis membranis, quæ ut mulier videretur, efficiebant, virilia membra prodierunt: domumq; reversa, in judicio dotem repetivit.* Membrum autem virile ingenitum determinato tempore extra prodire posse, impossibile nemini videri debet, cùm videamus dentes in utero materno in embryone fieri non solùm, qui primo prodeunt, sed & secundos, qui prioribus cadentibus renascuntur, occultari tamen, usque ad statutum tempus extramissionis eorum, ait Marcell. Donatus *l. c. p. m. 608.*

§. 13. 2. Membrum illud muliebre Clitoris mentulam, vel penem virilem quadantenus mentitur, inde etiam nomen apud Anatomicos habet. Ejus quantitas aliquando est prodigiosa, colli anserini, autore Platero observata, vel digiti medii aut minimi, à Riolano adnotata, adæquans magnitudinem, notante Dn. D. Rolfinckio *lib. de Part. Generat.*

Generat. Dicat. Part. 2. c. 42. Panarolus *Pentecost. 4. Obs. Med. 4.* in meretrice quadam propriis oculis vidit, clitoridem ita productam & tensam, ut pueri duodecim annorum mentulam æmularetur. Hoc autem instrumento tanquam virga maritali quandoq; mulieres sese mutuo fricare, & subire testatur Riolanus *Anatom. cap. 37.* & ait, ejus rei exempla peti posse ex *libr. 3. Peregrinationis Leonis Africani*, & apud Jurisconsultum *Paponem lib. 22. Tit. 7. Arrest. 2. & Martialem in Tribadum historia Epigramm. 9. libr. 1.* Plempius *libr. 2. Fund. Med. Sect. 5. cap. 9.* Antverpiæ quandam fuisse narrat, quæ tali mentula seu nympha prædita fuerat, ut non solùm in lupanari multas exerceret meretrices, sed etiam alibi non paucas virgines vitiaret. 3. Androgyni dantur utriusque sexus genitalibus instructi, in quibus prima ætate non apparent viriles partes, sed solum fœmininæ; temporis verò progressu viriles conspiciuntur, muliebres verò absconduntur; aut masculi ii sunt, sed virilia membra ita habent retracta, ut videantur esse fœminæ; successu verò temporis incipiunt apparere mares.

§. 14. (2.) Errorem istum confirmavit erronea quorundam de partibus genitalibus opinio, statuentium, partes genitales virorum & mulierum solo situ differre, propterea facilè esse naturæ sexum transformare. A qua sententia nec Galenus ipse *lib. 14. de Usu Part. cap. 6.* nec Theophilus Piccolhominius, & alii immunes fuerunt. At solidis rationibus seculo hoc ultimo, Anatomica cognitione prioribus longè illustriori, prosectionis Magistri demonstrarunt, partes genitales utriusque sexus, non solo situ, sed & compositione, & officio differre, imò specie, at incompletè. *Specie differre* ait Kyperus *Anthropol. pag. 155.* quia instrumentorum essentia in officio consistit: at mulierum partes genitales obtinent aliud officium: *incompletè* dicitur, quia officium partium genitalium muliebrium subordinatur officio partium genitalium virilium ad completam actionem specificam, nempe generationem hominis.

§. 15. Ex his jam, Viros in fœminas, & fœminas in Viros verè & realiter neutiquam mutari posse, constat, quia talis est specie differentium partium dispositio, ut quia specifica est & ingenita, natura ipsa sponte sua eam nunquam deponat. Confer Casp. à Reies *Elys. Camp. Quæst. 57.* ubi fusè hanc quæstionem tractat: An sexus mutatio

masculi in fœminam, aut è contra, tam in homine, quàm in cæteris animalibus possibilis sit? Neque ulla habemus exempla virorum in fœminas mutatorum, nisi quæ Poetæ Ovidius & Ausonius afferunt, quibus, ut & Pictoribus, quidlibet audendi semper fuit æqua potestas, Augustinus quæ adducit, ut Historicus, non ut Physicus narrat. Dicit enim *loc. cit.* ipse: *Cætera hujusmodi, quæ in eorum libris non fabulosis, sed historicis, seu vera seu falsa sint, non inferunt hominibus perniciem, sed stuporem.* Ut autem natura, ita & Dæmon non nisi apparenter sexum mutare potest: quia non plus per naturam, quàm in ejus potestate est, efficere valet.

CAPUT XIX.

Fascinum abortus Dæmon internè & externè infert. Abortum promoventia vera & absurda. Fascinum difficultatis partus. Fascina generationis læsæ. Quomodo Dæmon monstrorum productionem promoveat; fœtus Diabolicos producat? hujus exempla. verum hominem, licet cum homine verè congrediatur, generare nequit. Diabolum prolem nec ex se, nec mediante alterius semine producere posse probatur. Wierus Thomam malè refutat. Quid de exemplis, quibus ex Dæmonis incubi cum mulieribus commixtione homines fuisse productos probatur, sentiendum? Dæmones cum Viris & fœminis verè commiscentur. Probatur hoc ex Augustino, quem Wierus malè in eo reprehendit. Datur etiam commixtio phantastica, quæ per somnia fit.

§. 1. F*Ascinum Abortus*, ut fœminæ justò citiùs pariant, legitimumque pariendi tempus anticipent, causarum & internarum & externarum ope Dæmon potest inferre. Quantum enim ejus in humores & spiritus, cùm permissionem à Deo habet, sit dominium, ex antecedentibus innotescit. Proinde *internè* sub eodem permissionis sidere varii generis morbos, ut supra id demonstravimus, inferre, sanguinem & humores uberiùs ad uterum commovere, ejusque, ut & infantis suffocationis periculum effugere annitentis, expultricem facultatem stimulare, vincula, quibus fœtus alligatur, mollificare, laxare, & solvere, aut succos ad uterum transmittendos, ut embryo iis privetur, abstra-

here

here potest. *Externè* quoque ipse, quæ occulta quadam vi fœtus eje-ctionem moliuntur, occultè, nemine id fascinatis sensibus percipiente admovere novit. Istius enim generis plurima in natura occurrunt: Ut pennæ aquilæ vel aliæ pedibus gravidæ suppositæ partum accelerando abortum causari dicuntur. Semen dracunculi olfactu gravidis noce-re affirmatur. Mulierem quandam camphoræ pyxidi insidentem ab-ortiisse refert Borellus *Cent. 2. Obs. 98.* Menstruum mulieris sanguinem qualitate peccantem occulta quadam vi prægnantibus infestum esse adeò, ut, si alia gravida istum supergrediatur, aut illo circumlinatur, ab-ortiat, tradit Rodericus à Castro *de Morb. Mul. Part. 1. libr. 2. cap. 10.* Ne mira tangam, quæ de radice cyclaminis, de Serpentibus, de Fibro, de Vipera Amphisbæna, quamvis mortuis, produnt rerum naturalium Secretarii. Ista autem & plura alia, ut & modum occultissimè appli-candi sagacissimus spiritus novit, interea verò arcana & sacra sua ne-mini revelat; quæ verò suæ societatis membris è genere humano colle-ctis indicat, superstitiosa pleraque sunt & absurda, quæ commendat & suadet: inventis autem & sublatis iisdem Dæmonis ἐνέργεια cessat, sub-trahit autem influxum, ut insitæ rebus absurdis virtutis opinionem in utentibus, & magico erroris ac impietatis sensu fascinatis confir-met.

§. 2. Absurda sunt & vana media ista, v. g. halitus oris, tactus, carmina &c. quæ de se tantas in utero prægnantis turbas excitare ne-queunt, ut abortionis periculum præsens inde oriatur. Signa saltem sunt & Sacramenta, in quorum usu obedientiæ sibi gratæ testimonia Ca-codæmon legit: propterea positis vel ablatis illis ipse sponte operatur vel operari cessat. Magicum maleficii instrumentum malefici illius a-pud Niderium, quo abortum septies mulieri cuidam procuravit, ex ejus cofessione serpens fuit subter ostii domus limen positus, quo perquisito & pulvere tantum, aliquibusque vestigiis serpentis ob temporis diutur-nitatem inventis igneque concrematis eodem anno fœcunditas fuit re-stituta. Hujus autem ad inducendum abortionis periculum absurdita-tem nos supra *Part. 5. cap. 3. §. 12.* deteximus. Imò absolutè loquen-do Dæmon data à Deo permissione, citra causarum naturalium admi-niculum, ut corpora naturalia alia, ita & embryonem loco suo movere

 potest.

potest. Uteri tamen expultricem sine auxiliatrice naturæ manu stimulare nescit. Proinde &

§. 3. *Fascinum difficultatis partus* potest inferre, virtute propria in loco fœtum servare, vias occlusas tenere, embryonem ad vitiosum situm disponere, & vasis umbilicalibus mirè implicare. Naturalium tamen causarum ope, ut eundem Dæmon consequatur finem, hic quoque uti, humores spiritusque agitare, ac morbis varii generis, tam fœtum, quam uterum afficere potest. Sed & hic absurda suis ad fascinum parturientibus inferendum suadet, idemque mediis istis Sagæ se verè inferre credunt, cùm tamen Cacodæmon interea solus omne punctum occultè absolvat.

§. 4. *Fascina Generationis læsæ* plura dantur, quatenus nimirum fœminæ *pariunt id, quod non parere debent*, & *vel* monstra, *vel* fœtus diabolicos, *vel* corpora aliena, *vel* fœtus mortuos in lucem edunt. Quo verò modo fascina, hæc pessimus generationis humanæ violator Dæmon, & hujus ope Magi inferant, ea ipsa, quæ *Part. 4. Sect. 1. cap. 10. §. 7.* & *seqq.* adduximus, nonnihil insinuant.

§. 5. *Monstrorum* productionem Dæmon, ut diximus, promovere potest, phantasiæ matris, &, mediante hac, formatrici facultati horriferas species objiciendo, ad cujus ideam formatrix in subjectum agit, eidemque formam à nativa immane quantum discrepantem, *i.e.* horridam & turpem imprimit. Mediantibus causis naturalibus eundem effectum permissione impetrata virtute sua promovet, *seminis partes* divellendo, semen ipsum minuendo, (augere pro majori corporis mole nescit) indebitè in utero collocando, humiditates ad uterum, ut fluxile nimis semen fiat, commovendo, uterum comprimendo, alimentum vel corrumpendo, vel subtrahendo; unde admirandæ varietatis & turpitudinis monstra Dæmonem etiam producere posse, ex his & præcedentibus intelligere in proclivi est. Nec monstra tantùm, sed &

§. 6. *Fœtus Diabolicos* producit, quando, ut supra etiam diximus, in congressu cum Lamia semen, ut ad uterum prurientem confluat, per libidinis œstrum solicitat, & latentem in eo virtutem formatricem suscitat, ut hinc mola generetur, quam & ipse subit, atque formatrici, molæ partes variè collocando, ad producendas miras Diabolicæ deformitatis species occasionem subministrat. Exemplum præter id, quod *loc. cit.*

§. 9. nos

§. 9. nos attulimus, hoc loco aliud ex Boethio *lib. 8. Hist. Scot.* quod ex eo etiam Cardanus *libr. 16. de Rer. Variet. cap. 93.* recitat, adducemus: *In Marrea regione, uti ex his, qui rem hanc conspexerunt, accepimus, nuper puella nobilis formosaq; aversata conjugium, inventa est prægnans. Parentes cùm stupratorem quærerent, fassa est puella, nocte dieq; secum formosissimum cubare adolescentem, quem unde veniret, non sciret. Illi tametsi parum fidei responso adhiberent, tertio die, indice ancilla, cognoscentes, illum adesse, cum tædis ac facibus subitò ingrediuntur reseratis foribus; horrendumq; monstrum, & supra humanam fidem terribile in complexibus filiæ conspicantur. Accurrerunt ocyùs vicini ad fœdum spectaculum; atque inter illos Sacerdos probatæ vitæ, nec sacræ paginæ ignarus. Evangelium Beati Joannis cùm recitaret, eoq; pervenisset* (verbum caro factum est) *Dæmon asportans cubiculi tectum, incensa supellectile, stridore emisso horribili abiit. Fœmina post triduum peperit monstrum undequaq; aspectu fœdum, & quale unquam in Scotia visum non est; quod obstetrices, ne in dedecus familiæ servatum esset, exstructa pyra exusserunt.*

§. 7. Aliud non minus horrendum Diabolici foetûs exemplum recitat Dn. Rauppius *Biblioth. Portat. Practic. Loc. 4. pag. 454. Anno 1565. in pago* Schmitz *sub ditione Illustris Domini Vratislai à* Berstein *mulier Satanicum enixa est fœtum, qui capite pedibusq; carens in pectore prope sinistrum humerum oris rictum aperuit, in sinistro aurem exeruit, loco digitorum acetabula habuit instar ranæ vel bufonis, totum corpus epatis colorem retulit, & liquaminis instar, vel coagulati gari intremuit; cùm ab obstetrice solio vel urnæ impositus lavaretur, terrificum edidit clamorem. A multis ante templum Diabolicum hoc monstrum conspectum fuit, & in peculiari loco cœmeterii, ubi infantuli, qui baptismi exortes obierunt, sepeliri solent, terra defossum. Verùm mater indesinentibus institit precibus, ut horrendus iste partus rursus effossus, & in cineres redactus rursus tolleretur, ut nec ulla de eo reliquiæ superessent. Confessa quoque est, Diabolum mariti ejus forma assumpta frequenter secum rem habuisse. Quare Satanæ suum reddi, sibiq; gravibus terroribus à Satana injectis agitatæ custodes & fidos, piosq; amicos addi enixè petiit. Tandem ergò ex Illustris Domini Uratislai mandato fœdus ille partus effossus, rotæq; impositus, & carnifici extra pagum comburendus est traditus. Absumta ingenti lignorum strue massa tamen ista Satanica absumi non potuit, quin etiam*

fasciæ, quibus involuta erat, madidæ usque, quamvis in ignem conjecta rapidissimum, fuerunt, donec eam carnifex in minutulas disjectam partes magna cum difficultate die Veneris post Festum Ascensionis Christi cremavit.

§. 8. Verum autem hominem, licèt cum homine verè congrediatur, Cacodæmon generare nequit. *Verum hominem* dico: quia à mare & fœmina, ut causis sociis, quæ in generatione stant pro una, hominis fit productio. At toto genere, totaque natura Dæmon & homo ob essentiæ & propterea influxus tota natura differentis diversitatem pro una stare nequeunt. Præstigiatoria verò arte apparentem hominem in utero formare, & ut in lucem edatur incarnatus spiritus, procurare potest. *Verus congressus* opponitur hîc congressui phantastico eorum, qui sopore nonnunquam alto oppressi, & per somnia apprimè delusi cum Dæmone Venereos actus se exercere putant; sopore verò emersi revera se exercuisse firmissimè sibi persuasum habent. Ille ipse tamen congressus, quem cum Dæmonibus incubis vel succubis Magici sodalitii membra realiter absolvunt, si accuratè loqui velimus, verus non est, quia Dæmon spiritus est, & de se corpore caret: propterea ad actionem corpoream vel corpus accommodatò aliunde fraudulenter trahit, vel quoddam corpus præstigiatoriè mentitur.

§. 9. Ex dictis jam quæstionum harum resolutio patet. 1. *An Diaboli liberos producant?* 2. *An Diaboli verè cum Sagis congrediantur?* Quoad *priorem:* duo sunt productionis modi, creatio & generatio. Neutrum potest Dæmon efficere. *Non* potest *creare*, quia hoc est Dei proprium: *non generare*, quia hoc est opus φυσικώτατον secundum Aristotelem *2. de Anim. t. 34.* At Dæmon φύσει caret. Huc trahimus verba Cyrilli *c. Anthropomorph. lib. 1. cap. 17.* quæ citat Voetius *Tom. I. Dispp. p. 938. Stultum est existimare, Dæmones incorporeos corporis munia exequi posse, quodq; à natura sua alienum est, efficere. Neque enim quicquam eorum, quæ in rerum natura existunt, aliquid præter suam naturam præstare potest; sed unumquodque, ut factum est, ita manet, suum cuique munus præscribente Deo. Ipse enim est author ac Dominus omnium ortus, cujus nutu atque arbitrio, unumquodque eorum quæ sunt, est id, quod est.*

§. 10. Idem insuper inde constat, quia 1. ratio formalis generantis

rantis consistit in propriæ essentiæ communicatione. 2. generatum, qua tale, suum esse à generante sui ordinis trahit: neque enim in a ternum possibile est, ut hujus speciei (corporis) substantia ab alterius speciei vel generis substantia proveniat, sive derivetur & propagetur. 3. corporeæ substantiæ generatio fit mediante semine tanquam proximo generationis medio; quæ omnia omnium doctissimè Excell. Dn. D. Leichnerus in suis *de Generatione Exercitat.* proposuit. Jam verò 1. Diaboli essentia propria est spiritualis. Itaque si vel maximè essentiam propriam communicaret, incorpoream, non corpoream substantiam communicaret. 2. Dæmon & homo diversissimi sunt ordinis. Spiritus est sensus expers, incorporeus, immortalis: homo verò sensus particeps, corporeus, mortalis; adeòque naturas habent incompatibiles, & maximè discrepantes, à quibus absolutum & perfectum quid progigni nequit, 3. Spiritus semine corporeo, ex quo substantia corporea oriatur, vel cum quo saltem virtus aliqua diffundi queat, caret.

§. 11. Alia ingrediuntur via Tostatus *Quæst. 6. in cap. 6. Genes.* Delrius *lib. 2. D. M. Quæst. 15.* Schottus *Phys. Curios. lib. 1. cap. 22. Conclus. 1.* qui tamen mox *Conclus. 2.* sententiam mutat. Statuunt autem, Dæmonem mediante alterius semine generare posse prolem, quando nimirum semen aliunde acceptum v. g. in ea, quæ somnianti viro contigit, illusione, defert, & qua est agilitate, & rerum naturalium peritia, calorem prolificum in semine, quantumvis ille subtilis ac aereus sit, ac facilè dissipabilis, conservat, & illud denique, quo momento mulier ad concipiendum optimè disposita (quod eum non latet) matrici infundit, vel naturali vi attrahendum exhibet, seminique muliebri commiscet. Ita secundum Delrium Dæmon instrumentum fit generationis sobolis applicando naturalia agentia passivis, ut pater sit is, ex cujus semine gignitur ille homo; mater verò illa, quæ illud excepit, & positis ponendis, ac collatis ex sua parte, quæ juxta naturæ leges conferenda sunt, concepit, gestavit, peperit.

§. 12. At neque hæc benè cohærent, neque ad veritatis portum deducunt curiosum. Siquidem *generatio* sumpta non *in sensu materiali*, vel *collectivè* pro toto opere, sed in *sensu formali* & distincto, quatenus est actus generantis, sese propagantis & multiplicantis, fit ἐν τῷ νῦν *in momento* sive instanti, ejusque terminus, qui est substantia corporea,

non

non per partes graduales, vel quantitatis acquiritur, sed essentia necessariò tota vel adest, vel abest. Illud autem symbolum, quod ratione essentiæ generandæ prolis, ope Dæmonis pater conferre dicitur, non ἐν τῷ νῦν ad uterum Dæmon deferre potest. Brevissimum licèt temporis spatium sit, non tamen momentaneum est. Non est divisim & partialiter concipiendum symbolum, quod utrumque generans in fœcundo proseminationis actu conferunt. Mas & fœmina ibi in respectu benedictionis ad multiplicationem concessæ unum sunt, non quidem in individuo, sed unitate specifica. In se spectatæ personæ generantes individua duo sunt, atque ita causæ partiales; necessario tamen sociantur, & secundum divinam ordinationem fiunt una caro, ut non solus mas, nec sola fœmina, sed uterque parens generet; in respectu autem ad effectum producendum totam animam & mas & fœmina producat. Sic copula parentum arctissima & principiorum generationis conjunctio immediata requiritur. Ast copula & conjunctio talis in ficto illo generationis negotio exulat.

§. 13. Sed si vel maximè furtivus ille applicandi modus admittatur, & solam virtutem πλαςικὴν à patre cum semine communicari ponatur, (licet virtutem seu qualitatem illam specificam solam sine ipsius vitæ principio, à quo necessariò in conservari dependet, communicari posse nunquam concessero) ea tamen ob intervenientem morulam etiam exiguam extra naturalia receptacula rapta cum calore facilè in auras abit, & dissipatur: imò & Sagæ id, quod incubi in uterum immittunt, sive semen sit furto ablatum, sive aliud quid, frigidum esse, unanimi ore semper confessæ sunt, testibus rerum magicarum scriptoribus. Atque ex his dictis etiam conceptionis, generationis & partus virginum, quem ex semine virili per Dæmonem insensibiliter injectum fieri posse nonnulli fingunt, impossibilitas & absurditas patet, modusque iste, ut asylum omnium impuritatum & adulteriorum meritò damnatur.

§. 14. Wierus *lib. 3. cap. 21.* notat, temperiem seminis extra propria conceptacula qualicunque translatione corrumpi, propterea quod spiritus & calor ille cordis, totiusque corporis nec adsit, nec quantitate & qualitate justa sit in eo temperatus. Malè autem Thomam refutat, ut nugantem, temperiem seminis à Dæmone conservari posse, cum propter motûs celeritatem, cum propter fomentorum, quibus illa defenditur,

tur, applicationem. *Si enim*, inquit, *hoc fieri posset, quàm fœcunda monstrorū mater tam longo tempore extitisset humanum genus semine ex feris vel bestiis permutato translatoq; ab incubo Dæmone & mulieris sinui infuso? En horribilem consequentiam!* Verùm ego simili modo inferam: Si hoc fieri potest, h. e. si Dæmon homines interficere, libidinibus eos immergere, ad idololatriam flectere, desideriis illicitis implicare, phantasiam & voluntatem seducere, & plura alia potest, quod nec Wierus negabit, universum genus humanum dudum internecioni esset traditum, mundus hic totus saltem esset theatrum Dæmonibus incarnatis plenum. Quæ illatio illi similis formæ est, antecedente vero, consequente nihilominus falso & horribili. Malè nimirum à negatione actus ad negationem potentiæ concluditur. Non tam ad Dæmonis voluntatem & potentiam, quàm Dei permissionem hîc, & in omnium Dæmonum actionibus est respiciendum. Ejus potentia fundatur in donis naturalibus, quæ semper possidet, sed potentiæ exercitium sive actus sola Dei permissione nititur, qua negata negatur etiam actus. Wiero in memoriam revocamus illud suum, quod tradit *lib. 1. cap. 24. §. 1. Non indulget ei*, (Dæmoni Deus) *connivetq; ad omnia: nec infinitam, nullisve astrictam limitibus licentiam concedit, alioqui uno momento à Diabolo enecti interiremus omnes: sed metas constituit, quousq; illius actiones tolerare velit &c.* Per nostrum assertum, quod *§. 12.* dedimus, veriùs cadit illa Thomæ exceptio. Multis quidem contradictionum oneribus istud meum & aliorum assertum premi novi, sed, quod ex ipsa animi mente dico, opprimi, seu immotis argumentis omni exceptione gravioribus refutari, ego nondum vidi, id quod tamen salva doctissimorum virorum, qui contrarium sentiunt, autoritate hîc dixero.

§. 15. Varia producuntur in medium exempla, quibus ex Dæmonis incubi cum mulieribus commixtione homines fuisse ortos ostenditur. *Vetustas* (inquit Delrius, & ex eo Schottus) *obtrudit suos Semideos, Hercules, Sarpedones, Æneas, Servios Tullos; Anglia Merlinum; Pannonia Hunnos ex Alrunis strigibus Gothicis & Faunis natos.* Chieza *cap. 27. Part. 2. Hist. Peruv.* scribit in Hispaniola solitum Cortoton Dæmonem misceri mulieribus, & ex eo natos, bicornes esse. Clivensium quoque stemma huc retulit Helinandus apud Vincentium Belluac. *lib. 3 cap. 27.* Xacam suum Japones talem esse volunt. Subjungit Delrius: *Sunt qui*

Lutherum in hanc classem retulerunt; & in margine Fontainum Gallum *in Histor. Sacr. de Statu Religion.* citat. Schottus veritatis amore meliorum sine dubio conscius verba ista omisit. Fontaino verò & Pontificiis reliquis, qui à Patre mendacii imprægnati ejusdem faciei & speciei turpissimum foetum impudico ore ediderunt, graviter ex partu laborantibus veritatis pharmaco præprimis succurrunt D. Joh, Müllerus *in Luther. defens.* & *in defension. Lutheri defens. cap. 1.* Dn. Michael. Freudius *Quæst. 79.* & Wierus *de Præstig. lib. 3. cap. 23.* Pharmacum jam olim præparavit gravissimus Historicus Sleidanus , qui Lutherum in Comitatu Mansfeldensi Ann. 1483. d. 10. Novembr. ex parentibus honestis & piis, Patre Johanne, & Matre Margaretha natum esse scripsit.

§. 16. Exempla priora quod concernit, ista omnia nobis quoque sunt suspecta, & quod negativæ sententiæ patronis placet, nos quoque statuimus. aut omnia ista tanquam ficta rejicienda esse, aut illos , quos dicunt, genitos, ex Diabolo non fuisse , sed Dæmones humana specie: aut dicendum, foeminas cum Dæmone verè aut imaginariè congressas, & postea per eum ita affectas, tanquam utero gestantes, & tempore partus foetum aliunde suppositum. Voetio autem ἀπίθανον & inexplicabile videtur, quomodo in illis casibus ita decipi potuerint foeminæ parientes cum obstetricibus aliisque, si quæ adfuerint. *Nihil ergò restat*, ait, *quàm ut concesso coitu de conceptione & generatione hominis ex Dæmone succubo aut incubo doctam ignorantiam profiteamur.* Verùm si quis varia præstigiarum specimina, quæ caucukator stygius passim edidit, *recoluerit*, & præsentium oculos manusque curiosas ita fascinari posse adverterit, ut ablationem & suppositionem minimè percipiant , istud non erit ei incredibile. Pharao ejusque aulici ad Magorum actiones novas & miras æquè ac ad Mosis miracula maximè sine dubio fuerunt attenti : apparentem tamen baculorum in serpentes transmutationem , sive serpentum aliunde allatorum loco baculorum substitutionem fraudulentam, non viderunt. Multi multa fascinatis manibus tetigerunt, quæ tamen apparenter talia fuisse sublato præstigiarum fuco adverterunt.

§. 17. Quoad *posteriorem*: Dæmones cum Viris & foeminis verè commisceri posse, seu dari Dæmones *incubos*, qui sub specie virili incubant foeminis, & *succubos*, qui sub forma foeminæ subcubantes viris muliebria patiuntur, negant Wierus, Lercheimerus, Biermannus, Godelmannus,

nus, & alii, quòd congressus Venereus actio sit naturalis, quæ non, nisi inter eos, detur, qui naturalem & mutuam habent compatibilitatem, qualis inter spiritum & corpus humanum non intercedat. Sed Dn. Freudius *Quæst. 73.* optimè respondet, distinguendo inter usum & abusum. Res quidem est physica, ut ejus *usus* physicè etiam deberet tractari, videlicet convenienter juxta mutua compatibilia à natura ordinata, h. e. ut homo cum homine, mas & fœmina commiscerentur ad generis humani propagationem: sed Diabolus abusum hîc introducit, ut præter naturalem ordinem se commisceat, non generis humani propagandi gratia, sed ut illud Deo magis magisque exosum reddat: hinc cum utroque sexu se commiscet, & modò incubi, modò succubi vices sustinet. Eandem rem præter viros gravissimos tam Theologos, Medicos & Philosophos, quàm JCtos confirmant acta Judicum quotidiana eorum, qui non superfunctoriè, sed sagaciter in omnes Sagarum & complicum confessiones & actiones inquirunt; ut rei per experientiam clarissimæ jam contradicere temerarium sit. Augustinus quoque *lib. 15. de C. D. c. 23.* idem tradit & scribit: *Quoniam creberrima fama est, multiq; sese esse expertos, vel ab iis, qui experti essent, & de quorum fide dubitandum non est, audisse confirmant, Sylvanos & Inuos, quos vulgò incubos vocant, improbos sæpe exstitisse mulieribus, & earum appetisse & peregisse concubitum: & quosdam Dæmones, quos Galli Dusios nuncupant, hanc assiduè immunditiem & tentare & efficere, plures talesq; asseverant, ut hoc negare impudentiæ esse videatur.*

§. 18. Wierus *lib. 3. cap. 27.* ut Augustini sententiam reddat dubiam, in varia se torquet, & multa veluti confusus, ac propter viri autoritatem pudore suffusus comminiscitur. *Non hic,* inquit, *temerè aliquid audeo definire, utrum aliqui spiritus elemento aereo corporati (nam hoc elementum etiam cum agitatur flabello sensu corporis tactuq; sentitur) possunt etiam pati hanc libidinem, ut quo modo possunt, sentientibus fœminis misceantur.* Ast non Dæmones libidinem sentiunt, sed simulant, ut nefando sceleri graviùs homines immersi eidem adsuescant. Sentiunt autem Dæmones immunditiam, voce illa in sensu non proprio sumta, sed latè & impropriè pro advertere. Advertunt & efficiunt immunditam non in se, sed in alio. Plura jamjam dabimus. Pergit: *Hæc parum, aut nihil facere contra nos intelliget is, qui cum nostris ra-*

 tionibus

tionibus supra adductis exactiùs singula discusserit expenderitq́. Quænam illæ? *Concubitum*, ait, *lib. 1. cap. 24. exercere, eoq́ generare nequit Dæmon. Desunt enim ei organa & materia, illis animalibus solùm ab initio mandata, quæ carnem, sanguinem, spiritum & ossa, quibus carent Dæmones, habent.* Hæc solidè probant, ex se & de se Dæmones non generare; id quod omnes admittunt: at per hoc nondum evincitur, Dæmonem congressum non posse mentiri. *Quæ insuper*, ait, *rumore acceperit ille, duntaxat recenset, nec certi aliquid statuere audet.* Imò certi aliquid statuit, quando hoc, incubos peregisse concubitum, negare, impudentiæ esse dixit. Quæ verba, si dubius fuisset, tutiùs omisisset: ad hoc autem, ut credat, inducitur famæ crebritate & experientiæ pluralitate. At rumores fama tenace pervagatos voces publicas, non hominum, sed oraculi, quidam nuncupant; ut rectè hîc applicari queat illud Ciceronis *lib. 2. ad Heren. cap. 8.* Fama temerè non nascitur, quin subsit aliquid. *Et si demus*, inquit Wierus, *spiritus aliquos elemento aereo corporatos esse; minimè tamen hinc sequetur, ab aereo corpore cum eo, quod contemperata quatuor elementorum permixtione consistit, naturalem, vel similem ei, qui inter paria, terrena magis contemperatione imbuta contingit corpora, exerceri congressum. Aerem tales spiritus adferunt, aerem agitant, aerem verberant. In ejusmodi actu præter alia commoda organa requiritur caro & sanguis, quibus spiritus carent. Reliqua itaque erunt ludibria à Dæmone objecta, confirmataq́ vitiosa mulieris dementata phantasia. Quare præponderet hîc ratio, & veritatis robur.* Verùm 1. qui Satanæ præstigias agnoscit, non oculorum seu visus tantùm, sed & reliquorum sensuum, adeoque & tactus fidem egregiè à veteratore falli posse, admittet. Fascinati enim quandoque præstrictu oculorum, manuumque & totius corporis sensu putant, se verum corpus videre, & tactu sentire, quod tamen non est. 2. Dæmon non solum aerem in phantasma potest compingere, sed & corpora solida ei artificiosè immiscere, ut supra ostendimus, & sic compacta corpora pro lubitu movere ac calefacere, ac proinde sexum, quem natura non habet, mentiri, & quidem viris specie fœminina se substernere, fœminis autem specie virili incubare, & his semen seu verum, seu falsum, seu liquorem quendam seminis formam referentem infundere. 3. Defunctorum etiam corpora Dæmon assumit, & realitatis defectum per præstigias complet.

plet. Ita multi libidinis furiis agitati deluduntur, existimantes, se cum spectatissima Helena amoris serram reciprocare; peracto autem opere, se cum cadavere tabe soluto, quod Dæmon ad turpes usus adhibuerat, rem habuisse cernunt, cujus horrendum exemplum legere est apud Martin. Zeillerum *Histor. Trag. 1.* Simile legimus apud Guilh. Parisiens. *in Summ. de Univers.* de milite, qui, cùm putaret, se formosa potiri virgine, invenit se in complexu cadaveris belluini tabe soluti. Præponderet itaque ratio experientiæ conformata, eique inanes speculationes ex præconcepta opinione natæ cedant. *Non obstat autoritas Augustini*, inquit Godelmannus *lib. 2. cap. 5. num. 26.* Nam ut Cardanus *de Variet. lib. 15. cap. 18.* scribit: *Melius fecisset Augustinus, si à tam absurdis narrationibus abstinuisset.* Sed melius Cardanus & Godelmannus fecissent, si à tam absurda animadversione abstinuissent. Wiero tamen & qui eum sequuntur, 4. concedimus, Dæmonem etiam phantasiam per somnia quandoque ita fascinare, ut dementatæ anus à Dæmone se verè comprimi, & viri delusi se fœminam comprimere existiment, atque omnia æquè, ut strigiportium per somnia formatum, discusso somno verè contigisse affirment. Hæc autem phantastica illusio non omnem Dæmonis cum hominibus commixtionem realem tollit.

CAPUT XX.

Uterus aliena sæpe parit. Mola volatilis. Quomodo aliena in utero generentur. Sententia Marci refutatur: cui assensus præbetur, si mediante semine assumto fieri dicatur. Exemplum de serpente. Dæmonis fraude etiam aliena in utero oriri possunt. Consideratio specialior ratione fœminæ, uteri, partus, Diaboli. Alterius speciei semen homo magico auxilio concipere, & propria virtute generare nequit. Historia mulierum, quæ ova pepererunt. Judicium de iis. Historia rustici, qui ova peperit, sic & canes. Id per actionem magicam & præstigiatoriam factum esse probatur. De ovi à gallo productione. Ova, quæ rusticus & canes ediderunt, celeritate & fraude Dæmonis fuerunt supposita. An Dæmon uterum ita fascinare queat, ut fœtum immaturum non per viam ordinariam, sed aliam, v. g. per os, umbilicum, ilia

&c. pariat ? Affirmativa post relationem historiæ de fœmina, quæ conceptum ter per os peperit, statuitur.

§. 1. ALiena & varia animalia fœminas sæpe parere, diximus supra, pisculos puta, ranas, serpentes, astacos, rubetas, harpas, mures, bufones, &c. de quibus videatur Casp. à Reies *Elys. jucund. Quæst.Campo Quæst. 36. n. 19.* ubi varia ex variis autoribus adducit exempla. Bartholinus Collegio Natur. Curios. iconem misit molæ singularis volatilis, avem quadrupedem exactè repræsentantis. Familiarem eam esse ait in Belgio, ubi vulgo Suygers vocatur, quasi sanguisuga fœtui infesta sugillando. *In nostra urbe* (sunt ejusdem verba in Ephemerid. *Ann. 2. Natur. Curios. Obs. 160.) nonnullæ sunt matronæ, quæ molam hanc volatilem ediderunt, sed occultant, ne facile innotescat. Post fœtum prodit, & cubiculi angulos pervolitado inquietat mulieres, quæ omni studio persequuntur feram, ut enectam comburant. Credunt enim nisi comprehensa comburatur, eam laborare in eo, ut iterum uteri latebras intret, quas si repetierit, mori puerperam. Observatum quoq; aliquando, embryonis pedem ab hoc commorsum in utero.*

§. 2. Joh. Marcus Marci *in Idea Operatrice Id. c. 8.* citante Dn. D. Sachsio *in Schol. ad illam Bartholini observat.* nihil repugnare censet, in utero fœminæ concipi & perfici aut piscem, aut aliud animal, ut ejusmodi semen coitu, sive alia ratione ad uterum perveniat. Potest enim forma piscis aut animalis inesse illi parti, quæ à corpore in semen eliquatur, quia nimirum illius signaturæ nequeunt aboleri per illas mutationes, quibus alimentum in chylum & sanguinem excoquitur. Verùm quamvis hæc speciosa primo limine videantur, quia tamen postulata grandia fovet, rationum sigillo nondum confirmata, calculum nostrum adjicere renuimus. Nam hæc sententia supponere tenetur, animalis, v. g. piscis demortui formam, quæ prius totum informat, destructo toto in parte quadam corporis in cibum nostrum præparati, superstitem manere. 2. manere eam sublatis etiam dispositionibus tam organicis, quàm inorganicis sive simplicibus, quæ in semine in calore, sive spiritu genitivo determinato consistunt. 3. signaturam, quæ (ut aperto ore loquamur) nihil aliud esse potest, quàm forma, sive anima, v. g. piscis postquam illæsa tam varias in ventriculo & corde subterfugit

git alterationes, alterius speciei calorem vitalem sive spiritum genitivum ad elaborandum sibi proprium corpus posse appropriare: quæ postulata sana ratio vix sibi appropriare potest. De formis specierum ea omnia concedere, nimis durum. Nobilior est piscium omnium, qui certæ speciei classem per specificam formam subeunt, forma, quàm ut in materia quacunque indisposita conservari, & ratio generationis eorundem, quæ ex ovis fit, restrictior, quàm ut eo modo piscis propagari, seu rectiùs eadem numero forma ad παλιγγενεσίαν, & resurrectionem naturali potestate revocari, &, si non sub priori, tamen sub alio corpore prodire queat.

§. 3. Assensum eidem Marci facilius largimur, scribenti: *mulieres in quibusdam locis, cùm bibissent aquam, in qua semen erat echini, echinos pepererunt. Eo modo ortum habuisse illa animalcula credendum ex utero exclusa, de quibus Schenck lib. 4. Obs. 230. mures scilicet, talpas, feles, lepusculos, tineas, polypos, sanguisugas &c.* Siquidem & ipsa experientia rationem, ut hoc statuat, cogit. Ita Casp. Bauhinus *in Appendice ad Libell. Franc. Roussetì de Partu Cæsareo* narrat de Anna Tromperin uxore bajuli cujusdam, quæ Anno 1575. messis tempore sitibunda ex scaturigine fontis in sylvula, Brüderholtz dicta, serpentum sperma se bibisse suspicata est; quippe exiguo temporis intervallo cœpit ei venter augeri; qui, ubi tribus mensibus post gravida reddita est, tantam in molem excrevit, ut ad ejus gestationem fascia uti cogeretur. Enixa est tandem puerulum cervice vulnerata & erosa, unà cùm duobus serpentibus ex utero prodeuntibus. Serpentes isti non nisi ex spermate ad uterum ipsum mediante sanguine delato potuerunt produci. Sic forsan aliorum animalium abjectiorum semina fortuitò & incautè hausta à coctionibus & alterationibus immunia manent, & mediante sanguine adducta ab utero ingenita vi seminalis materiæ cupide arripiuntur, ubi ista generationis secundæ telam ordiuntur, atque animalia, quæ inde oriuntur, ex utero sic æquivocè nascuntur. Casp. à Reies quoque *in Campo Elys. Quæst. 36. §. 31.* aut corruptos humores, aut devoratum animalium semen in utero contentum atque ibi propter ineptitudinem & moram in pessimam substantiam degenerans causam putat esse, ut apta ad horrendas animalium figuras materia evadat. Quibus nos addimus facultatis formatricis, quæ non minus in brutis, quàm in homine

homine datur, errorem, qui ratione materiæ ipsi oblatæ oboritur sic, ut, si aliena semina incautè fuerint assumta, formatrix in utero materia putrida ad monstrosæ rei productionem abutatur. An forsan phantasia, quæ animæ non rationali, sed sensitivæ propria prima suæ virtutis specimina in generationis negotio edit, & spiritibus alienis seducta formatricem ipsam ad monstri productionem seducit.

§. 4. Quicquid tandem hujus rei sit, quam omnem sagacioribus relinquimus, quamvis varii generis animalia & monstra in utero naturali ratione & modis iis, quos autores ponunt, gigni admittamus, hoc tamen nostrum institutum non evertit, sed confirmat. Quicquid enim Dæmon in fascinando utero, ut aliena & monstra edat, peragit, mediantibus causis naturalibus, quas ipse propria virtute efficere nequit, præstat, sive semina aut animalia ipsa recens nata clam per genitales partes inferat, sive cibis occultè admisceat, &, ut ad uterum deriventur, sua operatione adjuvet, sive formatricem, ut jam diximus, in suo opere seducat, sive arcanorum naturalium ipse peritissimus alio modo totum istud opus absolvat.

§. 5. Ut ad summaria cogamus dicenda, ajo, aliena, quæ fœminæ fascinatæ pariunt, vel animata esse, vel inanimata, vera, vel phantastica, aut supposititia. Consideranda hic veniunt fœmina, uterus, partus, & Dæmon. *Fæmina* de se & sua natura suæ, non alterius speciei essentiam communicat genito, & genitum essentiam suam à similis essentiæ corpore trahit. Itaque fœmina murem, serpentem, *lacertam* &c. virtute propria generat nunquam. *Uterus* de se *præter locum* nihil ad generationem confert, sed semen humanum excipit, fovet & retinet ad generati usque perfectionem: immissa etiam animalium imperfectiorum semina calore suo blando saltem fovere, & ad augmentum promovere, & tandem parere potest, quocunque modo inferantur. Generatio autem hæc secunda seu partium elaboratio in loco facta non infert primam, ut eodem in loco essentiæ communicationem factam esse colligere liceat. In loco remotissimo extra generans pulli formatio fieri potest, qui tamen natalia prima non loco, sed gallo & gallinæ debet. Immissis etiam alienis pluribus locum & spatium uterus concedere potest.

§. 6. *Partus* latè sumptus, sive id, quod ex utero prodit, est vel perfe-

perfectus homo, & hic genuina patris & matris est soboles: vel effectus monstrositate notatus, qui, si speciem humanam refert, vitium in corpore organico residens à pluribus causis oriri potuit: si specië mutat, considerandum est, an mutatio facta sit in totum, an in tantum h.e. an foetus ad aliam speciem simpliciter pertineat, eamque secundum omnes proprietates exprimat, an verò partim matris, partim aliam speciem referat. Si prius, non homo id est, nec ejus, sed alterius est effectus, ut indicatum. Si posterius, aut matris cum diversæ speciei individuo commistionem, aut insignem phantasiæ matris seductionem præcessisse arguendum, quamvis & supernaturalis causæ manus accedere queat. Partus demum, seu id, quod nascitur, est inanimatum, stupendæ quantitatis & qualitatis, ac speciei nobilis individuum, & hoc vel phantasticum vel suppositum esse existimamus. *Diabolus* sæpe generationis humanæ agro abutitur, *vel* semen insectorum, v. g. erucarum, culicum &c. *vel* animalcula recens nata occulto modo per genitales partes intrudendo, aut semen cibis occultè immiscendo, *vel* in molam seipsum insinuando, *vel* phantasticum corpus, cui partes solidiores immiscet, formando, *vel* partum genuinum auferendo, & alienum substituendo. Foeminam quandam simplicem ab improbo marito delusam infantem oretenus & concepisse & digiti longitudine peperisse refert Salmuth *Cent. 3. Obs. 94.* Hieron. Jordanus *de Divin. cap. 30.* præstigium fortè Dæmonis fuisse existimat, fallaciter arte dolosa ocyssimè in extremas fauces ingerentis. Si fauces ita deludere Dæmonem statuimus, quidni simili dolo etiam partes genitales idem ludificare, & falsa pro veris substituere queat?

§. 7. Alterius speciei semen homo magico auxilio concipere & propria virtute generare nunquam potest, v. g. ova gallinacea non potest homo, nec canis, nec alterius speciei animal parere; nec ovum anserinum gallina vel alterius speciei avis, parere potest, quia specifica ratio uni propria non est alteri communis, nec in alienam traduci potest. *Dn. D. Tobias Matthæi*, scribit D. Moellenbroccus *ad Ann. 1. Natur. Curios. Obs. 109. nobis narrabat, se anserculum vivum habuisse, ex utero mulieris cujusdam progressum, quem Dresdam Sereniss. Elect. Saxoniæ miserit.* Anserculus non nisi ex ovo anserino, nunquam ex al-

terius speciei semine, aut putrida materia oriri potest, ut propterea fraudem vel Dæmonis, vel hominum ibi subfuisse conjiciamus.

§. 8. *Mulier quædam in Norvvegia* referente Bartholino *Cent. 1. Hist. Annat. 4. Anno 1638. peperit bina ova ovo gallinaceo simillima, quorum primum cùm fregissent fœminæ præsentes, vitello & albumini communi prorsus respondere animadverterunt.* D. Wormium pro magico ovum habuisse scribit idem, quòd astu Dæmonis multa aliena in corpore humano & inducantur & formentur. Bartholino autem dubium est, an ex utero prodierint, vel alvo, quod forsan non ita accuratè discernere potuerint, nec puerpera ipsa inter tot dolores, nec adstantes fœminæ. Dubitandi rationem ponit hanc, quod ex alvo nonnunquam ova visa sint prodire. Refert enim Salmuch *Cent. 2. Obs. 7.* per clysterem ex fœmina quadam Lipsiensi rejectam massam quandam instar ovi gallinæ, sed crustæ admodum mollis, in qua aperta vermis biceps oculis micantibus linguam vibrans repertus fuerit. Ex falsa forsan imprægnatione, ait idem Bartholinus, conatu vehementi ovum in intestinis genitum per alvum exclusit. Quod si revera ex utero provenerit, notum, conceptum humanum ovo esse simile, si crustam excipias, quod Psaltria illa apud Hippocratem docuit, & eruditè ab Harvejo *lib. de Gener. Animal.* probatum.

§. 9. Nos calculum nostrum D. Wormio largimur. Post detestandam copulam ovum gallinaceo simillimum in intestinis posse compingi non videtur verisimile. Majorem probabilitatem altera invenit conjectura. Aristoteles enim *libr. 3. Hist. Anim. cap. 9.* conceptum ὠοειδῆ *oviforme* quoddam nominat, humoremque membrana tenui ait contineri, perinde ac si ovi testam detraxeris. Ita quoque Harvejus *Exerc. de Gener. Anim. 63. pag. 293.* conceptum ovum vocat. Nova in sexu muliebri nuperrimè Anatomici præclarissimi invenerunt ova, & inter eos primus Joan van Horne in Academia Lugduni Batavorum Anatomicus celebris scripsit, ad Dn. D. Rolfinckium *in Prodromo suarum circa Partes Generationis in utroque sexu Observationum* referente Excell. Dn. Dd. Posnero Doctiss. *Disputation. Physic. de Princip. Generationis atque Nativit. human. §. 39. Ova ista in testibus muliebribus reperiuntur humore scatentia & pellicula circumcincta pisi viridis magnitudinis, intra istam latitudinem, quæ pisorum determinat quantitatem varian-*

variantia; de quibus plura Vir prælaudatus Dn. Dd. Posnerus *l. c.* ex D. Kerkringio & Regnero de Graff tradit.

§. 10. Quicquid autem hujus rei sit, ova quidem etiam in sexu fœminino dari Viris oculatissimis & doctissimis concessero, sed ad eam figuram, calorem, consistentiam & quantitatem ista, ut simillima ova gallinaceo fiant, ut credam, adduci non possum. Quod si per naturæ vires id fieri posset, in tanto fœminarum numero in tot mundi partibus ovorum productio non tam rara foret. Præter istam autem in Norvvegia fœminam ullam ovum gallinaceo simillimum enixam non memini me legisse. Rusticum quendam, & canem ova peperisse apud Stengelium *Emblemat. 58. n. 2.* invenio. Historiam ex tripode se afferre verissimam ac recentem, sed admirabilitate sua cuivis fere fabulæ parem, ait ipse, quam & nos, quia risum nulli non movet, in gratiam Lectoris ex eo placet transcribere. *Vix anni, ait, seni fluxere, cùm Bonna à fide dignissimo Viro scriptum, & relatum est Ingolstadii literis, quas ipse vidi, legi, captam in ea provincia & in vincula datam veneficam, & verò etiam supplicio affectam, flammisq; rogalibus lustratam, quæ velut sorex, suo se indicio prodiderit in hunc modum. Vicinam habebat non admodum opulentam. Ea se inter cæteros rusticos lucrandi modos, etiam gallinarum nutricatione, venditioneq; ovorum sustentare solebat, sed quæ est invidia aut hominis, aut Dæmonis, aliquando malis artibus factum est, ut gallinæ omnes præter morem parere cessarent, non hyemis rigore, sed fascino steriles & conclusæ. Hoc ubi simplex fœmina advertit, damno dolorìq; suo consilium pariter remediumq; à vicina petivit. Hæc busto natura redire afflictam postero die jussit: enimverò dixit, se remedium præsentissimum in diem sequentem paraturam. Ubi diluxit, illa rediit, nec aliud quicquam à vicina sua, quàm panis haud exiguum frustum accepit. Eum panem micatim jussa est gallinis cessatricibus obsipare. Accepit panem mulier, & gratias immortales reddit, etiam ovorum non contemnendum numerum donatura, si ars, imò casus non fefellisset. Postquam domum est reversa, nescio, quonam repentè negotio incidente in granarium adscendit frusto panis interea temerè deposito ac in mensa relicto. Dum abest, ingreditur in hypocaustum servus latrante stomacho famelicus pater esuritionum, qui occasione utendum ratus, vice jentaculi, utraq; manu involat in panem, vires roboraturus antè, quàm cùm equis & ara-*

 tro

tro ad agrum colendum exiret. Bonam jam partem detruncarat panis, cum sensit heram per gradus descendere. Maturè ergò se subduxit, parte reliqua & ultima panis mensæ reddita. Sed non diu latuit furtum. Quanquam alia id est ratione, quàm ficus Æsopicæ, proditum. Cœpit enim illico tumultuari illi venter, & murmurare intestina, pellisq́ laterum tendi in morem tympani. Veritus est misellus, ne extemporaneo hydrope intumuisset. Sed paulo post morbum suum ipse risit, animadvertens, se identidem de rustico gallinam factum, & ova moliri, enim verò etiam bono numero parere. Quibus omnibus egestis, extemplo sensit, se convaluisse. Id quamprimùm rescivit hera, rescivit vicinia, pagus, provincia, magistratus, qui non dubitavit, tam prodigiosæ artis auctorem comprehendere, ac de gravioribus examinare. Examinata ab ovo usq́ ad hircum, inde usq́ ad rogum est deducta. Simile quid constanti fama narratur, in Franconia contigisse, nisi quòd hic artificem & ovificum panem, non servulus aliquis, sed canis superveniens degularit, cujus virtute (an vitio?) fertur centum & triginta ova partu prodigiosissimo, enixus esse. Hæc Strengelius. De cane oviparo quoque communicavit *Collegio Naturæ Curios. Ann. 2, Obs. 250.* D. Georg Sebastianus Jung, qui cum escam quandam à rustica singulari artificio pro gallinis suis, ut ova majora & copiosiora parerent, præparatam devoraret, dominum suum in itinere insequens aliquot ova, unum post alterum pluribus conspicientibus per alvum excludere visus est, unde multum debilitatus, esca verò illa excreta, pristino vigori restitutus fuit. Quæ tamen ova potius massam quandam oviformem ex materia illa esculenta in intestinis coagmentatam, quàm vera ova fuisse existimat, si rustica illa à magiæ suspicione immunis credenda.

§. 11. Magicam & præstigiatoriam fuisse hanc in rustico & canibus ovorum productionem inde colligere datur, (1) quia verum ovum simile gallinarum ovis & iisdem constans partibus solùm in utero sive matrice, qua omnes mares, non solùm in genere humano & canino, sed & reliquis speciebus carent, generatur. Gallum quidem, qui utero caret, in senectute, cùm à concumbendi usu & consuetudine desuevit, ex putrefacto semine intus cohibito, coagulato & indurato ovum edere, ex quo virulenta bestia seu Basiliscus excludi queat, multi, & præcipuè Lemnius statuunt. Sed erroneam hanc esse sententiam D. Sebizius *lib. 3. de*

3. de Alim. Facult. cap. 12. egregiè demonstrat. *Necesse enim*, inquit, *foret, generari id in vasis galli spermaticis, in quibus semen delitescit. At adeò angusta, minutaque illa sunt, ut ovum continere nequeant. Sunt praeterea illa non generationi ovi, sed seminis destinata: quemadmodum patet in gallinis, quae semen & ovum non uno in loco, sed diversis gignunt; semen in vasis, ovum in matrice, quae ipsis est duplex superior & inferior. Quapropter rationi magis consonum est, si dicatur, ovum istud ex alia quadam humorum colluvie procreari. Quemadmodum enim in homine & pediculi & dracunculi & vermes, iique triplicis generis, longi, lati, & ascarides, & in mulieribus Harpa, quam Itali fratrem Salernitanorum appellant, ex putri materia proseminantur; ita impossibile non est, in gallis corpus aliquod ovo* ἀνάλογον *fieri, idque ex corrupto aliquo vitiosoque humore, cujus exterior superficies vi caloris ita siccetur, ut testaceum ovi putamen referat. Quod si maximè concederemus, tale ovum in gallis ex labefactato semine emergere, haud tamen viam ostendere possumus, per quam illud exeat. Nam per penem galli exire non potest; quoniam is adeò tenuis est atque exilis, vix ut appareat. A vasis autem spermaticis ad ventriculum & intestina nullus apparet transitus.* Haec ille.

§. 12. Bartholinus *Centur. 1. Hist. Anat. 99.* gallum annosum in arce regia Hafniensi ovum peperisse scribit minus ovo gallinae, sed columbino majus, candida duraque testa, & liquoribus solitis pellucidum: In ejus abdomine aperto nullum aut uterum, aut uteri analogon, in quo aut ova conciperentur, aut continerentur, fuisse inventum: neque aciem oculorum potuisse videre tum locum, in quo conceptum fuerit & formatum ovum, tum viam, qua fuerit redditum, nisi ventriculus & intestina eligantur. In re hac obscura suspicatur Vir Celeberrimus, à copiosissimis seminis vaporibus ex testiculis ad intestina per vicinos poros patulos exhalantibus ovum conceptum fuisse, & per anum redditum, quòd magna sit recenti seminis vis, & fumi ad reliquum corpus evaporantes tantum per poros valeant, ut totam corporis temperiem immutent. Verùm non si seminis vis & qualitas tanta, tanta etiam quantitatis vis est, ita ut crassior seminis substantia vel materia pro ovo formando intestina, quorum textura in annosis densior est, penetrare queat. Seminis substantia crassior citiùs inspissatur, quàm à calore in vaporem resolvitur. Resolutio talis aquosae & spirituosae debetur substantiae, quae

cum in semine quoque detur, hanc quidem, non autem crassiores etiam ovi partes à calore adeò blando resolvi existimamus. Itaque corpus aliquod analogon ovo ex vitioso aliquo humore, non autem verum ovum in isto gallo fuisse generatum, nos Dn. D. Sebizii vestigia secuti statuimus. Spurium autem istud ovum æquè ut verum testaceo cortice firmari potuit, quia galli non minus, ac gallinæ lapillis, arenâ, tartarea & calcaria materia delectantur, ex qua ovorum cortices produci demonstrat Senguerdus *Exercit. Phys. 45.*

§. 13. (2.) Nulla res naturalis de se vim habet producendi quocunque in subjecto, velut in intestinis hominis & canis, ova; quia hæc non nisi in disposito subjecto è disposita materia fiunt. Sed nec intestina, nec alimentum ullum pani admixtum dispositum est, ut ex eo magnus ovorum numerus produci queat. Augeri quidem seminalis materia, eique stimulus potest addi, sicuti gallinis pro uberiori ovorum proventu urtica minutim incisa & furfuri mixta exhibetur, non tamen ipsam ovorum substantiam ex se vel naturalis ulla confert & multiplicat. (3.) Superat naturæ ordinem, brevissimo temporis spatio ingentem ovorum numerum producere & parere. Saltum enim natura non facit, sed ab imperfecto ad perfectum, in generationis materia seminali elaboranda æquè, ac in corpore è seminali materia producendo, tendit.

§. 14. An ergò, cùm naturaliter ova in rustico & canibus non fuerint producta, magicè ibidem fuerunt generata? Negatur, quia Dæmon, cujus ope Magi magica patrant, effectum naturalem non nisi mediante natura producere, nec vires naturæ exaltare potest, ita ut in indisposito subjecto ex materia indisposita specificum quid oriatur, propterea nec ex pane, quodcunque etiam ei fuerit admixtum, in istorum abdomine actione vera & occulta ova producere potuit. Quærenti, unde ergò ova ista fuerunt orta? dico, ova ista non fuerunt immissa. Immitti enim debuissent, vel per superiora, vel per inferiora, vel per exteriora, sive per os, anum aut poros: at per ista vi magna, per hos autem penetratione dimensionum, aut dilaceratione cutis fuissent translata, quod rusticus non sensit. Neque tamen, si vel maximè fascinatas istas partes fuisse dicamus, tanto numero, tam brevi temporis spatio sine quodam saltem in dictis partibus sensu ova Dæmonem potuisse injicere,

re, credendum. Temporis spatium longius contrahere ille nequit, nec ut res producendæ, quæ istud postulant, brevissima morula effectui dentur, cum contradictionem involvat, efficere valet. Existimamus ergò, Dæmonem ipsum, agitatis à re flatus concitare apta & pani immixta humoribus ac vaporibus istorum abdomen in tantum tumorem elevasse, ut hydropem illud minari fuerit visum: gutturis quoque inferioris sensum ita fascinasse, ut se excernere putarit ea, quæ tamen non fuerunt; ova autem vera aliunde allata præproperè Dæmonem supposuisse, & quo magis numerus ovorum excrevit, tantò magis abdominis tumor decrevit, Dæmone ab interna operatione sensim remittente, & oviferæ qualitatis opinione hominem egregiè deludente.

§. 15. Quæritur hoc loco: *An Dæmon prægnantem ita fascinare queat, ut fœtum immaturum non per viam ordinariam, sed aliam v.g. per os, pariat?* Naturam monstrosas ac insolitas pro partu edendo vias quandoque per anum, per umbilicum, per hypochondria, per alia, per palatum quærere, affirmantibus fidem vix haberemus, nisi experientia ipsa fidem faceret. Quo de argumento Bartholinus *in nova de Insolitis Partus Humani viis Dissertat.* Hafniæ Ann. 1664. edita egit. Admiranda per vomitum fœtus abortivi rejectio contigit eodem Anno 1664. in pago Renst haud procul à civitate Ronneburgo, ubi rustici cujusdam Andreæ Haselbarths filia, corpore gracili, virgo vixit sine insigni aliqua molestia aut morbo ad annum vigesimum septimum, aut octavum usque. Quæ excernenda erant, justo tempore deposuit, etiam per consuetum fluxére locum menstrua. Postea nupta Anno circiter M. DC. LXIV. consensu parentum Rustico ejusdem loci incolæ Christophoro Grubern/ cui muliebrem hortum irrorandum ex conjugali affectu exposuit. Percepit quoque illicò roris fœcunditatem, dum suppressis mensibus aliqualem uteri tumorem, nauseam, vomitum, & quæ gravidarum aliàs solent esse pedissequa, mox senserat. Paulò tamen graviora visa sunt symptomata, ita ut eo tempore, quo prægnans, rebus rusticis non adeò navare operam potuerit. Illud quoque mirabantur maximè agnati, quod sanguinem quasi menstruum simul cum sputo crebrius ejiceret. Sed quid fit? Mense secundo ab ingravidatione symptomata magis magisque incrementum capiunt; sentit tormina sævissima in utero, qualia parturienti solent oriri. Oboriuntur lipothymiæ, & post

& post summos dolores, vomitus. Cum vomitu autem, quod sanè mirandum, ejecit partum bimestrem, obvolutum secundinis, ovi gallinacei figuram & speciem referentem, quo facto melius habuit. Anno subsequente iterum ingravidatur, & cum summo Parentum mœrore eadem patitur symptomata, iterumque ejusmodi ovum cum δευτέροις evomuit. Tertio anno meliora quidem sperans permittit tertia vice se impraegnari, sed deteriora secuta sunt. Spes siquidem fuit, dum usque ad tertium mensem utero gessit; sed & tunc temporis vana spe delusam eadem symptomata ipsam invasére, ut evomuerit quoque non, sicut antea, ovum, sed integra ossicula, carniumque frusta, caput, membraque reliqua, exigua quidem, magnitudine tamen bene distincta, & membratim omnia: subsecutæ quoque secundinæ, & consueta aliàs mulieribus lochia, ita ut exactissimè abortum omnia repræsentarent. Sic tandem Medicorum ope & auxilio frustra implorato molestissima hujus affectus falce probè lancinata, petiit à Deo beatam ἀνάλυσιν, qua etiam sexagesimo septimo, mense Octobri potita, Pleuritica in Domino vitam cum morte commutavit.

§. 16. Historiam hanc Dn. D. Justinus Ortolphus Maroldus Physicus jam & Practicus Schleusingæ felicissimus *in Disput. sua Inaugurali* curioso & docto calamo elaborata Altorphi Anno 1669. publicæ disquisitioni subjecit, eamque suis auribus, ex ipsius uxoris marito, parentibus & cognatis cum summa admiratione se hausisse *scribit*: *testem* etiam adducit Virum integerrimum Dn. Christophorum Zehen *Pharmacopœum* apud Crimmizenses prope Cygnæam *dexterrimum*, *qui* non solum audivit, sed abortum quoque vidit. Eandem historiam Amplissimum Collegium Naturæ Curiosorum dignam æstimavit, ut Ephemeridibus Medico-Physicis Germanicis insereretur; & habetur *Anno I. Obs. 108.* ubi potissima, quæ in citata dissertatione habentur, excerpta reperiuntur.

§. 17. Nos in viam nostram revertimur, & dicimus, si Dæmonis in inferendis dispositionibus pravis, præcipuè solutæ unitatis morbis potentiam ad animum revocaverimus, non posse non fateri, ejusdem etiam virtute posse effici, ut læso, seu unitatis solutionem passo utero & ventriculo abortus lege inordinaria ad os deferatur & injiciatur; quamvis potentiam ad actum traducendi, & generationis hortum similibus

zizaniis

zizaniis conferendi permiſſionem rariſſimè eum impetrare cenſeamus. Iſtud, ſeu prædictum effectum Cacodæmonem edere poſſe Dn. D. Maroldus *loc. cit.* etiam diffiteri nequit. *Diabolum*, inquit, *perverſitate ac impietate hominum occulto Dei judicio ac permiſſu contra eos provocat umſeſe* μυελιοτεχνίτην *vel in hoc genere exhibere valere, non eſt, quod hæſitemus.* Et paulò poſt: *Negare non poſſumus, interdum Diaboli aſtutia abortum per os evenire poſſe.* In iſto autem caſu ſuo, quem Medicè reſolvit, cauſam ſupernaturalem Diabolum non eſſe aliquot rationibns probat. Cauſam verò præternaturalem, utramque conſtituere paginam ſcribit, malam nimirum Uteri conformationem, qua I. bina orificia nactus eſt, unum naturale, alterum præternaturale, quod incipere dicit à fundo Uteri, & dehiſcere in ventriculum. 2. qua uterus nimium parvus.

CAPUT XXI.

Faſcinationis modus in ſubjecto ſecundario cur hic negligatur Tempeſtates Dæmon poteſt excitare. Pluvia artificialis quomodo exhibenda? Dæmon breviori labore pluviam efficit. Animalia domeſtica præcipuè Dæmon faſcinat, & inter ea vaccas, lacte eas ſpoliando, quod ipſum ad varia inſtrumenta ridicula, vel ad ſagarum vaccas occultè defert. Exemplum ridiculum.

§. 1. MOdum & nodum hactenus, in Faſcinationis magicæ objecto primario, quod Homo eſt, ſpectavimus: idem jam in *ſecundario*, quod res ſunt tum *naturales*, tum *artificiales*, hominis uſui inſervientes excutiendus eſſet, ſed quia hæc occaſionem præbent prolixitati tædioſæ & inutili, cùm, quæ dicenda hic forent, ex iis, quæ in præcedentibus dicta ſunt, facile ſuopte Marte & ingenio quivis colligere queat, labore hoc ſuperſedebimus. Duo ſaltem hoc loco notabimus, quorum alterum regnum elementare, alterum animale attinet.

§. 2. Dæmonem & hujus ope ſagas *fulmina, grandinem & tempeſtates alias*, quibus frugibus & arboribus nocent, *ciere poſſe* diximus. *Modum*, quomodo hoc efficere debeat, ipſe ex cauſarum naturalium notitia pleniſſimè habet cognitum. Ac nulla in aere meteororum portenta è non præexiſtente materia producit, ſed ſemper naturalia, ſine

quibus naturale nullum efficit, actionibus suis substernit. Motu nimirum locali, quæ Dæmonis est immediata actio & operatio transiens, vapores, exhalationes & fumos movet & congregat, summa celeritate miscet, & quæ effectui promovendo conveniunt, aptissimè applicat. Si homines artificialia meteora, pluviam puta, grandines, nives, ventos, fulgura & tonitrua possunt ex arte repræsentare, quantò magis Princeps aeris, mille artifex κατ' ἐξοχὴν dictus, qui omnes homines scientia & arte longissimè superat, & præter celeritatem potentia loco motiva sublimiori pollet, id efficiet. Arte autem humana meteora enumerata posse produci, ingeniosissimus naturæ interpres & artifex sagacissimus Athanas. Kircherus in suo *de Magnete lib. 3. Catena Magn. Part. 2. p. 433.* ostendit, è quo saltem modum, quomodo artificialis pluvia sit exhibenda, accommodatò petemus: reliqua meteora producendi modos artificiales præteribimus.

§. 3. *Ad pluviam artificialem exhibendam,* (ait) *primò fiat ex laminis ferreis tholus sive hemisphærium duplicatum, ferreis filis crassioribus, si machina parva; si major fuerit, fortioribus ferramentis veluti columnis innitens. Hoc peracto fiat ex ære vas cum collo oblongo, quod humore ad medietatem ferè implebis, tholo verò duplicato nives, seu contusas glacies unà cum nitro seu vitriolo permixtas inseres, habebisq́ instrumentum præparatum. Tempore igitur, quo amicis experimentum pluviæ demonstrare desideras, supposito supra ignem vase, rarefiet aqua; quæ mox rarefacta, per colli orificium cum impetu in vapores abiens in cavitatem hemisphærici tecti sese recipiet: verùm vapor hic ex frigore à latente glacie, vel nive causato compactus, condensatusq́ paulatim in aquam resolutus guttatim omnium astantium admiratione descendet. Hoc autem instrumentum ad naturæ exemplar factum ita probo. Quoniam enim tholus nive repletus aerem inclusum sibi similem reddit, videlicet frigidissimum; refert hujusmodi aer mediam regionem aeris frigidissimam, vas verò aquâ repletum inferiorem aeris regionem reflexis solis radiis æstuantem; aqua igitur in vase æstu in vaporem abiens, ascendet usq́ ad regionem aeris frigidi. Ergò vapor condensatus ibi non secus ac vapores à Sole attracti ad mediam regionem aeris, & in aquam resolutus tandem guttatim decidet, pluviamq́ exhibebit. Quod si quispiam in ampliori loco hanc eandem pluviam exhibere voluerit, is tectum fabricæ nivibus repleat,*

pleat, in pavimento verò vas aliud ferventibus plenum cineribus aut silices grandiores prius candefactos collocet. Hujusmodi igitur si aquam frigidam affuderis, major pars aquæ illicò in vaporem assurgens, superius fabricæ tabulatum petet, cujus aerem cum ex nive inibi reposita frigidissimum reperiat, totus ille vapor condensatus atque in aquam resolutus, per guttas in pavimentum descendens, fragore, frigore, aliisq; affectionibus pluviæ propriis, imbrem perfectè referet. Quæ quidem fabrica, si soli exponatur ea ratione, ut oculus tuus Solem inter & roscidum vaporem jam frigida regione in guttas resolutum constituatur, & ea iridem quoque tibi perfectam repræsentabit. Quod si sanguineam pluviam desideras, humorem vasis minio aut cinnaberi dilues, & aqua hac arte præparata in vaporem rubeum adscendet, quæ deinde condensatione frigoris in guttas resoluta sanguinis instar, non sine intuentium admiratione descendet. Hactenus Kircherus.

§. 4. Breviori longè labore Metaphysicus scientissimus Dæmon pluviam producit, qui vapores per aerem dispersos saltem ad frigidam aeris regionem, quam natura semper in parato habet, propellit, ubî postmodum frigore condensantur, & in aquæ guttulas resolvuntur. Ita manifestum fit, quomodo Dæmon, & hujus ope Sagæ, quæ per se nihil planè, per absurda autem saltem signum pacti cum Satana initi & consensus sui conferunt, per meteora varia vegetabilibus, arboribus nimirum, fruticibus plantis & segetibus nocere queat.

§. 5. Inter *Animalia*, quæ Hominis usui inserviunt, domestica præcipuè, ut equos, vaccas, oves &c. Lamiæ fascinant, atrocissimos dolores & violentam mortem iisdem inferendo, quod quibus modis fieri queat, è modis, quibus homines internecioni tradunt, omnibus fit obviam. Vaccas sæpissimè Sagæ fascinant, ubera earum lacte spoliando, quòd Dæmon ipse mira celeritate modo invisibili, ad cultros, clavos, forcipes, colum, aut similia Lamiarum instrumenta defert, è quibus lac emulgent. Eadem calliditate ad proprias Lamiarum vaccas lac furto aliis ablatum defert, quod Satanæ ludibrium Sagæ ignorantes, quando cum verborum certorum emurmuratione mulgent, lactis ubertatem verborum suorum efficaciæ adscribunt. In districtu Rombildensi, Saga quædam vaccas alens eas mulgendi officium ancillæ nunquam credidit. Aliquando autem susceptricis munere fungens illud

ancillæ relinquere tenetur, cui mandat, ut inter mulgendum hæc verba repetat: Von allen Kühen ein Löffel voll. Von allen Kühen ein Löffel voll. Von allen Kühen ꝛc. Ancilla verò mandati verba negligentiùs percipiens ait: Von allen Kühen ein Kübel voll. Von allen Kühen ein Kübel voll / & ita porrò. His dictis tantam lactis copiam ancilla accepit, ut vasa omnia domestica non fuerint lacti suscipiendo, propterea heræ, à convivio baptismali avocatæ, consilium & auxilium implorat, quæ ipsa cùm manus ad emulgendum adhibuisset, admurmuratis quibusdam verbis, flumini lactis fecit finem. Finem his in modo facimus.

PARS VII.

De FINE, item LOCO & TEMPORE FASCINATIONIS MAGICÆ.

CAPUT I.

De Fine Fascinationis Magicæ. Finis est in genere bonorum: at bonitas ibi vera nulla, sed malum, cujus principium Dæmon. Finis ille consideratur vel ex parte Dæmonis efficientis, qui vel primarius, vel secundarius, vel ex parte Magi consentientis, vel Dei permittentis. Causæ permissionis ex mente D. Thummii, qui docet, Deum hominum corpora & fortunas Satanæ lædendas tradere 1. propter seipsum. 2. propter hominum utilitatem. 3. propter hominum peccata. 4. propter ipsum Satanam. 5. propter Sagas.

§. I. IN *Fine* jam facimus initium, seu causam Fascinationis magicæ finalem tractare jam incipimus. Spectatur is ex parte vel *Dæmonis* efficientis, vel *Magi* inservientis, vel *Dei* permittentis. Sed quia exquisita horum tractatio ad forum Theologicum spectat, finem dicendorum, productis in medium paucis, ne manca prorsus in hoc tractatus

ſtatus noſtri ſeries maneat, maturabimus, & fidelia Dnn. Theologorum hunc parietem dealbabimus.

§. 2. *Finis* quidem omnis in genere bonorum eſt, ut ait Scaliger *Exerc. 250. Sect. 1. & 224.* at nulla in actionibus magicis eſt bonitas, vera ſcilicet, ſed ſaltem apparens. Apparens ea bonitas tegit ſummum malum, cujus principium & ortus eſt Dæmon, id quod & gentiles agnoverunt, qui exiſtimarunt, duos eſſe Deos, quaſi contrariis deditos artibus, ut bona alter, alter mala conficiat. Οἱ δὲ τὸν μὲν ἀμείνονα θεὸν, τὸν δ᾽ ἕτερον δαίμονα καλοῦσι, *alii eum, qui eſt melior, Deum; qui deterior, Dæmonem dicunt.* Plutarchus *de Iſid. & Oſirid.*

§. 3. Ex parte *Dæmonis efficientis* finis vel primarius eſt, vel ſecundarius. *Primarius*, quem ſemper intendit, eſt divinæ gloriæ labefactatio, & ſalutis hominum everſio. Dei enim & hominum abjuratus cùm ſit hoſtis, eorum, quæ ad conſequendum iſtum finem malum faciunt, nihil, omittit, imò & miſeros homines ipſos ad hoc ſcelerata ſocietate perducit. Utrumque etiam ob finem, divinorum operum ſemper fuit & adhuc eſt κακόζηλος, quædam ſimia & ἐμπαίκτης, ut tum gloriam divinam infirmet, tum divinitatis opinione de ſe hominibus impreſſa in æternum exitium eosdem præcipitet.

§. 4. *Media* pro finium intermediorum varietate variant. Ad illum conſequendum actiones ſceleratas & ſuggeſtiones adhibet pravas, quibus vires impietati jam inde à primis parentibus cordi humanæ implantatæ ſubminiſtrat, quem apparente & fucata bonorum temporalium bonitate fovet, & ut in flammam majorem indies erumpat, omni ſtudio curat. Cor Davidis venereo affectu & ſuperbia, Judæ avaritia, Ananiæ mendacio, aliorum aliis vitiis implet. Nonnullos morbis graviſſimis & doloribus attrociſſimis afficit, ut impatientiæ ſtimulis adacti à Deo deficiant, & ſalutem apud Magicam ſocietatem quærant. Homines ipſos etiam à ſe ſeductos & collegio ſuo adſcriptos, quos inſtrumentalem ejus cauſam diximus, tanquam media ad faſcinationis negocium feliciùs perficiendum adhibet. Per hos mediatè, vel per potentiam ſuam loco motivam immediatè operatur: naturalia etiam media pro ratione finis, quem in faſcino particulari inferendo ſibi habet propoſitum, uſurpat.

§. 5. *Secundarius* faſcinationis magicæ finis ex parte Dæmonis

est gratificari suis, quos è societate humana sibi adoptavit, complicibus; quamvis per gratiam suam periculosas iisdem struat insidias, dum sibi magis eos devincit, & certiùs perdit. Siquidem *blanditur Dæmon, ut noceat; bona promittit, ut malum tribuat; vitam pollicetur, ut perimat. Lucent nunc quoque verba ejus, & venena manifesta sunt. Pacem pollicetur, ne perveniri possit ad pacem: Salutem promittit, ne, cui promittit, veniat ad salutem.* Sunt verba Cypriani *lib. 1. Epist. 8.*

§. 6. Ex parte *Magi consentientis* quis sit finis, ex causis earundem impulsivis, quas dedimus *Part. 3. Sect. 3. cap. 1.* nonnihil patet. Pro subjectorum varietate ille variat: estque animum vindictæ cupidum tranquillare; paupertatis onere pressum erigere, voluptatibus prurientem lenire, Deum infernalem sibi propitium reddere, honoribus & dignitatibus frui: & qui sunt alii fines plures.

§. 7. Finis ex parte *Dei permittentis* quis sit, & cur homines tam bonos, quàm malos, tam infantes, quàm adultos à Diabolo fascinari permittat, non æquè patet. *Quæ causa est, ut sæpe bimuli trimulive, & ubera materna lactantes à Dæmonio corripiantur? Invisibilia hæc, inscrutabili Altissimi judicio sunt relinquenda*, inquit Hieronymus *Epistol. ad Paulam de dormitione Blesillæ*, citante alicubi D. Danhauero. De adultis ratio datur faciliùs. Lutherus *Colloq. Mensal. pag. 212.* ait: **GOtt gibt dem Teuffel und Zauberern auf zweyerley Weise Gewalt über die Menschen. Erstlich über die Gottlosen/ wenn Er sie straffen will von wegen ihrer Sünde. 2. Uber die Frommen/ wenn Er sie versuchen will/ ob sie beständig im Glauben/ und im seinen Gehorsam bleiben wollen.** Itaque in impios Deus Satanæ potestatem concedit, ut puniantur, & puniti vel emendentur, vel non emendati graviores & hîc & illic pœnas luant. Bonos autem tentari permittit, tum sui ipsius, tum ipsorummet, tum aliorum causa. Quæ singula fusiùs exponit Dn. Rauppius *Biblioth. Port. Pract. loc. 4. pag. 428.* D. Thummius *Tract. Theolog. de Sagar. Impietat. Quæst. 6. pag. 60.* causas permissionis divinæ sequentes enumerat: Nam 1. hominum corpora & fortunas Satanæ lædendas tradit, propter SEMETIPSUM, ut ejùs inde elucescat 1. *Majestas & Omnipotentia*; quod, licet hominem Satanicæ libidini tradat, ei tamen terminum statuere potest, ejusque malitiam compescere & refrænare novit, ut ne tantillum quidem procedere

dere ulterius, quàm permiſit, præſumat. 2. *Paterna & provida cura*, quâ fideles ac pios contra hoſtiles tum Dæmonum, tum hominum inſultationes quàm tutiſſimè defendit &c. 3. *Amor & miſericordia*, quia onus cervicibus imponit, ſed portabile. 4. *Longanimitas & lenitas*, quod homines maleficiis infames non ſtatim pro ſcelere ulciſcitur, ſed diuturnam impunitatem concedendo converſionem & pœnitentiam eorundem avidè præſtolatur. 5. *Juſtitia*, quia peccata hominum per ultrices & pœnarum miniſtras Sagas punire ſolet.

§. 8. II. Propter HOMINUM UTILITATEM, quæ multiplex eſt. Nam quibus maleficio nocitum eſt, eorum 1. *Patientia* exercetur & *conſtantia* roboratur, *Job. 1. & 2.* 2. *Ad pœnitentiam revocantur.* 3. *Humilitas* acquiritur, & ſuperbia paulatim inter demiſſa dediſcitur.

§. 9. III. Propter HOMINUM PECCATA &c. In iſtorum cenſu habentur inprimis. 1. *Uſus carminum veneficiorum, ad rei alicujus effectionem, morborumq; curationem &c.* 2. *Imprecationes, Execrationes, Ejurationes &c.* 3. *Contemptus verbi & Sacramentorum &c.* 4. *Majorum ſemper-lenitas & in coarguendo negligentia &c.* 5. *Odium proximi & vindicta.* Ut enim caritas metatrix eſt Dei, domicilium præparans Spiritui Sancto: ita vitium illi contrarium, Diabolum invitat & introducit. 6. *Carnalis libido*, propter quam maritalis thori excubitori Asmodæo ſeptem Saræ Sponſos interficere licuit &c. 7. *Ebrietas &c.* 8. *Uſura vitium &c.*

§. 10. IV. Propter IPSUM SATANAM, ut 1. illius veteratoris *malitia* & *potentia* detegatur, hominesque adverſus ipſum ſeſe præmunire queant. 2. Ut innoteſcat, *tantum facere Diabolum, quantum à Deo permittitur.* Auguſt.

§. 11. V. Propter SAGAS, ut ſi quando reſiſtente Deo, ipſarum ſtudium & conatus eluduntur, vim Numinis majorem agnoſcentes, *ſeſe ad Deum rurſus aut per converſionem recipiant*, &, quàm lubrica ſit Satanæ fides, vel tandem ſubodorentur; aut, ubi peccatorum menſuram oppleverunt, *deterioribus & infernalibus ſuppliciis reſerventur.*

CAPUT

CAPUT II.

Dè Loco & Tempore Fascinationis Magicæ. Locus ubiq; datur, ne sacer quidem est immunis. Tempus omne eidem inservit, præcipuè nocturnum. Pavoris nocturni causa. Vocis, Strix, Synonyma Hebraica & Græca. Lilis quid? A Dæmone nocturno Hugon dicto, Hugonoti nomen habent. Meridie etiam Dæmon operosus est. De Dæmonio meridiano ex Psalm 91. v. 6. Interpretatio vulgata & LXX. non respondet fontibus. Explicatio illius dicti. Dæmones meridie esse infestos credidit vetustas. Obstetrices etiam norunt. Historiis id confirmatur.

§. 1. T*Empore* & *loco* quovis, si permissionem habet, Dæmon fascini opera patrat. Ne *sacri* quidem *loci* habet reverentiam. Et quî habeat, qui DEUM ipsum, CHRISTUM in deserto, in monte altissimo, in pinnaculo templi fascinare non erubuit? In Auditorio sacro verbum Dei ex Christianorum cordibus multoties rapit, phantasiam alienis cogitationibus turbat, somnum immittit, & laborat, ne audientes audiant, & intelligentes intelligant: hoc autem est animum fascinare. *Audax & temerarius perrumpit omnia; dum prædam suam sectatur, mortalibusq; insidias instruit: in templorum sacratioribus adytis, in concionibus sacris, in Anachoritarum cellis, in eorum, qui mundum ejuraverunt, sodalitiis & frequens & assiduus: uti, quæ ejus ductu auspicioq; ibi patrantur, facinora satis indicant.* Remigius *lib. 3. cap. 11.* In templo Dæmon fascinavit Carolum Ludovici Regis Germaniæ filium, quod horrendum exemplum suprà *Part. 6. c. 6.* §. 7. recitavimus.

§. 2. Nocte dieque Hiobum teste sacra pagina fascinare perrexit: nocte dieque eundem cum complicibus suis magicis operibus incumbere, perpetua hactenus experientia & acta Judicum docuerunt. Nocte tamen, & quidem media, Satanæ, eique addictæ societatis labor potissimum viget. Noctu jumentis & pecoribus insidias struunt, noctu ad conventicula properant, ludibriis vigilantes perturbant, dormientes insomniis terrent, peregrinantes à recto itinere seducunt, & omnibus mortalibus insidiantur. Vide Jacob. Andr. Crusii elegantissimas *de Nocte Lucubrationes Historico-Philologico-Juridicas cap. 17.* ubi ex Hagero

in

in Chronico Bohemiæ notat Anno 1201. urbem quandam in Bohemia à ſpectris noctu obſeſſam: ſimile quoddam in Provincia Angelome in Gallia An. 1608. contigiſſe ex Meterano refert. Nec mirari debemus, eum noctu ſæpiùs, quàm interdiu audiri & videri. *Ille enim, quo autore hæc ferè fiunt, in ſacris literis Princeps tenebrarum vocatur, & lucem verbi divini refugit*, Lavaterus *de Spectris Part. 1. cap. 19.* Pavoris noctis h. e. nocturni mentionem facit Regius Pſaltes *Pſalm. 91. v. 5.* Eum autem incutiunt Dæmones, Spectra, Lemures, Lamiæ, Striges. Sicut & Strix Hebræis לילית *lilit*, à ליל, quod nox eſt, & νυκτινόμα ac νυκτιβόα Feſto vocatur. Huc vox Lilis ex illo puerperarum Judaicarum præſervativo (de quo infrà *Part. 9. cap. ult.* § *21.*) ſpectat. Sed quid Lilis eſt? Reſpondet Buxtorfius *Synagog. Judaic. cap. 2. pag. m. 74.* Nomen hoc invenitur in Bibliorum ſacrorum textu Hebræo apud Prophetam Iſaiam *cap. 34.* & aliquibus Strix eſt. Strix autem avis nocturna & ominoſa eſt; quibusdam lamia eſt, i. e. mulier nocturna, quæ vulgò venefica. Sic & Judæi ipſi judicio meo accipiunt de Spectro Diabolico aliquo in forma muliebri apparente, quod ſpectrum quondam infantes octavo die circumcidendos occidere, vel ſecum prorſus aſportare conſuevit. Noctu Turoni ſpectrum quoddam ſeu Dæmon tumultuatus eſt, quem regem *Hugon* ſeu *Huguet* vocarunt, à quo Reformati iſtius regni ſub Regibus Franciſco I. Henrico II. Franciſco II. appellati ſunt *Hugonets*, quaſi Reformati, quia noctu ad ſacra ſua conveniebant, diſcipuli eſſent & ſectatores illius ſpiritus tenebrarum. Quam etymologiam habet præter Thuanum Hiſtoricum celebris JC. Stephanus Paſchaſius *in Epiſt. lib. 4.* Voetius *lib. 3. Diſp. p. 160.*

§. 3. Ipſo etiam meridie Dæmonia magis operoſa eſſe receptum eſt. Nolo ex anteallegato Davidis loco confirmare, ubi verſio vulgata: *Non timebis à timore nocturno. A ſagitta volante in die, perambulante in tenebris, ab incurſu & Dæmonio meridiano.* LXX. ſic: ἀπὸ συμπτώματος καὶ δαιμονίου μεσημβρινοῦ. Huic enim verſioni fontes repugnare genuini Interpretes advertunt. Nam voces, דבר, קשב *planiſſimam & ſolitam ſuam admittunt ſignificationem, quod etiam evincunt circumſtantia textus. Ita ſimpliciter τὸ* קשב *exterminium, luem, perniciem interpretantur, ex ipſis Pontificiis Pratenſis, Pagninus, Arias Montanus, Vatablus.* Ita Voetius *Diſp. Select. pag. 993.* Inprimis Vir Max. Reverendus

rendus D. D. Geierus *Comment. in Psal. 91. pag. 274.* legi meretur. Vult autem David pium quemque admonere, ne per totum diem, manè, meridie, vesperi & media nocte ea, quæ hominibus impendent, metuat. Non metuat à pavore noctis, à sagitta, quæ volabit interdiu, seu à periculo repentè, sagittæ instar, vitæ vel corporali, vel spirituali imminente; à peste, quæ in obscuritate, seu, ut Jos. Scaliger *lib. 1. Epist. 9.* explicat, in crepusculo incedit; à vastitate in meridie, seu lue contagiosa, quæ apertis Solis calore poris altiùs recipitur, & citiùs flammam vitalem extinguit, vastitatemque multiplici individuorum strage civitatibus & pagis infert. Et licet Chaldæus habeat, *turbam Dæmoniorum meridie grassantium, non tamen horum meminit, ut metaphrastes, sed paraphrastes, qui & reliqua antecedentia refert ad Dæmones*, inquit Dn. D. Geierus *loc. cit.* Vossius *Idolol. lib. 1. cap. 8. pag. m. 32.* vulgatam, & LXX. Interpretum versionem per Dæmonium meridianum non adeò improbat, idque dici ait ideò, quòd à meridie, h. e. à deserto veniret. Addit autem: *Olim legebatur* וְשֵׁד *vesched, h. e. & Dæmonio. Sed nunc legitur* יָשׁוּד, *jaschud, i. e. vastante.* Futurum enim accipitur pro præsente. Ita pestilentia intelligatur: ea meridiana dicatur, quia inprimis grassatur in calore Solis intenso.

§. 4. Dæmones meridie infestos esse, vetustatem credidisse Jos. Scaliger *loc. cit.* testatur, & adducit Pastoris illius Theocritiani verba:

οὐ θέμις, ὦ ποιμὰν, τὸ μεσαμβρινὸν, οὐ θέμις ἄμμι
συρίσδεν. τὸν Πᾶνα δεδοίκαμες. ἦ γάρ ἀπ' ἄγρας
τανίκα κεκμακὼς ἀμπαύεται. ἔντι γε πικρὸς &c.

Subjicit Scaliger: *Sed hæ nugæ sunt.* Dixerat ante, Sophistas ex illo Davidis loco hariolari, Dæmones in meridie vagari. Dictis mox vetustatis sententiam per ista Theocriti verba subdit: Verùm non, si nugatorius est probandi modus, propterea res ipsa, seu Dæmonium meridianum inter nugas referendum. Dari illud, seu Dæmones meridie magis infestos esse, nec obstetrices latet, quæ propterea puerperas, ne solæ in hypocausto maneant, monent, atque ut egressum præcocem, præsertim ab hora meridiei undecima ad duodecimam caveant, intraque parietes vel lectum se contineant, seriò injungunt. Matri suæ in primo puerperio hoc evenisse obstetrix quædam Lipsiensis narravit M. Prætorio *Anthropodem. Pluton. Membr. 14. pag. 531.* cum post horam meridiei undecimam

decimam panis ad scrinium butyrô illinendi gratia contubernio esset egressa, virum quendam atrum ex foramine cellari se ei conspiciendum exhibuisse, atque inde tanto terrore fuisse perculsam, ut 16. septimanas ægra lecto manserit affixa. Altenburgi Anno 1639. spectrum speciẽ infantis indusio albo induti puerperæ cuidam, quæ cum infante sola est in contubernio, apparet. Ista perterrita domesticos inclamat. Hi accurrentes infantem ab infante occisum inveniunt, referente D. Mengering *Informat. Consc. Evangel. Fer. 3. Pasch. pag. 279.* Russorum Dæmon meridianus messoribus brachia & crura frangit, nisi protinus viso spectro in terram proni concidant, Jordanus *de Divin. cap. 14. pag. 57. & 61.* ubi subjungit: *Jobi liberos opprimens Dæmonium meridianum. à deserto seu meridionali plaga inter prandendum venit, ut optimè colligit autor Comment. in Jobum, qui sub Origenis nomine circumfertur: sed recentior est, cùm mentio ibi fiat S. Luciani martyris & Homousianorum.*

PARS VIII.

De SIGNIS FASCINATIONIS MAGICÆ,

SECTIO I.

De SIGNIS DIAGNOSTICIS.

CAPUT I.

Signa Fascinationis magicæ calamo breviore hic consignantur. Rerum fascinatarum omnium signa tradere difficile est. Signum per quod discrimen effectus naturalis à supernaturali cognoscitur. Exempli loco ponitur pluvia verè sanguinea: ex causis merè naturalibus non oritur; Historia illustratur. In dijudicandis autem effectibus naturalibus prudenter agendum esse, exemplo pluviarum ibidem confirmatur. Vitulo, pileo, lapidibus &c.

 pluere

pluere naturaliter potest. Agentis supernaturalis vestigia in rebus artificialibus facilius deprehenduntur. Exemplum rerum arte factarum cruentarum.

§. 1. *Signa* Fascinationis Magicæ nunc veniunt consignanda. Consignabimus autem ea calamo breviore. Cùm enim fascinationis hujus objectum latum sit, idque præter primarium, quod Homo est, secundarium res ei inservientes, & naturales & artificiales, absolvant; harum autem seges sit amplissima; in solius hominis fascino animus noster erit occupatus.

§. 2. Nec facilè est signa fascinationis rerum tum naturalium, tum artificialium tradere, tum quia infinitus est earum numerus, ut immensi fuerit laboris, ad specialem singularum tractationem se dimittere; tum quia Dæmon sub causarum naturalium larvâ astutè & versutè se occultare novit; tum quia naturalium quarundam sæpe vis est admiranda, quæ cùm captu nostro major sit, supernaturalis agentis suspicionem nobis ingerit, & ad confundendum physica cum hyperphysicis curiosum etiam seducit.

§. 3. Magni ponderis est acutissimi Philosophi Suarez *de Superstit. cap. 16. num. 12.* effatum, quo etiam signa Fascinationis magicæ & naturalis operationis tradere satagit. *Quoties*, inquit, *effectus omnem vim causarum naturalium & corporearum superat, & requirit formalem aliquam mutationem, quoad substantialem formam vel qualitates, talis effectus non fit verè per magiam, sed tantùm phantasticè, vel per aliquem motum localem, qui ita ab ipsomet Dæmone fit, ut ab aliquo fieri appareat. Nam Dæmon non habet virtutem ad efficiendos verè hujusmodi effectus. Ergo quando illos promittit, vel exhibet, mendaciis ac præstigiis utitur. Tunc ergo falsitas est ex defectu potestatis.* Sanè ut nullum agens naturale principium sibi melius & nobilius dare; sic & nullum virtutem suam ultra propriam conditionem exaltare potest: & si vires naturæ effectus immane quantum transcendit, agens supernaturale subesse Philosophus naturalis meritò suspicatur. Exempli loco pluviam ponimus cruentam. In potestate & viribus naturæ non est pluviam verè sanguineam producere: siquidem sanguis non nisi in hominibus & brutis generatur. Ex horum autem corporibus cæsis vel ex

locis pugna finita cruentis non (ut nonnulli ſtatuunt) humor ſanguineus ſolis ardore attrahitur. Sanguis enim extra vaſa conſtitutus concreſcit, nativumque colorem amittit. Subſtantia inſuper ſanguinis, ſeu ejusdem craſſamentum in vapores ſanguineos reſolvi nequit, ſed talem vapor, coloris expers, inde poteſt adſcendere: ſicuti vapores corporis noſtri, qui è ſanguine per recluſa corporis ſpiracula prorumpunt, nec cutem, nec induſia tingunt.

§. 4. Wolfius *Lect. Memor. Tom. 2.* ex Andrea Angelo refert, Anno M. D. XCVII. Stralesuntæ Pomeraniæ nobili emporio, in aliquibus hortis pro porta Dantzica manè ex arboribus, herbis, floribus, graminibus, & alibi pependiſſe guttas ſanguineas; ex quo quilibet concluſit, præterita nocte ſanguine pluiſſe, præſertim, cùm & piſcatores, qui eadem nocte ſuo labori incubuerunt, idem in ſuis navigiis & retibus animadverterint: præcipuum verò, ait, indicium erat quoddam cervicale, operimentum lineum, ex quo cum ſanguinolentas vellent eluere maculas, eæ protinus in cruces ſe diſperſerunt, quæ, quò magis eluebantur, eò magis multiplicabantur, donec tredecim cruciculæ ſint factæ, quarum quælibet de noctu unum exæquabat digitum longitudine, & tam nitidæ erant ac venuſtæ, ac ſi quis ſumma induſtria & artificio eas pinxiſſet. Supra naturam, non juxta naturam, & ſic ſupra naturæ vires iſta contigiſſe, neminem ſpero contradicturum. Effectus quidem materiæ ratione naturalis eſt, quæcunque etiam ea in elementari mundi regione fuerit: (Deus enim nil de novo creat, ſed creata tantum ſervat: idemque ſolus creat, ut creandi poteſtatem fruſtrà in Angelis quæramus) ſupernaturalis tamen dici poteſt, cum reſpectu cauſæ primæ, quæ talis eſt abſolutè, cùm reſpectu finis, qui communis non, ſed prodigioſus & inuſitatus; tum etiam reſpectu modi & generationis, qui ſanè non videtur conſuetus & ordinarius, ſed inſolitus, quo primus motor, intervenientibus tamen cauſis ſecundis, aliquando utitur, ut res magnas per effectus inde productos portendat. Cæterùm qualis illa ſit materia, & ubi præciſè conſiſtat, quibusve ex corporibus eliciatur, & quomodo transformetur in ſanguinem, apodicticè demonſtrari nequit, cumque omnia fecerimus, tandem erit utendum illa veteris judicii formula. *Non liquet*, uti candidè diſſerit Cl. Matth. Berneggerus *Obſervat. Hiſtoric. Politic. 23.*

§. 5. Prudenter tamen, non præcipitanter, ea, quæ vim causarum naturalium superare videntur, sunt dijudicanda, ne ad supernaturalem potestatem referamus ea, quæ naturæ viribus unicè sunt adscribenda. Idem Berneggerus *l. c. pag. 289.* scribit: *Illos porro genios Dei naturæq; ministros, non sanguinis modò, sed & carnium, piscium, vermium, cinerum, lapidum, ferri, cretæ, frumenti, pluvias (qualium item exempla passim in historiis obvia sunt) efficere verisimillimum est. Nam qui talia vel sublimi aere demum generari, vel eò ventorum abripi violentia putant, cum ratione videntur insanire.* Viro Clarissimo hoc facile concessero, ista nec in aere sublimi generari, nec eo ventorum abripi violentia, Quid verò si alius detur modus? Alium Albertus Kyperus *Institut. Phys. Tom. 2. lib. 11. cap. 3. §. 3.* tradit, ubi quærit: *An verum sit, aliquando vivis animalibus pluere? Respondet: Constantissima fama de ranis est, ita ut dubitare non liceat, & plura collegit Jonstonus in Admirand. Meteor. cap. 8.* Ego certò compertum habeo, aliquando copiosè piscibus pluisse non procul à Regiomonte in Prussia, ita ut viæ quoque & prata piscibus fuerint repleta, & ipse ex piscibus illis comedi, unà cum parentibus meis. At quomodo id fieri possit, dubium esse potest. Aliqui putant semina illorum animalium à sole sursum elevari, & ibi elaborari, ac post decidere: ego & hoc concedere possum, & crediderim aliquando ipsa quoque animalia integra vehementi & quasi simultanea elevatione aquæ sursum trahi. Namque à nautis fide dignis mihi relatum est, accidere quandoque in mari, ut integræ cymbæ aut minutulæ naves, unà cum hominibus aliquando sursum aliquousque evehantur; atque istorum unus sanctè jurabat, se cum in India ex loco aliquo in alium navigaret, in tali periculo fuisse. Si id verum est, non potest prorsus fabulosum haberi, quod vitulo, pileo, lapidibus & similibus aliquando pluere potuerit. Ita ille.

§. 6. Hæc omnia ideò adducere & præmittere volui, ut constet, in rebus ad sensum merè naturalibus (hæc artificialibus jam contra distinguo) haud facilè semper esse agentis naturalis & supernaturalis actiones ab invicem distinguere, cùm in re naturali vires quandoque opinione curiosorum majores & plures lateant absconditæ, quas illarum ignari superiori agenti adscribunt. In rebus artificialibus agentis supernaturalis vestigia faciliùs deprehendimus. Ut recens & evidens, quod

quod nostrâ ætate Plaviæ Variscorum contigit, exemplum non sine animi consternatione legendum adducam, verba, quæ Præside M. Sim. Frid. Frenzelio Gottfrid. Schulz Milnicus *in Disput. de Causis Corpor. cruentor. Witteberg 1673. habitâ*, fecit, citabo: In Plauen den 25. Maji dieses 1672sten Jahrs am Pfingstheiligen Abend zwischen 3. und 4. Nachmittag wurde angezeigt / daß in Leonhard Weckerleins Hause in der Wohnstub aus den Wänden / Decke / Boden / Tische häuffig Blut heraus gedrungen sey: Anfangs kleine Tröpfflein / welche sich hernach so ergrösssert / daß kleine Blut-Pfützen endlich zusammen geflossen / aus den Bäncken / Werck-Stühlen / dürren abgescherbten Wacholder-Stecken / einem Schreib-Schiefer / und auf Abwischen hat es sich wiederum ereugnet. Die Weber-Stäbe seynd in ein Tuch eingewickelt durch einen Boten zum Fürsten zu Zeitz überschicket worden; Und als der Stab ist aus dem Tuch genommen worden / ist lauter geronnen Blut in dem Tuch gewesen / und der Stab selbsten hat Tropffen-weis Blut von sich gegeben. Amens sit & cum ratione insaniat, qui supernaturalem causam hîc non admiretur. Naturalem quidem & verum sanguinem ex rebus artefactis exanguibus ibi emanasse, præterea Dæmonis præstigias & fascinatorias artes exulasse censeo: Angelica tamen & occulta operatione istum è corporibus quibusdam detractum, vel materiam quandam in sanguinem fuisse transmutatam, immissam & emissam, concurrente ubique speciali Omnipotentis Dei influxu existimo: in quo tamen specialiores modos circa res artificiales nos, quia eos in via omnipotentiæ scrutari impossibile, cum ignorantia admiramur. Artefactorum tamen etiam datur varietas, tanta quidem, ut quædam agentis supernaturalis concursus quandoque arguantur: sicuti Alberti M. caput fictile, quod ita fabricavit, ut suo tempore loqueretur, Dæmonis latentis fraude verba apparenter pronunciasse nonnulli sentiunt, repugnante Joh. Adam. Webero, *qui Arte discurrendi de qual. mater. Font. 21. Exempl. 4.* rationibus tribus illud diluit. At si non aliorum, sed propriis oculis & manibus artefacta curiosè usurpantur, perit facilè concepta de supernaturalis agentis concursu suspicio. De absentibus oculi mentis soli, & soli corporis oculi de præsentibus solidè vix judicare possunt, nisi utrisque omnem circumstantiarum apparatum evolvendi detur copia.

CAPUT

CAPUT II.

Signa Fascinationis Magicæ in Homine tradere difficile est. Signa obsessionis spiritualis. Corporalis obsessionis signa propria & infallibilia non dantur. Dispescuntur in primaria & secundaria. Ista sunt rerum occultarum revelatio & notitia, linguarum peregrinarum scientia, & potentia præternaturalis: sed eadem nec omni, nec soli Dæmoni obsidenti competunt. De obsessis ex signis non singulis, sed aliquot conjunctis judicandum. Signa secundaria quæ? An fascinatio sit obsessio, & fascinati obsessi sint dicendi? Non semper Dæmon, ubi operatur, αὐτοπροσώπως *est. Ad obsessionem requiritur sæviendi Dæmonis facultas à Deo impetrata. Ratio tractationis limitatur arctiùs. Regula generalis pro fascini mentis & corporis dignotione.*

§. 1. UT ad institutum nostrum accedamus, & Fascinationis Magicæ in Homine signa indagemus, hoc ipsum negotium sua non carere difficultate itidem advertimus. Eam Dæmonis calliditas, mentis nostræ imbecillitas, causarum ejusdem rei varietas, & fascinorum pluralitas creat. *Hominem* & totum, & secundum partes varias varia ratione fascinari diximus. *Totus* in obsessione totali; secundum *partes* ratione *animæ* in obsessione spirituali, ratione *corporis* in obsessione corporali & pluribus aliis modis, ratione nimirum facultatum si fiat consideratio, ut sequentia docebunt.

§. 2. *Signa* Fascinationis seu *obsessionis spiritualis* sunt opera ipsa sive fructus mali, quos Dæmon in iis, in quorum cordibus impietatem plantavit, influxu & adspiratione maligna maturat, *Omnis* enim *arbor bona fructus bonos facit: putris autem arbor fructus malos facit. Ex fructibus ipsorum agnoscetis eos, Matth. 7. v. 17. 20.* Hi sunt, qui impulsu spiritus mali carnalium cupiditatum cœnô animum ad effrænem scelerum luxuriam stercorant; ἐλαυνόμενοι (qua voce ἐλαύνω *agito, impello*, quæ ἐπὶ ἵππυ καὶ νηὸς, de equis, curru & navi, teste Varino, usurpatur, Lucas etiam *cap. 8. v. 29.* utitur) impulsi à Dæmone & jumenti instar ab eo corpore & mente ad patranda scelera agitati: quem impulsum vulgus sic exprimit: **Je reit't dich denn der Teuffel.** De statûs hujus, in quo talis versa-

versatur, signatione differit Dn. D. Danhauer. im Scheid-und Absags-Brieff *Part. 1. Quæst. 7. pag. 83.* Dieser Stand ist zwar ein unsichtbarer/unscheinbarer/unheiterer/ doch bezeichneter Stand / den man auch an gewissen Characteribus, Denckmahlen erkennen und unterscheiden mag/sonderlich was den groben/ lasterhafftigen Teuffel anlanget: der reitet zimlich grob herein/ den kennet man am Gang / wie den Vogel am Gesang / den Pfenning am Klang. Die Wercke deß Fleisches sind offenbar: Christus verrähte die gottlosen Jüden zu seiner Zeit aus dem Augenschein ihrer bösen Wercken/ und Satanischer Nachfolg rc. Belangend aber den heiligen Teuffel/ wenn er den Heuchler spielt/ und sein weisses hell-liechtes Engel-Kleid anzeucht/ der macht einen blauen Dunst für die Augen/ er schleicht unvermercksam herein / er führet einen Glast und Schein sonderbarer Frömmigkeit: das albere / unberichtete/ leichtglaubige Leut tausend Eid schweren möchten / solche von ihm bewohnete Leut / bevorab / wenn sie nach eigener Wahl und Geistlichkeit der Engel einhergehen / wären lauter lebendige Heilige rc.

§. 3. *Signa obsessionis corporalis* propria & infallibilia, quæ omni, soli & semper competant, nulla dantur. Quæ autem ab Autoribus proferuntur, probabilia saltem sunt & incerta, aut vana & superstitiosa. Ea in primaria & secundaria dispescit Dn. D. Dorscheus *Disput. de Satan. Obsess. Sect. 1. Quæst. 5.* *Primaria* sunt (1.) *rerum occultarum, nimirum vel non comprehensarum, vel futurarum, vel remotissimis in locis gestarum, revelatio & notitia*, quæ hominum ista eloquentium, cum rudes & indocti semper fuerint, captum superant: Ut Dæmoniacus ille sylvestris *Marc. 5 v. 7.* & Pythonissa Philippensis *Actor. 16.* Sic Vir ille apud Camerarium *Horar. Subcisiv. Cent. 1. Obs. 70.* à mirificô & inquietô spiritu certis intervallis agitatus, non tantùm quando sedatiori animo fuit ad se accedentes licèt ignotos & nunquam antea à se visos proprio nomine compellavit, illisque de parentibus & consanguineis, nec non & gentiliciis insigniis, ac si familiariter cum illis diu versatus fuisset (quod & sibi accidisse refert Camerarius) facundè retulit: commotiore verò animo falsa & obscœna intermiscuit; sed etiam interdum alia protulit & fecit, quæ insolita & mira sunt. Nocte, qua immanis laniena Lutetiana facta est, sæpius exclamavit; omnia sanguine & cruore scatent. Et paulò post: Ecce! ecce! quanta agmina Cacodæmonum velut ex dissitis ac diversis locis advenientium, & invicem congratulantium, gaudioque gestientium,

um, ac si aliquam cruentam & insolitam diuque expetitam rem ex arbitrio perfecerint, hinc inde circumvagari conspicio! addidit exclamando: Ea omnia extra Germaniam actitata & gesta sunt.

§. 4. (2.) *Linguarum peregrinarum scientia.* Quod enim, quis nec audivit, nec didicit unquam, effari de se nescit: si autem à Deo aut Angelo bono inhabitante idioma promanat, à Dæmone illud esse, meritò præsumi potest. Hoc signo deprehensus est ille, qui Candidatum quendam Constantii Imperatoris possedit. Quamvis enim Candidatus Francam tantum & Latinam nosset; tamen B. Hilarioni Syro, quo ipsum rogabat, sermone respondebat, & quidem ita perfectè, teste Hieronymo, ut non stridor, non adspiratio, non idioma aliquod Palæstini deesset eloquii, Thyræus *de Dæmoniac. Disp. 2. cap. 24. n. 12.* ex *Hieron. in vita Hilarion.* Confer supra *Part. 4. Sect. 1. cap. 3. §. 14. 15.* (3.) *Potentia præternaturalis*, &, ut Thyræus *pag. 67.* loquitur, vires in corpore humano non humanæ, ut catenas frangere, onera portare humeris, sive viribus humanis majora. Ita Dæmoniacus ille *Marc. 5. v. 2.* Catenis ligari non poterat, quoniam sæpè compedibus & catenis vinctus dirupisset catenas & compedes comminuisset. Huc agilitas & currendi pernicitas humanas vires superans refertur. Talis indicavit spiritum mulieris cujusdam Mediolanensis vetulæ, quæ ad S. Bernardum adducta, scamnum, in quo ille sedebat, transiliit; addidit quoque, se quoscunque equos cursu æquare posse, eorumque dorsa sine adminiculo transilire, Thyræus *loc. cit.*

§. 5. Hæc autem τεκμήρια, quia nec soli, nec omni Dæmoni obsidenti competunt, infallibilia & propria signa esse nequeunt. *Non omni* competunt. Nam, ut Dn. D. Dorscheus *l. c.* advertit, Diabolus se abscondere potest, & nullum indicium suæ præsentiæ præbere, quanquam id rarissimè faciat: *Non soli*, quia Dæmoni assistenti ea etiam competunt. Dæmonis nudè assistentis, non obsidentis, inspiratione Magi & spiritibus familiaribus familiares occulta & ignota revelant, qui tamen obsessi non sunt. Sic Apollonius Thyaneus, Philosophus Pythagoricus Anno Christi 98. eo tempore, quo Domitianus Cæsar Romæ à Stephano fuit interfectus, & ipse Ephesi in frequentissimo auditorio disseruit, mox per aliquod temporis spatium velut attonitus siluit, deinde exclamavit: Euge Stephane, pulchre Stephane, percute scelestum, percussisti,

ſiſti, vulneraſti, interfeciſti. Philoſophum hunc obſeſſum nemo dixerit. *Per Parhedros autem ſpiritus ita cognovit abſentia tanquam coram oculis agerentur*, ait Dn. D. Libavius *Exam. Philoſoph. novæ Sect. 20. p. 35.* Quid? inquit Thyræus *l. c. c. 22. n. 14.* quòd nec occultorum revelatio ſatis magnum hic argumentum præbeat. Divinatores occulta revelant; ſed tamen à Diabolo non poſſidentur omnes. Mortis diem & horam quosdam ſibi prædixiſſe variis exemplis probat Voetius *Part. 2. Diſp. p. 959.* qui tamen obſeſſi non fuerunt. Linguarum ſcientia & locutio ſupernaturalis an à bono, an malo principio oriatur, non à priori, ſed à poſteriori ex fine deprehenditur, qui ſi bonus, & Dei gloriam hominumque ſalutem promovet, à bono donum iſtud provenire exiſtimandum, ſicuti Apoſtoli variis linguis Chriſti regnum propagarunt, Spiritu S. inſtructi: at verſipelles ſpiritus in obſeſſis gloriam propriam cum Dei injuria & hominum pernicie quærunt. Dæmonem quoque cum lumine intelligibili, linguarum quoque theſauros ſuis donare ſupra *Part. 6. cap. 1.* §. *12.* confirmavimus. Robur quoque ut donum corporis idem quoque ſpiritus, qui animi dona, licet apparenter, largitur, ad tempus citra veræ obſeſſionis præjudicium conferre poteſt.

§. 6. Quapropter Balduinus *Caſ. Conſc. lib. 3. cap. 3.* de Obſeſſis non ex ſingulis ſignis, ſed aliquot conjunctis judicare jubet. Dn. D. Dorſcheus ſatis certa enumerata iſta ſigna eſſe ait ad obſeſſionē probabiliter evincendam, cumprimis quando & alia accedunt, nimirum *ſecundaria* ut ſunt 1. horrenda vociferatio. 2. Dei blaſphematio & proximi cavillatio. 3. geſtuum deformatio. 4. inhumana comeſſatio. 5. corporum excruciatio. 6. inſolita corporis & proximorum læſio. 7. admiranda corporum motio. 8. rerum geſtarum oblivio, quæ omnia fuſiùs nonnihil vir prælaudatus explicat. Confer Dn. D. Danhauerum im Scheid und Abſags-Brieff *Part. 1. p. 131.* Plura, quæ faſcinatum intellectum, voluntatem, affectus & alia concernunt, nos Dnn. Theologis relinquimus.

§. 7. Quæritur hic: *An faſcinatio ſit obſeſſio, faſcinatiq́ obſeſſi ſint dicendi?* Affirmativam ſuadere videtur hoc, quia dictum eſt, Dæmonem ægritudinem inducere, ſpiritus movere, humores agitare, ſomnia inferre, voluntatem ſeducere, morbos, ſolutæ unitatis immittere,

 & plu-

& plura alia in ipso corpore humano operari, ideoque potestatem, ut in obsessis, in illud usurpat, idque miseris modis affligit, adeoque fascinationi Diabolicæ definitio & requisita obsessionis competunt. Est enim obsessio afflictio seu vexatio non naturalis homini, illata à Diabolo immediatè & localiter intra corpus existente & operante, illudque ad tempus subigente, Voetius *libr. 1. Dispp. Select. pag. 1020.* Requisita hujus mali, eodem autore, sunt 1. ut sit passio destructiva seu corruptiva (ut vocant) corpori & naturæ ejus adversa. 2. ut sit in homine tanquam in proprio subjecto: haud aliter ac Eclipsis est passio Lunæ. 3. ut sit à solo Diabolo immediatè operante. 4. & quidem localiter intra corpus existente, h. e. ut non tantùm sit in corpore, sed intra corpus, quod fit cùm operatur intra terminos quantitatis corporum. 5. ibidemque tanquam in proprio suo quasi domicilio permanente, aut saltem illud exercente. Quæ omnia fascinationi dæmoniacæ quadrare videntur. Verùm à præsentia fascini interni ad internam Dæmonis potentiam non licet indubitatò colligere, quia tum ab extra interiores corporis partes artificis instar horologium externa manu levi tenuis fili motu pendentis mutare, tum naturalia fascini productiva ab extra admovere potest, Vid. Danhauerus *loc. cit. pag. 107. Necesse non est*, inquit Thyræus *de Dæmoniac. Part. 1. Dispp. cap. 10. n. 5. ut, ubi operantur, ibi sint αὐτοπροσώπως ipse Spiritus. Possunt hoc loco existere, & alio operari. Alia est sphæra activitatis Dæmonum, alia præsentia.* Imò ne ii quidem, in quos Diabolus ipse est ingressus, sunt dicendi obsessi. Nam, ut idem Thyræus *loc. cit. cap 2.* disserit, Diabolus in Judam post acceptam buccellam ingressus est, sacra attestante historia: sed tamen non dixerimus facilè, Judam obsessum fuisse. Quid ita? Quia non satis est Dæmonium hominem intrasse, ut obsessus dicatur; requiritur præterea, ut in eundem sæviendi, vel agendi à Deo obtinuerit facultatem.

§ 8. Signa jam quoad *facultatem* animæ humanæ *intellectivam* fascinati intellectus, voluntatis, sermonis & risus: quoad facultatem *sensitivam* fascinati sensus communis, phantasiæ & memoriæ: fascini somni & vigiliarum, ut & facultatis appetentis & loco motivæ: quoad facultatem *vegetativam* fascinatæ nutritionis, augmentationis & generationis, item fascinationis rerum homini inservientium tum naturalium tum artificialium essent proponenda; sed quia horum tractatio tra-

ctatui

ſtatui præſenti, cujus materia opinione noſtra major evaſit, ampliorem pro augmento materiam ſubminiſtrat, ea præteribimus, & in ſignis morborum per faſcinum illatorum, ſed in genere tantùm occupati erimus. Antequam autem eò tendimus, regulam quandam pro faſcino mentis & corporis dignotione generalem ponimus: Quæcunque à ſummo bono, à ſana ratione atque honeſtatè ſummè diſtant, & à ſtatu naturali ſupra omnem naturæ indolem & conditionem recedunt, iis faſcinum plerumque ineſſe meritò colligitur. Plerumque dico: quia ob pravam animi diſpoſitionem & infirmitatem, ob mediorum in ſcrutando defectum, ob nimiam credulitatem, ob ſenſuum deceptionem, ob affectuum perturbationem, ob cauſarum ſublimitatem, & obſcuritatem intellectus in cognoſcendo à verò, & voluntas in appetendo, à bono longiſſimè citra Dæmonis adſpirationem & influxum recedere poteſt, ut faſcinum adeſſe exiſtimetur, quod non eſt. Quæ autem in naturalibus ſupra conditionem naturæ verè oriuntur, ea quidem de ſupernaturalis, non autem mox determinatè de Dei, Angeli boni vel mali operatione, niſi penſiculatius aliæ circumſtantiæ evolvantur, teſtari poſſunt, v. g. linguas peregrinas nunquam comprehenſas, futura & abdita promtè effari, ſupra naturæ humanæ conditionem eſt, id quod influxum quidem & concurſum ſupernaturalis agentis, non autem determinatè ſpiritus boni vel mali arguit. Alia itaque ſigna erunt colligenda & inquirendum, an homo, quæ edixit, intelligat, & dictorum reminiſcatur. Si non intelligit, nec reminiſcitur, autore ſpiritu malo faſcinum ſermonis fuiſſe illatum dicendum. Non autem affirmativè ſimpliciter inferre licet: Intelligit & reminiſcitur: Ergò à ſpiritu bono homo adactus loquitur, quia & in hoc caſu impoſtorem calidiſſimus ſpiritus agere poteſt, propter quam ejus impoſturam alia inſuper curioſiùs erunt inveſtiganda, & cum judicio iis conjungenda.

CAPUT III.

Faſcinatio corporis difficillimè cognoſcitur. Cauſæ difficultatis 1. *morborum quorundam facies admiranda. Horum exempla.* 2. *Cauſarum in quibusdam morbis obſcuritas.* Τὸ θεῖον *Hippocratis in morbis quid? Exempla. Vulgus, cum morbi cauſam non compreben-*

prehendit, ad fascini opinionem labitur. 3. Morborum naturalium & supernaturalium quandoq; affinitas. 4 Dæmonis versipellis calliditas. Exemplum utriusque. Signum, quod omnibus morbis à fascino ortis conveniat, non datur. Sennertus tria eorum signa tradit, quæ evolvuntur. Capitis distortio affectus mirus & rarus. Ejus exemplum. Certissimum fascini illati signum quod? Fascini infantium, præcipuè macies signum. Ligaminis signa. Signa morborum magicorum superstitiosa. Unde pili in decocto verbenæ post lotionem.

§. 1. F*Ascinatio corporis* non minus ac animæ quandoque *difficillimè cognoscitur*, ut non facilè sit, nullo in oculos incurrente symptomate supernaturali, discernere, an morbus sit à causis merè naturalibus, an verò Dæmonem habeat vel autorem, vel adjunctum naturali causæ. *Difficultatem parit* (1.) *morborum quorundam facies admiranda*, qua territus Medicus etiam expertissimus quandoque dubius hæret, an naturalis, an supernaturalis agentis sint effectus isti. Talia paradigmata praxis sæpe exhibet. Alex. Benedictus *lib. 5, cap. 6.* refert, spinam in spasmo aliquando in arcus Scythici modum retrorsum flecti tanto cum cruciatu, ut sæpe intra dies quatuor tollantur è medio. Uteri suffocatio tanto nonnunquam cum impetu prosternit fœminas, ut defunctis fiant similes, & teste Paræo *lib. 23. cap. 46.* pro mortuis, etsi viverent, fuerint elatæ. In saltu S. Viti homines insano saltandi furore perciti choreas ducere semper appetunt, & cum aliis tripudiare ad extremam virium defatigationem gestiunt, Horstius *Epist. Medic. Sect. 7. de Admirand. Convuls.* Morbus sacer, qui Epilepsia Hippocrati dicitur, præsertim à minera scorbutica ortus, gravissimis hominem quandoque convulsionibus, ac si fascino esset læsus, cruciat, notante D. Drawizio im Schmertzmachenden Scharbock *pag. 90. Vidimus*, inquit Th. Willis *de Morb. Convuls. pag. m. 21. quosdam convulsionibus admirandis ac perpetuis affectos, ut necesse habuerint, membra huc illuc tractare & distorquere, saltare, discurrere, humum manibus aut pedibus contundere, aliasq; gesticulationes stupendas exercere, haud secus, ac si Sagarum præstigiis læderentur.* Exempla morborum plura, in quibus θαυμαςὸν habetur, apud D. Sebizium loco mox citando videantur.

§. 2. (2.)

§. 2. (2.) *Causarum in morbis quibusdam obscuritas*, quæ, si comprehendi facilè nequeunt, suspicionem τȣ̃ θείȣ, vel δαιμονίȣ pariunt. Τὸ θεῖον in morbis jam olim Hippocrates agnovit, idque accuratè discendum, & prævidendum præcepit, per quod rejectis aliorum interpretationibus D. Sebizius *Dissertat.* περὶ θείȣ, & Hier, Jordanus *Lib. de eo, quod divinum aut supernaturale est in morbis*, intelligunt abstrusum, abditum & arcanum, quod nec sensuum beneficio, nec adminiculo rationis pervestigari potest, sive lateat in affectibus, sive causis. Quædam in se quidem manifesta satis sunt, & effectus rationem dant evidentem, obscura tamen manent, quia sensibus ad ea cognoscenda, dum vivum est corpus, non datur via: aperto autem post mortem corpore, causa fit manifesta. Exempli loco sit observatio sequens, quam Erasmus Bartholinus per D. Moretum insignem Mathematicum à Brixiano Medico accepit, referente Thom. Bartholino *Cent. 3. Hist. Anat. 24. Filius D. Marci Antonii Scalvini Brixiani, novem annorum, bonæ complexionis 1654. ægrotavit diebus 33. febre ardentissima, quæ spatio paucorum dierum consumpsit omnem carnem, reduxitq; miserum puerum ad sceleti maciem. Extremis diebus de ardore urinæ conquerebatur, ejusq; difficultate, quam sanus nunquam passus fuerat, licet siti continua aridus sine modo & modio tam vinum quàm aquam puram lutulentamq; & sapone inquinatam avidius hauserit. Demortui cadaver parentes de incantamento dubitantes, cupientesq; scire causam mali aperiri jusserunt. Inveniebatur hepar immensæ magnitudinis prorsus sanum, nisi quod in extremis partibus esset tostum, nigrum & durum. Renes flaccidi, nullius consistentiæ, in venis emulgentibus prope renes reperti sunt duo calculi, unus utrinq;, nec tamen unquam in juvenili corpore urinæ mictionem impediverant. Primus calculus æquabat pondus duorum aureorum Hispanicorum, 1½. ungaros & sex grana. Alter duos aureos, medium ungarum, exceptis septem granis.* Hæc Bartholinus.

§. 3. Vulgus, cùm morbi causas statim & satis assequi nequit, ad fascini illati opinionem pronus est, quo de meritò conqueritur Anton. Prætorius im Bericht von Zauberey und Zauberern *cap. 9. pag. 58.* Es ist leider dahin kommen/ so bald einem die Augen verdunckeln/ der Bauch grimmet/ die Finger schwären/ die Füß geschwellen/ das Hertz zerschmeltzt/ die Seel ausfährt/ oder das Vieh verdörret/ verseihet/ verlahmet/ verfället und stirbt: da

rufft

rufft jederman/ das gehet nicht recht zu/ dem ist vergeben. Er hats am Apffel gessen/ er hat es vom Trunck bekommen. Da gedenckt man weit umher/ wo man gewesen/ wer zu Essen gegeben/ und zugetruncken habe / wer bey gesessen / wer angegriffen/ und was mehr. Bald verdenckt einer diesen/ der andern jenen/ hie redet man heimlich/ da ruffet man laut / der und der hats gethan. Also wird Leid mit Leid versaltzen / und Jammer über Jammer angerichtet. Ach! das ist zu viel/ unrecht und leichtfertig gehandelt. Es gehören erfahrne Aertzt und Naturkündiger dazu/ daß Kranckheiten / so von Gifft kommen / erkannt und von andern unterschieden werden. Et Thom. Willisius *loc. c. pag. m. 100. Quoties*, ait, *è potentioribus cuipiam viro natus aut affinis spasmu fortè atrocioribus & insolitis corripitur, plerumque fit, ut vetula mox proxima veneficii accusetur, rea peragatur, laqueumq́ aut flammas vix ac ne vix quidem misera evadat; cùm interim morbus à causis merè naturalibus procedens, non alio exorcismo, quàm remediis contra affectiones convulsivas præscribi solitis facilè curetur.*

§. 4. (3.) *Morborum naturalium & supernaturalium quandoque affinitas.* Dæmon enim varios morbos causis naturalibus mediantibus inferre potest, ideò sub morborum leviorum æquè ac sub graviorum morborum larva latere, & per morbum à se inductum primò blandam naturalis affectus opinionem excitare potest. Exemplum esto illud quod *Part. 4. Sect. 1. cap. 6.* recitavimus, item quod *Part. 5. cap. 6. §. 7.* habetur. (4.) *Dæmonis versipellis calliditas*, qui decipiendi cupiditate æquè, ut nocendi voluntate flagrat, eaque, quæ propriam naturæ indolem produnt, facilè fraudibus & præstigiis variis occultat, tamdiu quidem, quamdiu vel vult, vel occultare ei permittitur. Exempla notatu digna recitat Fernelius *lib. 2. de Abditis rerum caus. cap. 16. Quidam cùm per æstus nocte vehementer sitiret, è somno surgens, potu non invento obvium malum fortè prehendit, id mandens fauces sibi quasi manu præcludi strangulariq́ sensit, simulq́ à subeunte Dæmone jam obsessus visus est in tenebris videre se à prægrandi nigerrimoq́ cane vorari, quæ postea restitutus integra mente nobis ordine recensuit. Hunc non pauci ex pulsu, ex calore, & scabricie linguæ febricitare, ex vigiliis & mentis perturbatione simpliciter delirare judicabant. Juvenis alius familia equestri paucis antè annis corporis concussione & quasi convulsione ex temporum intervallis laboravit, qua nunc solùm sinistrum brachium, nunc dextrum,*

inter-

interdum etiam digitum unicum, aliàs crus alterum, aliàs utrumq;, alias corporis truncum tanta celeritate exagitaret, vix ut à ministris quatuor decumbens cohiberetur. Caput autem inconcussum jacebat, lingua & locutio libera, mens sana omnesq; sensus integri vel in convulsionis ferocia. Decies minimùm corripiebatur: in intervallis sanus, sed labore confractus. Vera epilepsia judicari poterat, si mentis sensuumq; læsio accessisset. Peritissimi quiq; adhibiti medici convulsionem epilepsiæ finitimam à maligno venenatoq; vapore spina dorsi impacto censuerunt: & quòd vapor in eos nervos emanaret, qui à spina in artus quoquo versum, non autem in cerebrum disseminantur. Hac credita causa ut summoveretur, clysteres imperantur frequentes, purgationes generis omnis & validæ, cucurbitulæ infiguntur nervorum initiis, fotus, unctiones, emplastra, primùm quæ discuterent, dein quæ roborarent, venenatamq; malignitatem obtererent adhibentur. His parùm proficientibus sudores proliciuntur balneis, æstuariis, & guajacina hebeni decocto, quæ nihilo magis profuerunt. Tam accommodatis remediis malum id non cessit, quoniam omnes longè aberamus à cognitione veri. Nam mense tertio primùm deprehensus Dæmon quidam totius mali author voce insuetisq; verbis ac sententiis tum Latinis, tum Græcis (quanquam ignarus linguæ Græcæ laborans esset) se prodens. Is multa assidentium, maximèq; medicorum secreta detegebat, ridens, quòd eos magno periculo circumvenisset, quodq; irritis pharmacis corpus hoc penè jugulassent. Similis farinæ historiam refert Zacutus Lusitanus *in Prax. Admiranda lib. 3. cap. 134.* Æquè delusus fuit Johannes Echtius, Medicus Coloniensis *pilulis de Cynoglossa* puellæ clam obsessæ somnum conciliaturus: quarum una devorata, digitoque alterum oculum occludente ægrota; Vide, inquit Dæmon, quàm egregiè nunc dormiam! Pisana virgo Cæsalpino memorata *de Invest. Dæmon.* cùm Dæmoniaca esset, integrum decennium crurum tantùm paralysi fuit detenta, nullis prorsus remediis ex arte medica juvantibus, donec prodente se Dæmone ad exorcistas itum, notante Jordano *l. c. p. 162.*

§. 5. Bapt. Codronchius *lib. 3. cap. 13.* signa communia varia, variosque morbos, quibus fascinati laborant, enumerat; tandem tamen fatetur, non esse necessarium, ut omnia relata signa in his ægrotantibus reperiantur; sed esse satis, quòd aliqua duntaxat pro diversitate morbi

& maleficii adsint. *Non potui*, ait, *adhuc observare signum aliquod, quod omnibus conveniat, quamvis aliqua sint magis frequentia.*

§. 6. Sennertus *lib. 6. Pr. Med. Part. 9. cap. 5.* tria morborum à veneficiis ortorum signa proponit: sed nec ea genuina esse, adæquata & propria, ostendemus. *Primum* esse ait, quòd Medici etiam doctissimi in morbo cognoscendo dubii sint, & hæsitent, ac omnino fluctuent, & vix aliquid certi, quo vel sibi ipsis satis faciant, statuere possunt; & quamvis multa remedia adhibeant, iis tamen nihil proficiant, sed morbus indies deterior reddatur. Verùm & morbi novi, ut fuit in Europa lues Venerea Anno Christi 1493. & affectus raró occurrentes, v. g. capitis distortio, magnam in curando Medicis figunt crucem, ut cùm omnia frustrà tentarint, Medici dubii maneant, quid porrò sit agendum. Rarus est Capitis distortio affectus, & propterea inter affectus omissos ab Arnoldo Bootio *Observat. Medic. de Affectib. Omiss. cap. 5.* relatus. Observationibus istis secundò editis præmisit Dn. D. Meibomius elegantissimam Præfationem, in qua bis, isti gemina germana exempla se observasse scribit, Lubecæ alterum, alterum Romæ. Hoc notatu dignum ex eo adducere placet. *Juvenis quidam Tirolensis veteribus & novis ruderibus totum diem, neglecto quoque prandio, Romæ occupatus, vesperi domum reversus de cervice conqueri cœpit. Nec tamen aliud sentiebat, quàm rigorem quendam, qualem aliàs se passum à catarrhosis defluxionibus meminerat. Unde etiam sponte id cessaturum ratus, Medici auxilium non imploravit, sed à calidis tegumentis quærere remedium decrevit. At cum altero die expergefactus se lavare vellet, in latus sinistrum tanto cum impetu trahi sibi caput sensit, ut succurrere manu cogeretur, veritus, ne planè intorqueretur. Notabilis tamen dolor non aderat, sed levis aliquis gravitatis sensus circa collum & scapulas in utroque latere. Et ex eo tempore raras intermissiones habebat, nisi nocturnas. Circa cœnæ & prandii tempus potissimum illum invadebant affectus. Memini, cùm primum ori bolum immitteret, tanto impetu invasisse malum, ut abire mensâ impransus & cedere vicino demensum suum cogeretur. Habebat idcircò, quoties mensæ assidebat, sedile quoddam cum appendicibus in superiori parte ita studiosè paratum, fulciendo capiti ejusq; involuntario motui præcavendo. Mirabar circa ordinarium cœnæ, prandii autem potissi-*

potissimum tempus, paroxysmos ingruere. Suspicabar primùm, accelerari eos à motu musculorum maxillam eo tempore moventium; quò respicientes in emprosthotono & opisthotono jam curatos vitare cibum jubemus, quicquis mandendus est, metu recidivæ. Sed extraordinarium illud cibi sumendi tempus, licet comederet, non exacerbabatur malum. Interim floridissimo erat colore, & omnia mentis corporisq; munia solito more suo exequi poterat. Sicut autem hic affectus ægerrimè ipsum exercebat, sic ille vicissim Romanorum medicorum ingenia. Jam venam ipsi secare, jam purgare, jam in dorso scarificare, jam ad decocti sancti ingratos haustus & laconici sudores damnare (quod Syphilidos & curandæ illius ergò facta Mercurialis inunctionis suspectum haberent) denique quicquid & logos & methodos atque experientia suadet, in illo tentare. Sed omnia frustra. Jussus dein mutare aerem in patriam cogitabat, Venetiasq; lectica portatus, cùm ex itinere immane quantum langueret, ibi substitit, iterumq; Medicorum consilio usus est, sed eodem, quo prius, eventu. Tandem in patriam reversus ibiq; paulo post (hoc ne morbo an alio?) obiisse relatum est mihi. Hactenus Meibomius, ex quo historiam totam annotare libuit, ut constet, à cognitionis & curationis difficultate ad fascinum non esse argumentandum. Vulgo, qui plerumque, quæ quotidie non occurrunt, ad τὰ θεῖα refert ac fascina, atque in recitato isto affectu, annotante eodem Meibomio, incantamenti suspicionem aut ad minimum veneni habere solet, sic argutanti condonatur: sed docti sic inferre, nisi evidentia signa contrarium suadeant, cavent. Dolores scorbutico-colici & iliaci quadraginta & plures dies sæpenumero, teste Dn. D. Dravvizio *l. c. p. 288.* durant, nec medicinæ ulli cedunt. An ergo, si forsan ex affectibus, casu vel errore in diæta commisso isti intenderentur, dolorum contumacia & in pejus ruina fascini suspicionem præbeat?

§. 7. *Secundum* signum est, quòd, cùm morbi naturales sensim incipiant, & sua tempora percurrant, & ad statum perveniant; morbi à Diabolo reverà inducti, sæpe nullis præsentibus causis, pravisque humoribus, statim in suo vigore constituti videantur, & gravissimis doloribus ac aliis symptomatibus ægrum affligant. Sed τὸ sæpe, signum hoc ex infallibilium & genuinorum catalogo rejicit. Adhæc cùm morbos mediantibus causis naturalibus Dæmon benè multos inferat, activa pas-

livis utique temperare novit, ne mox ad ἀκμὴν morbus deveniat. Quâ potestate & licentia naturalia in furorem & excessum Dæmon agit, eadem etiam turgentem materiam, ut per gradus eat, refrænare potest. Juvenis illius apud Fernelium epileptici fascinum Medicorum nullus unquam, nisi mense tertio intellexit, Dæmone ipso naturali modo, epilepticis non insolito ludificante. Insuper nec omnes morbi tempora quatuor habent, cùm natura victa æger etiam in principio mori queat; nec in morbis fine fascino ortis semper mitiora, sed interdum graviora in principio, quàm in ἀκμῇ oriantur, ut in variolis, epilepsia &c. notante D. Mœbio *Instit. Med. l. 2. Part. 1. cap. ult.*

§. 8. *Tertiò* ægri inusitata & à Medicis vix dum annotata symptomata patiuntur, & modò in hac, modò in illa parte de dolore conqueruntur, plurimi sine causa toto corpore emaciantur, fiunt melancholici, quidam convulsiones varias patiuntur. Verùm qui πολύμορφον Scorbutum, & quas de eo Dravvizius *loc. cit.* adduxit, historias evolvit, non potest non symptomatum & varietatem & gravitatem in eo admirari. Certissimum tamen morbi à fascino & veneficio illati signum esse Sennerto adstipulamur, si acus, cultri & similia artificiosa vel alia, quæ in corpore humano generari non possunt, vomitu, vel per alvum, ejiciantur, vel ex ulceribus, & vomicis erumpant, aut extrahantur. Huic quoque signo, quod Dravvizius ad distinguendam convulsionem naturalem ab ea, quam fascinum intulit, adduxit, multum tribuendum, minus reliquis. Certiora habet Th. Willisius *de Morb. Convulf. l. c. p. m. 101. Si*, inquit, *in cujusquam laborantis casu veneficii aut fascinationis suspicio exoriatur, duo sunt inprimis motuum genera, quæ hanc creare & fovere solent, scilicet 1. si patiens ejusmodi membrorum, aut totius corporis contorsiones aut gesticulationes perficiat, quas nemo sanus, ne quidem mimus aut gesticulator quispiam imitari solet. Dein 2. si robur exerat, quod vim omnem humanam superat; quibus si rerum monstrosarum excretiones accedant &c. extra dubium ponitur, in hac tragœdia Diabolum partes suas habere & agere.*

§. 9. *Fascini Infantium* signa Cardanus *lib. 2. de Venen.* varia tradit, sed pleraque incerta sunt. Proinde Henr. Nicolai *Exerc. de Magic. Action. 10. pag. 242.* tutiùs esse censet, à negatione indicii & causæ naturalis imbecillitatis, alterius morbi in matre vel infante, veneni absentia

& re-

& remediorum inutilitate signa desumere. *Macie* ex fascino infantes sæpe laborant: nonnunquam tamen ita laborare falsò judicantur, & quidem, cùm nec dormiunt, nec lac sugunt, sed perpetuo vagitu matres lacessunt, fascinum adesse vulgus existimat, cùm tamen non ex fascino, sed Dracunculis seu vermibus in dorso natis laborent. Maciei signa, causas veras indicantia, non facilè legi possunt, quia Dæmon causis naturalibus ad inducendam istam subdolè & versutè abuti potest. Itaque non nisi per viam negationis ad hujus etiam dignotionem devenimus. Et sic alios etiam signa puerorum effascinatorum tradere scribit Hier. Mercurialis *lib. 1. de Morb. Pueror. cap. 3.* Duo potissimum esse ait: *Primum, si nullis remediis naturalibus, nulla arte macies superari potest: adhac si nulla alia adsit causa, neq; interna neq; externa, nec ex parte nutricis, nec infantis, tunc arbitrantur & dicunt, eos esse effascinatos.*

§. 10. *Fascinum* seu *maleficium ligaminis*, quod respectivum vocatur, ex hoc cognoscitur, quòd Vir cum fœmina, quam amat, se inclinare (ut Plauti voce utor) & jam virga erecta molere paratus, ubi eam applicat, actum absolvere nequeat, organis subitò relaxatis & demortuis, toties quidem, quoties ad ὑδρομύλην accedit, & jam voluptate conjugali frui desiderat; si verò furtiva venere utitur, nullum in ea parte defectum sentiat: aut cùm sine omni causa amor mutuus in odium convertitur.

§. 11. Superstitiosa sunt, quibus ad morbos indagandos magicos nonnulli utuntur, signa. Nam teste Codronchio *libr. 3. de Morb. venef. p. 152. b* quidam plumbum liquefactum in aquam fundunt, opus hoc peragentes super ægrotum, & præsertim supra particulam affectam, interim verba quædam obmurmurantes, & in plumbo coagulato maleficium inspici, ac maleficii genus asserunt, pro figurarum compositione. Exemplum hujus recitat Sprengerus *Tom. 1. Part. 2. Quæst. 1. cap. 1.* & ex eo sermonis genere contractiore ac elegantiore Bodinus *Dæmon. lib. 3. cap. 2.* qui pauperem vicinam suam videns affligi gravissimè ac si intestina ipsius gladiis indesinenter peterentur, experiar, inquit, an sorte affecta sis, & sanabo te. Tum liquatum plumbum disco infudit aquæ pleno, & mulieri ægrotæ imposito, & certis vocibus enunciatis, imagines quasdam percepit indurato plumbo, ex quibus agnovit sorte affectam esse mulierem. Hoc facto, abducit virum illius mulieris, &

respicientes uterque sub limen januæ imaginem ceream palmarem invenerunt, cui acus duæ ad duo latera hærebant fixæ, cùm aliis pulveribus, granis, serpentumque ossibus, quæ omnia objecit igni: mulier verò, cum pignori dedisset animam suam Satanæ & Magis, quos pro incolumitate sua adiverat, fuit restituta. Sed ut modus est superstitiosus, sic & Dæmonem operari est credendum, ut benè censet Codronchus: quamvis non desint, qui existiment, à Saturno vim hanc esse plumbo inditam, ut maleficia prodat, quod tamen à veritate est alienum.

§. 12. Aliud experimentum adducit idem, quod se à quodam didicisse scribit, ut ægrotans cum decoctione verbenæ vulgò herba S. Johannis dictâ, abluatur, in qua ablutione, si nihil reperiatur, vel decoctio non immutetur in colore, infirmum veneficio non esse affectum quod si magna copia pilorum, & præcipuè suorum inveniatur, esse argumentum efficax non solùm veneficii, sed & gravissimi, minimeque curam suscipientis, quod si pili sint pauciores, morbum esse mitiorem, & curationem admittere. Præterea intellexit, quod si decoctum illud ad nigrum colorem mutetur, signum esse præsentiæ Dæmonis, & si ad alios colores mutetur, alia indicare. D. Mollenbroccius *Tract. de Variis cap. 16. n. 14.* fatetur, se non sine admiratione sæpe in decocto verbenæ post pedum lotionem sordes & pilos vidisse: cùm tamen, si horum ægrorum pedes mundati in aliud decoctum, vel aquam calidam, immissi fuissent, non idem fuerit observatum. Modum, cùm superstitiosus videatur, in medio relinquit. Nos cum Codronchio existimamus, cùm illi pili virtute verbenæ vel ablutionis elici vel procreari non possint, majorem requiri potentiam, ut est illa Dæmonis, qui morbum & inferendo & curando peccatis & superstitionibus fœdare satagit.

§. 13. Aliud fascini & incantamenti signum ex vulgi foro adducit Th. Bartholinus *Cent. 5. Hist. 35.* Corylum recentem in furnô seu clibanô benè expurgato in cineres comburunt, & accuratè deinde combustos nitidosque per cribrum trajiciunt. Inde ægrum, de quo suspicio est, nocte media super cineres mingere jubent, lasanumque lotio plenum lento igni imponunt, ut vaporum specie exhalet liquor, tumque si morbus est magicus, in residuo cinere crines inveniri credunt.

Hos

Hos tamen, si fides experimento, ex resinoso ligno eductos suspicatur Bartholinus,

§. 14. En aliud! Pontificius quidam à Pastore quodam Evangelicæ religionis, à quo hoc accepi, ad explorandum fascinum aquam baptismalem, sed frustra, petiit. Hanc autem fascinum deprehendendi rationem se tenere dixit ille. Ovum in aquam communem in vase quodam contentam immitte, & sub ægrotantis lecto repone, &c. Aqua autem ab eo, cui nomen est Johannes, ut allata sit requiritur. Postea aquam baptismalem super ovum funde, si hæc effusa in vase ebullit, fascini inde legitur indicium: ex ebullitionis autem absentia morbi naturalis præsentia colligitur. Sed & hoc experimentũ superstitiosum est, cujus effectum, si quis ex abusu aquæ post sacrum Baptismi actum reliquæ deprehenditur, non aquæ ipsi, cui verba isto in actu recitata physicam virtutem imprimere nequeunt, sed Dæmoni adscribimus, & caput hoc iisdem verbis, quibus Bartholinus historiam suam, finimus: *Ridicula hæc omnia, & in mei excusationem, illud Constantini Cæsaris lib. 13. Rei Rust. c. 5. in re simili prætendo. Scripsi hæc, ne quicquam præterire viderer. Nec probo quidem ut fiant talia, sed potius consulo omnibus, ne inducant animum alicui horum, quæ digna sunt risu.*

SECTIO II.

De SIGNIS PROGNOSTICIS FASCINATIONIS MAGICÆ.

CAPUT I.

An Morbi à Fascino orti sint curabiles? Quidam affirmant, quidam negant. Affirmantes rationibus & experientia se tuentur: sic & negantes. Sententia definitiva Codronchi, Sennerti, Autoris, Suarezii, qui distinguit inter morbos, qui à Magia dependent, & non dependent.

§. 1. Quæstio hîc primo limine venit discutienda: *An Morbi à fascino orti sint curabiles, an incurabiles*, seu medica manu per natura-

naturalia remedia sanari queant? In ea nonnulli sunt sententia, morbos à fascino inflictos nulla Medicorum ope posse curari, nisi fascinator ipse accedat, qui contraria medela ipsum fascinum tollat, quod facilè brevi tempore removere queat, juxta illud: Cujus est condere, ejusdem est absolvere, & cujus est condemnandi facultas, ejus est absolvendi libertas, *L. 3. ff. de Re jud. & L. 37. de R. I.* Philo quoque *in L. de special. legibus*, citante B. Balduino *Cas. Consc. L. 3. c. 5. Cas. 11.* & Godelmannus *libr. de Lam. c. 8. n. 5.* morbos à Sagis immissos naturalibus rebus curari posse negant; sed, inquit Godelmannus, ut causæ hyperphysicæ sunt, ita hyperphysicam quoque curandi rationem requirunt. Ut enim ædificia & alia corpora, fulgure incensa aqua infusa restingui non possunt, imò verò magis accenduntur; ita morbi magici remediis physicis exacerbantur potiùs, quam tolluntur.

§. 2. Codronchus *lib. 4, cap. 2.* certi quid statuere difficillimum esse judicat, ob ponderantes utriusque & affirmativæ & negativæ sententiæ rationes. *Affirmativa* sunt, 1. quia morbi per fascinum immissi immediatè ab iisdem causis, à quibus & cæteri, progignuntur, quamvis efficacioribus utplurimum, at magis abditis. Causas autem istas & morbum Medicus peritus ac expertus solerti adhibita indagatione potest cognoscere, vel ad alium similem morbum reducere, quibus cognitis parvo negotio adhibere poterit ea remedia, quæ satis esse possunt, ut causæ removeantur, & sanitas restituatur. 2. Dæmones ad infligendos morbos ut plurimum substantia, quadam tenui ac subtili & rebus naturalibus elicita utuntur. Sed adversus eam remedia habentur naturalia, eaque alexipharmaca. Et quamvis cuilibet particulari veneno peculiare antidotum fuerit constitutum, & hujusmodi particularia venena nos lateant, ut etiam particularia alexipharmaca adhibere nobis facultas non suppetat; nihilominus sunt quædam antidota, quæ ad omne venenum extinguendum & omnem pravam qualitatem superandam longo usu ac experientia comprobata sunt, ex quibus ea maximè oportuna sunt censenda, quæ vaporosam & multam exhalant hujusmodi vim, & quia magis interius penetrant. 3. Exorcistæ, si ars medica ad hos morbos curandos esset invalida, remediis non uterentur: cùm autem vomitoria multa, varia linimenta, quamplures suffitus, nonnullos potus, quædamque balnea pro curatione veneficiorum proponant, sequitur remediis

diis medicis ipsa superari posse. 4. Dæmones humori melancholico, quia tristis est, turbulentus, ac locus Dæmonum naturæ congruus, facilè commiscentur. Humore illo ex toto sublato Dæmon corpus illud deserere cogitur, ut in quibusdam dæmoniacis experientia comprobatum est.

§. 3. Experientia huic sententiæ suffragatur. Sic Mart. Rulandus *Cent. 3. Obs. 100.* mulierem annor. 60. à maligno spiritu multis annis vexatam exhibito medicamento melancholagogo, item panchymagogo, ut & ardentibus precibus, fuisse restitutam narrat. D. Schorerus Poliater Memmingensis *Medicin. Peregrin. pag. 205.* exemplum juvenis cujusdam Ann. 1663. fascinati & curati annotavit. Fœmina benè nota noctu in cœmiterio eum insequens accedit, & osculum infigere audet. Renuit ille & fugam meditatur, hæc verò per inferiorem axillæ sinistræ partem eum comprehendit. Tactum mox dolor atrox & contumax, crurisque sinistri impotentia excipit. Dolentem insuper Vir tetro vultu dentibusque albis formidabilis terret, nebulam oculis objicit, naribusque fœtidum halitum immittit. Ex hoc ἀφωνία ac sermonis privatio orta. Domum ille deductus D. Schoreri & aliorum quos hic in curationis societatem receperat, cura ac diligentia à pertinacibus doloribus liberatus, & sanitati pristinæ fuit restitutus. Schorerus methodum & ordinem specialem in curando observatum in suis observationibus nondum editis (quas nos cum Dn. D. Velschio *in Syllab. promissor. at nondum editor. librorum*, qui in ejus Sylloge Curat. & Observat. Medicin. habetur, expectamus) se monstraturum promisit. Thonerus *lib. 4. Observ. Medicin. 1.* scribit, puerum quendam novennem ab inquilina paternarum ædium quoddam esculentum accepisse, post vitrum aqua plenum exhaurire fuisse coactum, insuper sagam sua manu humerum, collum, & sinistrum pedem pueri percussisse, ex quo illicò pes distortus, dolorque in toto inferiore ventre ingens quoquo versum, sursum & deorsum, ac si fera vagabunda tantas turbas daret, obortus. Quamvis verò puer manibus pedibusque omnem pharmacorum usum rejecit, à Satana, quo minus parere ausit, se inhiberi quæritans, vomitu tamen post aliquot à maleficio illato septimanas materiam quandam vitiosam forma rotunda rejecit, & jam Satanam emigrasse palam asseruit. Utrum autem materia illa robore naturæ, irritata facultate ex-

pultrice fuerit vomitu reddita, vel Dæmon in illa materia delitescens, velut seminali principio ultrò cesserit, vel ope magica interveniente, ergastulum corporeum reliquerit, haud liquere, ait Thonerus. Quicquid tamen sit, Medicus eam curandi rationem imitari, & pro conditione fascinati naturæ simili modo succurrere tenetur.

§. 4. Idem etiam confirmatur exemplis duorum fascinatorum feliciter arte Medica restitutorum, quæ Thonerus ex Agricola & Fabro *l. c. p. 224.* adducit. *Johann. Agricola Viennæ puerum 16. annorum prætumido ventre, quasi hydropicus esset, ab aliis duobus Medicis relictum, beneficio Mercurii dulcificati & vitæ in integrum restituit, pileo pleno vario ossium majorum & minutorum genere per vomitum rejecto, postremo etiam succedente animalculo vivo hispido, colore fusco, ranæ formam referente.* Joh. Faber Medicus Gallus in sua Pharmacopæia chymica refert, cuidam fœminæ à Saga pomum venenatum exhibitum, exin in tabem cum dolore stomachi incidisse, in ventre sensisse motus varios, & animalium morsus, multorum Medicorum opera frustranea, se consultum obtulisse Sal Vitrioli cum aqua salviæ, subsecuto vomitu materiæ nigræ copiosè, & rejecta rana nigra squamosa: altero die eadem dosi iterata, vomitu reddito serpente squamoso, restitutam. Dn. D. Joh. Georg. Grubelius *in Disp. sua Inaug. de Frigidis Jenæ hoc Anno 1674. habita* è MSS. Practico Joh. Michaelis notat, hunc referre se Generosum quendam nobilem ex fascino sterilem, intra paucos dies felicissimè per vomitoria curasse, & vidisse tres vermes nigros cum magna materiæ venenatæ copia fuisse rejectos. Bald. Timæus à Güldenklee *lib. 5. Cas. Medic. 24.* quatuor fascinatorum exempla recitat, ex quibus tria curationis naturalibus remediis feliciter peractæ amplum testimonium perhibent. Favet huic sententiæ etiam B. Lutherus loc. supra *Part. 4. Sect. 1. c. 9.* §. 9. allegato.

§. 5. Pro his, qui negant, fascino remedia naturalia prodesse, ex opposito Codronchus sequentes profert rationes. 1. quòd homines, cùm inferioris sint virtutis, Dæmonum operationes naturali virtute impedire vel destruere nequeant. Et quamvis Medici intemperies adimere, obstructiones aperire, noxios humores educere, & alia munia obire studeant, Dæmones tamen morbos continuò fovent, causas eorum augent & medicamenta suos effectus sortiri non sinunt. 2. Cùm omnium, quæ

quæ in mundo occurrant, circumſtantiarum, & inde dependentium indicationum ad perfectam curationem cognitio requiratur, curatio faſcini non poteſt non eſſe manca, imperfecta, & cum diſcrimine ægrotantis, quia eſſentiam & cauſam morbi, faſcino illati, multaque alia Medici ignorant. 3. Cùm rerum naturalium in Dæmonem, quia ſpiritus eſt, nulla ſit efficacia, faſcinatos Medici nequaquam per ſeipſos reſtituere poſſunt, etiamſi rerum naturalium omnium, ut Angeli & Dæmones eſſent gnari, & ad amuſſim mederentur, niſi virtus ſuperior Dæmonibus à Deo ipſis Medicis eſſet impertita.

§. 6. Hic iterum urgent *experientiam. Exempla*, inquit Bruno Seidelius *libr. de Morb. incurab. pag. 29. quorum nonnulla Fernelius & Benivenius commemorant, ſatis comprobarunt, omnibus phyſicis remediis adhibitis etiam efficaciſſimis, nihil tamen profectum fuiſſe, donec palam factum ſit, vel obſeſſos fuiſſe ſpiritu immundo miſerrimos ægros, vel ejusdem opera alioqui afflictos, quo recedente, aut præſtigiis ejus, precibus ſanctorum profligatis, ſua ſponte fœda & horrenda ſymptomata ſtatim & per ſe ceſſaviſſe.*

§. 7. In hac controverſia ſtatuit Codronchus remedia naturalia aliqua ratione juvare energumenos, & morborum veneficorum nonnullos profligare poſſe, ſi mites ac leves ſint, Dæmonesque ipſorum autores annuant, vel ſtatutum tempus ſanitatis ex fœdere inito venerit. Sennertus morbos, qui à Diabolo ſimpliciter inducuntur, non mediantibus humoribus naturalibus, naturalibus remediis curari poſſe negat, quia eorum in Diabolum, qui ſpiritus eſt, nulla eſt actio: eos verò, quos per cauſas naturales Diabolus inducit, quatenus conſtitutionem naturalem immutat, ac humores alterat & corrumpit, naturalibus remediis poſſe curari; aſt hæc ſola non ſufficere, ſed præterea divina curatione opus eſſe ait. Cùm enim in talibus morbis duæ cauſſæ concurrant, humores & aliæ, quæ ſunt in corpore humano, & præterea Diabolus: etiamſi prior cauſſa tollatur, tamen niſi etiam Diabolus ab agendo & nocendo ceſſet, curatio perfecta nulla ſperari poteſt.

§. 8. Scilicet ad Dei permiſſionem hic potiſſimùm reſpiciendum; ea data, ne leve quidem Faſcinum per media naturalia tolli poteſt, quia Dæmon ſemper nocendi cupidiſſimus permiſſione, ceu occaſione optata, abutens Faſcinum ſemper fovet, & remediorum, etiam efficaciſſimorum,

rum, usum eludit. Sublata verò per preces permissione, quas curationi naturali jungere Sennertus piè præcipit, morbi à fascino reliqui, modò sua natura adhuc curabiles sint, medica arte curari, quique eos fovebant, humores & spiritus alterari, eorumque furor mitigari potest. Itaque facimus cum Brun. Seidelio, qui *loc. cit. pag. 40.* istiusmodi mala quoad artem ἐπέκεινα τῆς ἰατρικῆς & incurabilia simpliciter pronunciat. Sunt quidem morbi magici in sensu composito, quatenus ab influxu pendent, incurabiles; morbi autem magici in sensu diviso, qui ab influxu ejusdem dependerunt, curari possunt.

§. 9. Hunc in sensum Suarez *libr. 2. de Superstit. c. 17. n. 7.* ita disserit & ait, *effectum maleficii* jam *à Magia non dependere*, licet per illam fuerit effectus, & tunc de illo perinde judicandum esse, ac si ex aliqua causa naturali esset factus, ideoque si sit ægritudo aut læsio capitis, vel intrinseca impotentia generandi, vel aliquid hujusmodi ad Medicos spectabit, judicare, an talis effectus physicè sit incurabilis, vel si curari possit, quæ remedia poterunt esse accommodata &c. Sed *si effectus semper ab arte mala & à Dæmone pendet*, parum proderunt naturalia remedia vel Medicinæ, quia si permittatur à Deo, Dæmon potest facilè impedire talium remediorum efficacitatem, vel adhibendo contraria resistentia, vel corrumpendo ipsa medicamenta, vel vias obstruendo, aliterve impediendo, ne applicentur.

CAPUT II.

Medicamenta fascino opponere Medicus non desistat, nisi ipse desistere cogatur. Prognosis in Fascino est difficilis. Prognostica generalia traduntur.

§. 1. POrrò cùm certi sint permissionis limites & gradus respectu etiam operationis & applicationis, ita ut non, quæ velit, licèt possit, extremè mala Dæmon patrare, & quovis modo applicare audeat, talem se sine dubio gerere quandoque tenetur, ut medicamentis, quæ sunt dona Dei, convenienter fascino oppositis cedat, malumque fovere desinat, non quod vim à medicamentis ipsis, sed per ea permissionis finem à Deo, qui ut creator etiam per medicamentorum usum legitimum colitur, sentiat. Quando autem permissionis terminus criticus sit futurus, Medicum latet: nihilo-

nihilominus remedia applicare non desistit, nisi desistere ipse cogatur, quia vel ex imperscrutabili & justo Deus judicio limites permissionis diutissimè extendit, vel fascinati usus & sumptuum pertæsi ipsi remittunt, vel ob dilatam auxilii horam desperant, vel evidentia morbi non amplius curabilis indicia adsunt.

§. 2. Difficile autem est in morbis à fascino ortis prognosin instituere, tum quia agentis liberi effecta non, ut rerum naturalium opera cum sua causa necessariò cohærent, tum quia Proteus infernalis sub causis naturalibus latens occultè activa passivis applicare, eaque variè miscere, remedia etiam exhibita auferre novit, tum quia permissionis divinæ à Deo concessæ latitudo latet. *Difficillimam esse curationem quivis facilè videt, cui non pepo pro corde, quum causa operantis natura, aut certè modus agendi ut plurimum nos lateat, adeoq; medicamenta genuina & efficacia opponi facilè non possunt.* Jordanus *Lib. de Divin. c. 49.*

§. 3. Nos itaque in re difficili saltem generalia dabimus prognostica. 1. Morbi, qui à Dæmone immediatè oriuntur graviores & curatu difficiliores sunt his, qui ab eo mediatè per causas naturales immittuntur. Quos enim immediatè infligit, sua potentia & subita violentia immittit: ejus autem violentia major est violentia causarum naturalium, etiam ab ipso impulsarum. 2. Quò major est recessus à naturali statu, eò gravius & periculosius est fascinum: quo minor ille, eò minus etiam est periculum. 3. Fascinum à rebus externis immissum (respectivè) gravius est & periculosius eo, quod ab interno humorum apparatu est immissum, quia humores arte medica faciliùs domari & evacuari possunt, non ita verò immissa. Universaliter tamen hæc regula non procedit, quia caloris nativi in parte extinctio gravior est morbo, quem res quæpiam levis ventriculo injecta produxit. Hac sublata plerumque tollitur morbus; illa autem nunquam. 4. Quò graviora in morbo per fascinum illato concurrunt symptomata, eò morbus judicandus vehementior: quò mitiora, eò leviora. 5. Fascinum partibus nobilioribus immissum plus habet periculi, quàm id, quod ignobilioribus infligitur. 6. Qui morbi à causis merè naturalibus orti sua natura sunt incurabiles, ii à Dæmone immissi longè minus arte Medica evelli possunt, ut lusciositas, gutta serena, gibbositas, cancer, cœcitas, &c. 7. Morbi multi magicè immissi arte etiam magica curari nequeunt, v. g. ruptura tympani

in auribus, ruptura majoris venæ aut arteriæ circa interiora viscera, quia cura non nisi per medicamenta fieri posset: at talia, quæ amissam istarum partium continuitatem restituant, non habentur. Sic nec sphacelum tollere possunt Magi, cùm talis privationis ad habitum priorem redactio etiam Magistro infernali sit impossibilis. 8. Fascinum animæ longè periculosius est fascino corporis: per illud enim æternum, per hoc temporarium imminet periculum: & quo gravius est animæ fascinum, eò certius est ejusdem exitium. 9. Inventis & destructis signis fascini corporalis destruitur etiam ipsum fascinum, non quòd signa ipsa causalitatem exerceant, sed quia protractis in lucem Spiritus tenebrarum signis vanis, ipse superioris directione confunditur & operari inhibetur vel operari sponte cessat, quia signo pacti sublato pactum ipsum, per quod fascinandi promptitudo promittitur, tollitur, vel ideo cessat, ut causalitatis efficaciam in absurdis commendatam silentio confirmari eò certiùs suis persuadeat: propterea clientes, quo in suis actionibus silentii & occultationis studio eò vigilantius incumbant, impellit, ne scilicet sceleratissima opera detegantur. Non autem non inventô signô fascinum semper manere, dicemus inferius.

PARS IX.

De PRÆSERVATIONE

CAPUT I.

Immunis à Fascinationis periculo nemo est; etiam primos parentes Dæmon fascinavit, & adhuc animas fascinare laborat. Corporale fascinum certò præcavere potest nemo. Precibus tamen insistendum, quæ optimum præservativum, quod historiis confirmatur. Sagarum commercium vix vitare possumus, quia earum signa non habentur. Signa afferuntur falsa, ut sunt fletus sine lacrymis. Nam quidam flere nequeunt, ob constitutionem naturæ singularem, & stuporem in malo atroci peculiarem, quod exemplis probatur. Sprengeri & Bodini error. Vossii judicium de

Bodini

Bodini libro de Dæmonom. Signa plura alia examinantur. Probatio per aquam rejicitur. Magica Sagas explorandi remedia.

§. 1. IMmunitatis à Fascino privilegium nemo habet, imò ne quidem primi nostri parentes in statu suo innocentiæ id habuerunt, in quibus egregium & primum fascinationis speciem Veterator edidit, fascinando per prudentiæ callidioris titulum oculos mentis, ne veritatem mandato divino inclusam viderent. In hac autem post lapsum naturæ nostræ corruptione faciliorem idem, præsertim quoad animam invenit aditum, & nisi precibus ac fide ejus impetus obtundatur, pro cujusque natura & moribus incautum quemque variis artibus subitò fascinationis retibus implicat. Præclara sunt Theodoreti verba *l. 5. c. 16*, quæ dixerat occasione Theodosii Cæsaris ab Amphilochio memorabili arte correcti, citante Jordano *l. c. cap. 74*. *Universas communis hominum hostis plagas vitare facile non est. Sæpe enim, qui impuritatis morbum declinarunt, cupiditatis in laqueum incidunt, siq; fortè & de hoc sese expedierint, propè est invidiæ fovea: qua sanè & ipsa saltu superata, explicata tum retia iræ obviam habet, atque alias innumerabiles tendiculas hominibus ille disponit perniciosa venationis sua. Ac habet quidem perturbationes corporales administras fraudum, quibus animam impetere solet. Solius autem est mentis victoria; qua vigilantia sua & divino motu facilè reprimit impetus istos.*

§. 2. Sic nec fascinum corporale, seu morbos, qui per fascinum corpori immittuntur, certò præcavere potest ullus, quia Deus etiam pios justissimas & occultas ob causas fascino tali subjici quandoque permittit. Sed quia precibus non muniti facilius, experientia teste, fascinantur, iisdem, cum ex vera fide ardenter fusæ optimum sint præservativum, nunquam non, præcipuè manè & vesperi insistendum: cætera in silentio & spe Deo in solidum sunt committenda, & si fascinum in probos Deus permittat, dicat fascinatus cum optimo Regum Josaphat *2. Paralip. 20. Domine, si irruerint super nos mala, stabimus in conspectu tuo, & clamabimus ad te in tribulationibus nostris, & exaudies, salvosq; facies. Deus noster, ergò non judicabis? in nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic malo resistere, quod irruit super nos. Sed cùm ignore-*

ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad Te.

§. 3. Mercurii Trismegisti effatum jam olim fuit: *Una & sola custodia hominum à Dæmonum astu pietas est; pium enim hominem nec Dæmon malus, nec fatum tenet.* Oratione & verbi divini gladio munitus, qui in stadio vocationis suæ decurrit, omnes Satanæ conatus eludit, & Magorum minas contemnit. *Fabri ferrarii servum pium, & probum Saga cujusdam domum prætereuntem catellus allatrat, ejusq; suram morsu petit, hunc ille malleo, malleo verò crus quoddam catello frangit. Mulier ex ædibus ruens dira quæq; illi minatur, seq; ex vindicta effecturam, ut per omnem vitam servum facti pœniteat. Territus ille mala sibi metuit. Precibus Deum matutinis & vespertinis custodiam, ne malefica noceat, rogat. Ea nihil non malorum, quibus nocere posset, meditata in vanum laboravit. Magistri sui auxilium petens id responsi accepit, servum vallo munitum esse, quem propterea circumvenire nequeat,* Lercheimerus *loc. cit. p. m. 159.* ubi & sequens refert: *Philippus Pulcher Rex Galliarum percipiens imaginem suam ex cera fabricatam mirum quantum per Baptismum, Benedictiones, & alios actus esse mutatam, ita ut, si frangatur vel perdatur, præsens sit mortis periculum. Rex eam afferri mandat & ait: Atqui jam videbo, an Dæmonis potentia major sit in me perdendo, an Dei in me conservando. Imaginem in ignem Rex pius & fide plenus projicit. Sed tamdiu, ut Deus, non ut Diabolus voluit, vitam egit.*

§. 5. Præservativum bonum esset, si Magorum & Magarum præsentiam & consuetudinem devitare foret integrum. At cùm gens perdita sagacitatis virtute æquè ac impietatis vitio famosa confœderationis Dæmoniacæ scelus studiosissimè simulationis larva apparente occultet, non possumus vitare eos, cum quibus familiaritatem fovendam necessitas quotidiana imperat. *Signa* si darentur, quæ in cognitionem *Sagarum* nos certò deducerent, evitationis & sic præservationis ea nos redderent memores. At nulla dantur. Quæ verò afferuntur, vel falsa sunt, vel superstitiosa & magica.

§. 5. *Falsa* sunt 1. *Fletus sine lacrymis.* Nam sunt, qui, ut Plautino ore loquar, pumiceos habent oculos, quos nequeunt exorare, lacrymam unam ut exspuant. Fontes lacrymarum steriles esse possunt.

ſunt, quia adeſt 1. *conſtitutio naturæ ſingularis.* Delrius *lib. 5. D. M. Sect. 4.* pueros ſe noſſe ait, quos flagris citiùs diſcidiſſes, quàm vel unicam excuſſiſſes lachrymam. Phocionem Athenienſium Ducem, nemo unquam neque ridentem, neque lachrymantem vidit, Plutarcho *in Apophth.* teſte. 2. *ſtupor ob mali atrocitatem peculiaris.* Nam juxta Senecam in *Oedip.*

Fletuq; acerbo funera & queſtus carent.
Quin iſta tanti pervicax clades mali
Siccavit oculos, quodq; in extremis ſolet,
Periere lachrymæ.

Suo id Pſammenitus Ægyptiorum Rex à Rege Cambyſe victus malo eſt expertus. Illius animum ut experiretur Cambyſes, filiam ejus veſtitu ſervili circumdatam, cum hydria ad aquam miſit. Quam Pſammenitus videns vultum demiſit. Mox ante oculos ejus filium miſit cum duobus millibus Ægyptiorum vinctas fune cervices, & frenata ora habentibus, deducebantur autem tanquam pœnam luituri. Pater idem, quod erga filiam, fecit. His prætergreſſis ut conſpexit convictorem ſuum inopem & mendicantem, erumpente ingenti fletu, compellans nomine amicum, caput ſuum cædebat. Rogatus cauſam reſpondit: Domeſtica mala majora ſunt lachrymis, Herodotus *lib. 3. cap. 14.* Quid mirum igitur, inquit Dn. D. Siricius *Diſcurſ. Theoret. Pract. de Lachrymis Chriſti cap. 2. pag. 43. ſi conſternatio pias & inſontes fœminas in caſu, quò publicè deteſtandi & Diabolici criminis arguuntur, ita attonitas reddat, ut lachrymæ nullæ ſequantur? Dubitari etiam poſſet de ipſo experimento, an impoſſibile ſit ſagas emittere lachrymas. Etiamſi enim ita eſſent obduratæ mentes, ut nullus eas doloris ſenſus tangat, quis credat Diabolum, ſi velit, non poſſe ex oculis earum elicere lachrymas, cùm eas muliebre genus, quando lubet, eliciat?* Hæc D. Siricius. Ex quibus jam conſtat, enormiter erraſſe Sprengerum in ſuo *Malleficarum Malleo*, quando pro certo Magarum indicio habet, ſi quæ fœminæ accuſatæ magiæ inque judicium protractæ lachrymas non emitterent. Eundem errorem cum aliis Bodinus quoq; erravit in opere, quod Voſſius *Idolol. lib. 3. cap. 47. p. m. 489.* vocat inconſideratiſſimum, quodque ut pluribus ibidem remonſtrat, non atramento, ſed ſanguine, præſertim adverſus imbecillem ſexum, maximè deformes & melancholicas ſcriptum.

§. 6. 2. *Imaguncula in oculo non apparens vel inversa.* Vitio enim humorum oculis propriorum ex varia alienorum admixtione & confusione defectus oriri potest. Adhæc non omnes Sagæ imaguncula carent, nec omnes carentes Sagæ sunt. Ergò hæc nota non est catholica. Prius membrum confirmat experientia: posterius ratio, quia ob naturæ vitium illa abesse potest, D. Danhauer *Tom. 2. Theolog. Conscient. pag. 448.* 3. *Stigma & character insolitus sensu destitutus.* Siquidem, quod Stigma attinet, etiam naturalis aliqua nota vel nævus, sive per imaginationem, sive per vulneris curationem aut alium casum esse potest. Quoad stuporem, si stilus vel cultellus magicus adhibeatur, carnosæ partes eum sine doloris perceptione admittere possunt. Bene itidem Danhauerus *loc. cit. characterem ejusmodi cur non possit pius etiam inurere Cacodæmon, qui permissu divino Jobum potuit ulceribus obruere?* addimus nos: cur non etiam sensum possit adimere? Prudenter itaque ejusmodi stigmata sunt dijudicanda; & autor Cautionis criminalis *Dub. 43.* decem cautiones circa ista in exploratione observandas præcipit. 4.tum auribus obvium non minus, quàm præcedentia oculos afficientia, fallax est, *ignominiosa in vulgo diffamatio*, quia etiam innocentes vel ob præcox fortunæ incrementum, vel ob admirandorum operum exhibitionem vel ob hominis vindictæ cupidi malitiam, vel ob conjunctionem, aut cum Sagis conversationem, vel ob facinorum, quæ pactum implicitum redolent, repetitionem, aut aliis ob causas inclementium linguarum pilæ fiunt mobiles. 5. *Accusatio & denominatio à Sagis facta*, quæ depositio falsa itidem ex vindictæ cupiditate, vel spe liberationis, vel phantasiæ dormientium per somnia illusione, aut vigilantium per præstigias & phantasticam innocentium repræsentationem oriri potest: quo de Jurisconsultorum evolvantur monumenta.

§. 7. Hæc signa tam fallacia, quàm frequentia, quibus multùm imperiti ad Sagas in conversatione politica cognoscendas tribuunt; robur non acquirunt per *probationem per aquam* factam, quia hæc ex gentilium ὑδρομαντείᾳ orta medium illegitimum est, atque adeò Dei tentatio, superstitio & Magia indirecta, neque in natura, nec in Scriptura habet fundamentum, id quod pluribus solidè remonstrat Voetius *lib. 3. Disp. Select. pag. 573.* Hoc explorandi medium absurdum plures alii dudum ex foro Juridico proscripserunt, non obstante vel inveterata ejusdem

con-

consuetudine, quæ, si in se mala, annorum pluralitate seu vetustate pravitatem nunquam deponit: vel calamo propitio Jacobi Regis Angliæ, Wilhelmi Adolphi Scribonii Professoris Marpurgensis & aliorum probam istam probantium: vel hodierno ejusdem in Livonia, Westphalia, Holsatia, & aliis nonnullis in locis usu, quod testatur Dn. D. Ericus Mauritius JCtus *Part. 1. Consil. Chilon. 5. & 23.* ubi nervosè hoc argumentum tractat. Evolve insuper Freudium *Quæst. 255.* Delrium *lib. 4. cap. 4. Quæst. 5. Sect. 3.* Godelmannum *lib. 3. cap. 5.*

§. 8. *Magica* quoque Sagas explorandi media habentur varia. Justitiæ executores strenui Carnifices quidam Sagas se cogere posse jactant, ut solæ, quæ in civitate degunt, omnes ad pultem in foro publicè à se coctam comedendi gratia accedant. Nonnulli pariter, quæ noctu hominibus molestæ fuerunt, Lamias, ut mutuandi aliquid gratia sequenti manè eosdem homines conveniant, adigere queunt. Sed conscientiosi Justitiæ Sacerdotes magica ejusmodi media meritò damnant, & effectui dare prohibent, quia naturali vi nullius voluntas cogi potest; bene autem Dæmonis inclementia (posito nimirum signo superstitioso eidem ob cultum & pactum tacitum non minus grato) μισανθρώπων & καθαρμάτων, quæ nomen militiæ magicæ dederunt, voluntatem seducere & fascinare valet. Milites, ut à quodam inaudivi, suspectam Magiæ fœminam mensæ adsidere cogunt, & inter duas personas nolentem volentem conclusam detinent. Tertius interea aquam in olla fornacea calidam rudicula agitat &c. Mulier, quæ Saga est, tanta inde anxietate & perturbatione corripitur, ut in adsidentium amplexus ruat, ac precibus & osculis eos, donec dimittitur, defatiget. Nonnulli curant, ut Sagæ capillos, vel è calceis ejusdem soleam alteram acquirant, eamque in ollam aqua ad ignem fervente plenam conjiciunt, vel acubus pungunt &c. ex qua Sagam tantos in abdomine cruciatus sentire ferunt, ut cito gradu accurrere, & se fascini illati causam esse, ipsa prodere cogatur, M. Bernh. **Albrecht im Bericht von der Zauberey** *pag. 290.* Quidam post januam contubernii, in quo Saga moratur, scopas inversas in nomine &c. locant, quibus positis ista magnis mox angoribus sudorem etiam exprimentibus percellitur, nec nisi scopis remotis, exire potest. Gratificatur his Dæmon, quia gratum sibi observantiæ cultum per superstitiosa signa exhiberi advertit.

CAPUT II.

Naturalia fascini præservativa nulla dantur. Dæmon à rebus naturalibus non afficitur. Sententia Thoneri, qui censet, Dæmones habere potentiam videndi, audiendi, odorandi &c. examinatur. Rebus fœtidis cur Dæmones fugentur? De radice Baaras. Historia Eleazari ventilatur. Jecoris piscis suffumigium in Lib. Tobiæ quomodo Dæmonem fugarit? Præservativa fascini remedia veterum. Herbas & gemmas incantationes & fascina depellere, quomodo intelligendum? ex absentia effectus præservativum non potest certò statui. Experientia, quæ obvertitur, examinatur. Cur quandoque rebus sensibilibus alliciantur Dæmones. Sanguini humano indirectam vim ad fascinum & Dæmonem inesse negatur.

§. 1. NAturalia Fascinationis Magicæ præservativa remedia nulla dantur. Cùm enim præservationis ratio in causarum efficientium remotione consistat, Dæmon autem ipse fascinum morbosum inducat, qui cùm per naturalia repelli nequeat, præservationem locum hîc habere nullum patet.

§. 2. Non repellitur vel afficitur Dæmon à rebus naturalibus. 1. quia incorporeus est. Itaque à re corporea aut naturali, sive substantia sit, sive accidens, affici nullo modo potest: patiendi enim aptitudo in materia, qua Dæmon caret, fundatur. Deinde voluptatis & doloris sensitivi Dæmon incapax est. Destituitur namque sensibus & organis sensuum, quorum objecta res sensibiles sunt, quæ voluptatem aut dolorem adferunt. Igitur per naturalia media non possunt cogi vel allici, ut fascinandi actum negligant, vel perficiant.

§. 3. Thonero, Medico aliàs Doctissimo & Practico Experientissimo *lib. 4. Epist. Medic. Obs. 1.* non videtur paradoxum, statuere, Dæmones, quos substantiæ incorporeæ esse fatetur, habere potentiam videndi, audiendi, adeóque etiam odorandi, quòd potentiæ cognoscantur per intervenientes actiones. *Rem ita se habere*, ait, *annon id luculenter demonstrare licet per machinationes, ritus & ceremonias magicas, dum certis conceptis verbis spiritus vocati, illicò spiritus se visibiles præsentant: dum chara-*

characteribus consignatus tantùm, sine ullius voculæ enunciatione, incitati ea exequuntur, quæ ipse Magus requirit, ad ejus quasi nutum obsequentes: dum suffitu rerum fœtidarum profligantur. Sed respondetur 1. si ex actionibus Dæmonum judicandæ mox sunt potentiæ, Dæmones etiam nutrientur, crescent & generabunt, quia cibis vescuntur, potum hauriunt, & cum Magis & Sagis se commiscent. Id verò assertum propria vineta cædit, cùm Dæmones secundùm eundem substantiæ sint incorporeæ. Itaque 2. distinguendum inter actiones veras & apparentes. Ut Dæmones apparenter edunt, bibunt, congrediuntur; ita non verè, sed apparenter saltem audiunt, vident, odorantur, rerumque sensibilium modo sensitivo objecta percipiunt. 3. Nulla est consequentia: Dæmones vocati adsunt. Ergò potentiam audiendi habent, quæ per sonum verborum afficitur. Quæ in spiritibus occurrunt notanda, spiritualiter sunt explicanda, non corporaliter. Dæmones intelligentiæ sunt, eorumque cognitio est intellectiva, non ex parte sensitiva, quæque in materialibus occurrunt, Angelico, non corporeô, modô percipiunt. Ex actione angelicâ potentia angelica infertur. Quomodo autem actio angelica peragatur, intellectus noster per sensus ad hoc improportionatos percipere nequit. Ubique præsentes cùm sint per summam velocitatem, & ad actiones hominum ad superstitionem pronorum attendant, præsentes ante sunt, quàm vocantur. 4. Sub Dæmonum obediendi promptitudine latet nocendi libido. Eò libentiùs homini rebus superstitiosis inhærenti inserviunt, quò certiùs eundem in errore confirmant, sibique devinciunt. Majoris ponderis est prima Thoneri ratio, quâ rebus fœtidis fugari Dæmonem scribit, quòd spiritus sint insolentes, ægrè ferant, se tantoperè despici & ludibrio haberi, propterea cum indignatione recedant & ergastulum corporeum relinquant. Ast hæc non naturaliter, sed moraliter veniunt intelligenda. Naturalia quandoque spiritualium rerum sunt signa & indicia, quibus Angeli vel delectantur vel fugantur. Angeli boni piis precibus delectantur, mali fugantur: è contra obscœnis & impiis sermonibus boni fugantur, mali delectantur. Pietatis nimirum & fidei index voce humana expressus Angelos bonos attrahit; malos, si præsertim cum contemtu index proferatur (plurimum enim Diabolus dolet, cum videt se ab hominibus piis ex vera fide contemni & irrideri. Osiander *Cent. 6. H.E. pag 103*) repellit, non physicè, sed moraliter.

raliter. Sicut Dæmones, ut Augustinus contra Porphyrium *libr. 21. de Civit. Dei cap. 6.* rectè arguit, non virtute lapidum, herbarum, lignorum, animalium alliciuntur, sed potius signa sunt honoris illi exhibiti, cujus maximè cupidus est: ita (in contrarium inferimus) Dæmones rebus naturalibus non fugantur, sed potius signa sunt contemtus, quem illi maximè fugiunt.

§. 4. Radicis *Baaras* à Salomone inventæ virtute quendam de gente Hebraica, nomine Eleazarum Dæmonem è corpore obsessi cujusdam ejecisse refert Josephus *Antiquitatum Judaic. 8. cap. 2. & lib. 7. de Bello Judaico cap. 25.* (quem locum vide supra *Part. 5. cap. 2.* §. *5.*) Annulum enim, cujus signaculo radix fuerat subdita, naribus admotum Dæmonem extraxisse scribit. Obsesso autem in terram repente prolapso Eleazarum conjurationis Salomonis Cantico Dæmonem proscripsisse. Verùm radicem de se virtutem istam habuisse docti meritò negant, & Zacutum *1. de Medic. Princ. Hist. 22. Q. 13.* eam admirantem suo abundare sensu permittunt. Ecquis assensum nudæ relationi, sine ulteriori rei gestæ scrutinio præbeat? Quid si Magus fuerit ille Eleazarus & per signum pactum operatus? Ita sentit Delrius *lib. 2. D. M. Q. 30. S. 2.* & sic fatendum est, Josephum Judæum, ut & Vespasianum ethnicum, præstigiis Diaboli fuisse delusos, ut & Eleazarum ipsum, qui radicis Salomoni adscriptæ potentia Dæmonem attrahi credidit, cùm tamen non coactè, sed sponte, Dei assensu cesserit Dæmon (simulat enim se cogi, ut alios cautiùs dementet) quo plus fidei annulo vel figmento radicis, materiæ Dæmoni exturbando ineptæ adhiberetur, nec ad Deum unicum Satanæ propulsorem, legitimo confugeretur ordine, ut sentit Wierus *lib. 5. cap. 22.* Quid si adjurationes, & radix illa non à Salomone sed à superstitiosis Rabbinis fuerit instituta? aut ad nominis tetragrammati enunciationem, uti nunc ad enunciationem nominis JESU subinde contingit, ejecti fuerint Dæmones? Ita sentit Schottus *Phys. Curios. libr. 4. cap. ult.* §. *5.* Tyræus *cap. 34. pag. 109.* eam Dæmones eliminandi rationem divinam vocat, rectiùs superstitiosam Dn. D. Dorscheus *Disp. de Obsess. §. 54.* ubi ita arguit: Aut divina illa fuit, aut naturalis aut Diabolica. Non *divina*, quia annulo & radice peracta est. Non *naturalis*, quia corpora nihil ad profligandos Dæmones, nihil ad res,

quæ

quæ vires naturæ ſuperant, facit, ipſo Tyræo fatente & loquente *c. 43. pag. 145.* E. *Diabolica* fuerit, neceſſum eſt.

§. 5. *Jecur* piſcis (quem Callyonymum fuiſſe ſcribit Voſſius *lib. 4. Idol. cap. 39.*) ea virtute præditum fuiſſe *Tob. 6.* legimus, ut ejus ſuffumigium omne Dæmoniorum genus averteret. Sed ego jam in varias variorum, præcipuè Pontificiorum, miſerè ſe circa hunc locum torquentium, diſceptationes me non inferam. Qui evolvere eas geſtit, Freudium *Quæſt. 235.* legat. Ego, ſi Tobiæ liber non Comœdia comica ratione conſcripta, ſed hiſtoria vera eſt, cum Sennerto *lib. 6. Part. 9. cap. 7.* dico ſuffitum illum jecoris piſcis non ex ſe, ſed ex vi à Deo conceſſa virtutem illam habuiſſe. Nam, ut Dn. Freudius *l. c. in fine* diſſerit; Deus ſi velit, per naturalia media virtute non extraordinariè eis indita, ſed concreata, & à natura inſita, à malis, à Dæmone & organis ejus illatis poteſt liberare & ſanare; quod ſi verò ex juſto judicio ob impœnitentiam ægroti & maleficiati nolit, tunc neque media naturalia contra Deum aliquid poſſunt, id quod nemo negabit. Deus enim eſt, qui mediis naturalibus utitur, non vires extraordinarie & de novo illis largiendo, ſed concreatis gratioſè benedicendo, ut efficaciter operentur, eaſdem etiam pro juſta voluntate ſua impedit, quò minus operentur.

§. 6. Quæ antiquitas commendavit ad Faſcinum præſervatoria bene multa, non moramur. Scillam in limine januæ ſuſpenſam malorum medicamentorum introitum pellere tradit Pythagoras, ait Plinius *libr. 20. cap. 9.* Idem tradit Dioſcorides *libr. 2. cap. 168.* qui de *Rhamno* ſcribit *lib. 1. cap. 102.* famam eſſe, ejus ramos valvis feneſtrisve impoſitos veneficia depellere. *Laudatiſſima herbarum eſt Homero, quam vocari à Diis putat Moly, & inventionem ejus Mercurio aſſignat, contraq; ſumma veneficia demonſtrat*, verba ſunt Plinii *libr. 25. cap. 4.* In Homerico hoc Moly duo notatu digna notat Petr. Laurembergius *Apparat. Plant. lib. 1. cap. 17.* 1. difficulter eam & non niſi à Diis erui è terra. 2. tollere ac avertere incantamenta & veneficia. Propterea hoc Moly affine eſſe cenſet illi plantæ, quam Joſephus Baaras indigitat. *Leontopodii* radicem εὐχρηστεῖν εἰς φίλτρα περιαπτομένην, utilem eſſe ad philtra appenſam, ſcribit Dioſcorides *lib. 4. cap 26.* *Alyſſon* domibus appenſum ſalutare eſſe creditur, & hominibus atque animalibus faſcini amuletum. Idem *libr. 3. cap. 87.* *Faſcinationes ſaliva jejuni repelli veteri ſuperſtitione creditum eſt,*

est, ait Alex. ab Alexandro *lib. 5. Genial. Dier. cap. 27. pag. 313. b.* Propertius *lib. 4. Eleg. 7.* arcanas salivas vocat, quarum in veneficiis usus, Athenis notante Codronchio *lib. 4. de Venef. cap. 1.* invaluit usus, ut antequam nova nupta mariti domum ingrederetur, oleo & adipe suillo vel lupino postes inungerentur, ne quid perniciosæ pestis in domum irreperet. Venatores pro veneficio repellendo quercus fruticem sciderunt, ac per ipsum cum canes, tum venatores ipsi transiverunt. Mitto multa alia apud Codronchium *l. c.* & Jordanum *cap. 65.* legenda.

§. 7. Marc. Pansa *de Prorogand. hominis vita Part. 4. c. 56.* plantas nonnullas & gemmas ad depellendas incantationes, conferre miratur. *Tametsi enim*, ait, *herbæ eum præcipuè usum, easq; vires insitas habent, ut alimenti & medicamenti ratione corporibus humanis accommodentur; sunt tamen aliquot stirpes ejusmodi virtute nobilitatæ, ut maleficiis obsistant, omnisq; generis fascinationes abigant. Similis virtus præter herbas etiam gemmis quibusdam attribuitur, eamq; consecutæ sunt non à primis qualitatibus, h. e. temperamento caliditatis, frigiditatis siccitatis & humiditatis, sed specifica vi & occulto effectu, abditaq; proprietate, cujus rei causa indagari nequit.* Verùm 1. τὸ depellere incantationem, maleficiis obsistere, & fascinationes abigere intelligitur vel ratione curationis, vel ratione præservationis. Si *prius*, sano sensu, quem in fine capitis primi indicavimus, admitti potest. Si *posterius*, & naturalia præservationi inservire ex eo quis colligre velit, quod ad curandum fascinum prosint, hanc colligendi & argumentandi rationem rejicimus, quia in fascino magico, quatenus imminet, seu inferendum est, Dæmonis partes sunt potiores, cujus conatum si permissionem habet, nulla herba infringit, nulla gemma tollit. Secus se res habet in morbis à causa merè naturali ortis, in quibus præservativa sæpe sunt curativa, & quæ in curatione febrium malignarum prosunt, etiam ad præservationem conferunt. 2. si herbæ non primis qualitatibus, sed specifica vi & occulto effectu imminens fascinum repellunt, unde hoc ipsum cognoscitur? ex effectu? at quomodo ex effectu? ex absentia fascini more anicularum id colligere nemo potest, cùm incertum sit, annon citra præservativi usum homo à fascino mansisset immunis. Multi venenatæ auræ metu antidota usurpant, eorumque usu se præservasse jactant, qui tamen an venenatæ auræ absentia, an antidoti virtus immunitatem

nitatem præstiterit, certò affirmare nequeunt. Neque ex autorum, qui disquisitiones magicas scripserunt, monumentis, vel ex actis judicum patet, sagas frustrationis in inferendo fascino causam herbis vel gemmis unquam adscripsisse. De precibus illud constat, non autem de re naturali ulla.

§. 8. Experientia quidem multiplex obvertitur, sed eam cum grano salis esse capiendam, ex his, quæ Voetius *lib. 1. Dispp. Select. pag. 929.* doctè proponit, constat. Nam *1. multa hîc occurrunt fallaciæ tum hominum ignorantium, tum impostorum, tum ipsorum Dæmonum, qui cum factis aut verbis præ se ferunt, se rebus illis affici, torqueri, fugari, more suo mendaces agunt. 2. Etiamsi daremus, res quasdam Diabolo molestas aut gratas esse, non tamen inde sequeretur, eum ideo cogi, ad veniendum & recedendum, ad agendum, aut cessandum: est enim libero arbitrio præditus. 3. Totum illud, si quid fit, est per accidens. Neque enim rebus illis sensibilibus alliciuntur Dæmones propter ipsas, sed propter aliquid aliud illis conjunctum, sive inclusum, sive ab iis derivatum. Fit autem illud tribus modis, ut bene explicat Thomas de Potentia Quæst. 6. Art. ult. Vel quia res corporales sunt aptæ & Diabolo idoneæ ad perficiendos effectus mirabiles applicando agentia passivis, sic e. g. delectatur melancholica complexione, herbis & bestiis venenatis, pharmacis incitantibus ad libidinem, plenilunio, aliisq; infelicibus siderum constitutionibus, quibus melancholia aliiq; noxii humores abundant &c. vel quia homines per eas in peccatum adducuntur, sic e. g. delectatur lautis conviviis, choreis, comœdiis &c. vel quia sunt signa & sacramenta superstitionum, quibus Dæmones ex pacto delectantur, non tanquam cibo & potu (ut loquitur Augustinus de C. D. libr. 21. cap. 6.) sed tanquam signis.* Hactenus Voetius.

§. 9. Majolus in humano sanguine vim aliquam ad fascinum indirectam inesse posse ait *Colloq. 3. pag. 195.* ut menstrua muliere agros circummeunte noxia vermina necari, censuere Dardani sectatores apud Columellam, & Lud. Banairolus scribit *Ennead. Muliebr. c. 2.* si menstruo cruore domus alicujus postes inungantur, dæmoniacis magorum artibus & insidiis aditum omnem præcludi: & apud Mich. Isselt. Ann. 1586. legitur, in Livonia fuisse locum, ubi nimbis, tonitruis, ac tempestatibus Dæmonia truculenter grassabantur, nisi in lacum quendam in-

nocuus infantulorum cruor à rusticis infunderetur. Posterius hoc quidem apertè Satanicum Majolus meritò vocat: priori autem aliquid Physicum inesse posse, sed indirectè agens, statuit. Verùm menstruum, indirectè agere posse in Dæmonem, qua ratione firmari queat, non video. Sanè medicamenta Medici agnoscunt & producunt, quæ in Dæmonem indirectè agere dicunt, quatenus scilicet per ea humores, quibus œconomiam hominis ipse turbat, evacuantur, atque ita privativè id, quod præstant, efficitur: at ea ratione sanguis iste non agit, multò verò minus positivè agere in spiritum potest, Hoc enim esset directè agere,

CAPUT III.

Recentiorum ad fascinum remedia. Hypericum & Antirrhinum præcipuè commendat Carrichterus: de hoc autore Helmontii judicium. Hypericum & Ruta fascinatis & obsessis cur prosint? ratio J Bapt. Portæ à Sim. Pauli eluditur. Historia mira de Hyperici contra Dæmones virtute examinatur. Hydrargyrum ad fascinum commendatum.

§ I. RΕcentioris ætatis vulgus sua etiam habet, quæ ad fascinum tam præcavendum, quàm curandum commendat, remedia, & sunt præcipuè Adiantum aureum, Germ Güldenwiderthon: origanum, Dosten; Antirrhinum, Orant/Dorant: Ruta; Filix Farrenkraut: Viscum Corylinum & Tiliaceum, Hasel- und Lindenmistel / Scrophularia, Braunwurtz: Muscus terrestris, Teuffelskraut/Drutenfuß/Beerlapp: Hypericum Johanneskraut/Harthau/Jageteuffel/Teuffelsflug/ quo de rhythmi Germanici:

Dost/Harthau und weisse Heid/
Thun dem Teuffel viele Leid.

Thom. Pancovius *Herbar. p. m. 213.* Antirrhinum & Pervinca liberant à fascinatione & incantamentis vel intus assumpta, vel amuleticè opposita, ait Sylvester Rateray *Aditu ad Sympath. & Antipath. p. m. 21.* Carrichterus *p. m. 493.* pro Hyperico & Antirrhino secundùm cœli influentias veras effossis, & in quatuor domus, hypocausti, cubiculi & cellæ angulis; item de collo suspensis, in hebdomade etiam in forma pulveris

ris usurpatis pro præservativo & optimo ad fascinum remedio spondet. Sed quid de eo nos sentiamus, dicta aperiunt. Succurrit hîc, quod de Carrichtero Helmontius, *Lib.* quem inscripsit, *Recepta injecta*, prodit. *Nemo*, ait, *Medentum interim, quod sciam, unico Karrichtero excepto, hanc materiam tractavit. Qui quidem modum fiendi atq; remedia sanandi aliqua proposuit, at non parum suspecta vana superstitionis. Theoriam quoq; nec attigit, quia ignorare visus.*

§. 2. Hypericon & Ruta fascinatis & obsessis cur prosint, Joh. Baptista Porta *lib. 3. Phytognomicor.* auguratur. Rutam nimirum ob crucis signum semini impressum. Hypericon autem vehementissimè Dæmones ejicere ait ob thuris odorem, quo manibus confricata redolet, cùm soli Deo thus donaretur. Cui salsè respondet D. Simon Pauli *Quadripart. Botan. Class. 3. p. m. 350. Novimus ex sacris satis negotii ipsius Christi discipulis hospites mali ingenii sæpe facessisse, ita ut accersere Salvatorem ipsum, ipsiusq; operam implorare coacti sint. Et tamen bonus hic Porta adeò mitem & mollem Diabolum putat, ut planta thuri similem odorem spirante, ejici possit. Hoc certè non usurpare ad Dei gloriam, sed perversè ac superstitiosè profanare medicamenta est. Absit verò, eò dementia nos abeamus.*

§. 3. Miram de *Hyperici* ad Dæmones usu historiam refert ex Hercule Saxonia Scipio Mercurius Italus im Heb-Ammen Buch / interpret. D. Welschio *pag. 571.* quam Saxonia ab Episcopo quodam accepit. Mulieris nimirum cujusdam juvenculæ amore spiritus quidam malus flagrat, & cum ea multoties, quandoque etiam præter ejus placitum, rem habet. Alius spiritus ejusdem amore captus in humana forma eam rogatum adit, sed fœmina zelotypiæ fervore amasii sui se excusat. Instat hic, & pro consensu se eam herbam edocturum promittit, quam si gestarit, vel appensam habuerit, fore, ut spiritui malo, cujus consuetudine hactenus fuisset usa, appropinquandi & concumbendi potentia adimatur. His dictis, se quoque spiritum malum esse fatetur. Mulier sagax suum herbam cognoscendi desiderium aperit, & quia jam ante commixtionis & societatis pravæ tædium eam cœperat, proco novo pro herba dicta, si allatam dederit, promtissimum ad omnia consensum promittit. Spiritus herbam, nempe Hypericum, afferre non moratur; quam ubi attulit, per insidias eam fœmina aufert, ac possessionem ejus sibi vendicat,

 dicat,

dicat, eâque appensa tam à novi, quàm à veteris præsentia & societate se liberat.

§. 4. En mirum, Amice Lector, historiæ contextum: Herba spiritus malos fugasse, & spiritus mali herbam fugisse creduntur, cùm tamen illam spiritus alter ipse attulerit. Quid ergò dum decerpebat procus novus, & herbam afferebat, inhibuit, quo minus inter legendum & apportandum Dæmon fugeret herbam, vel herba fugaret Dæmonem? Itaque non herba, sed animus ad valedicendum impuritatibus abominandis paratus, & Spiritus S. lumine illuminatus Dæmonem sine dubio fugavit: cùmque prior ille limites ad fascinandum permissos jam perire forsan intellexit, alius spiritus æquè mendacis ope circa discessum fœminam superstitiosum medium docere voluit, ut ab ea alii plus herbis, quàm precibus fidere discerent. Herm. Grube *de Medicament. simpl. cognoscend. Sect. 5. Art. 1.* existimat, hunc de Hyperico errorem in animis credulorum sedem suam fixisse, quòd cum melancholia hypochondriacâ variis phantasiis nocturnis ac somniis periculosis tanquam spectris sibi oblatis tententur, jam tum cum fructu in usum vocarint Hypericum.

§. 5. *Hydrargyrum* commendari legimus apud Th. Jordanum *de Pestis Phænom. cap. 9. Tr. 3.* ubi scribit: *Patavii in officina Aromatarii, ad D. Antonii insigne forte fortuna cùm essem, accessit mulier petitum hydrargyrum: ibi Pharmacopœus terebello pertudit avellanam nucem; excavatam replevit hydrargyro & tradidit: sciscitanti mihi usum, respondit, frequens esse mulierculis, quibus à fascinatricibus ademtum sit lac, quo infantuli alendi fuerant. Hoc si secum gestaverint, nullas prorsus Sagarum, Lamiarum aut Strigum pertimescendas insidias, quod & in sua conjuge exploratum & expertum se habuisse, sanctè asseverabat.*

CAPUT IV.

Peculiaria sunt Pontificiis remedia præservativa, de quibus 1. in genere judicatur. 2. in specie de signaculo crucis. De usu signi crucis in primitiva Ecclesia. Cur hodierni Christiani eo utantur? Non crucem, ut talis est, sed propter fidem, cujus crux tessera est, fugit Dæmon. Crucis inefficacia probatur. Virtus ejus accidentaria juvandi

juvandi unde? Thyræus notatur. Aquæ lustralis ad Dæmonem fugandum futilitas probatur. Pro reliquiarum Sanctorum virtute gratis Thyræus & Schottus laborant, quorum objectiones diluuntur. Satanæ, conquerenti se imagine B. Mariæ fuisse fugatum, Pontificii credunt. Nec cruce, nec aqua lustrali, nec reliquiis Dæmonem depelli historia quadam confirmatur. Agnum Dei Pontificii commendant ad superstitionem usque, ad impietatem & falsitatem usque. Pronunciatio nominis JESU an, & quatenus sit præservativum? Lojoliticum præservativum. Salem cum Dæmon abhorreat, ratio Bodini, quæ rejicitur: nec ratio Delrii satis probat. Lotio manuum matutina malè inter præservativa refertur: error ex lotionis apud Judæos & Ægyptios usu ortus. Præservativa alia superstitiosa, præsertim Judæorum recensentur.

§. 1. S*ignaculo crucis, Aqua benedictâ, Agno Dei, Nominis Jesu pronunciatione & Reliquiis Sanctorum,* Dæmonem, omneque fascini genus arceri Pontificii operosè contendunt. Nos de his in genere notamus, ea in se spectata ad Dæmonis & fascini fugam non ἐνεργητικῶς, vel ὀργανικῶς, sed συμβολικῶς concurrere. Certè nisi vera fides in Christum, capitis serpentini contritorem defixa, quæ organum est genuinum, quo divina ad amolienda fascina quæque virtus acquiritur, adsit, frustraneus erit omnis per ista in profligandis Dæmonibus labor: & qui efficientiæ nomine ista jactat, vana, superstitiosa & magica commendat. Omnis enim usus rerum ad effectus, qui viribus naturæ, aut artificis solertiæ, aut virtuti supernaturali propter promissionem Dei adscribi nequeunt, implicat Magiam. Enumerata autem ista eam in se virtutem habere, aut à Deo ejus promissionem habere, ex sacra pagina ostendi nequit.

§. 2. *Signaculum crucis* telum Dæmonibus formidabile dicitur. Sanè crucis signo se vel Christianæ religionis Candidatos signare antiqua & pia fuit Ecclesiæ veteris consuetudo. Catechumeni in primitiva Ecclesia hoc signo ante baptismum in fronte sacro chrismate signabantur, post eum obsignati vel signati propterea dicti: & signaculum Christi petere vel accipere, erat idem ac Baptismum petere vel accipere. Signaculum hoc ipsis deinceps frequenti erat in usu. *Ad omnem progres-*

sum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus, Vide Dn. D. Casp. Sagittarium *de Martyrum Cruciatibus in primitiv. Eccles. cap.16.* & quæ Conr. Rittershusius *Sacrar. Lection. lib. 5. cap. 14.* ex S. Patribus, Tertulliano, Chrysostomo, ac Hieronymo annotavit. Similia ex iisdem adducit Lavaterus *de Spectris Part. 3. cap. 9.* quæ & Schottus *loc. cit.* profert; at granum salis, quod Lavaterus subjungit, Schottus omittit, de quo mox §. 4. Prudentius hymno ante somnum sic canit:

Fac cum vocante somno
Castum petis cubile,
Frontem locumque cordis
Crucis figura signet.
Crux pellit omne crimen.
Fugiunt crucem tenebræ.
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.
O tortuose serpens.
Discede, Christus hic est,
Signum, quod ipse nosti,
Damnat tuam catervam.

§. 3. Signo crucis etiamnum hodierni Christiani se muniunt. *Est enim*, ut loquitur Balduinus *Cas. Consc. lib. 3. cap. 6. Cas. 8. signum crucis confessio fidei nostræ, & commonefactio crucis Christi, per quem regnum & opera Diaboli destructa sunt.* Crux verò per se Diabolum non fugat, sed fides meritô passionis & crucis Dominicæ nixa, quæ in corde latens, si externo signo se prodit, hoc ipso, ut tessera, Dæmonem arcet. Fide si quis sit destitutus, eum nec mille cruces adversus Satanam satis muniverint. Fidem fidus salutis nostræ assertor gratiosè respiciens ipse Dæmonem fugat, & ab ejus insultu hominem liberat. Et quî nudæ crucis signum pellat Dæmonem, qui Christum ipsum crucifigendum in deserto accedere non erubuit? Adhæc Magi conjuraturi Dæmones, circulos suos, ut & amuleta, item signa fascini multis crucibus solent insignire (exemplum lege infrà *Part. 10. Sect. 2. cap. 2. §. 9.*) quibus si repellendi Dæmones vis inesset, frustraneus foret eorum in conjurando & fascinando labor.

labor. Papam à Dæmonis furore in auras deductum non salvavit crucis signaculum, sed hoc ille elusit *καρκίνῳ* seu retrogradu hoc versu:

Signa te signa, temerè me tangis & angis,
Roma tibi subitò motibus ibit amor.

Circa templa, Monasteria & Cœmiteria crucibus abunde instructa variis tum tentationibus, tum externis terriculationibus grassatur Dæmon.

§. 4. Lavaterus, postquam ex Lactantio adduxit, Christianos hac ceremonia antiquitus, in expellendis Dæmonibus & sanandis morbis usos esse, subjungit: Non quòd externo crucis signo tantam vim & efficaciam adscripserint (superstitiosum enim hoc esset) sed cruci, h. e. merito Christi, cujus dignitatem simul in mentem revocarunt. De Sanctis quidem Apostolis & Apostolicis Ecclesiis non legitur, quòd ceremonia Crucis in expellendis Dæmonibus vel morbis curandis, aut aliàs quoque usi sint. Judæis, qui in Ægypto superliminare sanguine agni signarunt, parsum fuit: non quòd sanguis ovillus vim haberet conservandi homines ab interitu, sed typus erat sanguinis & crucis Christi. Vid. Freudium *Q. 240. n. 14. & seqq.*

§. 5. Thyræus *l. c. cap. 28. n. 20.* quærit, cùm duo sint in cruce, motus quidam in aere factus, & exspectatio fugæ Dæmonum, utrum horum superstitiosum? prius illud, an posterius? Respondet, prius res naturalis est, alterum officium pietatis aut charitatis. Sed responsionis vanitatem ante dicta produnt. Addenda nimirum tertiò fides, quæ in externo crucis signo, tanquam causa effectus collocatur, & hoc superstitionis est. Distinctionem, quàm ibidem Thyræus comminiscitur inter crucem transeuntem & permanentem, vide sis profligatam à Balduino *loc. cit.* In hoc itaque graviùs Pontificiorum secta delinquit, quàm olim Macrianorum familia Romæ in eo, quando solenne semper habuit, ut Alexandrum Magnum Viri in auro & argento, mulieres in reticulis & annulis exsculptum gestarent, quòd, ut Julius Capitolinus *in Vita 30. Tyrannorum* testatur, diceretur, juvari in omni actu suo, qui Alexandrum sculptum aut auro, aut argento gestaret. Macriani superstitiosè id crediderunt fide pagana: Pontificii, qui superstitionis vitium à se amoliri nituntur, qua? carbonaria.

§. 6. *Aquam benedictam* Sagæ ipsæ ad veneficia cùm adhibeant qui

qui potest eorundem esse præservativum, fascinique autorem fugare? En! historiam, quam recitat Remigius *lib.1. cap. Jacobeta Equina cum Petronii tribulis sui filia, cui amatorem invidebat, pro libidine nocere non posset, (ab illa enim,ne quam inferret injuriam, sibi diligenter ea cavebat) tandem aspergillo lustrali, quod istiusmodi pulvere venenato infecerat, quasi aliud agens in templo orantem inspersit.* Frustraneum ejusdem esse usum ad mentem nostram firmat Petrus Cluniacensis *lib.1. Mirac. cap.6.* citant. Jordano *cap.71. Ne miretur aliquis benedicta aquæ aspersione Dæmonem non fugatum: agnoscas tabe interius latente unguenta exterius adhibita nihil proficere posse. Tabem autem voco lethale peccatum, quod quamdiu interioribus quibuslibet latuerit, nullius exterius sacramenti perceptio ei prodesse poterit.*

§. 7. *Reliquias Sanctorum* Dæmones pellere scribit Thyræus *de loc. infest. Part.3. cap.67. pag.219.* & ex eo Schottus *Phys. Curios. lib.2. cap.41. §.2.* Confirmant hoc exemplis de semicinctiis & sudariis D. Pauli adhuc viventis, de quibus Lucas *Actor. 19.* hunc in modum scribit: *Virtutesq; non vulgares edebat Deus per manus Pauli. Ita ut etiam super infirmos deferrentur à corpore ejus sudaria & semicinctia, & recederent ab eis morbi, & spiritus mali egrederentur.* Verùm ne tangam sudaria & semicinctia Pauli viventis, & præsentis ineptè ad reliquias referri, mala est consequentia: Pauli viventis sudariis vel semicinctiis concessa est vis pellendi Dæmones: Ergo ejusdem reliquiis idem donum est concessum. Pari ratione colligere liceret: Pauli mortui & sepulti pedibus inesse vim ambulandi, oculis videndi, auribus audiendi &c. quia ea omnia in Paulo vivente fuerunt, quod absurdum. Adhæc Deus in confirmationem Doctrinæ Evangelicæ Apostolis donum miraculorum & inter ea fugandi Dæmones concesserat. Cessante autem fine, cessavit donum. At post mortem eorum munus verbum docendi cessavit. Cessavit igitur per mortem donum quoque miraculorum. *S. Hieronymus* (ait Schottus) *libr. contr. Vigilantium Dæmonem alloquens, qui per os Vigilantii reliquias Sanctorum vilissimum pulverem appellaverat, ait: Tu sæpe vilissimo hoc tortus es pulvere.* At homo vivus etiam pulvis vocatur, & hic gladio Spiritus munitus spiritus malos torquet. Quid autem hoc ad reliquiarum efficaciam? Ex Chrysostomo *Homil.7. de 7. Machab.* dicit, *Dæmones, ubi coronatorum Martyrum viderint cor-*

pora

pora posita, *longe ilicò à conspectu eorum pavidi fugiunt & absiliunt* Sed & homines mali piorum consortium, & Rei Judicis præsentiam fugiunt ob rationem non physicam, sed moralem, Martyrumque, qui conatui Dæmonis ad spiritus & sanguinis profusionem usque restiterunt, memoria spiritui malo est adversa: in ossibus autem ipsis & lineaminibus realem Dæmones vim non experiuntur.

§. 9. Exemplum Schottus è Theodoreto adducit sequens, ipsius Theodoreti verbis: *Execrandus Marcio multas spinas impietatis seminavit in regione Urbis Cypri. Eas cùm conarer evellere radicitùs, noctu venit quidam Dæmon exitialis, clamans & lingua utens Syriaca. Cur, inquiens, tu bellum geris cum Marcione? Cur hanc pugnam adversus eum suscipis? Quanam is te unquam affecit molestia. Desine belligerare, desine à malevolentia, aut disces experientia, quantum bonum sit quies. Scias, quòd te jam pridem confodissem, nisi chorum Martyrum te custodientem vidissem, cum Jacobo. Hoc ego audivi, & dixi cuidam ex familiaribus, qui prope me dormiebat: Audis, inquam, quæ dicuntur? Ille verò, omnia, inquit, audivi, & cùm vellem surgere & respicere, & scire, quis loqueretur, tua causa quievi, qui te putarem quiescere. Ambo itaque surgentes, respeximus, neque ullum, qui moveretur, vidimus; nec qui loqueretur, audivimus. Illa verba alii quoque, qui nobiscum habitabant, audiverunt. Intellexi igitur, quòd Martyrum quidem chorum dicebat lecythum olei Martyrum; qua cùm à multis Martyribus collectam haberet benedictionem, pendebat in meo lecto. Sub meo autem capite erat magni Jacobi vetus amictus, qui quovis claustro adamantino fuit mihi validior.* Verùm ut ex Dæmonum accedendi promptitudine non licet colligere realem verborum & characterum efficiendi potestatem: ita nec ex recedendi celeritate eorum, quæ fugæ gratia adhibentur, virtutem protinus asserere licet, quia ut in accedendo, ita & in recedendo fraus sæpe versipellis spiritus latet, qui, ut hominum superstitionem confirmet, sponte accedit & recedit, ac coactionem simulat. Non tangam Dæmoni vacivas aures nunquam præbendas esse, quæcunque etiam dicat, quia pater est mendaciorum, qui ut falsa venditet, vera non tam ex voluntate, quàm calliditate subinde aspergit. Et si vera etiam dicentem fugiamus, quantò magis eundem, si de re dubia & superstitionis opinionem stabilente verba persuasoria facit, postponamus?

 §. 10. Ait

§. 10. Ait quidem Schottus: *Nostri temporis Sectarii, ut olim Vigilantiani rident & execrantur reliquiarum Sanctorum usum, ajuntque Dæmones illas fugere, non quia fugere coguntur, sed quia volunt, homines illas venerantes detinere in superstitione. Sed qui micam solum prudentiæ habent, utique vident, plus credendum antiquis & sanctis fidelibus, quàm nuperis id inficiantibus.* Ast qui micam solum candoris habet, fatebitur, nos plus credere Prophetis & Apostolis antiquis, qui alia certiora media nobis præscripserunt, istaque nuperorum Pontificiorum nos ignorare voluerunt. Optimæ reliquiæ sunt Prophetarum & Apostolorum scripta, quibus fide comprehensis solis nos Dæmonem pellimus, & Pontificiæ pravitatis sectatores suis, quæ sunt Crux Christi, clavi quibus crucifixus, corona spinea &c. cauda asini, quo Christus vectus est, ut & lac Mariæ Virginis, ejus vestis, indusia, pecten, pepla, Josephi crepida & caligæ, penna Archangeli, quàm illi Diabolus ex alis in duello evulsit, & alia multa, multis mendaciis, ineptiis, & fatuitatibus referta, abundare, ac seipsos & simplicem plebeculam egregiè fallere permittimus.

§. 11. Quid mirum autem Dæmonem formidare sanctorum reliquias, cùm horum imaginibus saltem, & magis, quàm *divinæ Triados* invocatione, terreatur & in fugam vertatur. Apud *Isengrinium enim in libr. de Maria in Veteri Oetinga* legimus de puella quadam obsessa, quæ Anno 1570. 21. Jan. adducta sit ad Capellam B. Virginis in antiqua Oetingen, ubi licet Jesuita P. Canisius invocaret auxilium Dei Patris, Filii & Spiritus S. Diabolum hæc omnia nihil curasse, cum verò Loretana Litania inchoaretur de B. Maria, ibi demum Satanam in obsessà furere, clamare, vociferari, imò cùm Canisius ligneam Mariæ imaginem obsessæ capiti imposuisset, tum Satanam exclamasse: Ah mulier: quid me calcas & caput meum conteris? imò cum fœtore tandem exiisse Dæmonem, postquam aliquoties devotus ac supplex recitasset, & Orationem Dominicam ac salutationem Angelicam, quam his tandem conclusit: O Maria, gratia & misericordia tua sit super omnes illos qui hanc tuam Capellam visitant, ah ora pro illis. **Das ist geschehen zu der Zeit / da ein wurmstichiges Mariens Bild den Teuffel tratt / da Satan sich bekehret / und ein Vatter Unser um Vergebung der Sünden bat; ja als er der Catholischen Vorbitter ward / und ermahnte Mariam zu emsiger Intercession /** Backius *Dom. Reminisc. Part. 2. p. 58.* Tales Dæmonis

fucos

fucos & ineptias Pontificii admirari & credere, vel saltem in vulgus credulum spargere non erubescunt.

§. 12. Nec Cruce, nec Aqua lustrali, nec Reliquiis Dæmonem depelli, historia, quam Joan. Cluverius *Epit. Histor. p. m. 504. ad Ann. Christ. 856.* recitat, fidem facit. Eo tempore, ait, Spiritus nequam singulari Dei permissu Moguntiam, ejusque vicinos locos ritè perturbavit. Primùm lapides jaciendo & parietes pulsando domorum, infestus hominibus, paulatim loqui, & furto sublata indicare cœpit, eoque pacto discordias serere inter vicinos. Denique omnium animos in unum quendam exacerbavit, quasi peccatis illius exigentibus cæteri talia paterentur. In quamcunque is domum se recepisset, ea extemplo deflagravit, nec in agris tutus, congestis eò frugibus igni absumptis, fuit. Cùm ob id irruerent in eum vicini, cædem facturi, ille candens gestando ferrum innocentem se probavit. Ergò missi urbe Presbyteri cum Reliquiis & Crucibus & Aquâ lustrali, qui malignum Spiritum depellerent: Sed hos lapidibus impetitos abegit spiritus, unum ex iis filiam vitiasse procuratoris vociferans. Talia per triennium agitando non cessavit, donec universa ædificia succendio consumeret, planissimum documentum, quantum Satanæ in superstitiosos mortales liceat, quamque parum Reliquiis Crucibusque percellatur.

§. 13. Agnum Cereum seu agni imaginem gestare, ut signum sit morale seu memorativum agni Christi, ejusque innocentiam jugiter in memoriam revocet, sua non caret laude. At verò vim ei seu physicam seu supernaturalem contra Dæmonem & Dæmoniacas fascinationes tribuere, vanum est, ac superstitiosum, animumque ad ἐθελοθρησκείαν inclinat. Vires Agno superstitiosè tributas ex his Urbani V. versibus apud Pontificios pervulgatis, qui habentur *libr. 1. Cerem. Sect. 7.* petas:

Balsamus ex munda cera, cùm chrismatis unda,
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum!
Fonte velut natum, per mystica sanctificatum.
Furgura desursum depellit & omne malignum:
Peccatum frangit, ut Christi sanguis, & angit.
Pregnans servatur, simul & partus liberatur.
Dona confert dignis, virtutem destruit ignis:
Portatus mundè, de fluctibus eripit unda.

Stephanus Quaranta in constit. Pontif. addit citant. Voetio *lib. 3. pag. 939.*

Morte repentina servat, Satanaq; ruina,
Si quis honoret eum, retinet super hoste trophaum.
Parsq; minor tantum tota valet integra quantum.

Thyræus *Part. 3. Dispp. de Dæmoniac. cap. 45. n. 17.* non errasse judicat, qui hac de re cecinit:

Pellitur hoc signo tentatio Dæmonis atri,
Et pietas animo surgit abitq; timor.
Hoc aconita fugat, subitaq; pericula mortis,
Hoc & ab insidiis vindice tutus erit.
Fulmina ne feriant, ne sæva tonitrua lædant,
Ne mala tempestas obruat, istud habe.
Undarum discrimen idem propulsat & ignis,
Illaq; ne noceat vis inimica valet.
Hoc facilem partum tribuente puerpera fœtum
Incolumem mundo proferet atq; DEO.

Schottus *l. c. p. 272.* exempla è Delrio adducit, quibus Agnum Dei virtutem præsentissimam ad spectra Diabolica avertenda habere scribit, quæ si excutias, ea Dæmonis fide niti videas, cùm tamen, si quid dixerit, quia simulare novit, illi minimè sit credendum, tanquam Patri mendaciorum. Imò Schottus ipse Delrium aliud ibidem subjicere exemplum fatetur, cui noctu a Dæmone Sacri Agni cerei effigies fuerit abrepta. En egregium præservativum! Nos vana ista, & superstitiosa crepundia alia, ut sunt globuli, rosaria &c. quæ suis autoribus & cultoribus relinquimus, rejicimus cum Voetio *lib. 3. pag. 942.* 1. quia significationis, devotionis, impetrationis, operationis efficacia nulla inest: deest enim verbum Dei tum mandati tum promissionis. 2. apertè repugnat impetrationi & efficaci applicationi salutis per Christum; mediisque applicationis externis, verbo scilicet & sacramentis, totique cultui instituto. Specialiter etiam repugnat fidei in Christum & orationi; cui unico adversus Diaboli vexationes amuleto (*Matth. 17. Ephes. 6.*) substituunt suos Agnos Dei. Vide eundem pluribus.

§. 14. Nomen JESUS quidem supra omne nomen, *Philipp. 2. v. 9.* ut in nomine JESU omne genu se flectat, cœlestium ac terrestri-

um

um & infernorum, nec potest spiritualiter enunciari sine Spiritu S. *1. Corinth. 12. v. 3.* Romæ, ex quo JESU nomen ibi auditum, nullus in urbe Deorum amplius sensit auxilium, nec Æsculapii amplius accessus in eam fuit. Dn. D. Mauritius *l. c. p. 37.* refert ex Hermanno Gœhausen sequens ex actis Facultati Rinteliensi à Republ. quadam transmissis, petitum, Veneficam quandam fuisse confessam: **Sie hätte ein mal** puellæ N. N. **einen Buhlen in ihrem Hause zugeführet/ und ihr denselben freyen wollen/ und als das Mägdlein ohngefehr geantwortet: Ei JEsu der Gesell ist mir viel zu stattlich ꝛc.** Diabolum statim ad nomen JESU evanuisse, **sey zum Fenster hinaus geflogen/ und habe ein Glas Ruthen mitgenommen.**

§. 15. Verùm nuda & sola nominis Jesu pronunciatio Dæmonem non fugat, siquidem & ipse Dæmon hoc nomen, Jesus, pronunciavit *Act. 19. v. 15.* Itaque & hoc nomen non nisi pio corde suscitatum & sincero ore prolatum alexicacon Satanæ est. Eo in casu verè dicere possumus: **Ein Wörtlein kan ihn fällen.** Nicephorus scribit, pium quendam virum suis ædibus inscripsisse hæc verba: *JESUS nobiscum, state:* & hanc proinde domum, si aliàs creditur sublestæ fidei historico, integram stetisse. Non nominis inscriptio, sed Dei manus, quam fide sua Vir pius provocavit, ædium ruinam præcavit. Absque ea si sit, si vel millies ædibus ruinosis nomen idem inscribas, nullum tamen remedium ex ea impetrabis.

§. 16. Egregium (si Diis placet!) Jesuitæ à suo Ignatio Lojola acceperunt præservativum & curativum. Hasenmüllerus enim *in Histor. Jesuit. cap. 8. pag. 296.* ex Turriano refert, quòd aliquando Romæ fœmina quædam à Diabolo obsessa Ignatium Lojolam secuta sit, & clamarit: Tu solus me liberare & juvare potes. Tunc Lojolam recitasse versum Virgilii: *Speluncam Dido, Dux & Trojanus eandem.* Qua voce audita Dæmonem mulierem prostravisse ac egredientem clamasse: O fili Lojola, tu ceu Leo me ad speluncam inferni abire cogis, sed rogo te, ne me æternæ speluncæ injicias. Postea Ignatium illi dixisse: Vade quocunque volueris, modò nullum amplius hominem obsideas; ac statim Dæmonium magno cum strepitu egressum esse. Tanta si vis est Virgiliani versus, quanta erit oraculorum Papæ! adeò Papicolæ præservativis remediis abundant!

§. 17. *Salem* abhorrere Cacodæmonem credunt. Bodinus *lib. 2.*

Dæmon. cap. 2. rationem reddit hanc, quia sal æternitatis & immortalitatis est signum, neque putredine neque corruptione infestus unquam, sed ipse à corruptione & putredine omnia vindicat. Diabolus verò nihil habet antiquius, quàm rerum creatarum corruptionem & dissolutionem. Verùm longiùs arceri hanc rationem sic probo. Hirci figuram Dæmones sæpe ac propè ordinariè sumere statuit ipse Bodinus *l. 2. cap. 6.* quia hircus fœtidus est & salax; propria autem Dæmonum est secundùm eundem in lasciviam brutamque cupiditatem dominatio. Jam simili ratione arguam grata etiam salis præsentia posset esse Dæmoni, quia sal libidinis est indicium & illicium. Ob id Ægyptii canes ad coitum inertes salsamentis carnibusque sale maceratis ad Venerem alacriores reddebant, teste Plutarcho *Sympos. lib. 5. Problem. 10.* Poetæ Venerem prolificæ principem geniture è salo natam & ἁλιγινῆ vocari confingentes, quin iidem omnes maris Deos lascivioſos, fœcundiores plurimorum constituunt parentes, quo de doctè Cl. M. Israel Clauderus *Philologem. de Sale cap. 5.* At propria Dæmonum est in libidinem & lasciviam dominatio. Plausibilior est ratio, quam Delrius *lib. 2. pag. 11.* subministrat, qui odii in salem causam dicit esse eam, quòd victimis & oblationibus olim fuerit additus, quò etiam Bodinus *lib. 2. cap. 2.* inclinare videtur. Quanquam & hæc ratio bene quidem, sed non plenè probet; siquidem & hirci sacris fuerunt additi *Levitic. 16.* Aaroni enim præcipitur, ut sumtis duobus hircis super utrumque sortem mittat, unam Domino & alteram capro emissario &c. At tantum abest, ut hirci à sacris magicis excludantur, ut potius recipiantur, imò ipse Satan hirci formam subinde assumat. Itaque non concreatum & naturale, sed morale aliquod Dæmoni odium inest, vel istud aut hoc saltem simulat. Non illud inest, quia in hominibus obsessis, qui & ipsi ex sale quoque constant, salis præsentiam in alimentis propinatis tolerat, & in culinis, ubi sal asservatur, sæpe tumultuatur. *Non dubito,* inquit Delrius *lib. 2. Quæst. 12. p. m. 127. si Deus sinat, & Diabolus velit, posse & salem & panem, & benè ac opipare conditos cibos apponere, raro tamen id facit: non raro jubet invitatos symbolum conferre, & quemq., quo vesci solet, secum adferre, quod Sagæ nonnunquam confessæ.* Adversitatem nimirum adversarius omnium simulat, ut adversitatem palato creet, & in hoc sub prætextu quodam ægrè faciat complicibus. Optimum enim ciborum condimentum cùm

sal

sal sit, vult osor bonorum omnium, ut hoc ipso etiam sui in cibis careant. Mittimus *Cineres, Campanas, Ramos, flores benedictos*, & ineptias Pontificiorum alias, quibus non tantum vim sanandi, à naufragio, incendio, infortuniisque aliis præservandi, sed & ab infestatione spectrorum, Dæmonumve liberandi, superstitiosè tribuunt.

§. 18. *Lotio manuum matutina* vulgò inter præservativa quoque refertur. Ast hæc, ut talis, quæ privationem impuritatum attactu contractarum notat, vim quandam manibus, ne partes reliquæ fascinum recipiant, imprimere nequit: nec, cur ea corporis pars sua munditie in hoc cæteris præstet, dici potest. Solet autem Dæmon semper superstitiosa suadere, & per ea confluxu suo occulto operari, ut virtute istorum putatitia aliis commendata homines plus superstitiosis & factu facilibus quàm veris inhæreant, & per ambages ab his tandem recedant: vel si precum vi fascini inferendi vis eluditur, hoc & aliis prætextibus vanis frustratio excusetur. Sagæ nonnullæ referente Remigio *libr. 1. cap. 10.* affirmarunt, eam lavationem certò proficere contra malas incantantium artes, si domo quis pedem efferens se præterea in Dei tutelam præsidiumque supplicibus verbis committat. Alia jamjam in ignem imponenda ac ultimum cum marito prandens placidè eum, multis audientibus, monebat, ne insalutato Numine, illotisque manibus domo pedem efferret, si se à Sagarum insidiis tutum cuperet ac securum. Sic præservativum optimum & verissimum quod solum in præmuniendo omne fert punctum commendatione adjectivi vani & superstitiosi conspurcari videmus, &, quod divinare non difficile est, ideò, ut hoc altero, tanquam facili remedio vim precibus parem homines sua natura ad pietatis cultum torpidi tribuant, idque promptius arripiant.

§. 19. Talis persuasio radicatur eò facilius, quò certiùs divinitatis vestigium in puritate homines suspicantur. Lotio enim & in Judæorum & in gentilium sacris ad avertentda mala & vitia jam olim fuit frequens. Ægyptii etiam puritatem indicaturi aquam pinxerunt, quòd eo elemento lustratio atque expiatio optimè fieri crederetur. Virgilius *Æn. 7.*

Tu genitor cape sacra manu patriosq; penates:
Me bello è tanto digressum & cæde recenti

Attre-

Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Hesiodus *in Operib. & Dieb.* vinum Jovi manè litari, vel etiam quemquam ingredi amnem aut fontem χεῖρας ἀνίπτοις, vetat.

§. 20. Præservativum vanum & superstitiosum etiam est, crines pectinando evulsos nonnisi ter consputos abjicere. Judici cuidam Hesso Saga quædam famosa vinculis constricta, interrogata; qua ratione quis Lamiarum maleficia evitare posset? respondit seriò: Quisque detrita & vetustate, multoque usu consumpta calceamenta custodiat. Quasi verò eorum opera inferri, vel etiam arceri maleficia valeant. Cui mens ita stupet, ut has non sentiat nugas? Wierus *libr. de Lamiis cap. 15. §. 3.* Guevaræ à Xandilla Sagarum primiceria suggestum fuisse meminit Garzonius, referente Dn. D. Geiero *Disq. de Superstition. cap. 5.* § *3.* ut, si velit securus esse, non muniat solùm se crucis signo, verùm etiam cuique primùm obvio, sive homo sit, sive bestia, dicat: *Duobus oculis cerno te, quinis ego adjuro te, sanguinem tuum bibo, cor tuum lacero &c.* Cui intellectus ita est obscuratus, ut has non intelligat ineptias! Plura alia eaque ridicula & puerorum ineptiis simillima collige ex iis, quæ diximus supra *Part. 5. cap. 5. §. 17.*

§. 21. Nugatorium tamen Judæorum in præmuniendis à fascino puerperis præservativum, quod Dn. D. Danhauerus *l. c.* monstrat, præterire nolo. Ita ille: *Rabbi Elias (ita Serrar. ad Tob. 8. q. 5. p. 88. in Thisbi) consuetudo, inquit, inter nos Judæos Germanos inolevit, ut faciamus circulum per circuitum in parietibus cubiculi, in quo jacet puerpera, cum creta aut carbone, scribamusq; in singulis parietibus, Adam, Havah, Chutur, LiLoth. Atque in ostio cubiculi interiori scribamus nomina trium Angelorum, qui Senoi, Sansenoi & Samangeloth, quemadmodum tradidit illis ipsa Lilithea hora, qua Keriath schemah dicitur, est, & quas Thephilin vocant, quibus noxia sese omnia fugare arbitrantur.* Cadavera sua Judæos à Dæmonis insultu ridiculè præservare fidem habemus Alexandro Roß von unterschiedlichen Gottesdiensten in der gantzen Welt/ *pag. 97.* ubi ait: Sie die Juden bedecken deß Verstorbenen Angesicht/ und beugen seinen Daumen / daß dem Hebreischen Buchstaben ך in *Schaddai* gleich sey / damit sie also den Satan mögen abschrecken/ nicht an den Leichnam zu kommen. Superstitiosum æquè ac ineptum est illud Judæorum, quod

quod annotavit Christoph. Helvici *Part. 2. Histor. Judaic. 5.* Wenn man will schlaffen gehen / so lieset man zuvor Krias schma (das ist der Passuc) HErr Israel dein HErr ist ein einiger GOtt. Denn derselbige Spruch hebt an mit dem Buchstaben *Schin*, und höret auf mit dem Buchstaben *Daleth*, welche zween Buchstaben zusammen gesetzt / machen ein neu Wort *Sched* das ist der Teuffel. Welcher nun sagt diesen Spruch auf dem Bett / der ist sicher vor dem Teuffel / und darnach das Gebet *Phibinoam*, das ist auch gut vor Ungeheuer. In demselben Gebet ist der Buchstab *Dsain*, bedeut 7. in der Zahl / und *Dsain* heisset Wehr und Waffen. Darum welcher es sagt siebenmal / der ist sicher vor allerley Wehr und Waffen. *Histor. 23.* hoc habet: Man lieset / daß sie glauben / daß man für Zauberey sicher sey / wenn man sich den Tag mit einer irdenen Scherben wische: wenn einer die Tag seines Lebens keine Laus auf seinem Kleid getödtet / und nichts aus einem Bund Stroh / ehe es aufgeschnitten / gegessen hat.

PARS X.

DE CURATIONE FASCINATIONIS MAGICÆ,

SECTIO I.

DE NATURALI EJUS CURATIONE.

CAPUT I.

Fascini curatio triplex. Divinæ necessitas. Naturalis non in omni locum habet. Etiamsi fascini à Dæmone in conservari dependentia ignoretur, non tamen remedia naturalia sunt negligenda. Medicamenta sunt vel evacuantia vel alterantia. Inter ista præferuntur mineralia vegetabilibus. Alterantia simplicia enumerantur, omnia secundùm methodum medendi sunt usurpanda. Alterantia pro fascino universalia duo Codronchii. Em-

plastrum fœtidum Mynsichti. Carrichteri duo unguenta ex visco corylino (quod Horstius & Henricus ab Heer commendant) & tiliaceo.

§. 1. CUratio morborum per fascinum inductorum triplex datur, Naturalis Magica & Divina. *Divina*, quæ Deum habet Autorem maximè opus est. Dei enim benedictio, ut in omnibus, ita & in Medici actionibus imploranda. Non ejus tantùm generalis concursus, sed & specialis, in morbis præcipuè magicis, qui solis remediis è natura petitis quandoque minimè cedunt, implorandus. Hiskiam Regem lethaliter ex Dei voluntate decumbentem, sed precibus ardentibus auxilium rogantem, Deus influxu particulari restituit: quique secundum generalem Dei cum rebus omnibus concursum mortis erat candidatus, speciali Dei gratia vitæ denuo fit candidatus. Benè Philo *lib. 1. de Vita Mosis: Aliud est humanum, aliud divinum auxilium. Noster adjutor nullis opus habet apparatibus.* Ἐν ἀπόροις πόρον εὐπορεῖν ἴδιον θεοῦ. *Exitum invenire in rebus dubiis est Deo proprium.* Divinam autem curationem Dnn. Theologis relinquimus.

§. 2. *Naturalem*, quatenus per remedia naturalia perficitur, nos venabimur. Morbos à Sagis immissos curari posse ratione & experientiâ *Part. 8. Sect. 2. cap. 1.* confirmavimus. Id quod non universaliter de omnibus volumus intellectum. Nam si in morbis merè naturalibus locum habet illud: Non est in medico semper relevetur ut æger, id veriùs de effectibus virulenti hostis potentia inductis pronunciare licet. Hos in duplici esse differentia *loc. cit.* diximus: quidam enim à Magia dependent, quidam non dependent. Isti remediis naturalibus non tolluntur, quia si Deus fascinum permittit, à Dæmonis influxu in conservari illud dependet: quo in statu dispositiones pravas, quas induxit, fovet, ne eæ per signa prodantur, fraudulenter cavet, remedia naturalia invisibiliter aufert, aut si exhibita vel applicata fuerint, vires eorum debilitat ac infringit, & pluribus aliis modis humanam industriam fugientibus curandi scopum retardat. Neque omnes à Magia non amplius pendentes morbos arte medica curari posse diximus *loc. cit. Prognost. General. 6. & 7.*

§. 3. Incertum verò licet sit, an fascinum à spiritu pessimo etiamnum

num in conservari ex Dei permissione pendeat, & permissionis limites ampliores sint concessi nec ne, frustraneus etiam licet hactenus præsidiorum naturalium usus fuerit, ea tamen propterea non erunt negligenda, & medica manus repellenda, quia 1. si ardens & frequens accedat auxilii divini imploratio, pro feliciori rerum naturalium operatione, permissionis limites contrahere vel tollere, & *Deus*, (verba sunt Sennerti) *qui supra naturam est*, *rebus naturalibus vim agendi etiam in incorporea tribuere potest*. 2. quia etiam Dæmonis potestas, humores & substantias alias movendi determinata est, ut non pro suo, sed Dei lubitu eas movere teneatur. Effectus autem extra determinationem reperti respectu nihilominus, quamvis illa ignota sit, si non curatio, tamen mitigatio expectari potest. 3. quia Sagarum veneficio morbi quandoque infliguntur, qui nihil supernaturale continent, quibus sanè naturalia remedia, quæ ratio & experientia homines à tot seculis docuit, ex arte sunt opponenda. 4. quia remedia, si non directè, tamen indirectè in Dæmonem agere possunt, sublatis nimirum dispositionibus, per pravos & corruptos humores inductis: humoribus istis evacuatis, internam corporis humani œconomiam minus turbare potest Dæmon.

§. 4. *Medicamenta* sunt vel *evacuantia*, vel *alterantia*. Evacuantia exhibenda sunt his, qui atra bile & humore melancholico, in quo balneum Dæmon quærit, abundant. Fit *evacuatio* vel per superiora vel inferiora, suntque *Senna*, *Elleborus*, *Veratrum*, *&c.* Circulator circumforaneus Neapoli in publico foro sua medicamenta commendabat coronæ, eo etiam nomine, quòd Diabolum ex obsessis ejicere valerent. Abreptus in domum inquisitionis se cum explicuisset, non illicitis à sacra sede prohibitis mediis se id moliri, sed *veratro* & *antimonio*, crassis eductis humoribus; dimissus fuit, Rolfinck *de Purgant. Vegetab. p. 220.* Thonerus *l. c.* mineralia efficaciora & magis appropriata hic esse censet, quàm vegetabilia, nimirum, *Mercurius dulcis* & *vitæ*, *Antimonium* &c. In quorum usu eædem, quas Medici in genere præcipiunt, leges & cautiones sunt observandæ, quas etiam Codronchus *lib. 4. cap. 4. & seqq.* tradit propter Exorcistas, qui falcem in messem Medicorum ponentes varia *vomitoria*, *potiones*, *linimenta*, *suffitus*, *balnea* & alia sine ulla differentia, ac temerè cùm ægrotantium periculo propinant.

§. 5. *Alterantium* fascino à Magicis actionibus inducto oppo-

 nendo-

nendorum certus pro ratione morbi & partis laborantis habeatur delectus, quæque experientia comprobavit, eligantur. Ea sunt vel interna vel externa, tum simplicia, tum composita. *Simplicia* sunt *Ruta*, *Verbena*, *Hypericum*, *Herbæ paridis semen*, *Artemisia*, *Antirrhinum*, *Abrotanum*, *Centaurium*, *Sabina*, *Palma Christi*, *Aristolochia*, *Marrubium*, *Aster Atticus*, *Allium*, *Tussilago*, *Pæonia*, *Chamæpitys*, *Cyclamen*, *Sclarea*, *Galega*, *Fœniculum*, *Laurus*, *Cupressus*, *Anethum*, *Sulphur*, *Gagates*, *Thus*, *Myrrha*, *Galbanum*, *Ladanum*, *Moschus*, *Styrax*, *Pix*, *&c.* Plura vid. in D. Macasii *Promptuar. Mater. Medic. Part. post. cap. 5.* Quæ & alia omnia secundùm communem curandi rationem & methodum genuinam sunt ordinanda & usurpanda. Morbos enim mediantibus naturalibus Dæmonem, qui eorum causa in fascino remota est, inducere diximus. Itaque eandem, ut alii morbi, medendi rationem postulant. Sic Dn. D. Conringius Juvenem Sponsum ligatum solis remediis naturalibus venerem excitantibus, semenque augentibus feliciter restituit, citante D. Joh. Georg. Rosa *Disp. Inaug. de Ligatione Heidelberg. habita Ann. 1672. cap. 7.* Itaque ut Medicina Practica hic adornetur, & omnium in specie morborum curatio doceatur, opus non est. Sufficiat ea proposuisse, quæ peculiariter fascino prodesse experientia, si non semper, tamen aliquando, docuit.

§. 6. Sennertus duo ex Codronchio adducit universalia, quæ tamen in meo exemplari (nisi forsan alia sit editio) non habentur.

Primum Rec. *Hyperici*, & præcipuè *semin. illius* drachm. un. vel scrup. duos.
Margaritar. scrupul. unum.
Fiat Pulvis, qui exhibeatur cum unciis quatuor decoctionis, seu stillatitiæ *aqua mellata.*

Alterum hoc est:

Rec. *Thuris*,
Myrrha,
Ladani, ana unc. duas.
Sulphuris,
Galbani, ana unciam un.
Hyperici,
Aristoloch. ana unciam semis.

Fiat

Fiat Pulvis, qui eâdem quantitate exhibeatur.

Plura in sequentibus occurrunt.

§. 7. Externa sunt *Emplastra*, *Unguenta*, *suffumigia* & *balnea*. Mynsichtus *Armamentar. Medico-Chym. Sect. 36.* sequens commendat Emplastrum, quod fœtidum vocat.

Rec. *Asæ fœtidæ* unc. tres.
Granor. antirrhini quæ sceleton repræsentant numero septem.
Fol. quercin. numero tria.
Corall. rubr.
Pulv. magnetis, ana drachm. un. & semis.
M. & fiat cum *Ol. hyperici* Emplastrum.

Ad quævis, ait, maleficia experimentum est stupendum, & quasi cœlitùs demissum: super centrum enim, ubi cruciatus, persequendo positum, non duntaxat maleficium ipsum, verùm etiam omnia phantasmata & incantationes sine superstitione, & confestim fugat, propulsat, atque debellat. Patiens autem bibat interim de sequente decocto.

Rec. *Herb. antirrhini* cum *semine*,
Hyperici,
Pyrolæ, ana quantum vis.

Coquantur in cerevisia, vel vino ad tertias. Dosis mane & vesperi bonus haustus.

§. 8. Carrichterus sequentia duo *Unguenta*, quæ *Balsama* vocat, ad omnis generis fascina & veneficia commendat *p. m. 473.*

Primum ex *visco corylino* ita paratur:

Rec. *Adip. canis* benè liquat. & mund. unc. quatuor.
Ursi, unc. octo.
caponis, unc. duodecim.
Visci Colurni adhuc virentis truncos tres frustatim sectos, & tusos dum humescant.

Contunde autem simul *lignum*, *folia*, *baccas*. Misce omnia in phiola, quam Soli novem septimanas cùm exposueris, virentem balsamum extrahes, quo si veneficio affectorum corpora & loca maximè dolentia ac juncturæ inunguntur, certo experimento æger sanabitur.

§. 9. Hoc unguentum commendat Greg. Horstius *Epist. Medic.*

Eeeeee 3 *Sect. 7.*

Sect. 7. p. m. 415. Eodem se puellam insigni maleficio affectam curasse scribit Henr. ab Heer *Obs. rar. 8.* Cùm enim puella ista nono ætatis suæ anno à Saga stipem petente *acetosæ folium* donatum deglutivisset, alvi dolores mox sensit, toto corpore contremiscere, deinde & convelli, demum animo linqui & quasi mortua cadere cœpit. Variis remediis frustra tentatis tandem Henricus ab Heer unguento prædicto puellam sanitati restituit. Historia hæc habetur *in Addit.* ad Marcelli Donati *edit. nov. p. m. 727.*

Alterum Balsamum *ex visco tiliaceo* sequentem in modum conficitur.

Rec. *Adip. Caponis* benè purificat.
adde
Visci tiliacei truncos tres: ex his ad modum præcedentis conficiatur.

Prius illud commendat ad contracturam & ariduram, quando genua pectori quasi adnascuntur. Si inflammatio vel intemperies oborta fuerit calidior, hanc tollere jubet *radice filicis* & *lixivio* ex *cinere quercino*, quod frigidum aspergere præcipit. *Aqua* etiam *antirrhini* recipiatur, vel in hujus defectu *adiantum* manè ante Solis ortum colligatur, & inde aqua destilletur, cui tres vel quatuor guttæ *sanguinis ex aure sinistra catelli* pro mare, vel canis fœmellæ pro sexu fœminino detracti immittantur, eaque aliquoties, donec inflammatio tollatur, applicetur. Si ad exulcerationem devenerit, recipere jubet *adianti* partem unam, *antirrhini* partes tres, & hæc in pulverem subtilissimum redacta exulcerato loco, donec sanetur, inspergere. Nulla si adest exulceratio, *unguentum ex visco corylino* loco dolenti adhibitum conferre scribit.

CAPUT II.

Ad Paralysin crurum & brachiorum sine macie ex fascino remedium Carrichteri: ad maciem corporis, ad contracturam. In motibus quasi convulsivis profuit oleum hyperici compositum Goleri: hujus descriptio. De Cataplasmate ad fascinum, quod ex asa fœtida & allio paratur, judicium Autoris. Historia de puella fascinata proprio sanguine externè usurpato, curata. Juniperi ad fascinum

ſcinum uſus. Pro faſcino per imaginem ad ignem in orbem motam remedium Carrichteri. Ad dolores eo modo illatos. Hydrargyrum ad faſcini curam uſus.

§. 1. AD *Paralyſin crurum & brachiorum*, quæ *ſine macie* ex faſcino oritur, Carrichterus jubet in quatuor *vini rubri* ſextariis *antirrhini* manipulos quinque, & *abrotani* manipulos quatuor decoquere, ac in decocto ægrotantem in ſolio poſitum novies lavare, aquam verò ex lotione reliquam in fluentem profundere: ſingula etiam membra *unguento ex viſco corylino* inungere: ex uſu etiam eſſe decoctum iſtud haurire ait.

§. 2. Ad *Maciem corporis*, quæ Phthiſin referre putatur (ut ſolet vulgus maciem omnem cum phthiſi confundere) ex ejusdem conſilio recipiendum *hypericum*, triplex *adiantum*, & triplex *antirrhinum*, eaque in aqua ante Solis ortum ſecundùm, non contra, flumen hauſta decoquantur, in decocto, quod ſingulis diebus innovandum, æger, quotidie bis, novem diebus lavetur, egreſſusque terram pedibus nudis non contingat, ſed in calceis vel ſandaliis ambulet. Poſt quamcunque lotionem pedum ſoleas radat, abraſum colligat, & collectum poſt nonum diem teneræ quercui cuneatæ inferat, ac inibi muniat. Poſt lotionem ſemper partium fiat inunctio *unguine ex viſco tiliaceo* parato. Sed in hoc conſilio quædam ſuperſtitionem redolent, cujus autorem Helmontius etiam, ut vidimus, inſimulat.

§. 3. *Ad Contracturam*, quâ fœminæ potiſſimùm *ex Retentione menſium* per faſcinum orta laborant, ita ut genua cum cruribus ad pectora attracta maneant, Carrichterus ordinat hoc:

Rec. *Antirrhini* manip. un.
Verben. manip. quinque.
Conſolid. major. unc. duas.
Vini & *aquæ* cantharos duos.

Decoq. ad dimidiæ partis conſumptionem. De decocto quotidie ter haustus benè magni ſumantur. Iſto exhauſto, aliud paretur. Inſuper Rec. *Filicis* manip. ſexaginta, quos in tres partes diviſos in ahena tria ſatis capacia aqua fontana repleta immitte, & ſat diu decoque: decoctum ſponte ad tolerantiam refrigerari permitte, inque eo lavet ægra manè per bihorium,

horium, vesperi per unicam horam. Die quinto aliud balneum paretur, in quo omissorum decem manipulorum *filicis* loco decem *consolidæ majoris* manipuli recipiantur. In tertio balneo sumantur *consolidæ ejusdem* manipuli viginti vel *filicis* manipuli quadraginta. In quarto fiat anatica utriusque herbæ receptio, & tamdiu balneum continuetur, donec sanitatis fiat restitutio. Utatur insuper ægra potu superiori, & membra *balsamo*, quod ex *visco tiliaceo* est paratum, inungat.

§. 8. *Motibus quasi convulsivis* puer quidam, ut D. Eisemmengerus *in Epist.* ad Gregor. Horstium perscripsit, sæpius quotidie correptus, corruit, qui pòst ad se rediens cum dolore muscas vivas, pulices, dentes ovillos, ossa digitum crassa, sevum, nummos, nunc aristas integras, nunc silices, aliquando etiam coronulas ex filo contextas, quas mater pridie amiserat, cum urina excrevit. Hic sæpius *de Oleo hypericonis composito* Gôleri subministrato assumsit, atque ita, uti decet, externè adhibuit, unde paulatim omnia cessârunt mala, & puer pristinæ sanitati restitutus fuit. Descriptio *Olei hyperici compositi* Gôleri hæc est:

Rec. *Ol. hyperic. opt.* libr. unam,
Vin. generos. sextar. tres.
Ol. Terebinthin.
Later.
Lumbric. ana unc. duas,
Ceræ unc. un.
Pingued. human. destill.
Medull. hom. vel *cervi destill.* ana unc. tres.
Theriac. Androm.
Mithridat. ana drachm. un.
Visc. quern.
Tiliac.
Corylin. ana manip. un.
Fol. persicar.
Rutæ murar.
Pyrol. ana manip. tres.
Flor. antirrhini, manip. octo.
Hyperic. manip. sex.
Verbasc. manip. duos.

Betonic.

Betonic.
Centaur. min.
Prunell.
Consolid. aur.
Ptarmic. Austriac.
Chelidon. ana manip. un.
Sem. antirrhini unc. semis.
Hyperic. unc. unam & semis.
Rad. dracuncul. macul.
Aristol. rot.
Symphyt. ana manip. sem.
Scrophular.
Fabariæ ana manip. un.

Coq. in diplomate vase optimo clauso ad consumptionem vini ; postea imponatur

Croci Martis, mumiæ, mastichis
Thuris, myrrhæ, ana drachm. duas.

Coq. leniter, & pro circulatione pone ad Solem, hyeme ad fornacem.

§. 5. Ad fascinum manibus pedibusque immissum commendat Carolus de Gogler in seiner Feld- und Haus-Apotheck *pag. 70. asam fætidam*, & *allium*. Utriusque partes æquales invicem contusæ (alii urinam fascinati ad meliorem subactionem addere jubent) partibus læsis imponuntur. Ex eo fascini autorem continua inquiete turbari ait, donec ipse fascinum auferat. Alii gustum fascinantis ita depravari dicunt, ut omnia, quæ ore sumit, fœtidum asæ fœtidæ & allii saporem referant, Hoc si ita est, non naturale, sed magicum id est remedium. Neque enim istarum rerum ea vis est, ut fascinatis partibus impositæ, in fascinatoris multis passibus & sæpe milliaribus distantis corpus, vel linguam ac palatum agere queant. Neque concipi potest, cur solùm istius & non alterius corpus res ista parti per fascinum læsæ applicata feriat? Determinatio tanta respectu loci, personæ & temporis nulla ratione fit probabilis. Itaque fascinum fascino ita tolli existimo. Et Magi Magos fascinant, ac fascinandi modos, ratione gradus varios, suos edocet fascinator stygius, qui idem posito signo à se fascini gratia commendato, quod absurdum quandoque simpliciter, quandoque respectivè (quicun-

que etiam illud posuerit) prius fascinum tollit, & majoris efficientiæ opinionem in hoc altero, velut illius contrario, quod tamen nudum signum ex pacto saltem pariter est, hominibus insinuat, ut stygiis sacris sensim assuescant. Faber quidam lignarius in Urbe R. per fascinum manibus pedibusque brevi contractus redditur. Multis frustra tentatis *cataplasma* ille ex *allio* & *asa fœtida* imponit: & ecce! ægrum concivis famæ aliàs & existimationis bonæ accedit, ut cataplasma removeat, eo & sequenti die instanter & blandè compellat, fore, ut pristino vigori restitueretur, promittit. Remoto isto faber brevi, & si benè memini, intra octiduum restituitur, ac manus pedesque ad officia sua denuò ex voto redeunt. An concivis ipse post remedii applicationem, tanquam per aliud fascinum inquietus fuerit factus, aut gustus ejus depravatus, quis resciverit? An asæ fœtidæ & allii virtute naturali, an putatitia & magica fascinum fuerit sublatum, quis determinaverit? Asa fœtida discutiendi vim obtinet, ob eamque tumido medetur lieni; calida & sicca, cum tanta partium tenuitate, ait Hoffmannus *de Medicam. Officin. lib. 2. cap. 28. §. 7.* qualis in *Euphorbio*. Allium calefacit & siccat, incidit, aperit, discutit, alexipharmaca est, Schroderus *Pharmacop. Medic. Chymic. lib. 4. cap. 19.* Allium etiam appensum collo puerorum omnes fascinationes tollit, secundùm Mercurialem *lib. 1. de Morb. Puleror. cap. 3.* An itaque μιάσματα venenata per fascinum diabolicum immissa, & nervorum tonum constringentia cataplasma istud discutit? Hoc nomine à Magiæ suspicione liberabitur medicamentum: quod tamen oblato simili casu accuratiùs curiosis animis examinandum relinquimus.

§. 6. In eadem civitate puella quædam ad sceleti faciem per fascinum redacta & contracta nullam in lecto quietem, & nullam è Medicina opem sensit. Pennæ, quibus incumbere voluit, exasperarunt dolores, ut propterea dura scamna lecto etiam mollissimo fuerint potiora, quibus tamen non incumbere, sed insidere, & brachiis prono capite in re pariter dura repositis quietem quærere cogebatur, id quod spectantibus commiserationem movit. Molli animo durum fuit nullum è rebus naturalibus variis frustra adhibitis percipere auxilium. Tandem balneator quidam accedens tristem animam promissione sanitatis erigit. Hic tribus, ut loquuntur, Veneris diebus, quibus Luna silens fuit, & ut nostrates loquuntur, da kein Mond am Himmel ist/ cucurbitulas post

aures

aures adhibet scarificatas, & extracto inde sanguine calido pectus & ventrem puellæ fascinatæ mox inungit; ex quo hæc primùm alleviationem & alterationem in omnibus corporis partibus subito sensit: majorem longè secunda vice. Tertia vice actum repetitum excepit exoptata & integra valetudo. Curatio certè mira! Lunæ quidem electioni aliquid tribuo, in hoc negotio, sed istius diei electionem superstitiosam esse, non deerunt, qui mecum affirmabunt. Explorent autem mecum alii oblato simili casu, & neglecto die solùm Lunæ silentium in scarificatione & inunctione respiciant ac attendant, num effectus diei istius electionem eludat.

§. 7. Dn. D. Beckerus in seiner Wacholder-Apotheck *pag. 511.* Juniperum ad mala per fascinum illata commendat ita: *Conradus* schreibet in seiner *Medulla pag. 463* daß für allerley zauberische Einschüsse / Schäden und Zustände / man bey den zauberischen empfangenen Gifften / wo sich am Leibe Schmertzen erzeigen / denselben Ort mit S. Johannis Oel schmiere / und Wacholderbeer zu einem Mues stosse / oder / wo sie dürre / im Wasser siede und darüber lege / und auf 24. Stunden ungefehr darüber liegen lasse. Und wo zäuberische Bäulen aufwachsen / so soll man Wacholder-Saltz / und zweymal so schwer gebratene Zwibeln zusammen wol untereinander stossen / und auf ein leinen Tüchlein gestrichen über den Schaden legen. Daneben soll auch der Patient von Wacholderbeer-Körnlein / S. Johannis-Kraut oder Wolgemuth trincken / so wird er gewiß mit Göttlicher Hülffe wiederum genesen. Man kan auch von den Wacholderbeeren-Essentz / dem / so besessen oder bezaubert ist / mit den Wacholder-Saltz und Oel vermischt in S. Johanniskraut-Wasser täglich zu trincken geben; soll auch sehr ersprießlich seyn / und ist durch die Erfahrung bewähret worden.

§. 8. Ad *maleficium*, cum *per imaginem ad ignem in orbem motam* homo fascinatus colliquatur, & sudore perpetuo diffluit, Carrichterus hoc præscribit: Rec. *hyperici*, *origani*, *antirrhini*, *adianti*, *abrotani*, *artemis. rubr.* ana partes æquales. Coq. in stagnante aqua ad tertiæ partis consumptionem, & in hoc decocto quotidie æger per bihorium sedeat. Ignem autem vulgarem & communem ex chalybis attritione ortum, quod morbum augeat, ad hoc usurpare prohibet: ex malo verò, quæ fulmine tacta est, serram ligneam parare jubet, qua super limine ligneo, per quod multi homines ambulant, tamdiu fiat divisio,

donec ignis proliciatur, qui betula ejusque fungo alatur & conservetur. De decocto etiam æger bibat: aquam vero post lotionem in aquam stagnantem, è qua fuerat hausta, iterum profundatur, tertio vero quoque die aqua nova paretur. Idem ad anxietatem per ignem magicè paratam commendat *potum antirrhini, vincæ pervincæ, adianti, hyperici* ana, in vino decoctorum, & amuletum ex *antirrhino* ac *hyperico* de collo gestatum.

§. 9. Ad dolores mediante imagine rebus acutis puncta & sub limine defossa illatos, si imago inveniri nequit, jubet *hypericum, adiantum, antirrhinum, origanum* & *abrotanum* in vino decoquere, & decocto partem dolentem lavare, ex eo etiam quotidie tres haustus sumere, & in balneo ante *§. præced.* dicto per horam sedere, quod tertio quoque die innovandum, eoque per mensem dimidium in decremento Lunæ utendum.

§. 10. *Hydrargyrum* inter præservativa venire, suprà *Part. 9. cap. 3. §. 5.* hujus *Libri* vidimus. Rudolphus Goclenius etiam fascinum curare amuleti loco gestatum scribit. Ex avellana perforata nucleus cum acicula extrahitur, deinde catoptrum, vel speculum pavonis, & ultimo hydrargyri tantum, quantum avellana capere potest, immittitur, *L.* Martinus Schmuck *Thesauriol. Secretor. Natural. pag. 27.*

CAPUT III.

Ad sterilitatem ex Fascino & ligatione remedia ex variis autoribus. Corallia commendantur. Historia Salmuthi de Coralliorum ad fascinum usu. Eum in dubium vocat Schockius. Autor distinguit. Historia Salmuthi suspecta est Franc. Joëlis methodus curandi fascinatos. Historiæ duæ ridiculæ. In amoris fascino & philtro quid agendum? Naturæ motus est observandus. Appropriata in hoc fascino.

§. 1. IN Curatione mali frequentissimè nonnullis in locis occurrentis, nimirum *sterilitatis ex fascino & ligatione*, si quidem partium congressui dicatarum frigiditas adsit, seminis defectus aut paucitas & imbecillitas, exhibeantur, quæ Practici commendant, medicamenta semen augentia, veneremque stimulantia, quorum usu ligatum quendam D. Con-

Conringium restituisse suprà *cap. 1.* §. 5. percepimus. Extractum Satyrionis in confortanda Venere est præstantissimū medicamentum, & datur magno juvamento frigidis & maleficiatis, ait Crollius *Basilic. Chymic. pag. m. 256.* Arcanum Diaveneris datur maleficiatis & iis, qui sunt invalidi femoris, D. Matthias Tilingius *Prodrom. Prax. Chymiatr. Class. 3. Tit. 18.* Oleum formicarum plantæ pedum & regioni pubis ac perinæi inunctum mirabiliter torpentes excitat, etiam à maleficio tales, Idem *loc. cit. pag. 770.* Ad ligationem, quæ cum stranguria & ardore fascinatum cruciat, Carrichterus *pag. m. 478.* potui quotidiano *radicis angelicæ* unc. tres & *adianti aurei* manipul. un. immittere, & de eo solo bibere; genitale verò *unguento*, quod ex *corylino visco* est paratum, inungere jubet. In sterilitate per incantationem pudenda cujusque sexus *decocto aquilegiæ simplicis* diligenter lavare, & *dente demortui* pulverisato carbonibusque injecto fumigare jubet Hartmannus *Pract. Chimiatr. p. m. 265.* Nonnulli *suffitum* ex *antirrhino*, *adiantho aureo* & *hyperico* prodesse ajunt. Cleopatræ Medicus scripsit, ut refert Codronchius *lib. 4. de Venefic. cap. ult.* quòd *fel corvinum* cum *oleo sesamino* mistum, si ex eo universum corpus liniatur, ligatos adjuvat. Isaac etiam testatur, quod si conjuges *fel* alicujus *piscis*, & maximè *zangarini* vulgò dicti secum habuerint in paropside Juniperi, & antequam somnum capiant, supra carbones positum, fumigentur, omnia veneficia evanescant. Nicolaus Florentinus laudat *Theriacam* cum *succo Hypericonis* exhibitam, & *Hypericon* ad formam *emplastri* renibus appositum. Joannes de Vigo ait, quod *Picus* avis assata vel elixata, si comedatur, habeat virtutem solvendi maleficiatos. Alii volunt, *oleum abrotani* illitum & cum *vino* sumptum non parum prodesse: quod à Plinio acceperunt.

§. 2. Potum seu cerevisiam, in qua *betula* cocta, commendat Helmontius *de Lithias. c. 8. §. 25.* Nam Sponsus quidam, ait, ligatus per menses quinque, ne sponsam suam attingeret, pedissequam interea impraegnavit. Postmodum exortis inter desponsatos jurgiis dixit Sponsa, se nefas cum pedissequa dissimulasse, ut exploraret, an frigidus an maleficiatus esset, & quo titulo divortium tentaret. Tandem soluta est ligationis incantatio per potum præfatæ cerevisiæ (è betulâ paratæ) repertusque fuit maleficiatus non autem frigidus.

§. 3. *Corallia* Venerem excitant, incantamentis resistunt, Joan. Ludovic. Gansius *Corallior. Histor. cap. 11. pag. 119.* De horum ad fascinum viribus lectu dignam recitat historiam Salmuth *Cent. 3. Obs. Medic. 34.* *Famula Cæsaris à* Breitenbach *intensissimo sinistri brachii dolore corripitur, qui cùm minimè remitteret, sed magis magisq; adaugeretur, nullusq; tumor, nec quidvis aliud præternaturale extrinsecus appareret, adstantes veneficium quoddam verentur.* Εὐπόριστον *igitur, quod in tali casu valde probatum dicitur, corallos nimirum rubros cum foliis quercus optimè contusos, & cum aqua rosacea in cataplasmatis formam redactos imponunt, ibiq; 24. horas relinquunt. Quo temporis spatio locus ad suppurationem deducitur, & per totidem horas, euporisto illo rursus applicato, abscessus rumpitur, inq; eo acus, pili & carbones reperiuntur. Hæc omnia cum amuleto simul, in foramen in radice quercus orientem spectans mane ante Solis ortum, terebra factum immittunt, & illud cuneo ex eadem arbore facto obturant. Dolor inde planè cessat, & locus aliis medicamentis ad cicatricem perducitur. Quidam verò talia irridens & præstigia putans, refodit illa. Hinc exemplo cruciatibus & quidem severioribus adhuc affligitur rursus misera illa famula. Repetuntur ergo superiora, & copiosior prodit materia, quæ cum amuleto excepta & eundem in locum reposita, dolor omnis ilicò evanescit, ipsaq; postmodum sana degit.* Mart. Schockius *lib. de Cervisia cap. 5.* in Corallio nullam efficientiam Physicam contra fascinum hyperphysicum adverti ait, & antiquitatem hic deceptam largam posteritati ineptiendi materiam reliquisse scribit. Verùm distinguendum hîc venit inter causam & effectum. Corallia & alia ad fascinum magicum decantata remedia, si non fascini causam, Dæmonem nimirum repellunt, fascino tamen à Dæmone illato, quando à causa sua non amplius dependet, adversari possunt. Quanquam in illa affectione & curatione, cujus recitata historia mentionem facit, omnem Cacodæmonis concursum abfuisse affirmare nolim, si præsertim inter excreta similia itidem fuerint notata.

§. 4. Alii parum rasuræ de *cornibus tauri*, in cerevisiâ coctæ & ebibitæ virilem potentiam per veneficium ablatam restituere, taurumque statim castrari putant, Dn. D. Rosa *loc. cit. p. 19.* Rasuram annuli conjugalis prodesse author est D. Joh. Michaelis *in Colleg. Pr. MSS.* in quo *hypericum* etiam tum præservationis, tum curationis gratia in urina

na ægri coctum adhibere jubet, referente D. Grubelio *l. c. cap. 8.* Ad incantatos, maleficiatos, ligatos, & ex maleficio impotentes secretum esse pulverem, qui fit ex rasura campanæ, priapo tauri, & modico croci scribit D. Joan. Ferdin. Hertodt *Crocolog. cap. 19.* ubi sequens etiam Joan. Zechii *Consult. Medic. fol. 781.* veneficiatis utile adducit:

Rec. *Sem. palmæ Christi* scrupul. duos,
rutæ pugill. duos
abrotan. pugill. un.
croci grana quatuor
sachar. albiss. drachm. semis

M. pulverisentur, tribusque horis ante cibum alternis diebus ex vino albo subdulci propinentur. Quod si verò occulto Dei judicio vel ex aliqua conjugum culpa veneficium non solvatur, orationibus sedulis, jejuniis, aliisque operibus piis vacare jubeantur conjuges, ex consilio Codronchii *l. c. pag. 198.*

§. 5. Francisc. Joel *lib. 7. Practic. Sect. 1. p. m. 425.* conjuges per ligationem fascinatos sequenti modo curavit. Primò cohortatus est Patientem, ne ob technas Diaboli curis se maceraret, sed una cum conjuge per dies aliquot à Venere abstineret, & Deum Opt. Max autorem conjugii ardentibus precibus fatigaret, ut ipse per filium suum Dn. nostrum Jesum Christum destrueret opera Diaboli propter suam ordinationem. 2. jussit, ut diligenter materiam fascini in lecto, sub lecto, in stragulis, cervicalibus, & tota lecti supellectile inquirerent. Quin & ut terram sub postibus, liminibus januæ, cubiculi effoderent, & si quid materiei reperirent, igne comburerent, & cubiculum, aut saltem lectum stramina & lectisternia mutarent & renovarent. 3. jussit Patientis corpus pro ratione redundantis humoris convenientibus remediis, potissimum autem drachmis septem *Benedictæ laxativæ* in vino resolutæ, ab infectis humoribus purgari, & purgato corpore, ut quoque spiritus naturales simul purgentur, suasit Patienti, ut intraret balneum sudorificum, assumeretque diaphoreticum sequens remedium.

Rec. *Theriac.* Androm. drachm. un.
pulv. scordii
zedoar.
aristol. rot.

corall.

corall. rubr. præp. ana ſcrup. un.

Commisceantur cum hauſtulo aceti & ante ingreſſum balnei ebibatur tepidus. Ita purgatis humoribus & ſpiritibus, juſſi, ait Joel, ut ſingulis diebus ituri cubitum ambo conjuges devorarent juglandis quantitatem *Electuarii diaſatyrii* vocati, & ſuperbiberent hauſtum vini generoſi, ac tandem poſt horam in timore Domini operam darent liberis. Quo curandi genere ex benignitate Dei, non tantùm priſtinas vires naturæ, ſed & fœcunditatem brevi reſtituimus.

§. 6. Ut ſeria facetis temperentur, duo placet ſubjungere ridicula. 1. *Raſuram capitis* efficaciſſimam eſſe ad Venerem excitandam exemplo ſequenti ex ſermonibus Adelphinis probat Wolfius *Tom. 2. Lection. Memorab. pag. 420.* Mulier quædam maritum ſuum apud Judicem impotentiæ accuſaverat. Sciens autem Judex, mulierem hanc adulteram eſſe, & cum Monacho rem habere, maritumque ejus falſo accuſari, ſtatuit, ut & maritus tondeatur, coronamque capiti ſuo radat, & cum conjuge dormiat: quod tamen conſilium clam marito indicatur. Obtemperat ille Judici, & mulier attactu coronæ Monachum ſibi adeſſe credens & condormire, laudat mariti potentiam. Tandem à marito cognoſcens quis eſſet, totum hoc tonſuræ adſcripſit, quod etiam ille affirmavit, dicens, poros capitis crine obſtrictos exhalare ſuperfluitates non ſinere, neceſſe igitur eſſe, ut coitus impediatur: abraſis igitur capillis contrarium ei fieri perſuaſit, exemplum Monachorum reliquorumque Sacerdotum adducens, qui omnium eſſent potentiſſimi, juxta proverbium: Qui non poteſt indulgere Veneri, radatur.

§. 7. Ridiculam membri virilis decurtati aut ablati reſtitutionem & ſolutionem proponit Sprengerus *Tom. 1. Part. 2. Quæſt. 1. cap. 7. pag. m. 293.* ubi quærit: Quid ſentiendum ſuper eas Maleficas, quæ hujusmodi membra in copioſo interdum numero, ut viginti vel triginta membra, inſimul ad nidum avium, vel ad aliquod ſcrinium includunt, ubi & quaſi ad viventia membra ſe movent, ad avenam vel pabulum conſumenda, prout à multis viſa ſunt, & communis fama refert. Dicendum, inquit, quod Diabolica operatione & illuſione cuncta exercentur, ſic enim ſenſus videntium illuduntur. Retulit enim quidam, quòd, dum membrum perdidiſſet, & quandam Maleficam cauſa recuperandæ ſuæ ſanitatis acceſſiſſet, illa, ut quandam arborem aſcenderet, infirmo injunxit,

xit, & ut de nido, in quo plurima erant membra, ſi quod vellet, accipere poſſet, indulſit. Et cùm ille magnum quoddam accipere attentaſſet; non, ait Malefica, illud accipias: & quia uni ex plebanis attineret, ſubjunxit.

§. 8. Ad *Amoris faſcinum & philtrum*, quam primùm ejus ſuſpicio oritur, vomitoria exhibeantur. Amorem enim naturalem naturalibus rebus excitari poſſe, ſuprà *Part. 6. cap. 12.* confirmavimus. Amoris ergò materia ſeu philtrum cum cibo vel potu oblatum, ventriculoque obtruſum vomitu rejiciatur. Juvenis ille, cujus Dn. D. Gabriel Clauderus *loc. cit.* §. *42.* mentionem facit, poſtquam à levioris notæ fœmina pomum citrium dimidium acceptum horâ 4. pomeridianâ comediſſet, quotidie poſtea ſub eadem hora per horæ ſpatium tanto deſiderio & anxio penitus amore in eam fœminam flagravit, ut hinc inde currens inquieto animo & anxiè eam complectendi cupiditate fuerit detentus. Cùm autem amaſiæ peregrè abſentis compos fieri non poſſet, amor in dies auxit vires, & præcipuè dicta hora, donec amoris iſtius illegitimi ignis in tempore medicamentis fuerit extinctus. Extinxit autem Dn. D. Langius exhibito, ut prælaudatus Dn. D. Clauderus refert, *vomitorio*, & quidem Clariſſ. P. Joh. Fabri, quod *Panchymici ſui Tom. ult. cap. 12. pag. 526.* emeticum pro Regibus & Magnatibus adpellitat. Unde juvenis ille, & ex prima quidem doſi multum, ſed absque levamento evomuit: hinc tertio poſt die illud idem mox ante ingruentis paroxyſmi tempus iteratò dedit ipſi, & ita ἄνω καὶ κάτω materiæ fœtidiſſimæ & nigerrimæ ejecit ſaburram, quibus duabus emetici doſibus ad integrum valetudinis ſtatum reductus, & ab amoris faſcino liberatus eſt juvenis.

§. 9. Martinus Rulandus *lib. 1. Curat. Empiric. pag. 32.* Studioſum quendam ex Philtro, quod Malefica quædam in philtris dederat, inſanum, exhibitâ *Aquâ* ſuâ *benedictâ* (quæ croci metallorum eſt infuſio) provocato vomitu curavit, ut & ſervum quendam data radice aſari pulveris, cum vino malvatico.

§. 10. Ad *Purgantium*, item *ſudoriferorum* & *diureticorum* uſum, ſi è re fuerit, etiam progrediendum, & quò natura ipſa vergat & tendat, reſpiciendum. Henr. ab Heer *Obſerv. Spadan. 13.* refert, Juvenem quendam accepto pulvere amatorio varia incurriſſe ſymptomata, cujus ſanitatem acceleravit quidam exhibito *Ludo* Paracelſi urinis copioſiùs motis.

Sic & *calculum Microcosmi* pulverisatum & in *aqua nasturtii* exhibitum, contra philtra & amore erotico furentibus urinam copiosiùs pellendo plurimum profuisse testatur idem. Istorum materia apud Practicos quæratur. Nos enim hîc generalia tantùm tradimus & appropriata.

§. 11. Inter *appropriata*, quæ & specifica dicuntur, occurrunt itidem, *hypericum*, *antirrhinum*, *baccæ herbæ Paridis*, *verbena*, *scilla*, *rhamnus*, *corallia*, *cranium humanum &c.* quæque ex his præparantur. Hartmannus *Prax. Chymiatr. pag. m. 60. pulverem secundinæ* præp. commendat, ut & seq. Electuarium.

Rec. *Succ. melissæ*,
hyperic. ana unc. duas.
rad. vincetoxic. unc. sem.
lap. magnetis boni & qui ferrum trahat drachm. duas.
mellis despumat. quant. satis.

Fiat Electuarium, cujus dosis est à drachm. una ad drachm. unam & semis jejuno ventriculo aliquoties, donec remittat malum. Electuarium hoc sufficiens curando philtro invenisse Dn. D. Johannem Michaelis scribit Dn. D. Gabriel Clauderus *loc. cit.* qui addit, Dn. D. Langium summoperè laudasse *Tincturam* & *Essentiam* Veneris, *Spiritum Vitrioli*, *Veneris*, & omnia medicamenta ex *Venere* parata. Carrichterus *p. m. 486.* ad amorem insanum ex philtro ortum præscribit hoc:

Rec. *Hyperic.* manip. un. & sem.
antirrhin. manip. duos.
adiant. aur. manip. un.

Coque in tribus vini cantharis, de quo æger vesperi, manè & meridie haustum largum, per 7. dies sumat. Octavo die *semin. Mari* drachm. un. vel drachm. sem. pro ratione personæ detur omni manè itidem per 7. dies. Si verò à Dæmone nimium æger agitetur, balneum pro eo seq. modo paretur.

Rec. *Hyperic.* manip. tres.
origan. manip. duos.
antirrhin. nobil. manip. duos.
antirrhin. minor. & *vulgar.* ana manip. un.
adiant. tripl. ana manip. un.

Coq.

Coq. in aq. ſtagnante ad tertiæ partis conſumptionem, in quo æger novem diebus vel donec reſtituatur, lavetur, quotidie autem aliud paretur, & inſuper potu ac pulvere præcedente utatur.

§. 12. Bald. Timæus à Güldenklee *lib. 7. Caſ. Medic. 24.* refert Studioſum quendam inter tripudia & choreas incaleſcentem à puella quadam netrice poculum accepiſſe, eoque ſumto ſub auroram diei ſequentis in vehementiſſimos ventris cruciatus & tormenta, poſtmodum in choleram, cum aſſidua & immoderata per ſuperiora & inferiora rejectione, item in varios ſubinde morbos & ſymptomata, maximè verò in melancholiam incidiſſe. Huic Timæus antidotum petenti præmiſſis univerſalibus pulviſculum per dies novem ex aqua bezoardicâ ſumendum cum ſudoris elicio dedit.

Rec. *Rad. vincetox.*
contrajerv. ana drachm. duas.
fol. meliſſ.
ſcordii ana drachm. un. & ſem.
ſem. hyperici drachm. duas.
margarit. præp.
corall. rubr. præp. ana ſcrupul. duos.
Lapid. chryſolith. præp.
Smaragd. præp. ana ſcrupul. un.
Miſc. Fiat Pulvis.

Hujus uſu per novendium continuato, ait, melius quidem habere, alacriorisq; animi eſſe videbatur, ſed brevi gaudio: ſuborta enim paulò poſt inſigni præcordiorum anguſtia & ſpirandi difficultate in lipothymiam incidit, à qua ægrè liberari potuit, recruduere deinceps & ventris cruciatus, in tantum aucti, ut diſſipatus ſpiritibus de vita periclitaretur. Supervenit tandem ſubita faucium præcluſio, ut jamjam ſuffocandus videretur, niſi in vomitum erupiſſet ſui conſervatrix natura, cujus beneficio ingens fœtidorum humorum copia, aliæq; res abſurdæ, capilli, ſetæ porcinæ, noviſſimè & ferramenta quædam aſpera rejecta ſunt. Ceſſante vomitu, qui ultra octiduum duravit, convaluit æger, evacuatis ſcilicet vitioſis humoribus, à quo morbi & ſymptomata illa producta fuerunt.

CAPUT IV.

In Curatione bufonum, lacertarum, & insectorum aliorum, item absurdorum & insolitorum per fascinum immissorum evacuantia sunt exhibenda: item specifica, quorum quædam per observationes historicas recensentur. In curatione fascini remedia sunt continuanda & varianda; Deiq; auxilium primo limine implorandum.

§. 1. SI *bufones, lacertas & insecta* alia; item *insolita* ac *absurda* in corpus per fascinum immissa esse suspicio fuerit, non tantùm vomitoria & purgantia, sed præterea specifica erunt exhibenda. Licentiato cuidam Juriũ in quartanam cum tumore & punctionibus sinistri hypochondrii incidenti Bald. Timæus à Güldenklee / ut refert ipse *l. c. Cas. Medic. 24.* varia & exquisitè comparata remedia exhibuit, frustra quidem, febri in tertium usque annum cum symptomatibus gravissimis invalescente, ut vix ossibus vir hæreret: tandem tamen ex decocti longo usu, quod vetula quædam ex vegetabilibus paraverat, is brevi temporis decursu pristino vigori & corpulentiæ fuit restitutus. Bonum enim potionis haustum ubi bis vel ter assumsit, vomitu frequenti fascini causam, nimirum præter ingentem biliosorum humorum copiam & sanguinem nigrum ac concretum rejecit materiam quandam gypseam, & cum hac lapillos quindecim varii coloris; acus item musco involutas, & *inter has* cultelli scriptorii fragmentum cum portiunculâ manubrii *eburnei. Idem* Timæus filiæ cuidam dolores infimi ventris acutissimos sentienti cum totius abdominis inflatione & distentione, ut rumpi metueretur, ad nauseam & vomendi desiderium emeticum petenti exhibuit *Sal Vitrioli*, & hoc nihil proficiente, *infusum vitri antimonii ex vino Hispanico*: rejectis per vomitum plus vicies humoribus varii coloris, iisque fœtidissimis & rebus absurdis, nimirum carbonibus, putaminibus nucum, setis porcinis, acu crinali argentea &c. illa ad pristinam rediit sanitatem.

§. 2. Bufonibus, vermibus & insectis, si quæ per fascinum corpori inesse suspicamur, opponenda sunt specifica. *Servus* cujusdam lanionis Anno 1667. Thorunii post infelicem è stagnante aqua haustum postmodum se aliquid vivi in ventriculo alere sæpe conquestus, alicujus suasu

semestri

ſemeſtri poſt ſpatio *pinguedinem ſerpentis* aſſumit, inde vomitu tres rejecit Bufones, D. Segerus *ad Ann. 2. Natur. Curioſ. Obſ. 56.* Dn. Heugel Cancellarius idem expertus eſt in mendico quodam, cui vermis ubique crus eroſit, qui fruſtra multis uſus erat remediis. Applicavit particulam *allii rubri* cum *oleo lini* contuſum foramini nuperrimè facto, ea nocte benè & tranquillè dormivit. Repetiit ter, & repertus eſt vermis longitudine articuli digiti, D. Rœslero *ad Ann. 3. Natur. Curioſ. Obſ. 330.* referente. Nihil *vino* & *ſpiritu vini* præſtantius ad enecandos in corpore vermes, quibus etiam in lumbricis felici ſucceſſu utimur, ait Bartholinus *Cent. 4. Hiſt. Anat. 19.* Hæc & ſimilia per experientiam cognita in uſum ſunt trahenda.

§. 3. Nolumus hoc loco hiſtoriam, quam Salmuth *Cent. 1. Obſ. Medic. 70.* recenſet, præterire. Nobilem præcipuum filia hoſpitis cujusdam Halenſis deperit, abeuntique pomum pulcherrimum offert. *Illi ſuſpectum eſt hoc donum, ac projicit* in die Halffter. *Poſt triduum recordatur illius & aſpicit; tum illud prorſus nigricans apparet. Expectat per aliud triduum, tum ranulas perplures ibi reperit. Redit ergò in hoſpitium illud, morbum ſimulat & ingentia tormina. Virgo lacte calido uti jubet. Ille illud ranis affundit, quod avidè aſſumunt, ac paulatim increſcunt. Ille verò indies majores cruciatus ſimulat, unde virgo miſerta jubet urinam equinam jamjam excretam & adhuc calidam ebibere. Ille illam ranis affundit & moriuntur. Poſt aliquod tempus ſerva alterius nobilis miſerrimis cruciatibus conflictatur, ac ſuſpicio eſt de philtro, ab equite quodam exhibito. Propinatur urina equina, atque revomit duas lacertas, itemq; duas ranas.*

§. 5. Ut autem in morbis gravibus & occultis aliis, ita & in his à faſcino ortis, remedia non tantùm continuanda, ſed & quandoque immutanda ſunt, ac cum ratione varianda, ut occulta morbi qualitas, ſi non per hoc, tamen per aliud, quod ſæpe per mixtionem nobiliorem agendi poteſtatem acquirit, tollatur. Et cùm à remediis naturalibus omnibus in morbis à veneficio inductis nemo certè ſibi ſanitatem polliceri queat, fatente D. Sennerto, ad Deum mox primo limine recto & inoffenſo pede ægrum quisque ducat, ejusque auxilium junctis cum faſcinato precibus imploret, ut Dæmonis potentia, quæ divinæ ſubjacet, infringatur, & remediis cœlitùs benedictis faſcinum tollatur. Ut feli-

ciùs tollatur, absit à curatione superstitio omnis, quæ ad Magicam, non ad naturalem, nec divinam spectat curam.

SECTIO II.

De

MAGICA MAGICÆ FASCINATIONIS CURATIONE.

CAPUT I.

Magica Fascini curatio quæ? Dæmon non tantùm morbos, quos intulit, sed & eos, quos non intulit, curare potest, sed non semper nec omnes. Curandi notitiam habet. Curare eum posse Saludadores probant & incolæ Provinciæ Arcladam. Diaboli auxilium non est implorandum, ob severum Dei mandatum: promissum in baptismo datum: inimicum hostis jurati conatum: Satanicarum fraudum apparatum. Dubia & periculosa est apud eum morbi cum Sanitate commutatio. Nec à Magis fascini ablatio petenda est. Jure quidem civili id conceditur, non autem divino & canonico. Casus tamen excipitur.

§. 1. DEo, aut hujus concessione, Diabolo naturalem curationem remorante, ad Magicam curationem nunquam est progrediendum. *Magica* seu *Dæmoniaca cura* fit per Dæmonem, qui vel immediatè & apertè, vel mediatè & tacitè per res superstitiosas & vanas à se Magis & per hos aliis præscriptas, quamvis in se nullas ad sanandum vires habeant, rogatus fascinum homini illatum tollit.

§. 2. *Dæmones* non tantùm *morbis*, quos intulerunt, sed & quos non intulerunt, gravissimis etiam, modò curabiles sua natura sint, quandoque *mederi* possunt: *Quandoque* dico, non semper, quia non semper, sed quandoque ut nocendi, ita & sanandi permissionem à Deo accipit. Deus absolutè vitæ & necis Dux est. *Parvulus amplissimi cujusdam in Gallia Principis puer decumbit gravissimè. Magus de morbi eventu consulitur, qui respondet, magistros peritiores è Germania accersendos esse,*

esse, ut eventus cognoscatur. Nam inter Diabolos & Magos alios aliis aptiores ad eam rem esse: paulo post adventant Magi, sed utcunque spem boni facerent, puer tamen obiit. Bodinus *lib. 3. c. 4*,

§. 3. *Curabiles dico:* Nam quæ hominibus incurabilia simpliciter sunt, ut cœcitas nativa, morbus in numero perfectè deficiente, glaucoma, sphacelus &c. Dæmones etiam curare nequeunt, quippe ex eo quod ad aliud simpliciter est indispositum, aliud efficere, infinitæ est virtutis, in qua creandi potentia continetur, ad quam rei ex indispositó & planè inepto subjecto productio reducitur.

§. 4. Morbos autem quandoque arte medica majores Dæmon curare novit, &, si licet, potest. Plenam enim rerum naturalium omnium cognitionem habet, & quicquid etiam sagacissimo Medico sedula cura & crebra experientia patuit, spiritus hominibus longè sagacior longæva & non interrupta duratione multò meliùs didicit & cognovit: siquidem spiritus, licèt è cœlesti sede ejecti dona gratiæ amiserint, non tamen naturalia amiserunt dona, propterea omnium scientiarum & artium capacissimi sunt & manent, retinentes profundissimum encyclopædiæ totius pelagus. Sic Saludadores Hispani multos, ut supra vidimus, solo tactu aut afflatu sanant, virtute non naturali: tactus enim & afflatus medendi vim non habent; nec ope Dei aut Angeli, cùm plerique sint improbi: Ergo ope Dæmonum. In Provincia Tartarorum Arcladam nulli sunt Medici, sicut nec in Canclu & Carajam, sed ægrotus convocat Magos & idololatras, quibus exponit morbum. Hi Deos suos inclamant, donec unus ex illis à Dæmone correptus sit, qui de morbo & liberatione sua consulitur, ut narrat P. Venetus *lib. 2. c. 42.* Si ergò morbos à se non illatos Dæmon novit curare, fascinum, quod intulit, removendi potentia ei non erit deneganda.

§. 5. Non tamen, quia potest curare, Deus hujus seculi de valetudine nostra est consulendus, ejusque auxilium implorandum. Animo revolvamus (1.) *severum Dei mandatum. Maleficos non patieris vivere, Exod. 22. v. 18. Non declinetis ad Magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos: ego Dominus Deus vester, Levit. 19. v. 31. Nec inveniatur in te qui lustret filium, aut filiam, ducens per ignem: aut qui ariolos sciscitetur, & observet somnia aut auguria; nec sit maleficus. Nec incantator, neque qui pythones consulat: nec divinos, & quærat à*

mortuis

mortuus veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo. Hinc cùm Rex Ahasias *4. Regum cap. 1.* ad Beelzebub, Accaronitarum idolum, quosdam de valetudine sua consultum ablegasset, Elias Propheta illis obviam factus, ita eos alloquitur: *Nunquid quia non est Deus in Israel, mittis, ut consulatur Baalzebub, Deus in Ecron? Idcirco de lecto, supra quem ascendisti, non descendes, sed moriendo morieris.* (2.) *Promissum in baptismo datum*, quia in regenerationis lavacro, ubi in regnum Christi translati sumus, promisimus, Diabolo & omnibus ejus operibus nos renunciaturos. Ideò *tam patres, quàm filii pactum, quod cum CHRISTO in Baptismi Sacramento conscribunt, custodire contendant, nec unquam aliquid Diaboli pompis vel mundi istius luxuriosis oblectationibus concupiscant*, verba sunt Augustini *ad Patrinos Serm. 116.* citante Gerhardo van Mastricht *Schediasm. de Susceptorib. p. 128. Violare, quod quisque promittit, perfidia est*, ait Isidorus Hispal. *lib. 4. Orig. c. 24.*

§. 6. (3.) *Inimicum jurati hostis conatum.* Totus hic in eo est, ut non tantùm Magos, sed & per hos cæteros omnes in extremum exitium præcipitet. Est enim abjuratus & capitalis Dei hominumque hostis, de quo *in Append. Membr. 3.* diximus. Quis homo ab homine, quem inimicum suum cognovit, auxilium petat, aut illi confidat? Quò hic superior & potentior, eò longiùs recedit ille. Diaboli potentiam & essentiæ ratione superioritatem cùm omnes agnoscant, non tamen ab omnibus eam formidari, admirandum. *Grandis cautio est, adversarii animum cognovisse: etenim hostem propius sensisse, superasse est*, ait Ennodius *in Vit. Epiphan. pag. 370.* Jam qui Dæmonis auxilium & opem implorat, hoc ipso se spreta cautione hostis stygii animum non cognoscere, prodit, & si ab eo demum superatur, supinitatis suæ pœnam luit meritò.

§. 7. (4) *Fraudum Satanicarum apparatum.* Ut pro bono corporis malum animæ inferat, mille artifex innumeros fraudum & deceptionum laqueos struit. Sanitatem largitur, sed ea vel nulla est (ita Sancius Avila supremus Castrorum Regis Hispaniæ Præfectus ex equi recalcitrantis ictu læsus curandum se commisit militi cuidam carminibus utenti: sed mortuus est exiguo & non lethali vulnere. Camerarius *Centur. 3 Oper. Subcisiv. cap. 30.*) vel brevis est, & gravioribus symptomatum arietibus brevi iterum prosternitur; vel fucata; vel, si confirmatior ea sit,

sit, ipse lucri majoris, ut homines in fide magica detineat, sanitatem continuat: vel morbum non nisi ejusdem in alium hominem translatione curari posse simulat: vel remotis permissionis divinæ terminis ipse invitus à fascinandi actu tandem remittere cogitur: quæ remissio & ab opere magico cessatio est sanitatis (cæteris paribus) reparatio. Nunquam autem Satanas benefacit, nisi ut gravius ex eo redundet malum: ideò naturæ Dei adversatur, qui nullum malum permittit fieri, nisi ut majus consequatur bonum, Bodinus *libr. 3. cap. 2. Potest quidem Dæmon,* ait Fernelius *lib. 2. de Abdit. Rer. Causs. cap. 16. quosdam integrè persanare: at tantum beneficium in hominem, quem perpetua consectatur invidiâ, conferre haud quaquam vult. Fictam duntaxat simulatamq; præstat sanationem, cujus admiratione perversas hominum mentes irretiat, sibiq; infidelitate subjuget, hoc unum cumprimis adnitens, ut ab his, quos seduxerit, divino cultu & honore dignetur.*

§. 8. Ad orcum itaque damnamus illam Paracelsi *Lib. de Caduco* regulam, qua adstruit, nihil referre, Deus vel Diabolus, Angeli vel immundi spiritus ægro opem ferant, modò morbus curetur. Proinde nec Magos nec Magas, quas fascinum induxisse suspicio est, licet rogare, vel etiam vi cogere, ut fascinum, quod ipsæ vel aliæ immiserunt, tollant. Quicquid enim Sagæ in curando præstant, id omne Dæmonis ope efficiunt. Itaque qui Sagæ auxilium implorat, ipsius Dæmonis auxilium contra divinæ Majestatis præceptum à Mose promulgatum sceleratissimo Creatoris & Legislatoris sanctissimi contemptu implorat.

§. 9. De jure quidem civili licet consulere & adhibere sortilegum aut Sagam per expressam *L. C. de Malefic. & Mathem. in verbis: Nullis verò criminationibus implicanda sunt remedia humanis quæsita corporibus.* Sed Delrius *libr. 6. D. M. cap. 2. Sect. 1. Quæst. 2. pag. mihi 152.* dicit Constantinum Christiana fide tunc, quando legem hanc tulit, non fuisse imbutum: eam autem postea Leonem Imp. *Constitut. 65. ad Stylianum de Incantatorum pœna* sustulisse. De Jure autem divino & Canonico, cujus decisioni propter morsus conscientiæ evitandos haud dubiè standum, non licere ullo modo etiam pro recuperanda corporis sanitate quærere remedia Diabolica & superstitiosa contendit & fusè probat Nobiliss. Dn. D. Ernest. Frideric. Schröter *JCtus & Prof. P. Jenæ Celeberrimus Dissert. Jurid. de Lamiis pag. 39.*

§. 10. Hieron. Jordanus tamen *l. cit. c. 58.* excipit casum, in quo salva conscientia, salvis legibus, salva proximi caritate, etiam Malefici consilium sequi liceat & in usum conferre, tum nimirum, cum satis probabiliter credimus, eum sine ullo aliquo novo maleficio, mediis naturalibus, isque absque superstitione adhibitis morbum propellere posse: seu, cum quis moraliter certus est, Sagam aut Maleficum modo aliquo licito maleficium nobis adimere posse.

CAPUT II.

An signa Fascini liceat destruere? Et negativæ & affirmativæ sententiæ autores graves nominantur. Autor in affirmativam inclinat. Rationes pro affirmativa. Negativæ sententiæ rationes quædam solvuntur. Signa anxiè non sunt quærenda, ac si in eorum destructione spes sola sit collocanda. Fascinum etiam tollitur, signo non destructo. Anxia cura est diffidentiæ index. Signa casu inventa destruere licet. Exempla fascinorum, signo invento, repente sublatorum. Dei circa signi positionem & inventionem non sunt partes nullæ.

§. 1. ARdua jam & gravis occurrit quæstio, quæ multorum ingenia exercuit: *An signa illa vel instrumenta, quibus Sagæ ad morbum & fascinum inducendum usæ sunt, liceat perquirere & destruere?* V. g. res sub limine reconditas eruere, ligulas solvere, claustra aperire, imagines cereas, characteres &c. comburere. Et affirmativa & negativa sententia suos habet patronos magnos, & rationes graves. *Negant* Joh. Hessels à Lovanio, Estius, Bodinus, Balduinus, Freitagius, Sennertus, Voetius, Freudius &c. *Affirmant* Delrius (qui & ipse multos sententiæ suæ citat fautores, eamque sententiam communem esse scribit) & nostra ætate Jordanus, Joel, Gutierrius, Schröterus, Joh. Georg. Simon & alii. Quorum omnium rationes & exceptiones adducere instituti nostri ratio non permittit. Sententia tamen posterior rationibus suis suas in partes nos magis pertrahit, suntque sequentes, quas à Dn. D. Schrötero *l. c. Quæst. 5.* positas accommodatò petemus.

§. 2. (1.) In hac amotione signi nulla intercedunt media illicita, sive enim actus *internos*]. quæ sunt, desiderium, ut sanitas reddatur,

tur, ac cesset nocere Dæmon. 2. opinio & credulitas, qua sibi quis imaginatur, cum sublatione signi pactum cessaturum & cum pacto noxam. 3. est spes sanationis & cessationis: sive actus *externos*, qui sunt rogare Maleficum, ut signum tollat, & nocere per Dæmonem desinat, vel jam nota signa externo opere tollere & destruere, spectes, liciti maximè sunt & superstitionis omnis expertes. Licita igitur omninò erit tota hæc amotio cum spe tollendæ noxæ.

§. 3. (2.) Maleficus malefacit ponendo. Ergo aliquis benefacit tollendo. (3.) Si licet declinare à loco, ubi positum signum suspicamur; si licet evitare personas, à quibus quis metuit lædi maleficio. Ergo etiam licet removere signum cum eadem spe, ne quem amplius lædat. (4.) Licet Maleficos Maleficasque è medio tollere, ea spe ac desiderio, ne hominibus amplius noceant per Diabolum, ut ejus viva instrumenta. Licet ergò signa quoque earum tollere, ne per Diabolum ea amplius noceant, ut ejus muta & fictitia instrumenta. (5.) Licebit itidem argumentari à simili: Si quis cum hoste in civitate obsessa foret pactus; ut suspensa de muro flammula candida accurrat, & portam occupet, urbeque potiatur. Et tertius quispiam civium hoc rescifcat, nonne tollere licebit? Imò laudem & præmium merebitur, si fecerit. Quis quæso illum proditoribus consentire dicat? Imò ob pactum hostile interruptum laudabitur. Cur igitur non eadem ratione & jure, is, qui rescivit, pactam fuisse Sagam cum Dæmone defodiendo ollam in necem ac perniciem hujus vel illius familiæ: Poterit eam tollere & tollendo liber & alienus à Dæmoniaco pacto erit pronunciandus.

§. 4. (6.) Si licet quovis modo licito conatus Dæmonis destruere, iisque etiam maturè occurrere; si incantamentis aliquis Dæmonem ad nocendum invitaret, rectè faceret, qui murmuranti os pugno probè obturaret; Si per scripturam & characteres id conaretur, laude dignus esset, qui dissiparet ac conscinderet membranulas. Cur non idem jus conceditur in signis positis, quæ similiter Dæmonem ad nocendum pelliciunt? Sicut ergo possum impedire, ne verbis vel characteribus Magus aut Saga consequatur effectum à Dæmone, potero etiam signi alterius destructione id ipsum perficere.

§. 5. Qui *negativam* tuentur, hoc præcipuè urgent 1. quòd, *cùm mediorum & signorum Sagæ notitiam non habeant, non nisi à Diabolo eam*

habere queant: sed neque à Diabolo, neque a Malefico consilium licet expetere. At Sagæ signorum plerumque, si non semper, sunt gnaræ, ita ut mox citra novam Dæmonis instructionem ea indicare queant. Quo in casu Saga non ut Saga, sed ut homo, quæ in thesauro memoriæ recondita habet, profert, consideranda venit. Ad hæc fortuna quandoque signa inveniuntur, quæ sic inventa, ut opera Diaboli destruere nemo sanus prohibet. 2. *Ita signis vires nocendi tribui, quas nullas habent.* Concedimus virtutem quandam naturalem simpliciores signis inesse facilè suspicari, sed melius informati, quibus error simpliciorum nihil præjudicare potest, non naturalem, sed moralem adesse sentiunt, quæ in pactis conventis consistit, & per ea signa, tanquam per tesseras significatur. Sublata tessera tollitur etiam pactum: sicuti vexillo sublato miles à fide vexillo data liberatur. 3. *Deum præteriri, à quo solo morbi immittuntur.* Verùm pia mens Deum ea ratione non præterit, quæ novit Dei permissione fascina immitti, & Dæmonis licentiæ constitutos esse terminos, qui æquè, ut in casuali, ita & in voluntaria istorum signorum destructione dirigente cuncta Dei directione, accelerantur.

§. 5. 4. *Implicitum pactum, honorationem & invocationem Dæmonis latere in destructione signi.* Neque hoc stringit. Ut qui casu signum invenit, & inventum destruit, non reus pacti impliciti arguitur: sic nec ille, qui labore id acquirit & destruit, eo nomine accusari potest, cùm non major in hoc, & minor in illo ratio occurrat, cur hîc damnetur, ille absolvatur. Tantum autem abest, ut, qui signa destruit, Dæmonem honoret, ut potius eum contemtui habeat, quia pactum nocendi cum Saga initum destruit & annihilat. Non ex signi pacti destructione, sed ejusdem promotione & conservatione honoratio est colligenda. 5. *Animam periclitari, quia Dæmon, ut noceat, corpus sanat.* Ast fascinatus, qui novit, quamdiu signa posita manent, Dæmonem permittente Deo lædere, quique in sola signi destructione spem suam superstitiosè non collocat, Deo pro licentiæ per signorum destructionem sublatione gratias agit, neque ejus animæ nocere ille potest.

§. 7. Si tamen ex ipsa animi sententia pronunciandum est, dicimus, signa posse quæri, non tamen anxie, ac si in eorum destructione spes sola sit collocanda: neque si frustra quærantur, animus propterea abjici-

abjiciendus, sed in timore Dei ac patientia divini Numinis adjutorium precibus rogandum; omnia autem divinæ voluntati, quæ semper bona, relinquenda. Ad S. Hilarionem cùm esset adducta puella à Dæmone obsessa, & Dæmon clamaret, se invitum in puellam ingressum esse nec se posse eam relinquere, nisi prius ablatis signis sub limine positis, noluit Hilarion signa perquiri: orationis autem virtute Dæmonem expulit. In civitate quadam primaria atrocissimis crurum doloribus mulier quædam excruciatur, cui in crystallo consilium quærenti buso sub limine degens cùm particula indusii fœminæ ægrotantis ostenditur quam si ore sugebat, dolores recrudescebant; remittebant autem toties quoties suctionem buso negligebat. Ægra inquiri jubet, & visa in crystallo sub limine reperit: quibus sublatis dolor etiam crurum fuit sublatus. Hæc alteri cuidam postmodum similibus crurum doloribus laboranti fœminæ idem de perquirendo latente forsan sub limine bufone suggerit consilium; sed pia Satanæ fraudes subodorata est, qui vel busonis formam ipse repræsentet, vel bufonem vivum momento substituat. Bufonem enim nullum sub limine latitantem dolores suctione inferre posse, optimè norat. Neglecto consilio nihilominus remiserunt: quamvis, an & hujus dolores à fascino fuerint orti, ad me non sit perscriptum.

§. 8. Certè anxia cura diffidentiæ est index, quasi ratione nulla nulloque modo fascinum nisi per signi destructionem tolli queat, quod omnipotentiæ divinæ præjudicat: & pectus humanum, ut solet in angustiis doloris magnitudine excruciatum, facile ad pusillanimitatem declinare, & de Dei providentia ac auxilio desperare potest, præsertim cum signum absconditum manet, naturalia omni effectu destituuntur, & permissionis termini ad fascinandum prolongantur. Casu autem & fortuna invento signo, quodcunque illud sit, quicunque etiam inveniat, bona conscientia illud destruere & anmihilare potest. D. Joh. Georg Grubelius loco supra citato refert, se in lectionibus publicis *Excell.* Dn. Wedelii *Prof. Jenæ Dignissimi*, percepisse exemplum ligaturæ & destructionis signi notatu dignum de cive quodam Jenensi, qui hac morbi malitia per multos annos ita fuit afflictus, ut humido radicali penitus absumpto & dejectis viribus pedetentim ad mortem properaret, & tandem naturæ debitum satis citò persolveret. Post hujus obitum cùm

ædes statim vendirarent hæredes: & novus hospes illas penitus everteret, fortè fortuna gallum gallinaceum indusio viri demortui involutum & in pariete absconditum invenerunt, Hoc è medio sublato ligatura apud successorem ex tempore desiit, & causa sterilitatis occulta postmodum manifestior facta.

§. 9. Matrona quædam tam pietatis laude, quàm nobilitatis stemmate celebris temperamenti melancholici solitô tristior aliquando evadit, solitudinem & silentium quærit, anxietate cordis continua perculsa. **Die gantze Welt war mir damals zu eng** / ad me dixit. Mariti, liberorum & rerum domesticarum, velut sibi soli relicta, & tota mœrore sepulta, nullam habuit curam. Melancholicam eam in gradu excellentiori cuncti vocarunt. Corpori ægrotanti remedium in natura, animæ laboranti solatium in Scriptura, sed frustra, quæsivit. Sacerdos animæque hujus perturbatæ Pastor mali magnitudine commotus eam bonis, & sæpe his verbis erexit: **Nun GOtt wird helffen**: id quod etiam factum. Cubiculum enim suum coloribus renovatum & dictis Scripturæ variis insignitum; fortunâ aliquando ingressa parietem accedit, cui inter alia hic *Psalm. 86.* versus ultimus fuerat inscriptus: (**Herr!**) **thue ein Zeichen an mir / daß mirs wol gehe / daß es sehen die mich hassen / und sich schämen müssen / daß du mir beystehest HErr / und tröstest mich.** In hoc dictum animo confuso & oscitante digitum intendit. Sed ecce! digito prementi cedit nonnihil locus, foveolæ cujusdam speciem exprimens. Arctiùs illa digitum urget: sed locus itidem nonnihil remittit. Oborta hinc latentis sub pigmento paxilli suspicione, jam non digitum, sed manum ad extrahendum istum, admovet. Extracto paxillo invenit suos capillos, item clavos & ossa demortui cujusdam, inclusa omnia duobus frustis ex capulo quodam desumtis, & colligata filo crudiore ter crucis formam exprimente. Hæc ubi matrona invenit, malo suo mox, quasi vinculis & compedibus liberata, privatur. **Es war mir nicht anderst / als wenn Ketten und Bande oben herab von meinem gantzen Leib fielen:** quæ formalia ejus, mihi rem ita gestam non semel narrantis, verba fuerunt. Inde lectum suum evolvere jussit, & in eo fascini signa pariter, schemata nimirum cruciformia ex foliis hyoscyami contortis parata invenit. His fascini signis Dei directione inventis & destructis Matrona optima plenam corporis & mentis sanitatem per Dei gratiam recepit.

§. 10. Ni-

§. 10. Nimirum, ut Deus non impedit rerum naturalium motus per intrinsecam eorundem determinationem physicam, neque per extrinsecam motionem moralem voluntatis & appetitus, quin pro sua quæque conditione naturaliter, spontaneè & liberè agant: ita nec Sagarum cum Satana fœdus ineuntium voluntatem & agendi libertatem per specialem motionem tollit, neque Dæmonis in societatem actionis malæ ab homine recepti consensum reprimit, aut ejus in inferendo fascino conatum & influxum speciali & miraculosa potentia enervat. Absoluta quidem & extraordinaria potestate omne, & Magi, & Dæmonis conamen semper & mox in primo etiam ausu Deus potest eludere, sed secundũ ordinariam potentiam, quæ postulat, ut precibus contra fascinum se quis muniat, spreto hoc precum mandato semper non vult eludere. Qui in ignem Deo etiam in naturæ cursu permittente cadit, immunis à combustionis periculo non manet, quamvis absoluta Dei potentia eum tueri queat: sic qui eodem permittente, Saga expetente, Dæmone operante fascinum incurrit, salvus non manet: quamvis absoluta Dei potentia eum præservare queat. Verùm, ut directione Dei occulta lapsus in ignem & consequens ambustionis periculum quandoque præcavetur, ita & fascinum: & ut naturalium cursus non raró & improvisè impeditur & finitur: sic eadem supernaturalium actio & quidem per ejus, quod signum erat pacti cum Dæmone initi, sublationem tollitur, quæ ipsa signi inventio & destructio, ad directionem divinam spectat: & quod per signi positionem sibi ipsi & Magis limites actionis posuerat, per ejusdem inventi destructionem jam limites & finem Comœdiæ adesse fateri, & proinde ab actione secundum Dei directionem & voluntatem cessare tenetur.

CAPUT III.

Curatio magica etiam frivolis, superstitiosis & absurdis peragitur. Hæc curandi ratio etiam Ægyptiis fuit usitata, quorum Dii mali genii fuerunt. Cur laudata olim Ægyptiorum remedia hodie nihil valeant? Quomodo intelligendum illud, in Verbis, herbis & lapidibus magna est virtus. De scypho vitreo per certum humanæ vocis sonum rupto D. Morhofi relatio. Experimenti ratio

ratio in aere fundatur: propterea vocis & verborum efficaciam non confirmat, nec Magos juvat.

§ 1. Curatio autem Magica non tantùm ea est, quæ à Dæmone immediatè fit & absolvitur, sed & quæ rebus vanis, frivolis, superstitiosis & absurdis quasi mediantibus peragitur. Harum enim vires cum nullam ipsæ de se habeant efficiendi potestatem, Dæmonem supplere *lib. 1.* diximus. In istorum Catalogo habentur soni, voces, verba characteres, aniles benedictiones, ritus, ceremoniæ, & res omnes, quæ supra naturalem suæ speciei virtutem ad majora perficienda, vel ad alia quàm à Deo destinata, ipsisque inditum est, usurpantur, seu omnia, quæ ad effectum producendum adhibentur, si non sunt causæ naturales, nec instrumenta Dei moralia, superstitiosa sunt & magica. Confer quæ de superstitione diximus *lib. 2. Part. 2. Sect. 3. cap. 4.* Talis fuit characteristica illa Panacæa cujusdam, qui, referente Dn. D. Libavio *Defens. Syntagm. Arcanor. pag. 4.* characterem antipatheticum novit pingere, quo omnes morbi fuerint sanati, & qui magico carmine distortum puerum correxerit. Cedro digna hæc foret medicina, & inter delicatulos laude omni superior, si à principio laude digno virtus ista manaret.

§. 2. Magicam hanc curandi rationem Ægyptiis propriam ex gentilium tenebris ad nostram usque ætatem, in loca veritatis divinæ & sobriæ rationis fulgore illustria dimanasse, atque etiamnum à multis foveri, dolendum. Ægyptii Diis suis ferebant eam acceptam, eorumque influxu occulto verba, figuras, & characteres viribus imprægnari existimarunt. *Ægyptiis autem non bonos, sed malos genios operam suam locasse, nemo dubitabit, nisi qui ignorat, illos omnium hominum superstitiosissimos fuisse cultores Dæmonum.* Ita Celeberrimus Conringius *lib. 1. de Medicin. Hermetica cap. 11.* Subjungam & reliqua ejus verba, lectu non minus digna. *Et sanè causa, quare destructo Dæmonum cultu nihil hodie valeant apud pios unius Creatoris Dei fideles omnia illa laudata olim Ægyptiorum remedia, non alia est, quàm quòd Dæmones largiri vim suis quondam symbolis amplius nequeant. Imò verò non alia de causa inter Græcos statim defecisse videtur Ægyptiaca Medicina existimatio. Etenim hæc gens à Philosophis suis persuasa religionem Dæmonum vulgò receptam usque adeo contempsit, cum primis à Alexandri M. usque avo*

ævo, ut pauci tandem videantur superfuisse, neq; nisi in plebe, qui sacra plura ab avis accepta etiam animo ipso approbarent. Hoc nimirum contemtu Dæmones offensi, videntur & ipsi desiisse esse benefici: quo ipso non potuit non simul ergò Ægyptiaca Medicina corruere, ut quæ parum fuerit à remediis intra naturæ limites constitutis instructa.

§. 3. Salomoni quidem hoc tribuitur: *In verbis, herbis & lapidibus magna est virtus*, attamen nec æqua, nec ejusdem speciei virtus tribus istis propterea tribuenda. Verba saltem moralem, herbæ verò & lapides naturalem habent vim & virtutem. Responsum istud Salomon dedisse dicitur interroganti de compescenda muliere improba, referente Dn. D. Libavio Batrachior. *libr. 1. cap. ult.* Judicavit initio utendum persuasione ex argumentis humanæ vitæ & aliis. Si perseveret, jam non esse animi morbum, sed corporis. Inde enim pati solet mens ipsa, ut in phreneticis, melancholicis &c. constat. Itaque medicinam ex herbis petendam esse judicavit. Si ne hæc quidem medicina contulerit, ad lapides veniendum putavit, & vel lapide ignominiæ compescendam improbitatem, vel carcere aut opere durissimo excoquendorum laterum vel saxorum fodiendorum.

§. 4. Vocum tamen verborumque efficaciam naturalem, quam *lib. 1.* nos rejecimus, videtur primo limine confirmare elegans experimentum Excell. & Clariss. Dn. D. Dan. Georg. Morhofi *Professoris Kilonii Celeberrimi* in Epistola, quàm inscripsit: *De Scypho vitreo per certum humanæ vocis sonum rupto*, Kiloni Ann. 1672. edita. Argumenti raritate Angli, sua natura curiosi, ducti propera exemplarium Hamburgi venalium coemptione & in Angliam transportatione istorum raritatem in Germania pepererunt, ut rara sit inter literatos Germanos Epistola ista.

§. 5. Experimenti hujus ventilatio, quamvis potiori jure ad Librum 1. sit referenda, quia verò Epistola jam modo ad manus nostras pervenit, si hoc loco istud lectu jucundum adduxero, non erit, spero, Lectori ingratum. Accepit autem hoc experimentnm Clarissimus Morhofius, uti ipse scribit, à Nicolao Pettero, Oenopola Amsterdami, qui de experimento rogatus produxit scyphos aliquot vitreos, pedibus nodosis, quos vulgò Römer vocant, sed qui pintæ mensuram non excedebant. Eligebam ipse, inquit Autor, (quod voluit, ne fortè dolum subesse suspica-

ſpicarer) aliquem, qui validiſſimus mihi videbatur. Tum is, explorato primum ejus tono, mihi tenendum porrigebat, oreque mediæ parti admoto, voce, quæ diapaſon vitri ſuperabat, tonum inſonabat, conſonabat ſtatim vitrum penè ad ſtridorem usque, & tremorem ejus manus mea ſentiebat. Quam cum ille vocem non interruptam longo pneumate continuaret, cum ſtrepitu rumpebatur vitrum, ita quidem, ut ruptura orbicularis obliqua per ventrem ſcyphi ipſosque pedis nodos ex adverſa orbis parte tranſiret. Succedebat & in aliis ſcyphis res. At mihi idem tum tentanti, cùm vox eſſet obtuſior, atque ob affectationem varia & inconſtans, defuit eventus. Facile itaque videbam, in quo experimenti ratio conſiſteret, quod & ipſe non negabat Oenopola, in æqualitate ſcilicet ſoni, quam quidem adeo accuratam requiri illi ajebat, ut, ſi vel commate integro aut dimidio variaret, irritus futurus ſit effectus. Ille verò diuturno uſu ita vocem moderari didicerat, ut nunquam eventu fruſtraretur. Habebat & filium, qui idem præſtare poterat, & quidem expeditius, cùm vocem haberet acutiorem. Sola autem diapaſon hoc efficit.

§. 6. Verùm quantum ex ingenioſa phænomeni hujus reſolutione, quàm ibidem Cl. Autor proponit, intelligere datur, *non ſonus & qualitas eſt*, ſed aer, quatenus per ſonum afficitur, rupturam efficit. Siquidem omnis ſoni ratio, ut prælaudatus Autor ait, in motu aeris tam intra corpus ſonorum contenti, quàm externi impreſſi conſiſtit. Vitrum, quod heterogeneis partibus, arena, cinere & ſale, maximo calore per colliquationem compactis conſtat, in prima textura *ſpaciola* vacua ſeu poros & vacuitates, etiam in extremis habet, utut perexiguas: omnes autem à particulis aeris, quæ flatu ab artifice impinguntur & ſubeunt, intraque plexus vi quadam, velut in carcere quadam detinentur, & cum ad ſtatum quietis non devenerint, in motu ſunt continuo: quarum particularum inteſtinarum motum etiam in aliis corporibus obſervare licet. Atque hæ in poris vitri contentæ aeris particulæ ab aere externo vitri poros transeunte vel iis ſe implicante poſſunt moveri. Cur autem aeris motus certo aliquo oris ſono definitus aptus ſit movere vitri particulas, & ita quidem validè, ut vitrum rumpat, obſcurum licet ſit, doctè tamen & nervosè Cl. Morhofius exponit, quæ cum prolixa ſint & huic loco non conveniant, dimittimus. Hoc tamen probabile eſſe

agnoſci-

agnoscimus, corpuscula undularum aerearum voce propulsatarum hoc in sono præcipuè, qui Diapason dicitur, poris vitri esse configurata, ut eas subeant, in reliquis non item. Ab impulsu autem & motu aeris rem omnem procedere satis patet.

§. 7. Hæc autem omnia eos, qui in prædicamento Magiæ constituti verbis fascinum inferre vel auferre intendunt, nihil juvant: siquidem sonus aeris motu efficitur, & effectus inde manans non tam sono quam ejus subjecto, quod aer est, tribuitur. Aer quidẽ impulsus admiranda varia pro impulsus & objecti varietate, quod tangit efficit, nimirum corpora de loco movet, confundit, propellit & de sede sua turbat, quæque motum violentum consequuntur, accidentaliter aeri etiam tribuuntur. Non autem aer sic impulsus ultra propriam naturæ suæ conditionem agere, corpora & qualitates alienas ex seipso concipere, & sic maleficam constitutionem, alienaque corpora inferre aut auferre, voce, etiam exiliter & cum murmure facta, valet.

CAPUT IV.

Amuleta characteribus & verbis insignita superstitiosa sunt & magica remedia. Monstrosæ superstitionis paradigmata Papatus parit. Exempli loco producitur Crux s. Numisma S. Patriarchæ Benedicti, cui vires supra modum superstitiosè attribuuntur, id quod & Jesuita Kircherus agnoscit & fatetur. Amuleta duo è Baronio notantur. Naturalia quandoque superstitiosis junguntur, ut hæc per illa excusari quodammodo queant. Nonnunquam sola naturalia Dæmon suadet, quæ tamen & ipsa absurda sunt ad effectum producendum, quod exemplo de lotio in Rege Pherone confirmatur: & veterum herbæ multæ superstitionis saltem signa fuerunt, propterea voto hodie non respondent. Non tamen semper Magi superstitiosa & vana suadent ac usurpant.

§. 1. IN censum magicorum remediorum veniunt & omnia ista amuleta, quæ variis characteribus, verbis seu sacris, seu profanis sunt insignita, quia talia superstitiosa sunt & vana, & propterea ad Magiam indirectam spectant. Superstitionis autem causa est Dæmon, qui per

vana viam ad se sterni curat. Superstitiosa & vana ista esse constat, quia quem producere creduntur effectum de se non edunt, neque ut edere queant vel debeant, in sacris, vel revelato verbo promissionem habent. Itaque effectus, qui istorum usum sequitur, non Deo nec Angelis bonis, sed malis est tribuendus, qui permittente Deo ad eorum usum operatur.

§. 2. Monstrosæ superstitionis paradigmata varia Papatus parit, Unicum jam, idque insigne annotasse sufficiat, Crucem nimirum, sive Numisma S. Patriarchæ BENEDICTI, variis characteribus insignitum, magnisque elogiis decantatum Salisburgi Typis Joh. Baptistæ Mayr Aulico-Academiæ Typographi 1669. Hujus figuram Dn. D. Dorotheus Ascianus in exemplari typis excuso, non invenit, ex descriptione autem sic ordinavit *lib.* quem inscripsit: *Montes Pietatis Romanenses, pag. 612.* ut A sit prima ejus facies, B altera.

A



B.

Explicationem & sensum characterum in Numismate & Cruce, sub A. notatorum hunc esse scribit:

Circum-

Circumscriptio in margine.

Vade Retro Satana, Nunquam Suade,
Mihi Vana; Sunt Mala, Quæ Libas,
Ipse Venena Bibas.

Literæ Cruci inscriptæ:

Crux Sacra Sit Mihi Lux
Non Draco Sit Mihi Dux.

Literæ ad 4. crucis angulos.

Crux Sancti Patris Benedicti.

Alteram faciem Numismatis scribit complecti 25. characteres, sive sacras, approbatas, & antiquas contra pestem preces à S. Zacharia, Episcopo Hierosolymitano ante aliquot centenos annos collectas, & in membrana ipsius S. Episcopi manu scriptas in Hispaniensi Monasterio de Fraylis repertas, quibus Episcopi & Legati præeunte Leachardo Patriarcha Antiocheno sub Concilium Tridentinum tanquam præsentissimo contra Pestem & dolorem laterum, remedio benè usi sunt Anno 1546. Preces ipsas studio brevitatis omittimus. Effectum autem annotamus, qui hic esse narratur: Effectus hujus Crucis ob singularem ejus benedictionem & efficax patrocinium S. Benedicti misericordia divina comprobavit, sequentes: 1. Expellit ab humanis corporibus maleficia, ligaturas, omneque opus Diaboli. 2. Prohibet omnem accessum Sagis ad eum locum, in quem reponitur. 3. Animalibus veneficio ac maleficio affectis præsens remedium exhibet. 4. In lacte faciendo butyro, aliisque successum per maleficia impeditum restituit. 5. Hominibus à Dæmonibus infestatis securitatem præstat. Denique omnes Diaboli artes & quascunque astutias & præcavet struendas, & structas evertit, afflictis tentatis & propemodum desperatis solatium est & levamen. Modus applicandi vel appellandi alius non est, quàm ut vel collo suspendatur, aut aliàs portetur: imponatur ad limina vel postes, aut aliàs affigatur vel defodiatur cum firma fiducia in meritis Sanctissimi Benedicti.

§. 3. Sat hic verborum, imò & superstitionum! Superstitionem subesse agnovit, & ingenuè fatetur Jesuita Doctissimus Athanas. Kircherus *Scrutin. Pestis p. 332.* ubi alterius modo lateris characteres, & preces secundùm literas initiales, saltem aliquas, adducit, amuletum il-

lud damnat, idque suspectum atque scandali plenum, eaque propter ejus usum cavendum esse scribit: *Nec refert*, (pergit) *quod ejus amuleti characteres sic explicari possint, ut sint versuum quorundam Psalmorum, similiumq; precum initiales literæ. Nam præterquam quod iidem characteres per seipsos ad id indeterminati sint, possintq; à Dæmonis ministris ejusmodi amuleta cudentibus in sensum prorsus oppositum detorqueri; adhuc tamen ex hoc talis amuleti usus reprobandus est, quod eo modo nudis characteribus & crucibus consignatum & in corpore gestatum, exinde insignem & singularem ac certam vim ad effectus suos habere, superstitiosius existimetur. Uti uberrimè in Magia Ægyptiorum Tom. 2. ostendo.*

§. 4. Amuleti loco usurpantur etiam gemmæ characteribus incisæ, quarum duas è Baronio, monstrante ea Dn. D. Libavio *Exam. Phil. nova p. 55.* adducemus. Scribit ille Romæ inventam esse gemmam ex Amethysto, imaginibus & notis Basilidanis incisam, ita ut sit Gamahæa Paracelsica. Gemmæ forma ovalis est, in cujus una parte hominis effigies cum literis multis, furca & aliis, sub cujus pedibus scriptum Abrahax, unde fictum postea illud magicum, Abracadabra &c. Ab altera sculpens fuit super baculo præfixo capite tauri, quo significari creditur duplex, cœleste signum, pertinens ad genituram ejus, qui istam Gamahæam esset gesturus, ut notat Baronius. Aliam (referente itidem Libavio *l. c.*) ejusdem Magi Gamahæam exprimit idem Baronius *in Appendice Annalium Tom. 11.* quæ adjecta est Tomo XII. *Fuit gemma casu Romæ inventa itidem ovalis, in cujus una planitie seu superficie scripta fuit Abrahax* (nomen scilicet Principis magici 365. horoscoporum seu cœlorum) *in altera figura hominis armati habentis in manu dextra clypeum, in sinistra scuticam seu flagellum cum galea in capite acuta. Loco pedum duo dracones sculpti sunt, qui capita in dextrum & sinistrum porrigunt, in medio nodum seu circulum faciunt, caudis ex paludamento pendent.* Ab utroque latere characteres sunt adjecti, unus duplicis Crucis alter q. N duplicatum aut stratum qua figura Jovem designant adjecta virgula transversa ♃ verisimile esse cum Dn. D. Libavio existimamus, hanc Gamahæam factam fuisse pro victoria ab hoste & contra venena serpentum, contra fascinum magicum &c.

§. 5. Naturalia quandoque superstitiosis junguntur, ut hæc in illis

lis excuſationis quendam inveniant prætextum. Sic Barbara Dorca apud Bodinum *lib. 3. cap. 5.* fatebatur, ſe iis, quos faſcinaverat, medicinam feciſſe diſciſsâ columba, & ægrotantis ſtomacho impoſita his verbis: *In nomine Patris, Filii & Spiritus S. D. S. Antonii, & D. S. Michaelis curari posſis ab hoc malo:* & mandaviſſe, ut novem diebus miſſam in templo illius vici curarent celebrari. Magica hæc fuit curatio propter uſum nominum Sanctorum ſuperſtitioſum, quibus pro palliando nonnihil ſuperſtitionis vitio columbæ inſervire debuerunt: prout etiam à ſuperſtitionum fabro, Dæmone ipſo, hoc remedium ſe didiciſſe Saga fuerat confeſſa.

§. 6. Sed naturale ſolùm nonnunquam Dæmon ſuadet remedium, quod, licèt in ſe & abſolutè ſpectatum non ſit abſurdum, reſpectivè tamen tale eſt, quatenus ad effectum, ad cujus productionem vim naturalem nullam habet, commendatur, Diabolo interea tacito influxu operante, & per hunc gravius malum intendente, cujus exemplum de quodam Pherone ſuppeditat Herodotus *lib. 2.* referente Remigio *lib. 3. p. 336.* Majolo *lib. 2. Colloq. 3. pag. 198.* A Dæmone enim Pheron Rex excœcatus, quod ſpiculum iratus in Nilum flumen contorſiſſet, poſtquam undecim annis ſic luce caruiſſet, Oraculum, quod in Buti urbe conſuluerat, fertur reſpondiſſe; viſum ei rediturum, ſi oculos abluiſſet lotio mulieris, quæ à ſolo ſuo marito cognita fuiſſet. Expertum ergo primo loco propriæ conjugis urinam, cùm nihil amplius cerneret, cæterarum deinceps, tandem oculos recepiſſe. Ibique omnes mulieres illas præter eam, cujus urina ſalutaris fuerat, in unam urbem coegiſſe, quæ ἐρυθρὸν βῶλον rubra gleba dicta, & eas illic unà cum urbe omnes concremaſſe, & medicam illam ſuam ſibi matrimonio copulaſſe. Cruentam hanc & igneam Tragœdiam autor infernalis ſolus egit, Regem fallendo & per vanum remedium operando. *Nam quod in lotio muliebri collyrium ſatis potens eſſe queat reſtituendo oculorum lumini, aut quare ejus erit magis efficax, quæ virum unum, quàm quæ multos paſſa eſt*, benè inquit Remigius *l. c.*

§ 7. Veteres multas ad faſcinum commendarunt herbas, quarum vires voto hodie non reſpondent. Cauſam eſſe arbitratur D. Conringius *in Epiſt. ad Hieron. Jordanum, præfixa hujus tractatui de Divino*, quod illas herbas Dæmones olim voluerint eſſe pro arcanis quibuſdam ſymbolis (ſi loqui ita fas eſt) ſuæ in autores gratiæ: adeoque δαιμονολατρεία

è medio

e medio sublata, frustra ab illis decantatis herbis auxilii quicquam expectari. Hæc verba satis Dæmonis studium in proferendis rebus absurdis confirmant.

§. 8. Non tamen omnia, quæ Magi ad fascinum tollendum suadent, vel subministrant pro Magicis & superstitiosis habenda; benè nihilominus omnia examinanda, & à superstitionis fermento depuranda. Quo de Dn. D. Danhauerus im Scheid-und Absag-Brieff *Part. 2. Quæst. 2. pag. 198.* Deßgleichen so ist nichts neues / daß auch die Zauberer und Unholden wegen der Artzney und Erfahrenheit beruffen gewest / denen der Satan natürliche Mittel gezeigt / welche hernach die Medici (so dergleichen von verhafften Zäuberinnen erkündiget) in der Prob heilsam und just befunden. Magum illum, qui in pago Jenæ vicino Anno 1588. variis à Satana monstratis herbis,, multos sanitati restituit, ut refert Manlius *in Collectan.* licèt quotidianum cum Saga commercium habuerit, superstitiosis & vanis semper usum fuisse, non ausim dicere, cùm metuendum ipsi fuerit, ne vigilantes Magistratus & Sacerdotum oculi id adverterent.

CAPUT V.

Maleficium maleficio non licet tollere: at de facto id frequenter fieri dolendum: sed falluntur iidem. Exemplum maleficii, dispensante Papa, sublati, in quo tres homicidas notat Bodinus. Quo animo hîc magica remedia tradantur. Medicastræ cujusdam methodus, qua in macie puerorum curanda utitur, examinatur. Experientia quatenus locum inveniat. Magicum ad incubum Dæmoniacum remedium, ut & futilia alia. Magica ad impotentiam conjugalem per fascinum inductam varia recensentur. Exempla maleficii maleficio vaccis & ovibus illato oppositi. Lactis ablationem magicam stercore humano tollere, magicum non est. Sententia Augustini, in Deo, non in Dæmonibus salutem esse quærendam.

§. 1. MAleficium verò magicum per aliud tollere nemo audeat. Quod enim Magicum est, Deo est adversum, & à vera pietate alienum, etiamsi magnum aliquod commodum inde proveniat. *Non enim facienda sunt mala, ut eveniant bona, Rom. 3.* Diabolo inserviunt, qui

artibus diabolicis ad pellenda mala quæcunque utuntur: abjecta enim in Deum fiducia confidunt, se auxilium impetraturos à Diabolo, Balduinus *lib. 3. cap. 5. cas. 11.* Suarez *Tom. 1. lib. 2. de Superstit. fol. 370.* piè & doctè disserit ita: *Licet destructio maleficii in se bona esse possit, tamen postulare illam à Dæmone, intrinsecè malum est, quia involvit societatem & pactum cum ipso Dæmone, & quendam cultum ejus. Nam rogare Dæmonem, ut aliquid non faciat, non minus est quidem cultus ejus & quædam subjectio ad ipsum, quàm rogare illum, ut aliquid faciat; sed petere ab illo quodlibet bonum vel remedium alicujus mali, intrinsecè malum est: Ergo & petere ab illo, ut à maleficio cesset, intrinsecè malum est.* Et paulò post: *Quod si Deus liberare noluerit, non propterea orandus aut colendus est Dæmon, ut in simili dixerunt tres pueri, Dan. 3. eò vel maximè, quòd si quis rectam fidem teneat, non potest cum fiducia petere à Dæmone aliquod remedium etiam in proprio maleficio, cùm sciat, illum esse mendacem & perniciosum hostem, qui bonum etiam corporis non confert, nisi ordine ad animæ malum, & ideò etiam ratione periculi moralis, non potest hoc fieri sine gravi peccato.* Plura vide ibidem.

§. 2. At quoties proh dolor! in orbe Christiano maleficia maleficiis de facto non tam opponuntur (Diabolus enim sponte, ut peccatum peccato augeatur, dato novo maleficio recedit, & lædere cessat) quàm supponuntur? quorum quædam, quò magis ad subtilem Magiam abeunt, eò pertinaciùs excusantur & retinentur: quò verò magis ad crassam inclinant, eò curiosiùs silentii velo conteguntur, & circumspectiùs, ne deprehendantur, ad alios fascini onere gravissimo pressos propagantur. Ignorant hi, qui ad scenam Diabolicam bonitatis specie apparentem, sed malitia turgentem abeunt, calliditatis Dæmoniacæ profunditatem, quam detexit Tertullianus *Lib. de Anim. Quæ*, inquit, *in speciem benignitatis & utilitatis comparata veluti beneficia, eò subtiliùs fallunt, dum per ea, quæ juvant, ab inquisitione veræ divinitatis abducit Diabolus ex insinuatione falsa, & eo magis lædit juvando.* Sprengerus exemplum quoddam refert, in quo Bodinus *lib. 3. cap. 5.* à Satana procuratum notat, ut tres, Papa, Episcopus & Saga in eodem facto homicidæ essent, quibus simul persuasit, ut sibi servirent, & obsequerentur mandatis suis. Scribit enim ille, Episcopum à se in Germania visum, qui adversa utens valetudine ex Saga vetula cognovit, se ex maleficio ægrotare,

 nec

nec aliam valetudinis recuperandæ viam esse, quàm ut eadem Saga sortilegio pereat, quæ sortem in ipsum conjecerat. Miratum Episcopum celeribus equis misisse Romam ad Nicolaum V. Papam, ut veniam indulgeret hujus curationis adhibendæ. Papam, qui Episcopum deamabat unicè, indulsisse hac clausula dispensationi adjecta, ut ex duobus malis fugiatur majus: Sagam diplomate allato dixisse, cum Papæ & Episcopo placeat, se illud effecturam: sic media nocte restitutum fuisse Episcopum, Sagam verò, quæ eum fascinaverat, in morbum, ex quo obiit, incidisse.

§. 3. Recensebo & ego quædam hoc loco particularia nequitiæ magicæ exempla, quæ nosse interest, ut Tertulliani ore iterum loquar, *non socia conscientia, sed inimica scientia; nec invitatoria operatione, sed expugnatoria dominatione. Ad maciem puerorum* fœmina quædam in districtu Hilperhusano detractæ ex indusio infantis particulæ ceram illinere, & illita, tribus, ut vocant, Veneris diebus crura, nescio quo modo mensurare, postmodum in camino per tres septimanas suspendere jubet. Hoc remedium, ut experientia probatum, jactat & commendat eo nomine, quòd nihil mali in eo advertatur, nulla verba admurmurentur, nec alia adjiciantur. Verùm 1. hæc cura magica est: est enim superstitiosa. Superstitiosa verò cura magicæ germana soror est, quod confirmatum legas *in Append. membr. 5. §. ult.* Superstitiosam esse patet, quia effectus, maciei sublatio, cum illa materierum, temporum & actionum præceptarum observantia naturaliter non cohæret, nec procurari potest. Causam enim, quæ in macie, etiam per fascinum inducta, varia est, & pertinax, ineptiæ istæ non evocant vel attrahunt. Transplantationi quidem morborum, quæ à Medicis quibusdam recipitur, affinis ea cura videtur, sed non est. Nam è corpore ipso ægrotantis, è quo morbi transplantatio fieri debet, ut substantia quædam, nimirum ungues, capilli, sudor, sanguis &c. sumatur, præcipitur. Ista autem in cura tale quid non jubetur. Forsan sudor objici potest. At qui macie laborant, rarissimè udorem, nedum sudorem sentiunt. Taceo eam conditionem medicastram istam (si bene memini) negligere & indifferenter indusii particulam postulare. 2. Superstitionis objectum verba tantum esse, superstitiosa mulier sibi persuadere videtur, quod falsum. Siquidem substantia, quantitas (& in ea numerus, figura æquè ac oratio seu sermo) qualitas & reliqua in prædicamentis membra ejusdem sunt objectum, id

id quod Dn. D. Geierus *Duq de Superstit. cap. 4.* fusè ostendit. 3. Sat mali hîc, quia sat superstitionum deprehenditur, præcipuè in diei istius observatione, qui nullam ad medendum confert virtutem physicam: moralem autem, quam pii in eo venantur, alienorum observatione oblitterare studet Dæmon. 4. Nec effectus veritas, nec remedii simplicitas, nec vitandorum verborum curiositas remedio dant bonitatem. Nam & Magi in operibus suis effectus veritatem, multorumque simplicitatem commendant: nec ex verborum & murmurum absentia remedii bonitatem æstimare licet. Joh. Filesacus *Lib. de Idolol. Magic. pag. 69. f. b.* Magis eos annumerat, (licèt se tales esse pernegent) qui, dum ægrotis opem ferunt, ea adhibent remedia, quæ multis veterum Medicorum, aut cognita, aut probata non fuerunt, atque adeò, quæ nullam omninò ex sui natura, hujusmodi morborum sanandorum vim & energiam habent, à quibus longissimo dissident intervallo. Hos similes esse ait latronibus quibusdam Ægyptiis, qui Philetæ cognominati erant, quasi dicas basiatores; dum enim homines arctissimè amplecterentur, eosdem suffocabant, ut habet Seneca *Epistola 51.* Non aliter Magi hujus generis, si divis placet, salutares. *Dum enim inauditis, inusitatis & planè ineptis remediis sanitatem ægris restituere contendunt, annon iis, quos curant salivam movent & gustum dant artis istius tam beneficæ, tam potentis, ut ipsi dictitant, cognoscendæ? annon validissimum illud est illicium, quo vel curiosi aliquantum, vel simpliciores nullo negotio, in sui perniciem capientur?* Hæc Filesacus.

§. 4. De Experientia, quatenus locum habeat, benè disserit Deusingius *Dissert. Select. 2. §. 115.* *Experientia*, inquit, *haud quaquam contemnenda illicò, si fortè rei ratio nondum inventa sit: Cæcutit sæpe intellectus noster, nec ubivis statim rerum ratio est obvia, quas solidè experientia commonstrat: adeò ut citra rationem exquisitam multa passim amplectatur Medicina rationalis, quæ per ipsam experientiam probata atque commonstrata novit: Attamen si cui rei ipsamet natura munita ratione manifestè ac apertè refragetur, utpote nequaquam ullum in natura fundamentum obtinenti, neque congruenti interim Scriptura S. id sanè si experientia se muniat, experientiam ejusmodi fallacem esse, ac revera fraude Diabolica ac superstitione niti certum est.* Hæc in gratiam

Sympatriotarum, quibus Medicastra hactenus imposuit, & Dn. Pastoris, qui ista mihi communicavit.

§. 5. Ad incubum, sive fascinum, incubi specie à Dæmone Sagæ consensu, illatum historia supra *Part. 4. Sect. 1. cap. 6.* §. *6.* relata magicum remedium ostendit. Similem historiam Patria mea novit. Quidam enim incubo pariter infestatus, idem remedium ab alio edoctus in usum trahit, & urinam suam noctu, postquam malum recesserat, mox in vitro (Kuttruff=Glaß) colligit & per triduum curiosè asservat. Hoc elapso ancilla (quæ postmodum in judicio Dei matura ad rogum damnata est) Virum accedit, & ut vitrum projiciat, rogat, eoque primùm renuente instat, dataque de non amplius offendendo fide petiti summam impetrat. Vitrum ille projicit; mox effusa ex vitro fracto urinâ urinam etiam saga suam, antequam pedem loco movit, omnem profudit. Ita sublato in Viro fascino fascinum aliud Sagæ Vir intulit. Ita ut cum superstitioso medio effectum necessariò cohærere magis & non magis persuadeat, ipse solus omnia tacitè operatur. Quis enim adeo amens sit, ut credat, urinam hominis fascinati vitro asservatam habere virtutem, fascinatricis absentis vesicam constringendi & *lotium coercendi*, tamdiu quidem, quamdiu fascinati urina asservatur? *Ludibria Satanæ* intervenire, ista, quam ex Jasone Pratensi de otioso quodam sacrificulo recenset Wierus *lib. 3. cap. 19.* §. *4.* historia prodit, in qua licet per incubum fascinatus urinam suam asservarit, sagam tamen continua urinæ suppressione inde fuisse fascinatam non legimus.

§. *6.* Alii in ipso paroxysmo, si mens oppressa se parum extricare potest, manu mox emissa in lecto superiori quærunt, & si acum inveniunt (inveniri hanc & quandoque alia vulgus narrat, penes quem sit fides) eam igni admovent, vel in circulum incurvant, vel alia ratione torquent, & sic Sagam ipsam, domi licet degat, incendii, incurvationis & cruciatuum aliorum tormenta pati ferunt. Et hoc magicum est, per quod, si fides in eo collocatur, &, ut Sagis malè sit, Dæmon advocatur, ad superstitiosorum effectum promovendum, & ad mala suis mancipiis inferenda promtissimus. Quidam ab incubo ad se reversi mox hoc dicunt: Cras manè veni, & accommodatò aliquid à me pete, sicque Sagam mutui gratia accedentem se prodere existimant. Sed vereor, ne hoc ipsum fallax sit, & Dæmon suos ideo edocuerit, ut inno-

innocentium famæ atrocissimum Magiæ stigma facilè imprimatur, & si suspicioni veritas respondet, per accidens eveniat: quò referendum forsan illud Bodini, qui *libr. 2. cap. 7.* refert, Sagam quandam vetulam post eam noctem, qua puero incubus contigisset, venisse, ut ignem aut aliquid aliud postularet.

§. 7. Ad *impotentiam conjugalem* per fascinum inductam superstitiosa & magica remedia habentur plura, quæ nullam ex sui natura sanandi virtutem habent, vel ἐνέργειαν propriam obtinent. Guil. Varignana, Nicolaus & Arnoldus de Villa Nova, Petrus Argelaus & Antonius Mizaldus, referente Wolfio *Lect. Memorab. Cent. 11. pag. 278.* certissimum remedium esse docent, si quis aliquo veneficio impotens ad usum Veneris factus fuerit, ut quam primum mingat per annulum conjugalem, tunc ei extemplo amissam redire virtutem. Bodinus *libr. 3. cap. 5.* remedium hoc, cum nuptæ annulus ad nodationem solvendam accipitur, quomodo usurpetur, horret dicere, idemque inter res illicitas refert, ut & Delrius *libr. 3. P. 2. Q. 4. Sect. 7.* Dn. D. Geierus *de Superstit. cap. 4.* ac Freudius *Quæst. 237. n. 9.* Paracelsus tale tradit remedium, quibusdam, monstrosis characteribus & barbaris nominibus, in membrana nova descriptis. Verba hæc sunt, AVIGAZIRTOR ϵαλιχκώφιλι, cum hisce characteribus, ϽCLAI. Jubet autem describere ante Solis ortum, & chartam singulis diebus per novem continuos dies quotidie renovare, & retuso præputio glandi alligare, easque chartas tandem jubet colligere, & in cinerem adurere &c. cineremque cum haustulo vini impotentia laboranti propinare. Addit præterea: Si ex ferreo calceo equi, Gabatam quidam vocant, Hufeisen/ fortuitò in itinere invento tridens sive furca die Dominico ante Solis ortum fabricetur, & in singulos dentes, characteres & vocabula quædam barbara insculpantur, & tridens in fluvium infigatur, maleficium seu impotentia à patiente aufertur, & in autorem revertitur, Gödelmannus *libr. 1. de Lam. c. 8. n. 53.*

§. 8. Sunt, qui nuptias eodem ritu repetunt, quo ante celebraverant, cum alligati sunt, atque hoc pacto exsolvuntur, Freudius *l. c.* Saga quædam olim in Patria mea inter confessionis verba Judici hoc sibi ad virilitatis amissæ restitutionem compertum remedium narravit: Gladii sui vagina vacui mucronem eviratus corpori suo vesperi obver-

tat, & in eum urinam suam emittat, ita ut ad manubrium defluat, &c. postmodum gladius sub lectum reponatur. Hoc novies repetatur. Carrichterus *betulæ, sambuci sylvestris* & *spartii* ramos instar scopæ colligere, & per raras à vinculo liberas partes, quasi per inversam scopam lotium emittere jubet. Alii mictionem per clavem templi, necnon per rotam aratri suadent. Quidam convaluit facto ante solis ortum in patibulo per terebram foramine, & missa per illud urina. Ex pugione, quo aliquis occisus, curabis fieri tres annulos, unum gestabis collo appensum, alterum digito, tertium sub cervicali ponito, juvat etiam pugionem ipsum sub cervicali ponere &c. ita Joh. Georg. Rosa *l. c. p.* 20. *ex MSS. alicujus Medici.* Sic & amoris fascinum perire ajunt, si in amantis calceo stercore amatæ collocato odor percipiatur; quamvis hujus rei rationem à manifesta qualitate fortasse deduci posse contendant Wierus *lib.* 5. *cap.* 9. §. 7. & Deusingius *de Superstit. Morbor. orig.* & *curat.* §. 42. Ridiculam curationem meditata est mulier quædam, referente Wiero *l. c. cap.* 36. §. 4. Hæc Viro nupta hunc in initio comperit impotentem. Quare à vario temerè quæsito consilio, hæc in ara D. Antonio sacra Everfeldi in Ducatu Montensi, ubi degebat, ceream membri virilis effigiem religionis ergò, ut à suo malo levaretur maritus, suspendit offertque. Sacrificus rei ignarus canone ad altare demissis oculis recitato, ut fieri solet, suspicit, priapumque illum cereum inopinatò intuitus, tollatur Dæmonium illud, acerbè inquit.

§. 8. Ad maleficia & fascina jumentis & brutis aliis illata, magica & maleficia crebrò, præsertim in pagis, pagano animo & modo usurpantur, quæ tamen delicta, si facie prima iniquitatem suam produnt, occultissima manent, & raro, nisi forsan casu, vel per Sagarum confessiones spontaneas in notitiam veniunt. E. g. Pastoris cujusdam ovium vaccæ non lac, sed sanguinem purulentum manibus mulgentibus dederunt. Circumforaneus accedens, auditâ uxoris illius querela, hoc eam docet remedium magicum. Tridens & ligo stabuli in crucis forma ad limen januæ in nomine D. ponantur &c. inde in ejus nomine vaccæ, ut limen transgrediantur, debitè impellantur. Hoc facto, in ejusdem nomine eodem tridente & ligone fimus è stabulo ejiciatur, postea prunæ candentes & cineres in olla allati in nomine itidem D. januâ arctissimè clausa, ne ventus ignem in furorem agat, passim in stabulo disper-

dispergantur &c. Hoc ubi Pastoris uxor fecit, tanta suborta est venti vehementia, ut janua quasi impetu facto fuerit reserata. In vento aviculæ velut cum sibilo cantillantis (als zwitzerte es) vox fuit audita, & in pectore fœminæ maximus incendii metus obortus. Post hæc vaccarum fascinum fuit sublatum, & lactis modo debito redeuntis præsentia animi malum, quod possessorem hactenus excruciaverat. Mago verò lactis furi fasciniqúe autori fascinum itidem, & quidem adustionis gravissimæ, per magicum illud medium fuit illatum, qui etiam ex Pastoris uxore brevi post, cur adustionis periculum sibi intulisset, velata facie & querula voce quæsivit, quæ tamen innocentiam per absentiam suam excusavit.

§. 9. Alius quidem Ovium Pastor in pago D. urbi huic vicino successivam gregis sui jacturam ex fascino patitur. Oves vespori sanas sequenti manè mortuas reperit. Apertis cadaveribus viscera omnia deprehendit sana præter intestina, quorum nigredo summam eorundem corruptionem prodidit. Varia præservationis gratia Ovibus medicamenta exhibuit, sed in cassum semper laboravit. Quæ autem ab ejus grege segregatæ fuerant aliorum oves, salvæ manserunt omnes, ex quo fascinum, quod ipsi jam antè erat prædictum, collegit. Interroganti mihi, quid ergo fascino & maleficio opposuisset? respondit se à quodam edoctum intestina (das Jngeschnätt) ovis demortuæ in minutas partes scissa super oxycanthum in forma crucis projecisse &c. ex eo fascinum remisisse, & ovium reliquarum nullam periisse. Ita magicum magico fuit sublatum.

§. 10. Magicum tamen non esse existimo, magicam lactis vaccarum ablationem hoc modo tollere, nempe stercore humano, quo ubera vaccarum aliquandiu inunguntur. Sic enim lac, quod non nisi Dæmonis ope à vaccis aufertur, fœtido odore & sapore conspurcatur, ut illud expetere & Satanæ beneficium Sagæ implorare desinant. Ipse autem Dæmon licet impossibile ei non sit, lac alieni saporis expers subtrahere, dato tamen excusationis prætextu Sagis lubens, more suo semper malo, ægrè facere gestit. De eodem refert etiam Zeilerus *Epist. 568. ex D. Hornigk.* Wenn eine Milch durch Zauberey verderbt/mit Menschen Koth vermischt wird/ so bringt man sie in wenig Stunden wieder zurecht/ und hei-

let

let man auch mit eben diesem Koth einen von Zauberey untüchtig gemachten Arm oder Fuß.

§. 11. Infinita autem superstitiosa & magica magicis opponi solita alia habentur, in quorum usum simpliciores, bonitatem remediorum ex utilitate metientes, oborto fascini infortunio prona mente ruunt, qui ipsi gravioribus malis per ea se implicari non advertunt, vel advertere nolunt. His pia & salutaris Augustini *in Psalm. 34.* doctrina hæc est inculcanda: *Multi in inopia, in angustiis, in morbis constituti quærunt auxilium à Dæmonibus per arreptitios Dæmones consulunt, sortilegos quærunt. Quid hoc aliud, quàm invisibiles hostes nostros adire, qui animam nostram expugnant, & nobis persuadent, non esse nobis in Deo salutem? Obsurduerunt illi ad vocem Dei, dicentis: SALUS TUA EGO SUM. Hunc nos audiamus, nec aliam salutem requiramus, præter Dominum Deum nostrum; si de aliqua creatura, ut ex aliquo medicamento aut medico, illisq; mediis ordinariis mihi liberatio suggeritur, à Deo est: à Deo est, si per hominem subvenit; ab Ipso est, si per Angelos suos, & illud est à Domino. Illum tu quære, qui deesse nunquam potest. Si tibi subtrahit valetudinem, vel opes, non ideo se tibi subtrahet, juxta Psalmum 23. Etiamsi ambulavero in medio umbræ mortis &c.*

§. 12. Præterea & hoc circa finem omittere nolo, nonnullos, ut fascinum à Saga illatum tollatur, eandem ter propter Deum (um GOttes Willen) serie una, non interrupta, ne fiat interpellatio, rogare, ut consilium vel remedium ad malum suggerat. Ita enim Sagam adigi, & experientia teste quasi cogi ajunt, ut non possit non fascinum, modò possibile sit (id namque, cujus signa vel comburuntur, vel in profundum maris, aut fontium projiciuntur, insolubile esse ferunt) solvere & auferre. Quo de quid sentiendum sit, Theologorum & Philosophorum est edicere. Philosophorum quidem, quatenus verbis istis naturalis vis frustra & superstitiosè adscribitur. Theologorum, quatenus in trina ista petitione nominis divini abusus notatur, quem egregiè Vir Maximè Reverendus Dn. D. Phil. Jacob. Spenerus Eccles. Mœno-Francofurt. Pastor Vigilantissimus, atque Rever. Ministerii ibid. Senior Meritissimus, Affinis meus honoratissimus, in *literis ad me* exaratis exposuit, cujus verba pia & erudita in gratiam eorum, quos petiti facies ob nomen Dei speciosa dubios reddere, & seducere potest, placet adjicere. *Existimo,* inquit,

inquit, *utique nomen divinum profanari, si ex vulgari more Saga ter propter Deum, ut fascinum tollatur, rogetur. Triplex ista rogatio nec à natura hanc virtutem habet, ut fascinum tollere illa adigatur, nec ab institutione divina, unde ad superstitionem magicam utique refertur. Cùm jam nomen divinum his precibus miscetur, adhibetur usui, ad quem destinatum non est, & sine religione: hæc enim non permittit, ut Dæmone vel ejus mancipio utar ad auxilium obtinendum. Inter istum enim & hominem, qui Dei obsequio adhuc videri vult addictus esse, bellum geri debet* ἄσπονδον, *nunquam verò collusio ad obtinendum subsidium intercedere. Quod verò ter repetitur divinum nomen, nemo non videt, Sacrosanctæ Trinitatis respici mysterium, ut est ille Cacodæmon sanctorum mysteriorum* καπηλος, *atque impensè gaudet, si quid illorum suæ impietati accommodans, quocunque modo commaculare queat. Huic verò nos cooperari nullo modo oportet. Unde quicquid in more illo respiciamus, ubique transparet superstitio, ideoq; non leviter injurius est in divini nominis sanctitatem. Et nonne hoc titillat ambitionem superbi illius Spiritus, si in illius nomine rogetur maleficia sua tollere, cujus honorem ubiq; supplantare molitur & eo ipso supplantare sibi videtur, cùm, ut fingunt isti impii, Deus tanquam supplex accederet hunc hostem suum alteri opem exoraturus? Id verò formula illa vult, cum per Deum hostis ista rogatur; tanquam Deus jussisset, aut illius vice preces hæ funderentur: nam in gratiam illius facere hostis nolet, nisi aliquo auctoramento motus. Apage verò, tam indignum quid, quod vel ex interpretatione tale innueret, DEO tribuamus. Experientia autem si qua sit, non potest impietati illi patrocinium sistere. Nam & experientia docuit, adoratum Dæmonem, si DEUS permisit, corporis aliquando sustulisse noxam, ut animam sibi certiùs vindicaret.* Hactenus Vir prælaudatus. His subjungatur

QUÆSTIO UNICA

An transplantatio morborum ex uno ſubjecto in aliud ſit Magica?

§. 1. QUæſtio hæc eſt *gravis*, ob ſubjecti nobilitatem; *jucunda* ob operationis raritatem: *ardua* ob cauſarum obſcuritatem: *periculoſa* ob incuſationis facilitatem: *neceſſaria* ob utentium pluralitatem: *utilis*, ob finis, qui intenditur bonitatem. Operæ igitur pretium fuerit, quæſtionis hujus enodationi diutiùs nonnihil immorari, ingenii vires intendere, & aliis uberiorem meditandi occaſionem ſubminiſtrare: id quod tamen ſalva cujusque autoritate & ſententia aggredi præſumimus.

§. 2. Vox, *Transplantatio*, ex φυτολογία eſt deſumpta à plantis, quæ de loco in locum cum radicibus transferuntur, quibus apud Romanos Vertumnus, ſeu Vertunus erat præfectus, propterea honore & cultu ab iisdem mactatus. Aliter vocem hanc capiunt Chymici, quibus Transplantatio eſt ſubſtantiæ in ſubſtantiam mutatio exaltatoria. Quo de vide Dn. D. Libavium *Alchym. Part. 1. libr. 6. cap. 11.* quod inſcribit: *De Transplantatione* & Tinctura. Laxior eſt ea ſignificatio, quam ex mente Chymicorum adducit Sennertus *de Conſ. & Diſſ. cap. 12.* Metaphoricè autem vox iſta ad affectus humanos accommodatur, & morbi ab ægro in aliud ſubjectum translationem ſignificat.

§. 3. Tò *Magicum non* in *bona ſignificatione* hîc ſumitur, quatenus nimirum aliquid ex abſtruſioris qualitatis à naturali cauſa ortæ habitu proveniens denotat; ſed in ſignificatione jam *famoſâ*, ut effectum à ſupernaturali principio, & quidem à Diabolo manantem indigitet.

§. 4. Transplantatio hæc vocatur quibusdam *Curatio Magnetica*, ſumta ſimilitudine à magnete, qui ferrum irradiat & trahit: ita & morbos per irradiationem quandam ex uno ſubjecto in aliud, quaſi magne-

ticè

ticè trahi & traduci volunt: ficut & omnem actionem, quæ per attractum & depulsionem contingit, magneticam appellant. *Magica* etiam dicitur *sensu bono* iis, qui transplantationi favent, eamque ut causæ naturalis, licèt abstrusioris, partum quendam excipiunt: *sensu malo* verò his, qui eam ex naturæ foro proscribunt, & ut Dæmonis sobolem damnant.

§. 5. Testimonia, historiæ & exempla curationum transplantatoriarum varia habentur, quorum nonnulla præmittere placet, ut quid de tali cura sit sentiendum, faciliùs intelligi queat. Fit autem Transplantatio vel in Brutum, vel in Vegetabile, vel in Elementa.

§. 6. I. *In Hominem*, cujus exemplum refert Petr. à Castro *Obs. Med. MSS. §. 23.* citante D. Sachsio *Gammarol. pag. 873.* Nam quidam, qui pectinem offenderat, quamvis eo non uteretur in componendo capillitio, tineâ correptus est, quæ per biennium duravit. Nulla profecere remedia præter hoc: Emit pectinem, quo se pectinavit lardo peruncтum, post tres dies pectinem projecit, breviq́ue liberatus transeunte morbo in assumentem. Mulier quædam, eodem *§. 24.* referente, nodulum, quem offenderat, dissolvit, & protinus febre quartana correpta fuit, quæ trimestre spatium duravit, & sequenti convaluit remedio. Erant in nodulo resegmina unguium & capillorum, ipsa pariter capillos à temporibus & occipitio sumsit, ungues resecuit, & cum paucis monetis nodulo inclusit, donec ab aliquo transeunte elevaretur, in quem transiret morbus, ea certè liberata. Transplantatio epilepsiæ etiam in hominem fit mediante amuleto ex frutice sambuci in salice inventæ, quod Epilepticus gestavit, quo de Hartmannus *Pract. Chym. pag. m. 70.* & fusiùs Th. Bartholinus *Cent. 4. Hist. Anat. 69.* Surculus enim salicis illius in taleolas secatur, quarum novem nodulo lineo vel sericeo inclusi collo ad orificium usque ventriculi adpenduntur, sive ante, sive post paroxysmum, & tamdiu gestantur, donec sponte sua rumpantur, decidantq́ue. *Nodulus delapsus*, ait Bartholinus *non tangendus manu, sed forcipe apprehensus loco remoto sepeliendus, ne vel ab ægro transeunte, vel aliis tangatur, inficiatq́; convulsione.*

§. 7. Frequentior & tolerabilior est Transplantatio II. *in Bruta.* Plinius *lib. 32. cap 8.* ait: *Est rana parva arborem scandens, & ex ea vociferans. In hujus os si quis expuat, ipsamq́; dimittat, tussi liberari narratur.*

ratur. Simile est, quod de equi saliva scribit idem, & confirmant Sextus ac Marcellus: *Equi salivam si biberint phthisici, & qui malè tussiunt, sani efficiuntur, equus emoritur.* Dn. D. Libavius *in Epistol. ad D. Sigism. Schnizerum in cista medica Hornungi 40. Ut transferatur,* ait, *morbus ab homine in suem, seca venam medianam patientis in dextro brachio. Extrahe tantum sanguinis, quanto impleri possit ovum gallinaceum evacuatum. Hoc obturatum supponitur gallinæ excludenti pullos per dies 14. putrescit interim sanguis, quo facto, contritum ovum totum miscendum est offa vel pulte, & sui dandum. Evadente ægro sus moritur.* Idem ajunt fieri patientis urina & farina in massam coacta, dataque cani vel porco. De translatione cancri morbi per Astacos, Gammaros & Talpas vid. eund. *loc. cit. Epist. pag. 118.* Nonnulli Phthisicos sanant evacuato ex brachiis ægrorum sanguine, & gallo gallinaceo propinato, Th. Bartholinus *Cent. 3. Histor. Anat. 66.* ubi de Transplantatione morborum fusè agit, & ait, *sanguine ex mediana ægrotantis extracto, ovi gallinacei testa artificiosè incluso, & deinde ovo gallinæ per 14. dies supposito postmodum famelicæ exhibito, icterum, morbosq; quoscunque ex scorbuto, cachexia, hydrope ortos abolere, apud multos innotuit. Nobilis fœmina Cimbrica occulto morbo laborans se balneo lactis immerserat, quod lac porcis exhibitum omnes enecabat, ægra convalescente.* Hæc Bartholinus. Febribus chronicis avenam sacculo inclusam per triduum ventriculi regioni impositam, tandemque porco datam mederi ajunt, Zeilerus *Cent. 1. Var. Quæst. 66.*

§. 8. Dn. D. Schulzius. *Hic,* inquit, *mihi in memoriam venit vidua Novo-Oppidana Thorunensis Benigna Reichia, quæ, cùm sæpissimè, dum viveret, ab Ictero defœdaretur, ex diuturno usu medicamentorum eorundem pertæsa tandem urinam propriam ipso die, quo emissa est, acervo formicarum superfundendam curavit, & hoc modo morbum transplantando ab eo liberata est; quod quidem remedium ei tantùm dicis causa proposui, sed illa experientia propria veritatem ejus confirmare voluit, Annus 3. Nat. Curios. Obs. 89.* Hartmannus *Pr. Chym. p. m. 232.* hoc ad consumptionem corporis commendat: *Recipe Ovum recens, coque in urina consumpti hominis in ollula nova, ut urina ovum planè contegat, ebulliendo, donec ovum indurescat. Quod ubi factum fuerit, remove ollulam ab igne, & ovum coctum hinc inde foraminibus perfora ligneolo acuto, ut foramina pertingant ad vitellum, postea idem ovum perforatum*

tum in eadem urina reliqua coque semper vertendo ovum, donec urina planè consumpta fuerit; postremo ovum sic paratum sepeli in acervo formicarum. Quando itaque ovum à formicis consumptum & exesum fuerit, mirabili συμπαθείᾳ consumptio corporis desinit, & nutricatio subsequitur pristina & elegans. Dn. D. Rolfinck *Epit. Meth. Cognosc. & Curand. Affect. lib. 4. cap. 1. de Arthrit. Scarificatur locus podagricus in ipsa plenilunii hora, & sanguis accuratè colligitur. Indatur in tabulam vitream, ac in formicarum acervum defodiatur. Devorato sanguine cedit dolor.*

§. 9. In canes frequentiùs morbi transferuntur. Mizaldus *Cent. 6. Memor. 38.* ex frequenti cujusdam Itali experimento refert, si accipiatur omne lotium, quod laborans unica vice accessionis tempore reddiderit, & cum eo farina concoquatur; si hoc cani famelico devorandum exhibeatur, ubi id ter repetitum fuerit, sanitatem consequi, & pro ægroto canem laborare. Quartanam in canem sic transferri scribit Franc. Joel *Tom. 5. Sect. 2. p. m. 32. Urina patientis in paroxysmo projecta, & cum farina quantitatis sufficientis subacta & in massam redacta, & in clibano panis modò cocta, si famelico cani, masculo quidem, si masculus est æger, & fœmella, si fœmina, projiciatur, comedendaq; prabeatur, idq; ter aut quater reiteretur, patiens quidem liberatur à febre, sed laborabit canis.* Elegans exemplum perscripsit ad me nuper Vir Excell. Dn. D. Georg. Abrah. Merclinus, Jun. Medicus Noriberg. Fautor & Amicus Optimus. *Novi*, inquit, *lanionem, qui podagricis doloribus efflictim cruciatus, nescio cujus suasu, carnem crudam bubulam afflictis suis pedibus applicuit, & super iis aliquandiu detinuit, postea removit, & cani imposuit. Lanio convaluit. Canis quasi podagricus etiamnum apud nos decurrit.* Freitagius *Noct. Medic. cap. 39.* Ictericos persanari dicit, si urinæ laborantis injiciatur frustulum recentis carnis bubulæ, & coquatur, ad liquoris consumptionem, dein cani objiciatur, qui devorata carne ictericia continuò corripiatur, liberato prorsus ægro.

§. 10. Joh. Pharamund. Rhumelius *Spagyric. Tripartit. p. mihi 409.* sequens ad febres commendat & jactat, si nimirum ungues febricitantis in pedibus & manibus resecentur, vivique cancri dorso adligentur, & cancer in aquam fluentem vivus conjiciatur. Idem tradunt Camerarius *Cent. 9. Memorab. §. 19.* Weckerus de Secretis *lib. 5. pag. 117.*

Admirationem parit id, quod recitat D. Sachsius *Gammarol. pag. 873. Relatum mihi*, ait, *fœminam, si transeat sepulchrum fœminæ puerperio extinctæ, eam laboraturam fluxu mensium perpetuo, sanari ægram, si tres cancri sepeliantur cum puerpera.* Podagricos dolores mitescere scribit Sophron. Kozack *Tr. de Sale cap. 11. Sect. 15.* si ungues abscissi ex loco affecto & de collo ranæ suspensi fuerint, ea iterum in lacum demissa.

§. 11. III. *In Vegetabilia* non minus frequenter fit morborum transplantatio. D. Beckerus *Spagyr. Microcosm. cap. 12. pag. 89.* Burggravium curæ cujusdam mentionem facere scribit, qua ægritudo corporis frutici vel arbori inseratur, & subjungit: *Hanc non esse de nihilo, testari possunt aliquot exempla, in quibus ipse ego Odontalgiam cura hac profligavi, & cum antea immensis sæpissimè dentium cruciatibus obnoxii nonnulli essent, hoc remedio & medio destillationes ad dentes cessarunt.*

§. 12. Ad immodicum menstruorum fluxum cohibendum sunt, qui pannum menstruo sanguine imbutum certo tempore cerasi radici in cortice apertæ indunt, incisuramque iterum operiunt, Schröderus *Pharmacop. lib. 5. p. m. 288.* Pomum in duas æquales dissectum, si iis verrucæ fricentur, usque dum tepescant, conjunctis pomi partibus filo si reponatur, ubi putrescere potest, disparent verrucæ, si verò non putrescat, manent: hoc etiam verificatur in particula carnis eodem modo adhibita & sepulta, Rattray *de Caus. Sympath. & Antipath. p. m. 36.*

§. 13. Podagræ incipientis curam transplantatoriam describit D. Joh. Loselius *de Podagr. Sect. 2. Membr. 2. Art. 2. Subs. 5.* sequentibus: *Ægro pilos in utroq; crure novacula demunt, & insimul ungues manuum pedumq; stato tempore, vere scilicet, arboribus de integro succum recipientibus, & quidem propridie ante novilunium, resecant, post terebra, in populo alba, vel quercu virescente foramine facto, ad medullosam usque arboris partem unguium segmina, & pilorum filamenta in locum excavatum, nullo segestri adhibito, transportant, foramine ligneolo ex arboris cujusdam ramulo fabricato, accuratè & profundè clauso. Ligneoli propendens particula proximè arborem securi amputatur, & admoto fimo vaccino saucia ligni pars propediem optimè deligatur. Quod si trimestri spatio malum podagricum haud recurrat, arborem magnetica virtute efficacissimam arguit.*

§. 14. D. Simon Paulli *Quadripart. Botanic. p. m. 32. in Annotationi-*

tationibus FABRICIANIS *MSS. in Crollium* se reperisse indicat, quòd prunellæ aridæ radix denti dolenti tam diu affricta, donec sanguinem ex gingivis exprimat, magnetica vi dolorem sopiat, si cruentata salici aliquò usque perforatæ indatur, mox iterum foramen tubulo ex salice probè obturetur. D. Sophron. Kozack *l. c.* odontalgiam etiam diuturnam auferri refert, si salici saltem per corticem vulneratæ assula sanguine ex loco dolente tincta inseratur, superinducto iterum cortice, quo tegitur prædicta assula. Idem tradit & exemplo confirmat Adrian. Nasserus *Thesaur. Sanit. p. 392. Ita sciunt*, ait D. Rozack *ibidem aliqui hernias, & ventosas, & carnosas abigere ex tenerioribus pueris per hordeum in urina eorum maceratum sine omni molestia & periculo. Et quamvis videatur aliquid superstitionis illi actui subesse, ob ceremonias, quæ observantur circa actum illum; tamen revera omni superstitione caret, atque ceremoniæ, quæ adhibentur, non sunt de essentia artificii: nam & eis absentibus feliciter succedit cura, nulla imaginatione patientis concurrente, nisi imaginatio artificis aliquid posse in morbum supponatur. Hordeum in urina patientis maceratum hic sufficit donec turgeat, quod tandem quercui vetulæ terebra ad medullam usque perforatæ inseritur, & foramen cuneo obturatur, quercino quidem, sed jam rancido, quod aliquandiu in sepe hæsit: hæc sunt omnia illius curæ requisita.* Hactenus D. Kozack.

§. 15. Herniam pari ratione transplantare, docet I. Pharam. Rhumelius *Jatr. Chym. p. m. 685.* cujus verba in Latinum translata dabimus. ℞ecipe ovum recens adhuc calidum, eoque locum affectum aliquoties tange: hinc ad tiliam quandam abi, & in ea liberato à trunco ejus cortice, terebra majore foramen ovi magnitudine respondens para. Intruso postea ovo cortex in locum suum reducatur, ita ut inconspicuum maneat foramen, idque unguento pro arboribus cereo (Baum-wachs-Salben) inungatur, quod tamen certo ut fiat tempore requiritur. Cortice arbori accrescente tumor herniosus decrescit & perit: isque effectus mensis spatio est expectandus. Perseverante verò tumore aliæ arbores ad hoc sunt eligendæ. Et quidem tribus ante novilunium diebus hora ista, quæ conjunctionis horæ respondet, quercus ad medullam usque perforetur, indeque extracta & contusa scobs in sacculo eadem hora loco affecto imponatur, & per triduum ad ipsum usque novilu-

novilunium relinquatur: tunc scobs detrahatur, & antequam hora finitur, foramini priori imponatur, foramen verò cuneo quercino obturetur, & stercore vaccino oblinatur. Posthæc per mensis spatium, donec corticis vulnus sanetur, ab omni operatione æger iterum cesset. Tandem persistentibus etiamnum tumoris vestigiis aliquibus tertia arbor quæratur; æger capillorum, omniumque omninò pilorum, præsertim in loco affecto repertorum extremitates forfice resecari curet, iisdemque resectos digitorum in manibus & pedibus ungues, in nodulo addat; inde ad quercum abeat, eidemque ad medullam itidem perforatæ pilos & ungues imponat, foramen autem cuneo quercino fortiter obturet & inungat. Pereunte, dum crescit, foramine, perit & morbus. Non autem trina repetitione opus esse scribit autor, cum pro ætatis & morbi differentia apparatus primus, vel ad summum secundus sufficere queat. Subligaculo tamen, donec transplantatoria cura sit absoluta, uti jubet. Sic & Dn. D. Frid. Hoffmannus *libr. de Meth. Medend. pag. 327. Cura* (Herniæ) inquit, *quæ cum frustulo ligni salicis recentis hoc in affectu peragitur, vulgo nota est, & fit per transplantationem. Quomodo autem perficiatur, & an quibusdam ex sympatriotis meis id constet, me latet.*

§. 36. Podagram ex spiritibus ortam per transplantationem sic curari posse scribit idem Rhumelius. Novacula pili in ægrotantis cruribus utrisque, & extremitates unguium in manibus & pedibus detrahantur (quod certo tempore post plenilunium fiat) postea populo, vel quercui ad medium usque terebra perforata imponatur, foramen verò cuneo ex ejusdem arboris ramo fabricato & acuminato, diligentissimè obturetur, ac ad æqualitatem securi redactum stercore vaccino oblinatur. Si podagra post tres menses non revertitur, arbor ad attrahendum satis efficax est. Podagricis verò doloribus recurrentibus curam sic denuò instituas. Tribus ante novilunium diebus aliam arborem, ea hora, quæ conjunctionis horæ respondet, perterebra, eademque horâ scobem collectam ac contritam in sacculo loco dolenti impone & per triduum relinque: ipsa verò novilunii seu conjunctionis horâ scobs detracta in foramen prius immittatur, & malleo quodam cuneus super intrudatur. Doloribus ante trium mensium effluxum redeuntibus pili & ungues denuò detrahantur, & cancri vivi dorso alligentur: postmodum

dum cancer in aquam fluvialem projiciatur. Sic podagra cessabit. Quosdam mox per primùm transplantationis apparatum à podagra liberatos fuisse ait: qui verò ea ratione non curantur, horum podagram non ex spiritibus, sed humoribus, seu Mercurio & Sale mercuriali ortam esse concludere jubet.

§. 17. Dn. D. Bald. Timæus à Güldenklee hanc podagræ curam transplantatoriam *lib. 5. Epist. Medic. 8.* proponit. Secundo ab ultima Lunæ quadra die ramum salıgneum præcisum, salicis instar tenerioris traducendæ, præpara. Eodem etiam die in loco affecto fiat scarificatio cum cucurbitulis: adsit & olla major, quæ ultra dimidium urina patientis, per biduum vel triduum collecta, sit repleta, cui sanguinem scarificatione extractum mox infunde & cum urinâ exactè omnem permisce. Deinde in ollam hanc salicis præparatæ extremitas, quæ terram respicere deberet, immissa, ibi usque ad triduum illud, quod novilunium præcedit, relinquatur: postea foramini in terra facto urinam sanguine mixtam infunde, saligneum ramum insere, eumque foramine terra ritè iterum repleto relinque. Elapso quatuor hebdomadum spatio tribus iterum ante novilunium diebus, scarificatio dicto modo repetatur, sanguisque cum urina nova probè mixtus, remota prius aliqua terræ superioris parte saligneo ramo affundatur. Hoc ipsum negotium post quatuor iterum septimanas & sic tertia vice ad modum jam enarratum suscipiatur. Ita felicissimè podagram curari scribit. Sed eo tempore ut fiat, quo salix junior solet traduci, & ut Lunæ in piscibus existentia caveatur, præcipitur. Huic aliam subjungit curam. Recipe Verbasci manipulum majorem, cretam ovi quantitate, quam pulverisatam cum herba in aheno coque: cui deinceps, ubi tepidior facta est, pedes impone, eaque pro pediluvio utere. Tandem foramini in terra facto aquam cum herba & creta infunde, idque iterum terra sua imple. Sepultis ad putredinem vergentibus ad finem podagræ tyrannis verget.

§. 18. Vir prælaudatus Dn. D. Merclinus sequens quoque notatu dignum communicavit. Civis nostras hisce diebus seriò mihi affirmavit, se ipsum melancholia hypochondriaca aliquando detentum consilio cujusdam venam frontis sibi tundi jussisse, extractumque sanguinem sub rosarum frutice defodisse eo ipso tempore quo rosæ floruere:

rolas paulò post è frutice illo pendentes periisse: elapso verò mense circiter repullulasse, inde se convaluisse, & ab illo usque ad hoc tempus ejus mali nihil unquam sensisse, adhibitis antè frustrà quamplurimis remediis.

§. 19. Epilepsiæ sequens egregiè conferre nostratium hic Coburgi quidam pro certo affirmant. Ungues digitorum pedumque hominis malo isto laborantis in decremento Lunæ resectos caule pennæ anserinæ include, & die 11. vel 12. Martii inter 8. & 9. vel 10. horam matutinam cum comite quodam eam salicis junioris speciem, quam nostrates Pappel-Weide vocant, quære: comitem tuum jube Salicis truncum terebra perforare, & scobem curiosè collectam cumque unguibus cauli inditam foramini immittere jube: foramen autem paxillo, qui è ramusculo quodam salicis illius fiat, obturetur, & securi arbori æquetur, tandem terra paxillus oblinatur. Sed patiens arborem, ne ad eam in posterum unquam revertatur, caveat: qui verò ejus fuit comes securè semper eam adire, & num vigeat nec ne, recognoscere potest.

§. 20. IV. *In Elementa*, sumta hac & transplantationis voce in sensu laxiori. Neque enim ex mente autorum Elementa ipsa verè morbos recipiunt, sed saltem medii vel loci rationem habent, *ut particularum* ab ægri corpore detractarum alteratio in Elementis commodè fieri & conspiratio postea (cujuscunque etiam agentis ope illa inter corpus & ejus partes perficiatur) cum corpore ægro actuari queat.

§. 21. Transplantationis morborum (1.) *in Terram* hæc sunto exempla. Joh. Bapt. Sitonus *Jatrosoph. Miscell. Tract. 29.* allegante D. Bartholino *loc. cit.* sequens ad Scirrhum commendant: Ex urina scirrhum patientis hominis phiala vitrea impleatur, stuppaque lini vel cannabis, aut communi papyro clausa humi sepeliatur ab homine jejuno, & ibi dimittatur, quousque tota absumpta sit urina, quia illa consumpta urina consumptum dicunt scirrhum. *Lues Venerea & cancri*, referente eodem Bartholino, *persanari dicuntur, si baltheus Mercurialis illitus corporiq; applicitus profundè in terram demergatur. Lardo perfricatas verrucas, postea in terram defosso, evanuisse experta mihi mulier retulit*, ait idem.

§. 22. Ad febres magnas grana juniperi immatura, quæ viridis sunt coloris, in mortario contusa, & cum modico salis mixta, capiti, cordi,

di, dorso & plantis pedum imponuntur, exsiccataque terræ mandantur, Rhumelius *loc. c. p. m. 397.* Ad ulcera antiqua persicaria in decremento Lunæ colligitur, & loco affecto imponitur: singulis vero 24. horis ad incrementum usque Lunæ remedium renovatur: herba remota infimo sepelitur, putrescente ista sanatur ulcus, Idem *l. c. p. 427.* & Sylvest. Rattray *l. c. p. m. 29.*

§. 23. Icterum sic per transplantationem curant. *Manè ante Solis ortum cichorium totum effodiunt, ita tamen, ne radici læsio ulla inferatur. In foveolam icterici urinam mittunt, cichorium in eundem locum reponunt, sub terra propria recondunt & relinquunt. Lignum fraxini tempore debito collectum inquina excrementis Dysenterici sanguine tinctis, insere lardo ad tempus*, D. Frid. Hoffmannus *l. c. p. 332.*

§. 24. (2.) In *Aquam.* Ad febrem tertianam tempore æstivo locusta minor, quæ ea anni ætate in pratis hinc inde solet salire, legitur, eaque cum fragmento panis secalini, & modico salis nodulo inclusa de collo ægrotantis, qui contentorum illorum debet esse ignarus, suspenditur. Post nonum diem nodulus detrahitur, & in fluvium projicitur, Mart. Schmuck *de Occult. Magico-Magnetica Morbor. quorundam Curat. pag. 33.* Alvus ægroti aperta servatur, si excrementa ejus ossi humeri vel femoris hominis demortui, resectis prius serra extremitatibus, indantur, & extrema foramina cera obstruantur: os verò ipsum in aquam moderatè calidam immittatur. Extracto osse, vel aquæ calore sponte abeunte tollitur iterum alvi laxitas, Idem *loc. c. pag. 56.* Anginæ magicè curandæ gratia hoc ab eodem maximè commendatur. Camphoræ drachma dimidia in cochleari spiritu vini pleno conteritur, cui deinceps adduntur *stamin. croci* quinque *aq. solani* cochl. duo *aceti rosac.* cochl. un. & *aq. fontan.* libra dimidia. His probè mixtis imbuitur lanea cœrulei pars, eaque dextro pectoris lateri imponitur. Hoc septies peragitur, postmodum pars in flumen rejicitur.

§. 25. (3.) *In Aerem. Magister meus Petrus Castellus*, scribit Panarolus *Fascic. Arcanor. 1. p. 210. ajebat, se expertum fuisse, hæmorrhoides, si tangantur tuberosa radice chondrillæ, siccari, si chondrilla siccetur; corrumpi verò, si corrumpatur; quapropter sub camino exsiccanda ponitur post hujusmodi tactum chondrilla tuberosa.* Ad Scirrhum Lienis conferre scribit Joh. Bapt. Sitonus *loc. cit.* si trium vel quinque noctium urina ab

Mmmmmm 2 ægro

ægro scirrhum lienis patiente mista singulis auroris cum sufficiente cineris communis quantitate commisceatur , solisque radiis siccandum quotidie exponatur, totum mixtum illud ex urina & cinere , donec exsiccatione peracta tota massa igni domestico apponatur,& dissolvi paulatim ex se permittatur,quia massæ illius dissolutione perfecta dissolutum esse volunt & scirrhum.

§. 26. Verulamius *Sylv. Sylvar. Cent. 10. Hist. 997.* de se scribit, se puerum admodum in digito verrucam habuisse circa annum ætatis suæ decimum sextum, cum Parisiis degeret, sensim in utraque manu subnascentibus pluribus, ad minimum centum mensis spatio. *Angli Oratoris uxor*, inquit, *fœmina minimè superstitiosa, dixit quodam die, velle se quicquid verrucarum manus fœdabat, tollere. Post accepit lardi particulam, pelle non exutam, cujus pinguedine illevit omnes verrucas , & inter eas, quæ pene mihi eousq; fuerat coæva. Clavo deinde affixam lardi particulam ad postem fenestræ cubiculi sui, quod meridiem spectabat, soli exposuit putrefaciendam. Successus fuit, quod omnes verrucæ intra septem menses prorsus evanuerunt, etiam illa, quæ reliquas ætate anteibat.*

§. 27. Joh. Agricola *Tract. 5. Chirurg. parv.* fæcibus ægri loco incantato applicitis , & mox in vesica suilla fumo expositis per triduum ægrum restituit. Petrus Hispanus *Thesaur. Pauper. cap. 39. splen capræ,* ait, *si ligetur per diem unum super splenem infirmi , & altero die ad furnum vel Solem suspendatur; quantum ibi exiccabitur , tantum quoq; splen patientis diminuetur.*

§. 28. Prima (dysenterici) excrementa sanguine tincta , si Salis manipulo misceantur, magnetica vi curant ; quidam caput mortuum Vitrioli, alii anguillarum cutem pulverisatam addunt, D. Frid. Hoffmannus *loc. cit. pag. 332.* Icterici linteum mundum permingunt, idque in aere siccari permittunt. Hoc aliquoties mingendi necessitate compulsi repetunt. Sic linteum flavedinem contrahit , patiens verò pristinam sanitatem recuperat. Hanc curam Nasserus vocat eine Lufft-Cur. Grülingius *Cent. 3. Curat. 23.* sibi colonum quendam narrasse ait, quòd costa sua fluore albo ultra annum laborasset, & multos medicos consuluisset. Tandem vetula quædam suadet, ut sumeret linteum , & exciperet fluorem uterinum, eundemque suspenderet in fumarium. Et sic hæc mulier ab omnibus symptomatibus liberata est.

§. 29. 4.

§. 29. 4. *In Ignem.* *Petia sanguine imbuta sub cineribus calidis posita menses sistit experimento pluries comprobata*, inquit Panarolus *loc. cit.* *Radix Tamari urina patientis infusa, postea si comburatur, curat Icterum*, Rattray *loc. cit. pag. m. 29.* Hominis epilepticum insultum primum patientis, sive junior sit, sive senior, indumenta omnia & vestes, indusium, calcei, tibialia, & similia sub dio comburantur, & in cinerem redigantur. Cinis verò in aquam fluvialem secundùm flumen projiciatur. Si verò jam ante homo epilepsia laboravit, ad alvi excrementa in ipso paroxysmo reddita attendatur: quæ si adsunt, res commaculatæ cum ipsis excrementis modo jam dicto comburantur. Ita morbum hunc recedere ait, eamque curationem vocat curam per ignem, eine Feuer-Cur.

§. 30. Exempla plura conquirere supersedemus. De his autem & similibus curationibus, quæ superstitione carent, in genere (quæ enim in specie superstitionem redolent, ut quædam redolere, quivis facilè advertit, in considerationem non veniunt) quæritur: an hic morbos per transplantationem curandi modus in se spectatus sit physicus, an hyperphysicus, & magicus? Prius quidam, quidam posterius statuunt, quidam rem in medio linquunt. Neque omnes, quos citavimus in exemplis autores, qui transplantatoriarum curationum mentionem faciunt, in affirmantium castra abeunt, cùm non tam Medici, quàm Historici partes istarum enarratione agant.

§. 31. Magicum esse istum curandi modum contendit Vir Celeberrimus Dn. D. Conringius *lib. 2. Hermet. Medic. cap. 4.* *Nec Transplantationem*, ait, *quicquam valere in morbis, quos sibi relicta ægrotantium natura non solet sanare, nisi accesserit constans quadam, & temerè concepta persuasio, comperimus. Modus quoq; transplantandi non minus varius est, & inter se dissidens. Sed & naturalem hic vim nihil operari rei illius, in quam fit transplantatio, iisdem licet argumentis demonstrare, quibus in Armario negotio sumus usi. Artis nimirum illius est Transplantatio isthæc, fatente ipsomet Petro Servio, qua Alphesibæus Mœrim*

Sæpè satas aliò vidit traducere messes.

Dn. D. Velschius *Obs. Medic. 57.* transplantationes istas ludibria vocat, ex arte medica releganda, & miratur esse, qui hodieque contra Philosophiæ severioris placita friviculis quibusdam argumentis colorem his nugis quærant.

rant. Kircherus *l. 3. de Arte Magnet.* curationem hanc pseudomagneticam, & rogo mulctandam vocat.

§. 32. E contra illustre Daniæ sidus D. Th. Bartholinus Naturæ interpres famigeratissimus Transplantationem morborum magnum naturæ mysterium vocat *Cent. 3. Hist. 66. Superstitiosa quidem*, ait, *plurimis videtur curatio, sed, si quidem naturalia adhibentur remedia nulla concurrente superstitione aut verbis, aut characteribus, aut gestibus, quanquam non semper manca mortalium mens rationem assequatur, damnare non ausim, quod experientia plures comprobarunt. In sacris vestigia quædam Transplantationis hujus observo, quanquam miraculosa, de agno apud Moysen, & porcis in Evangelio.* Idem laudatus Autor *in Actis Medic. & Philos. Ann. 1671. & 1672. pag. 306.* de Transplantatione Morborum se Dissertationem Epistolicam conscripsisse refert, & ait, *data per Grubium occasione Transplantationem morborum defendi posse existimavi & ratione & experientia. Rationem ex poris & corporum effluviis advocavi. Experientiis tam sacris, quàm profanis, quæ in dubium vocari non possunt, rationes roboravi. Transplantari autem morbos docui vel in res inanimatas, vel in homines, illorumq; excrementa.* Verùm desideratissimi scripti copiam nobis, licèt operam istius comparationi non levem dederimus, sors iniquior hactenus denegavit. Dn. D. Franciscus Omichius apud Bald. Timæum à Güldenklee *loc. cit.* curas magneticas à multis doctissimis Viris probari ait, licet in omnibus morbis rarò æquè feliciter succedant.

§. 33. D. Sophr. Kozack *Tr. de Sale cap. 9. Sect. 19.* morbos ex uno subjecto in alterum mobiles esse & transplantabiles malè probat à peste & morbis contagiosis aliis, eò quòd non saltem homines, ab hominibus, sed & à canibus, columbis, felibus inficiantur. Nam non ita ipse morbus hominis peste laborantis movetur, sed multiplicatur, & non tantùm infectus, sed & inficiens homo suo morbo perit. In transplantatione morborum autem is, è quò fit translatio morbi, servatur.

§. 34. Imò morbos contagiosos etiam transplantari posse admittimus, sed in subjecta adstantia & adjacentia. Studiosus quidam Adolescens febri maligna hîc laborans canem perpetuo habuit in lecto secum comitem. Æger convaluit, canis autem mortuus est. Sunt nimirum

canes

canes transplantationis capaces, quia ut disserit Thom. Bartholinus *Cent. 6. Hist. 53.* calor illis robustus, quo ex corpore alieno facilè attrahatur noxia materia. Eodem modo & alii morbi in canes vel feles adjacentes transferri & transplantari possunt. Colico dolore (ait idem Bartholinus) torquebatur Avunculus meus. Canis ventri impositus, quum incaluisset, urgebat exitum, vomuit vehementer, & tormina Colica avunculi remiserunt. Ancilla ejusdem in dolore dentium eundem canem genis apposuit, sensitque levamen, sed canis dolorum impatientia hinc inde cursitare & latrare. Sachsius *Gammarolog. p. 876.* è D. Petr. à Castro *MSS. Prax. cap. de Epilepf.* hoc ad Epilepsiam remedium transplantatorium proponit. *Accipiatur cattus vetustior, cujus pedes & caput ligentur, ne ægrum unguibus & dentibus lædere possit, applicetur vivus ventri patientis ad ventris regionem usque, relinquatur, donec intumescat, tunc deponatur, in foveam mittatur, lapidibus obruatur, non terra, ut ibi moriatur & putrescat, quod fiet vi veneni imbibiti manente ægro incolumi, & à morbo libero.* Podagram mire levari prodit Borellus *Cent. 3. Obs. 28.* si catelli cum podagrico recumbant: morbum enim canes contrahere, ut vix incedere queant ægro suscipiente levamine. Flud Anglus, citante D. Frid. Hoffmanno *l. c. pag. 367.* podagram cujusdam in cane familiari, quo cum dormiebat, fertur transplantasse, quo deinde torquebatur canis certis periodis, quemadmodum ante Dominus. Hac ratione etiam latentes in corpore humano morbos prodi & cognosci posse, scribit idem Borellus, si nimirum catuli per quindecim dies cum ægro decubuerint, & ciborum ejus reliquias ac sputa deglutierint, sic enim morbum similem contrahent, & si aperiantur, pars eadem, quæ in ægro, affecta reperietur, & sic cognito morbo remedia admoveri legitima poterunt.

§. 35. Verùm morbos in distantia & remota subjecta transplantari posse, qui rationibus probatum ibit, grande laboris onus suscipiet, & si eas dederit, Oedipus erit & Apollo magnus. Oneris gravitatem sentiet, qui ad Transplantationem ipsam ratione tum originis tum applicationis spectatam, curiosiùs attenderit, seu transplantationem & hortensem & medicam pressiùs examinaverit.

§. 36. In *hortensi* occurrit 1. Terminus à quò. 2. Terminus ad quem,

quem, seu locus in quem transfertur. 3. Causæ transplantationis. 4. Rei ttransplantatæ conservatio.

§. 37. 1. *Terminus à quo* est solum natale, in quo vegetabile transplantandum generationis primordia accepit & adolevit. 2. *Terminus ad quem*, sive locus, in quem res transplantatur, est terra benè præparata, h. e. terra levis, recens mota, & satis profundè & satis arctè ac pro diversitate subjecti promovendi aquâ, vel liquore è fimeto educto irrigata. 3. *Causas* quod attinet, & quidem *materiam* sive *subjectum transplantabile*, hoc plantæ sunt, sumpta voce non strictè pro oleribus tenellis ex semine nuper natis, sed latè omni vegetabilium genere. Transplantantur nimirum arbores, frutices, herbæ; non tamen simpliciter omnes. Quæ enim annosiores sunt, quæque floribus & foliis sunt onustæ arbores, item ex oleraceis spinachia non transplantantur. *Causa efficiens* transplantationis est Agricola, qui rei transplantandæ & soli naturam cognitam habet, atque instrumentis negotio aptis instructus manu sua plantam transfert. *Modus*, qui *formæ* rationem habet, pro varietate subjectorum variat, atque ex φυτολογίᾳ patet. *Finalis* causa est, ut plantæ, quæ antè nimis densè fuerant positæ, amplius nactæ spatium lætiùs exsurgant & crescant. 4. *Rem debitè transplantatam terra* in sinu suo matris instar excipit & nutrit: anima autem in vegetabili præsens nutrimentum à matre ista datum accipit, & in plantæ substantiam convertit. Atque hæc in transplantatione hortensi evidentia sunt & manifesta: sed

§. 38. Obscuritatis & difficultatis plena est transplantatio morborum, applicatione ab ista ad morborum translationem, ut vocant magneticam, præcipuè quod causam efficientem & modum attinet, fafacta. Reliqua enim quadantenus explicari posse non abnuo. Nimirum

§. 39. (1.) *Terminus à quo* transplantationis Medicæ est Homo morbo transplantari apto laborans. Non enim omnes morbos è corpore humano in aliud subjectum transferri posse, mox patebit. (2.) *Terminus ad quem*, sive subjectum, in quod propagatur morbus, variat idque vel hominem, vel brutum, vel vegetabile, vel elementum esse dicunt. Homo quidem & brutum seminiorrum morbificorum capacia sunt, iisque receptis morbo, & homo, & propter affinitatem ratione corpo-

corporis etiam bruta, corripiuntur; non autem vegetabilia. Seminia quidem ista recipere & sustinere, at morbo affici nequeunt. Idem enim morbi subjectum est, quod Sanitatis. Hujus autem sunt partes corporis animalis viventes certa ratione dispositæ, qua dispositione vegetabilia carent. Habent quidem & ista, teste Eresio *de Caus. Plantar. lib. 5. cap. 9. & seqq.* morbos, sed morbos sui generis. Delectum brutorum & arborum hîc suadet D. Kozack *loc. cit. cap. 11. Sect. 15. Deleguntur*, inquit, *ad transplantationem morborum arbores sylvestres, fructuum alimentalium inferaces, ut fraxinus, quercus, betula, tilia, fagus, alnus: ita & animalia, quorum carnibus homines non vescuntur, ut canes, feles, equi, lupi, vulpes: Non quòd alia animalia, vel arbores fructifera inutiles sint ad hanc artem, sed cavendum, ne morbi ex hominibus in homines transplantentur, quod fieri posset ea facilitate, qua in familias inferiores transmigrant.*

§. 40. (3.) *Causas* quod attinet. I. *Finalis*, cur transplantationis negotium suscipiatur, nullum facessit negotium. Ea autem non est, ut morbus transplantatus alibi lætius proveniat, sed ut eo translato æger sanitatem recuperet, quocunque etiam modo morbus vel seminium morbificum translatum se habeat, sive lateat, sive pereat. Præstat enim animatum quodvis aliud, vel inanimatum morbum vel ejus causam recipere, quàm hominem morbo torqueri. 2. *Materia*, sive id, quod Medicè transplantatur, morbus est, voce hac hoc loco latè sumta pro re omni, quæ quidem præternaturales partes corporis nostri affligit, sive sit morbus, sive causa morbifica, sive symptoma. Quia autem morbus in strictâ acceptione accidens est; accidens autem suum subjectum, cui insit, requirit; requiritur ergò in transplantatione morborum etiam vel subjectum, quod morbi indolem, tincturam, fermentum, aut quocunque alio nomine id appellaveris, suscipiat, & cum hoc in aliud subjectum deferatur vel pars quædam causæ internæ morbificæ, ut inducta huic in alio subjecto alteratione, conspiratio (quacunque ea fiat ratione) & cum corpore ægro communicatio exerceri queat. *Media* illa sunt vel *propria* hominis ægri, ut sanguis, urina, pili, excrementa: vel *aliena*, ut cancri, carnes, ova, lardum, poma, & alia, quæ prius loco affecto vel imponuntur, vel affricantur, ita ut quandam morbifici seminii partem per applicationem suscipiant, & postea aliorsum trans-

ferantur. Cùm autem, quod transplantabile est, ut mobile sit, requiratur, & quod mobile non est, non sit transplantabile, sequitur hinc, *primò*, non omnes morbos esse transplantabiles, v. g. inter morbos intemperiei frigida est maxima; inter morbos ratione quantitatis spectatos digitus sextus, defectus oculi &c. ratione figuræ gibbositas, plancorum, valgorum & plautorum vitia &c. ratione meatuum, coalescentia, constipatio &c. inter morbos solutæ unitatis vulnera cordis, & aliarum partium profunda, ruptura vasorum &c. *Secundò* nec omnem causam morbificam esse transplantabilem, quia non omnis est mobilis, v. g. calculus renum ramosus, vermes, qui, licet in se sint mobiles, non tamen talis iisdem competit motus, qui ad transplantationem aliàs requiritur, ut scilicet insensibiliter sede sua moveantur & transferantur. Sic nec venena transplantantur, quia citiùs vim suam lethalem exerunt quàm ut transplantatione, quæ moram requirit, auferri queant. Si non omnes morbi transplantantur, nec *tertiò* omnia symptomata transplantari posse sequitur, quia symptomata à morbo, velut umbra à corpore, dependent. Itaque nec lipothymia, quæ symptoma est facultatis vitalis, ex vulnere cordis, vel ruptura venæ majoris orta transplantari potest: sic nec coctionis in ventriculo vitium ob angustiam à *primo ortu* contractam, stranguria à vesicæ calculo nata, & similia, tolli possunt.

§. 41. Morbos, qui transplantari possunt, D. Kozack *l. c. cap. 9. Sect. 9.* salinos vocat, sensu non speciali Medicis usitato pro morbis ex sale, quantitate & qualitate luxuriante, efflorescente aut turgescente ortis, sed generali. Siquidem Sal secundum eundem, ut *in universo*, ita & in Universi compendio, homine scilicet, est maximum, omniumque mutationum causa, atque Sal cœlestibus & terrestribus, æternis & corruptibilibus essentiis commune facit. Eo nomine etiam indigitat omnes corporis nostri partes & humores, adeò ut per Sal nihil aliud intelligere videatur, quàm rei cujusque principium & essentiam activam, sæpe in exiguo, ceu in semine, reconditam. Nobis, si transplantationis Medicæ exempla percurrimus, ii morbi transplantari videntur, qui causam continentem habent spiritus & humores transferri aptos, quibus sublatis vel correctis morbus ab iis non amplius fovetur: Natura autem, quod reliquum est, complet & absolvit. Et quamvis morbi dentur, qui ab humoribus, vel spirituum vitio in fieri non dependent,

ut

ut hernia quædam; quia tamen ab iis in conservari dependent, quatenus uberius ad partem affectam confluunt, & malum fovent, hinc eorum affluxu per transplantationis negotium sedato, per accidens partis redintegratio à natura sui studiosissima procurari potest.

§. 42. 3. Causam *efficientem* & 4. *Modum* exponere, hoc opus, hic labor est. Homo qui actum istum adornat, saltem rationem causæ instrumentalis habet, propterea quæstio remanet ardua, quæ causa sit efficiens principalis transplantationis, à qua morbus in aliud subjectum distans deferatur, quo modô id fiat: vel, quid sit illud, cujus influxu ægritudo, vel hujus causa ex uno loco in alium promoveatur? an causa sit naturalis, an supernaturalis? natura vel Dæmon? Quicquid arripias, nullam ab ulla parte videas rationem, quæ solidè & apodicticè probet, vel contrariam stringat. Probabilitas saltem datur ab utraque parte.

§. 43. *Istos*, quibus transplantatoria cura magica audit, superstitionis suspicio, & causarum naturalium, quæ dari nequeant, defectus: *Hos*, qui transplantationem naturæ viribus perfici ajunt, magici conatus cum protestatione aversatio, & verus, per experientiam notatus, effectus movet. Neutra tamen pars genuina & firma ratione nititur. *Non illi*: Neque enim ex patentium causarum defectu, qui ex parte scrutatoris sæpe est, naturalem effectum simpliciter negare & magicæ damnare licet, cùm sint & reperiantur in natura merè & verè naturalia, quorum opera sensum & rationem humanam transcendunt, quibus nudo ore prolatis nullam ratio fidem haberet, nisi experientia ipsa in medium proferret. *Multa*, inquit Plinius, *sunt naturæ miracula incomperta adhuc rationis, & in naturæ majestate penitus abdita. Ergò*, ait Author, *Disquisit. Physio-Theolog. de Sympath. apud Langenmantelium pag. 10. fieri potest, ut effectus sit naturalis, & nobis incomperta sit ejus causa, possessio enim stat pro natura, cujus intima penetralia explorare licitum est. Secus autem dicendum, quando constat effectum naturæ vires transcendere; nam tunc præsumendum est, esse à Dæmone, nisi fortè talia indicia adsint, ut jure judicetur esse à Deo, aut à bono Angelo.* Quis nescit rationem pomposum consequentiarum apparatum quandoque concipere, quem tamen unicum experimentum dissipat, quæque despectui habuit sensuum judicium, rationem sensibus cedere, ut, quod absurdum vocavit, tale non verè, sed apparenter fuisse fateri cogatur.

 Suspi-

Suspicio animi imbecillioris est soboles, obstetricante ignorantiæ manu educta, quæ nullis nisi suæ genetricis manibus fovetur, & monstri nomine à scientia indigitatur.

§. 44. *Non hi:* siquidem & verborum Patroni verbis & characteribus varia efficere conantes suum erga Magiam odium operosè verbis pariter testantur, qui tamen omnium rectiùs Philosophantium calculo ad Magorum classem, spreta omni istorum protestatione, quòd facto sit contraria, referuntur. Actionis bonitas non per effectus veritatem legitimatur, nisi velimus Sagis latibulum, in quo actionibus suis tutò incumbere queant, aperire. Experientia, quæ sæpè fraudulenta, nos in veritatis viam deducere nequit. Effectum quidem sensus externus in multis singularibus actibus percipit, sed an, & quæ sit effectus & causæ habitudo, semper ita, ut ratio recta nihil desiderare queat, (id quod tamē ad experientiam sensualem requiritur) percipere nequit: ut proinde (quod non sine causa noto) de Doctissimo Libavio usum unguenti sympathetici refutante, D. Tilingius Profess. Rinthelienſis *Prax. Chymiatr.* quam hoc anno edidit, *Class. 3. tit. 25.* scabiosè sentiat, & iniquè eum solum (cum Viri Magni, inter quos Sennertus & Conringius veniunt, ὁπλιατρίαν quoque impugnaverint) pungat. *Compositionem,* inquit, *& usum hujus unguenti Sympathetici peculiari tractatu, & quidem thetico* περὶ ὁπλιατρίας *exagitavit Libavius, in cæteris quoq; suis scriptis chimicis in id ipsum invehitur sophisticè, & pro more suo & instituto argumentatur admodum scabiosè. Verùm sophistica Libavii sententia tanti non est facienda, quanti experientia, à qua virium & potestatum in rebus ipsis existentium effecta meritò sunt depromenda, utut causas inexploratas deploremus, illi tamen & necessitate quadam coacti subscribimus, ejusq; potentiam admiramur.* En! ex experientia virium & potestatum in rebus ipsis existentium effecta depromit, eique utut causæ sint inexploratæ, subscribit, ejusque potentiam admiratur. Sic Doctorem habent Vetulæ & Sagæ, à quo quomodo benedictionum suarum, jam per experientiam confirmatarum bonitatem confirmare queant, addiscant, cum quo tum experientiæ subscribant, tum hujus potentiam admirentur. Nos hunc philosophandi modum istis relinquimus, & cum sanioribus sentimus, non virium & potestatum effecta ex experientia, sed à suis causis esse derivanda. Experientia non est effectus causa, sed saltem medium, quod à ratione dextrè

adhibi-

adhibitum nos in causæ cognitionem quodammodo deducit. Nec tamen ratio, licèt medium illud, quantum ex se potest, dextrè adhibeat, semper ad cognitionem causæ devenire potest, quia plures unius rei quandoque dantur causæ, & causæ sensu & intellectu nostro nonnunquam sunt superiores. Quo in casu, si causæ sunt & manent inexploratæ, nullumque prorsus in natura habent fundamentum, eam eligere decet sententiam, quæ rationem habet magis faventem, nullumque conscientiæ vulnus infligit.

§. 45. Neque actionis bonitas per apertarum superstitionum verborum, characterum, aut gestuum absentiam verificatur, cùm etiam superstitio in rerum naturalium usu, quatenus ad effectum producendum simpliciter sunt absurdæ & ineptæ, ut in superioribus ostendimus, latere queat. Quæ res ipsæ, quatenus absurdæ, tesseræ sunt Diaboli, sub iis, ut homines in superstitionum devia blande sensimque seducat, operantis. Præclarè Conringius *l. c. p. m. 231. Illudunt Dæmones etiam probis, quò & illos incautos trahant in superstitionem, pietatis aut naturæ virium simulatione. Si tamen qua in re, certè heic est opus ex Epicharmi præcepto prudenti diffidentia.* Solet autem Cacodæmon fraudibus ac ludibriis, quibus mortalium animabus insidiatur, naturalia imò & sacra attexere, ut naturalitatis & divinitatis specie citiùs incautos alliciat & fallat.

§. 46. Ut animi mei sensa circa quæstionem propositam exponam, dico I. Transplantatoriam morborum curam non esse simpliciter è censu rerum naturalium proscribendam. Causam quidem ipsam in puteo veritatis latere absconditam, & industriam eorum, qui extrahere istam conantur, eludere fateor, non tamen propterea, quia investigari nequit, mox ad orcum, ceu Dæmonis partus, effectus iste est damnandus, nisi multa naturæ opera, scrutinio nostro majora, pari zelo eodem infamiæ stigmate notare velimus. *Naturalem esse* istum curandi modum probabiliter colligo *ex analogis in natura occurrentibus exemplis*, quæ rerum longè dissitarum commercium sympatheticum (quod jam in genere pro instituto indicasse sufficiat) evidenter produnt. Exempla sunt sequentia, quæ, cùm in re arduâ & gravi versemur, malo ipsorum autorum verbis, ut majorem

 fidem

fidem inveniant, recitare, quàm truncata enarratione dubii scrupulos in animo Lectoris generare.

§. 47. Primum sit pilorum abscissorum cum vivente consensus, cujus Bartholinus *Cent. 1. Histor. 41.* sequentem recitat Historiam. *Ex vulnere capitis cæsim facto cutis capitis pilosa Viro cuidam fuit detruncata. Curato vulnere pilosam illam cutem exsiccatam, idem asservavit suorum æstimator. Vergente deinde ætate cum sano capite & vivo aut calvescente aut canescente, capillitium quoque exsiccatum, cista inclusum, & pilos canos ostendit, & tandem, sicut possessor, calvitiem.*

§. 48. *Tantam habet marinus vitulus*, ait Schottus *Phys. Curios. lib. 11. cap. 20. cum mari sympathiam ut pili etiam excoriati animalis, si mare turbatum in fluctus surgit, erigantur, si desidit, sternantur. Ex quo factum, ut ex horum pilorum mutatione aeris mutatio colligeretur tam mari, quàm terra.* Et pag. 1372. *Quod cùm non crederetur, facto in Indico mari circa Hispaniolam insulam periculo, non amplius fabulosum haberi asserit Cardanus.*

§. 49. Exemplum consensus microsmi cum macrocosmo notatu dignum recitat Casp. à Reies *Elys. Jucund. Quæst. Camp. Quæst. 50. n. 36.* sequentibus: *Ancillam habui, quæ gravida rosarum tempore plures in sinu gestare gaudebat, & illarum odore maximè delectabatur; post menses tres filium peperit in maxilla insignem rosam habentem, quæ singulis annis mense Majo conspicuè magis repullulabat, attollebatur, rubore suffundebatur, ac dolebat, quod per plures annos observavi.* Simile tradit Panarolus Medicus Roman. *Pentecost. 1. Obs. 11. Mulier satis formosa malaciam mali Punici in clune dextro ob matris malaciam habet, quæ, dum florent balaustia, rubescit: dum fructus ad maturitatem pervenerint, flavescit, cum quibusdam granis miræ rubedinis, ita ut imaginem aperti mali Punici præ se ferat: hyberno tempore evanescit, ita ut nullum ipsius vestigium appareat, ac nunquam fuisse existimabis, donec redeunte vere florentibus balaustiis denuo quoquo anno rubescat.* Sic & Petr. Servius *de Ungu. Armar. in Theatr. Symp. pag. 549. Nobili Matronæ Florentinæ maculatum est dextrum tempus uvæ macula, fusca illa quidem & adeo obscura, ut vix oculis pateat, imò nec vix quidem, nisi diligenter inspectantibus, etiamsi in carne candidissima impressa sit. Frondentibus autem, ac virentibus vitibus mirum in modum macula virescens vel luscioso*

sciosô conspicua est: fœcundis fructuq; exuberantibus ferè intumescit, mox è viridi colore paulatim vergit in flavum, deinde haud obscurè flavet, flavente uva ac penè maturata; demum appropinquante hieme, vitibusq; pampino nudatis, prope evanescit sub fusco solum colore leviter adumbrata. Ejusdem farinæ plura ibidem, & è Forero simile recitat Schottus *Mag. Univ. Part. 4. lib. 4. cap. 2. §. 4.*

§. 50. Sequentia plures annotarunt, videlicet Kircherus, Schottus, Rattray, Digbæus, Helmontius, & alii. *Si quis, dum panes in clibano sunt, calidas placentas ex eadem massa scindat cultro, cuncti panes, quantumvis dissiti, in clibano integra crusta à mica divelluntur*, Sylv. Rattray *de Caus. Sympath. p. m. 26.* Autor ille *Disq. de Sympath. ap. Langenmantelium* se hoc ipsum semel, & iterum observasse ait. Neque conterraneos meos hoc latet, qui cavent panem unum recentem cultro scindi, antequam ejusdem farinæ reliqui è clibano extrahantur. Divulsionem vocant das Erschüpffen. Item si tempore, dum panes in furno sunt, aliquis tectum ejus conscendat, aut aliquo modo concutiat, idem contingere ait Rattray. Gallina ovis incubante, si in iisdem ædibus ovum igne assetur, intereunt pulli exclusioni vicini. Si lac vaccarum ab uberibus calens projiciatur super prunas candentes, inflammantur cum dolore ubera, & lac discedit. Si mulier infantem ablactans in prunas ardentes lac emulgeat, secuturus est lactis in mammis defectus. Maculæ & sordes in linteis ex pomorum succo contractæ nunquam absterguntur, quoadusque ex arboribus, à quibus decerpta sunt folia, decidant. *Mantile*, ait Digbæus, *rubro mori vel vini colore maculatum facili opera expurgatur, si ea tempestate, quâ hæ plantæ in florem se aperiunt, laventur; alio verò tempore & opera & lixivium in his maculis eliminandis perditur.*

§. 51. Tempore, quo vineæ florescunt, vinum in cella fervet, ac despumat eousque, donec ex vitibus flores decidant. Vesicatorio excrementis adhuc calentibus imposito intestina corrosione afficiuntur. Pisa frixa injecta excrementis tot pustulas in podice excitant, quot pisa. Cineres calidi, vel prunæ candentes scybalis recentibus injecta inflammationem, & pustulas in ano excitant, id quod Illustr. Digbæus in oratione sua exemplis confirmat. Eadem ratione absentes sine medicamentis purgari posse scribit Tilemannus *de Mater. Medic. pag. 251.* Terra ex Nilo desumpta exsiccata & diligenter asservata toto anni tempore nihil in

in pondere mutatur ad diem 17. Julii, tunc seipsâ fit gravior, quo tempore inundatio fit Nili. Allium & cæpæ acriorem & acutiorem spirant odorem, cum eorum species in terra progerminat. Physa seu orbis piscis Ægyptiacus & in vitâ & post mortem etiam in vitro arctè clauso suspensus faciem ad eam cœli partem dirigit, dum vivit, ex qua ventus spirat. Id quod etiam de Hirundine marina asseritur. Testacea ferè omnia licet extra mare quandiu vivunt, accedente maris æstu hiant, recedente autem æstu clauduntur. Rattray ait, se sæpe morbi cum sua urina in vase clauso per aliquot dies servata sympathiam notasse. Apostemata in plantis pedum vaccarum aut boum orta, & pure vitiosisque humoribus scatentia proprietarii, referente Digbæo, sic in Anglia curant. *Observant locum, ubi bos, aut vacca pedem malè affectum figit, statim primò gressu, quem ex stramine surgens facit, in eodemque loco terra glebam, vel cespitem extensioni infixi pedis respondentem exscindere, eundemq; in arbore aut sepe Aquiloni exposita collocare, qui statim ac terræ glebam afflare ceperit, bos intra tres aut quatuor dies perfectè sanabitur: quod si verò exponatur vento meridionali, & quando Africus spirat, malum augebitur.*

§. 52. Quid dicam de celebri illo & effectu suo jam famoso pulvere sympathetico, ore Illustrissimi Comitis Digbæi Angli in Oratione quam in Cromvveliana factione exul è patria in Academia Monspeliensi publicè de illa habuit, qui vulnera & ulcera satis etiam difficita absque medicamenti ad partem affectam applicatione sanat? imò febres, & scabiem pulverem istum pari ratione curare curiosos experientia nupera Lipsiæ docuit, ut Agnatus meus charissimus Baldass. Frommann / SS. Theol. Studiosus in Academia Lipsiensi operam navans compertum verè tulit & ad me perscripsit. Nihil dicam de nasis illis artificialibus, qui ex alterius carne formati, & deinceps per modum insitionis alteri applicati, mortuo isto, cujus caro fuerat, putredinem contraxerunt; cùm videam, quosdam hoc ipsum inter fabulas referre, alios autem existimare, id si contigerit, casu contigisse. Sufficiant enumerata ista.

§. 53. Enumeravi autem multa, ne pauca in medium allata in dubium vocarentur, & paucorum jactura jactura præjudicii nostri fieret. His verò omnibus, qui falsitatis stigma inurat, & quæcunque doctorum asserta & experta oscitante ore neget, neminem adeò perfrictæ frontis fore existi-

existimo. Si verò in quibusdam saltem assensum quis concesserit, jam actiones in distans naturales, in quibus nullæ sunt Dæmonis partes, non potest non admittere, (quicquid etiam de activitatis sphæra fuerit) & naturalem in iis, quæ enumeravimus, conspirationem agnoscere, quomodocunque etiam ea promoveatur, & in actum deducatur.

§. 54. Non tamen, quia modus productionis, & in actum deductionis ignoratur, propterea Dæmoniaci concursus actiones erunt arguendæ. Idem de Transplantatione morborum fiat judicium, & ex similibus probabiliter colligatur, curam transplantatoriam naturæ rerum non adversari, & proinde virtute naturali, utut nobis occulta, peragi & meliori rationi non repugnare: siquidem, ut diximus, inter corpus, & id, quod à corpore in subjectum aliud transfertur, conspirationem, & propter hanc etiam alterationem quandam in toto fieri posse, quomodocunque etiam fiat, ex analogis exemplis fit verisimile. Neque Dæmon supra naturæ leges, nec malum, nisi mediantibus naturalibus sanare potest. Ergô qui Dæmoni mediante natura possibilis est affectus naturalis, ut naturalis naturæ ipsi sine illius concursu simpliciter impossibilis esse nequit.

§. 55. Redire quidem dubium, & in contrarium objici posse videtur hoc; quamvis Dæmon nonnisi mediante natura sanet, virtutem tamen loco motivam ei non esse denegandam. Hac itaque præditus ut corpora majora, ita & minora, seu atomos ac morbifica semina de subjecto in subjectum transferre potest, imò nec opus habet, ut in subjectum traducat. Sublata enim morbi causa tollitur effectus, sive è corpore educta postmodum evanescat, & in auram abeat, sive Dæmonis ope in subjectum aliud traducatur, ut ritus ille superfluus superstitionis indolem, quam hominibus Dæmon sub specie naturalitatis inculcare gestit, redolere videatur.

§. 56. Verùm nec in hoc sum difficilis, & possibilitatem jam dictam in dubium vocare nolo. At non, si hoc est, illud negandum; seu non hujus positio illius est remotio. Sanat, ut supra vidimus, Dæmon mediante natura: Sanat & natura sine Dæmone. Non hoc illud nec illud hoc tollit. Ita licet transplantare & sic morbos sanare Dæmon queat, non tamen propterea eidem soli negotium istud semper

deferendum, & naturæ denegandum. Grave quidem est, pro certo affirmare, transplantationem istam à sola natura semper, & ubique fieri: sed & æquè grave, imò gravius pro certo asserere, eam à solo Dæmone semper perfici. Nam propter multorum effectuum in natura affinitatem & similitudinem stat pro natura possessio tamdiu, donec contrarium evidentissimis rationibus fuerit ostensum. Absurdus si videatur modus curationis, fit hoc ob causæ obscuritatem, judiciique infirmitatem. Et videntur quædam absurda, quæ tamen non in se; sed alteri talia sunt. Propone quædam in natura occurrentia, rara & admiranda cuidam horum ignaro, & ex opinione sola te ista fingere simula, mox hic confictis & prolatis in medium rationibus promposis opinionem hanc eludere laborabit, qui ipse tamen ostensa postmodum in natura re ipsa eludendus, & prostrata unico experimenti ictu rationum strue exsibilandus venit.

§. 57. Cl. Deusingius, Professor in Academia Gröningensi Celeberrimus *in Exam. Pulveris Sympathetici*, hunc ipsum pulverem damnat, &, qui ab eo manare dicitur, effectum Diaboli fraudibus adscribit. Rationem autem nullam aliam video, nisi hanc, quòd energia ejus naturæ vires excedat, nec in natura fundamentum *ullum habeat.* Verùm 1. si pressius urgeatur Autor, unde constet, vires ejus naturæ vires excedere, ad intellectus humani imbecillitatem tandem delabetur quòd istam energiam ejusque causam ratio capere nequeat. Ergone natura ejusque vires mentis nostræ captu veniunt metiendæ, quæque eidem quadrare non videntur, tanquam Diabolicæ damnandæ? Absit! Stante hoc, quantus foret in natura rerum naturalium magiæ stigmate notandarum cumulus! Non certè, quia intellectus humanus rem ejusque fundamentum comprehendere nescit, res ipsa propterea ficta est vel magica: sed quia natura rem nec in se, nec in simili, manifestat, aliquid fingere, vel affingere ratio caveat. Naturæ ipsi modus, secundum quem agit, cognitus est, quem si ratio apprehendere nescit, suam deploret imbecillitatem. Benè Excell. Dn. D. Straussius, Fautor & Amicus noster Magnus, *in Responso ad Exam. Pulv. Sympath.* Deusingii monet: *Durum est à negatione modi rem negare. Extrema sæpè sunt sensibilia, mediis insensibilibus. Durius est sublato contactu physico materiali actionem manifestissimam negare. Durissimum verò Dæmoni statim adscri-*

adscribere, quæ non ad oculum nobis patent. Natura satis mirabilis in suis operibus multa continet quæ nostrum captum etiam atque etiam superant & excedunt. Hæc ille.

§. 58. Modus operandi omnis fit mediantibus qualitatibus: at & qualitates naturales (quæ non omnes elementares sunt, manibus palpandæ, sed dantur etiam multæ elementaribus nobiliores, omne sensuum judicium fugientes) & harum modus emanandi à suo principio, (quod sæpe obscurum, inque parvo quanto magnarum est virium) & qualitatum non elementarium modus operandi, cùm sensus non incurrant, quî intellectus omnium, quæ natura edit, effectorum notitiam sibi arrogabit, cùm nihil sit in intellectu, quod non prius fuerit in sensu? Ἀγαθὸς δημιουργὸς ἡ φύσις. *Natura optimus artifex* dicitur Galeno. *Nec tamen omnem experimentis assequi naturam possumus*, fatetur ingenuè Plinius *lib.16. cap.16.* Humanæ inventionis artificia sensibus nostris admota intellectus sæpe capere nequit, nec ob id Magiæ ista mox damnat. Cur ergò naturæ, quæ artifice omni excellentior, opera, si capere non possumus, ejusdem criminis damnabimus? 2. Sympathetico pulveri fundamentum quoddam analogia, in dictis, quæ natura ostentat, operibus subministrat, seu rectius pulveris sympathetici operationem (ita & transplantationem) naturalem esse, Philosophus probaturus, fundamentum quoddam ex similibus naturæ operibus colligit. Quoddam dico, cum addito, non simpliciter. Ipsissima enim causa proxima, quæ fundamentum est simpliciter, obscura, ut plura alia, manet. Atque hic modus philosophandi absonus non est, vel impertinens. Benè Erasmus Bartholinus *de Natur. Mirabil. pag. 72. Neque enim,* ait, *solus sensus arbiter constitui potest immensæ naturæ abyssi, quippe qui vix obvia & quotidiana percipit, sed rationi sociatus quædam per analogiam, plurima arte, ingenio, labore.*

§. 59. Cùm in dubiis benigna fieri debeat interpretatio, cur in hoc curationis modo sinistram mox arripiemus? Εἰ ἀμφίβολον νικάτω τὸ φιλάνθρωπον. *Si res dubia est, vincat humanitas*, ait Nazianzenus *Orat.40.* Appositè Autor *Disquis. Physio - Theol. apud Langenmantelium pag. 11. Si in dubio res posita est, utique effectus curationis in nostro casu censendus est naturalis, quia in dubio melior est conditio possidentis, & possessio stat pro natura.* Idem etiam hanc in rem citat verba Caramuel. *Lib. 3.*

Tocol. Moral. n. 1381. Si quid rerum vides, gratias age Naturæ Conditori; Potentissimus potentissimum condidit: hoc suppono, sublatere aliquod pactum aut Dæmonis interventum, quousque videam evidenter, non credam.

§. 60. Dubitant quidem tum docti, tum indocti, & cum his Magi, verborumque ac characterum patroni, sed dispari modo, proinde nec benigna interpretatio utrisque æquè succurrere potest. Docti non sine ratione dubitant, quibus *ἀπορία ἰσότης ἐναντίων λογισμῶν, dubitatio æqualitas est contrariarum rationum*, ut loquitur Aristoteles *6. Top. 7. §. 3.* Magi verò, quique characteribus, figuris, verbis, ritibus, & similibus virtutem tribuunt, vel nullis, vel levibus, adeoque respectu contradicentis partis valde inæqualibus rationibus, saltem ab effectu, qui obiter non in ordine ad causam ullam spectatur, petitis nituntur, quæ tamen veritatis luci admota facilè disparent, & communi omnium rectiùs philosophantium judicio damnantur.

§. 61. II. Quæcunque Transplantationis causa in re hac obscura adducitur, ea, fateor, sua non caret difficultate. Nec mirum. Si enim ea etiam, quæ apertissimæ sunt veritatis & firmissimis nituntur fulcris, robustis ingenii versutissimi viribus concutiuntur, ut nihil tam benè dicatur, quod contradictionum fulminibus percuti nequeat: quantò magis res intricatæ & obscuræ difficultatum oneribus subjicientur.

§. 62. (I.) Qui *in Sympathia* transplantationis causam quærunt, multis implicantur difficultatibus. Siquidem 1. illa sympathia nondum satis est probata. Cognatio quamvis ratione substantiæ detur, quia similitudine substantiæ gaudent, v. g. urina in corpore & extra corpus, ex hoc tamen sympathiam & sympatheticum motum non statim licet elicere. 2. dissoluta mixti substantia dissolvitur ac perit crasis ac sympathia. Quî ergò mixtum in interitu suo qualitate sympathetica in morbosum corpus aget? 3. quod transplantatur, minoris est respectu reliqui in toto corpore quantitatis. Quis nescit copiosioris sanguinis in loco suo natali vegentis esse virtutem majorem, quia in majori quanto major est virtus? Ergô copiosor in corpore vivo sanguis eludet omnem

mnem transplantati in loco alieno positi activitatem. 4. Nulla est consequentia: Inter hæc datur sympathia. Ergo in se invicem, in quavis distantia agunt. Advolet ex sympathia ferrum ad magnetem, non tamen, qui Noribergæ est, meum hîc Coburgi movebit. Neque in contrarium forsan obverti debet, siderum à sublunaribus remotissimorum in hæc influxus. Distantiam enim compensat in corpore magno virtutis magnitudo. Nam v. g. stella primæ magnitudinis magnitudine terram superat centies septies. Ut mirum non sit, si in consensum trahantur influxus efficacissimi subjecta capacia. Tantam autem efficaciam quis partibus exiguæ quantitatis à corpore nostro avulsis & transplantatis tribuat? 5. Si vel maximè sanguis, qui divinitatis quendam characterem sibi impressum habet, transplantationis negotio adhibitus sympathiam cum toto habeat, an ideò etiam pilos, ungues, & alia excrementa sympatheticum cum toto commercium habere, affirmabimus? 6. Habeant partes divulsæ ad se invicem sympathiam, quid ea propterea faciet ad morbos corporis? Magnetis vitium non curat ferrum, licèt sympatheticè ad eum feratur: nec magnetis pars separata & aliò traducta, quomodocunque etiam disponatur, vitio totius medebitur.

§. 63. (2.) *Ab Atomis, Solis & lucis calore, poris & effluviis corporis* ratio transplantatoriæ curæ peti nequit, quia 1. atomi & effluvia nullum habent certum motum, sed ad aeris motum hinc inde inordinatè moventur, & proinde quò longius à se invicem æger & res transplantata distant, eò difficilius ad ægrum atomi transferuntur. Occurrente quidem contrario corpuscula similia sui generis, ut in tonitru ac fulgure videre est, se congregant, quam primum verò è corpore egrediuntur, hinc inde vagantur. Nullum eadem habent rectorem, qui ad determinatum locum, & quidem per ambages, propter intervenientia in via impedimenta varia, & quidem sola, non permista cum aliis aeri inhærentibus effluviis ad ægrum deducat. 2. Exiguæ sæpe cùm sint qualitatis res è corpore transplantatæ, morbus autem satis magnus, quis atomis è rebus istis exhalantibus tantam agendi virtutem tribuat, quantam medicamenta intus etiam exhibita, sicque affectæ parti ferè ipsi admota, non obtinent.? 3. Virtutem medicam rebus transplantatis à brutis, vegetabilibus, vel elementis communicari, quæ cum atomis ad ægrum corpus deferatur, à ratione longè alienum est. 4. Sint atomi

operosæ, lucis calor efficax, pateant pori, corpusque effluvia fundat, hæc ipsa tamen potius in aere libero, quàm in corpore ægro conveniunt, & operationum suarum specimina ibi edunt. 5. Cùm calor omnis instrumentaliter ad actionem concurrat, principale agens requiritur etiam in transplantationis negotio, cujus partes atomi & effluvia tueri & specificationem istam largiri nequeunt.

§. 64. (3.) *Fermento* quidam transplantationis effectum tribuunt. Per Fermentum autem principium intelligunt σπερματοποιητικὸν, & si rectè eorum verba intueamur, id quod aliis non tantum seminale est principium, sed & subordinatarum & accidentariarum formarum subjectum: iique formas rerum numero, non specie, differre, omnem autem differentiam provenire à fermentis ajunt, & quæ specificæ dicuntur formæ radios formæ universalis esse dicunt, qui in cẽtro universalis formæ conveniant & uniantur. Itaque transplantationem morborum sic fieri censet Sylv. Rattray *p. m. 70. quia in sanguine & excrementis, pars fermenti morbifici à canibus &c. comesti destruitur à fermentis eorum fortioribus vel ligatur, & sic affecta ista portiuncula fermenti morbifici à cane comesti, afficitur totum, quod erat in homine, & perit ægritudo. Sic etiam quando vegetabile aliquod, aut ejus semen homini vel particulari membro amicum & morbo ejus contrarium irrigatur, mumia morbi, & terra committitur, ut crescat v. g. in ictero chelidonia, grana juniperi &c. in hydrope absinthium, ebulus, in pleuritide papaver rheas hypericon, in peste scordium, scorzonera, in ulceribus & vulneribus persicaria maculata, panax: illic pars fermenti ligatur vel destruitur à fermentis istarum eam vincentibus, & sic debellatur reliquum ægritudinis in homine.*

§. 65. Verùm, ne hoc tangam, à fermentis differentiam rerum specificam minùs congruè peti, 1. meritò dubitatur, an pili & ungues quæ externæ sunt partes, quibus mediantibus etiam fit transplantatio, fermenti morbifici interni fiant participes? & quamvis fermenti aliquid participent, non tamen causam ipsam suscipiunt, v. g. in ictero ex obstructione vesicæ felleæ orto, licet de bile aliquid participent ungues, non tamen ipsum fermentum, seu causam, quæ est res obstruens, accipiunt. Ergò licet fermentum secundarium (ut ita loquar) transplantetur, atque icterici color pereat, recrudescet tamen malum, quia causa perstat,

perstat, & fermento secundario, à quo tota natura distinguitur, inobediens novam orditur telam. 2. Si fermenti ratione (stante etiam hypothesi de formis & fermentis) in transplantationis negotio fit compassio, quî fit, quòd pereunte fermento morbifico translato, quod exiguæ quantitatis est & virtutis, reliquum in corpore majoris potestatis pereat, & major cedat minori, cùm ne in eodem corpore correcta quadam sanguinis vitiosi parte, reliquæ ejusdem partes consentiant? 3. cùm per medicamenta diaphoretica fiat fermenti morbifici imminutio, & in auram, ubi perit, dispersio, quî fit, quòd post eam translationem, quæ est transplantatio quædam, reliquum in corpore tumultuans fermentum non pereat, sed continuatum medicamentorum usum requirat? 4. Sanguis per venæ sectionem extractus laudabilis & sub rosa sepultus fermentum suum nativum putrescendo amittit, cur ergo non sanguis in corpore compatitur, & computrescit, suumque fermentum amittit? 5. Epilepticum fermentum in malo per essentiam orto in capite tantum reperitur: quî ergò fermentum epilepticum poterit cum excrementis alvi transplantari, & cum fermenti excrementis proprii destructione perire? 6. Cùm continuatio & communicatio operationis inter agens & patiens, quæ à se invicem longius distant, medio quodam intercedente debeat fieri, hoc ipsum etiam in transplantatione quoque ut adsit & indicetur, requiritur. Torqueat domi Conradum colica vel alius morbus, ejusque sanguis, aut aliud quid exhibeatur cani, cujus deinceps in platea oberrantis fermentum partem fermenti alieni, hominis scilicet ægrotantis cum sanguine dati destruat, quid hoc ad ægrum, quem canis reliquit? cujus ope fit illa inter fermentum in corpore ægri remanens, & inter fermentum in canem translatum, & ab hujus fermento destructum conspiratio? Ita consultum foret, ut in Nosodochiorum latrina porci perpetuò alerentur, qui fermentum morbificum in excrementis ægrotantium latens, & devoratum fermento suo proprio destruerent, ægrosque ad sanitatem ita reducerent. Vel eundem ob finem transfusio sanguinis hominis ægroti in canem, ovem vel vitulum esset suadenda.

§. *66.* (4) Helmontius principiis suis conformiter dixerit, in sanguine, humoribus, & excrementis, quæ ab homine in aliena subjecta transplantantur, non perire spiritus vitales, & potestates omnes, sed

manere,

manere, & propterea ad corpus humanum res transplantatas respectum servare, inque iis latere phantasiam (per quam non nisi sensus naturalis intelligi potest) & potentiam ecstaticam, quæ prævia digestione seu putrefactione, inferiorisque harmoniæ dissolutione in alieno subjecto procurata excitetur, & in actum deducatur: excitatam virtute influentiali (quam non soli magneti ad polum se sponte convertenti, sed pluribus aliis inesse posse conjicit) mediante Spiritu universi, quem sympathiæ & dyspathiæ lenonem, confabulatorem, & actionum promotorem vocat, exoticam qualitatem vitiosæ correctricem introducere, peregrinam dispositionem naturæ in ægro cooperantis auxilio tollere, & morbum in corpore ægroto per compassionem emendare.

§. 67. Verùm 1. spiritus vitales in rebus è corpore humano exemtis reliquos manere vix admitti potest. Vitæ enim principio à quo dependent, carent. Potestates, seu vires quasdam remanere conceditur, quia mixtæ sunt substantiæ, diversisque principiis, quæ suis gaudent qualitatibus, constant: qualitates autem hæ vitales non sunt, sumta voce ista in respectu ad vitalitatem humano corpori propriam. Propter ista autem principia, quæ aliis quoque mixtis sunt communia, partes separatas & longè dissitas peculiarem ad totum habere respectum rationi parum congruit. 2. licèt adsit quidam in genere respectus, ex hoc tamen non licèt sympathicum commercium colligere, quia 3. in in putrefactione ille respectus perit, cùm non amplius congruam toti naturam retineat: perit proinde etiam dubia illa facultas influentiis similis per irradiationem agens, quæ 4. licet magneti insit (quo de merito alii dubitant) quomodo probabitur eandem etiam sanguini, & excrementis in alia subjecta translatis inesse? à posse ad esse non valet consequentia. 5. Spiritus mundi, si vel maximè & hic, & influentialis illa rerum transplantatarum virtus detur, nihil nisi spirituale quid addit, à quo non nisi simplex operatio manat: at morbi, eorumque causæ ratione suæ naturæ insigniter variant, quibus removendus impar est simplex illa irradiatio. Spiritum verò Universi irradiationem spiritalem ad perficiendam actionem corpoream pro curatione morborum determinare & restringere quî constat? Plures difficultates ex ante dictis peti possunt.

§. 68. (5.) His, qui *Diabolum* causam transplantatoriæ curæ statuunt,

tuunt, idem, quod Helmontius pro Magnetica vulnerum curatione adducit, opponi potest: Ita ille: *Hoc remedium magneticum nullatenus suspectum reddi potest, cùm nullos ritus habeat, nulla verba, nullos characteres, aut sigilla poscat, ceremonias nullas admistas, aut vanas observantias: non præsupponat horas, non profanet res sacras, imò quod amplius est, ne quidem praexigat imaginationem, confidentiam aut fidem, neque veniam à vulnerato, quæ cuncta curis superstitiosis annexa sunt.* Item quod Autor *Disq. de Sympath. ap. Langenmantel. pag.30.* pro pulvere sympath. proponit: *nullam admittit circumstantiam vanam, nulla verba, characteres nullos, quibus rationabiliter timeri possit Dæmonis opem in adjutorium invocari. Non enim nobis omnis agentium naturalium virtus comperta est, & ea est nostra humanitatis conditio: ut in peccati pœnam plurimarum, earumq; præstantissimarum rerum notitia (quam primus parens habebat) privati simus: sed non propterea nobis vetitum, eam è natura arcanis eruere, atque ex effectibus comparare.*

§. 69. Videant verò hi, qui effectum, cujus causam naturalem invenire nequeunt, ob raritatem admirandam Magiæ mox præcipitante ore damnant, ne Diabolo gratificentur, quod æquè fit detrahendo rebus naturalibus gloriosam à Creatore inditam virtutem, eamque communi omnium hosti deferendo, quàm superstitiosa, quorum autor est, observando. Superstitiosa in legitimorum transplantatoriorum remediorum usu non occurrunt. Superstitio est, cum quis non tantum gestibus, verbis, aut omissionibus, sed & factis aliquid procurare intendit, cujus tamen nulla ratio in libro naturæ, vel scripturæ, aut in Ethicis deprehenditur. Quamvis enim transplantationis ratio, & causa nulla physica afferri queat, per quam effectus solidè, & apodicticè demonstrari queat, ea ipsa tamen, ut diximus, ex analogis & similibus naturæ exemplis probabiliter colligitur. Superstitiosa si transplantationis morborum actui junguntur (jungi ea quandoque non negamus) ea probi meritò damnant. *Multa sunt quidem, in communibus transplantationibus, quæ abesse possunt, quæ sive superstitiosa, sive inutilia nominaveris, sive dolosa, non peccabis, nam sine iis succedet opus æquè feliciter, ac iis absentibus*, ait D. Sophr. Kozack *l. c. p. 514.* Juvenis quidam textoriæ arti deditus mihi Anno 1667. narravit, se, postquam per annum fermè integrum febre laborasset, multaque frustra tentasset, tandem

dem ungues digitorum manuum, pedumque resectos sambuco perforatæ die parasceves indidisse, & foramen obturasse, sanitatemque recuperasse. Sed superstitiosa fuit illius diei observatio, propterea meritò damnanda. Sic Dn. D. Schulzius *in Obs. ad Ann. 3. Natur. Curios.* quæ est 89, refert, Matronam quandam contra tertianam simplicem secundùm artis præcepta frustra pugnasse, tandem mulierculæ cujusdam suasu resectos manuum pedumque ungues in linteolo colligatos caudæ tineæ piscis alligasse, & postea halitum ori ipsius ter insufflasse, sed piscem cum verborum quorundam additione à vetula Vistulæ fluvio fuisse immissum: paroxysmum autem febrilem nullum ab hoc remedio Matronam deinceps invasisse. Non transplantatoriam naturalem, sed verè magicam hanc fuisse curam existimo; sufflatio & unguium alligatio illa dicis saltem gratia fuit facta. Ternario numero & verbis admurmuratis virtus realis magicè adscribitur. Exemplum quoque ridiculum tradit Erasm. Francisci im Kunst und Sitten-Spiegel *lib. 4. pag. 1235.* qui videatur.

§. 70. Vixit in vicino pago agricola, qui (ut & ejus filius faber lignarius hactenus) herniam sic curavit. Ægroti pronomen saltem recognovit, & parum capillorum de vertice ejus resecuit, illosque ceræ virgineæ immixtos, maris quidem in pyrum teneram, fæminæ verò in malum juniorem in ultima Lunæ quadra facto foramine immisit, & foramen obturavit. Sed quia verba admurmuravit (hat Wörter dabey gepeppelt / ut nostrates loquuntur) suspecta mihi semper fuit cura, & propter nominis appellativi observationem, & propter verborum adjectionem, quæ in se superstitiosa sunt. Verba ipsa nemo resciscere potuit: Chirurgum quendam pro arte 12. thaleros solvere paratum docere eam renuit, 24. poscens. An autem propter verba superstitiosè adjecta tota cura sit damnanda, dicere non audeo. Solet enim naturalium etiam rerum usum Cacodæmon, superstitionibus & vanis observantiis conspurcare, quique naturalibus utuntur, unius, etiam in se & absolutè ad curam non necessarii ingredientis, omissione, totius robur infractum iri censent simpliciores, & frustrationis metu circumstantiarum earum, quas semel comprehenderunt, nullam negligunt. Periculum esset faciendum ei, qui transplantatoriam illam curam didicerit, annon etiam citra verba, observatis observandis reliquis, herniæ cura eveniat.

eveniat. Observavit idem, hoc suo curandi modo facili celebris & à multis curandi causa vocatus 1. ægri ætatem, in infantibus, pueris & adolescentibus spem curationis meliorem esse, quàm in senibus notavit. Virum quendam seniorem herniosum dicto quidem modo curare tentavit, sed frustra. Dolores tamen, quibus antea frequentissimè fuerat correptus, hactenus non recruduisse æger ipse mihi narravit. 2. ætatem arboris. Nam in adulta & vetusta arbore facultatis augmentativæ non amplius participe effectum non esse sperandum edixit. 3. Malum ipsum si recens sit, faciliùs, difficiliùs contrà inveteratum sic curari. 4. Tempus anni vernale & autumnale, quibus arbores feliciùs incrementum capiunt, reliquis prætulit. Reliqua me latent. Vir quidam in pago Uzig/non procul à Staffelstein morborum transplantator famosus par conjugum phthisi laborantium curare aggressus, ungues digitorum pedumque eorum abscissos postulavit, & in arborem cum paxillo adjectis certis verbis intrusit, dato insuper hoc prognostico: Si arbor hoc facto exarescat, spem inde affulgere reconvalescentiæ: si verò in vigore maneat, hoc ipsum signum fore lethalis morbi arte omni majoris. Ægrotantium rem actam Confessionario Evangelicæ Religionis postea referentium hæc inter alia fuerunt verba: **Der Mann hätte die Nägel mit lauter guten Worten in einen Felbinger-Baum eingepflöckt.** Confessionarius his auditis absurditatem in verbis notatam pio zelo & meritò reprehendit. Maritus post octiduum, uxor autem eodem quoque anno diem obiit suum. An arbor exaruerit, ignoratur.

§. 71. Nasserus *l. c. pag. 203.* ad sputum sanguinis superstitiosum transplantatorium remedium profert. Pes quidam è sella extrahatur, ejusque extremitas superior imbuatur sanguine hæmoptoici calido, & conspergatur lapide hæmatite pulverisato, postea foramini suo intrudatur. Sed has & alias superstitionum ineptias, veteratoris stygii delicias respuunt animi melioribus à sana ratione imbuti, & quæ rei usum legitimum conspurcant, pietatis & ingenii acie resecant.

§. 72. III. Qui spiritui Universi in sympathetico transplantationis negotio primas deferunt, probabiliorem videntur assignare causam. Spiritum Universi ut statuamus, non

tam transplantatoria morborum cura, quàm alia in universo admiranda naturæ opera nos movent, quibus Diabolum se ingerere rationabiliter asseri nequit. Recolemus quædam supra proposita sympathetici commercii exempla.

§. 73. Vinum tempore, quo vites florescunt, in cella turbatur, & fæcem quandam albam spumando in superficie excernit. Sympatheticum hoc commercium nec cœlum, nec spiritus vinosi è vitibus emissi & à vino in dolia attracti promovent. *Non cœlum*, ut Helmontius *de Magnet. vulner. curat. n. 63.* optimè advertit. *Si etenim*, inquit, *cœlum causaret flores in vite, & vinorum in cadis turbulentiam, necesse esset, utrumque annis singulis stato fieri & definito quasi momento, quod falsum est. Nam subinde vitis florescit & turbatur vinum, ante solstitium atque in eadem regione, alio anno longè post: sed paucis minutis exceptis, sol & stella fixa singulis annis ad idem punctum redeunt: ergò vitis floreret, & vina turbarentur eodem semper tempore.* Non spiritus vinosi: siquidem notante Deusingio *in Exam. Pulv. Sympath. p. 479.* turbulentia ista non in regionibus duntaxat vino abundantibus, sed in aliis quibusvis, ubi vitium florentium copia non suppetit, oboritur: & si à spiritibus è vite emissis illa vini effervescentia, seu fermentatio oboriatur, majorem fermentationem vina subibunt in iis regionibus, ubi major vitium copia est præsens, quod tamen non accidit: ac spirituosa vina seu magis generosa faciliùs, spiritu copiosiore accedente ad fermentationem ejusmodi excitabuntur, quàm oligophora quæ dicuntur, seu minus spirituosa, cui contrarium deprehendi ait. Deusingius generalem causam adducit, aeris particularem dispositionem, quæ tali anni tempestate oboriatur, sed quæ illa dispositio sit, in quo consistat, quid eam inducat, quomodo effectum operetur, curiosiùs non explicat, quali tamen curiositate in examine rationum Illustr. Digbæi per τὸ quomodo sæpissimè utitur. Fermentalem quidem vocat istam dispositionem, dum is nempe tepore ac substantiæ modo concitando spiritui vini appropriatis in seipso agitatur. Verùm quis ille substantiæ modus? annon anomalia aeris frequens, situsque cellarum varius? quippe hæc profundior, illa minus profunda, illa ad septentrionem spectat, hæc ad meridiem, &c. & tamen turbulentia vini efflorescentiæ vitis egregiè respondet, in tantum, ut notante Digbæo vina sub diversis climatibus,

matibus, latitudinisque gradibus nata in loca remota delata loco nihilominus natali respondeant, & citiùs tardiusque ferveant, prout unaquæque vinearum, ex quibus proveniunt, in solo natali citius vel tardius florere incipit, ut adeò vitis atque vini correspondentia insufficientiæ causam illam satis arguat. Itaque quæ illa dispositio sit, & quomodo inducatur, explicare æquè grave fuerit Deusingio, quàm mihi, si ex me quæratur, quomodo spiritus universi cuncta permeans dispositionem à vitibus florentibus suscipiat, ad recondita in cellis vina deferat, eaque ad fervorem incitet. Deusingius quidem pergit & ait: *quemadmodum & aliis anni temporibus, ab aliis causis externis, quandoque eandem excitari experientia testatur; ut si in cellam vinariam inferatur, atque vino apponatur cerevisia recens, eaq; fortior imprimis, quæ etiamnum fermentetur.* Annuo his, sed propterea causam istam non rejicio, siquidem unius rei plures possunt esse causæ. Cum ergò nec spiritibus vinosis, nec cœlo, nec aeris tepori commercium illud sympatheticum sit tribuendum, malo hoc loco ad spiritum universi confugere, qui, cùm omnia subeat, nullos agnoscit limites, cumque fermentales dispositiones suscipere, & late propagare queat, dato subjecto ex sympathetica natura ad recipiendum istas apto, hoc ipsum alterare & mutare potest.

§. 74. Sit aliud. Excrementis hominis recentibus prunas candentes vel cineres calidos injectos inflammationem, tenesmum & pustulas excitare non Anglis & Gallis tantùm, sed & Germanis, atque ex his nostratibus etiam est notissimum. Deusingius *loc. cit.* effectum hunc, quòd vires naturæ excedat, Magiæ superstitiosæ, h. e. Dæmonis operationi tribuit. Vires naturæ autem id excedere censet, quia ratio effectus illius solida assignari nequit: Quam autem Illustriss. Comes Digbæus subministrat, suas habere difficultates, illius nullitatem indicantes, operosè ostendit. Verùm consequentiæ hujus imbecillitatem jam supra deteximus. Non enim si Paulo, Conrado, aut Titio causa vel ratio non patet, effectum ipsum naturæ vires excedere, & à Dæmone procedere præcoci lingua asserendum, imò ne Concilio quidem Oecumenico è Philosophis collecto tale quid nudè statuenti foret assurgendum: siquidem analogiam in aliis naturæ operibus occurrentem, si

non apodicticam, probabilem tamen rationem suppeditare, & à superstitione liberare ista diximus.

§. 75. Refert Illustriss. Comes Digbæus de excrementis infantis cujusdam, quæ cineribus à nutrice imprudente tegebantur, atque in ignem projiciebantur, unde infantulo bellulo tenesmus, dysenteria, & febris sit oborta, inque ano pustulæ plures, & podex quasi excoriatus deprehensus. Parentes Viro Illustrissimo causam in cineres calidos rejicienti fidem dederunt, eidemque consilium medicum subministranti obtemperarunt. Deusingius originem hujus mali non cineribus calidis vel excrementis in ignem conjectis, sed animo parentum prono saltem ad superstitionem ejusmodi promptissimè admittendam, ceu causæ sine qua non; tum verò superstitioni ipsius Illustriss. Viri, qui id, quod frivolum omninò atque indignum metu, ceu causam mali futuri jam ante circa infantem apprehenderat, tribuit. Superstitiosam sollicitudinem Viri circa illum infantem occasionem præbuisse, ait, Cacodæmoni permittente Numine suas fraudes, suamque operam miscendi, dum objecta capacia & ad superstitionem admittendam prona parentes offenderet.

§. 76. At si eam Dæmon ob parentum proclivitatem saltem ad superstitionem & actualem Medici superstitionem à Deo insontem infantem lædendi, & influxum particularem exercendi accepit licentiam, quis erit permissionis & læsionis finis, cùm non proclivitas tantùm, sed & ipsa superstitio ubique vigeat? Parentes ipsi causæ veræ hactenus ignari, in infante eadem vel similia mala sæpe deprehenderunt, & à Viro Magno causam recognoverunt. Vir Illustrissimus opinione singulari, quæ causa naturali nititur, imbutus, infantem incommoda ista sæpius, & jam gravius perpessum fortunâ accedit, causamque exponit: cur ergo superstitiosi audiant utrique; cur infans proclivitatis Parentum ad superstitionem & superstitionis ipsius advenæ pœnam in corpore suo luere, ac Dæmonis insultus toties totiesque, quoties nutrix excrementa infantis ex errore cineribus calidis contexerat, sustinere debuerit, hoc fateor, angusto pectoris mei scrinio non capio; capiant quibus amplius est.

§. 77. Illustrissimum Comitem ego in hoc casu maximè immunem dixerim, quia effectum istum vires non transcendere eleganti rationum

tionum non frivolarum apparatu demonstravit. Superstitiosi autem sine ratione effectus natura majores credunt. Rationes dat Vir Magnus à ratione non omni & omnis (receperunt enim eam etiam Viri docti) alienam. Ratione autem qui nititur, quantumvis aliis saltem probabilis videatur, (modò nugatoria non sit) superstitiosorum ordini associari nequit. An ergò, quia causam genuinam & veram Comes Illustrissimus ad mentem Deusingii non assecutus est, superstitionis est arguendus? Vereor, ne ejusdem quoque Deusingius fuerit arguendus, quia apicem scientiæ & sapientiæ se in omnibus assecutum esse, nemo, adeoque nec ipse gloriari, seque in omni causarum naturalium scrutinio verissimam causam indagasse jactare potest. Si verò Illustrissimus Comes à superstitione venit absolvendus, parentes infantis rationibus illius moti non per simplicem narrationem vana credulitate ducti potiori jure erunt absolvendi.

§. 78. Infantis prædicti Parentes Viri Illustrissimi consilio excrementa deinceps in pollubrum aqua frigida plenum immitti, & in locum frigidum deportari curaverunt. *Id quod*, scribit idem, *quoties necessitas efflagitaverat, facere perseverabant. Unde statim malum remittebat, ita ut intra tres vel 4. dies infans optimè habuerit.* Hoc ipsum D. Deusingius multis convellit, & experientiam contrarium docere ait. Et sanè, quod pace Viri Illustrissimi ipsius Com. Digbæi dixerim, non, si à calido ille effectus inducitur, arguendum erit, contrarium etiam effectum à frigido fore expectandum. Nam ad agendum seu effectum inducendum hîc non par est utriusque contrarii ratio. Calidæ particulæ agiliores sunt, mobiliores & magis activæ; frigidæ contra segniores, tardiores & minus activæ. Deinde calidæ excrementorum particulæ vitalitatis quendam characterem in prima coctionis officina acceperunt, ratione cujus sympathetica cum corpore datur conspiratio, quæ non sponte in actum venit, sed à spiritu universi promovetur. At frigidæ excrementorum refrigeratorum particulæ, quia charactere illo destituuntur, simile cum corpore commercium exercere nequeunt. Et si in pluribus natura consequentiæ contrariæ vim eludit, cur hîc eam necessariò exsculpemus! Summus calor destruit naturam. Non tamen vi sensus contrarii colligere licet: Ergo summum frigus erigit & conservat eandem. Curationem autem infantis illius non positivè, sed privativè factam esse autumo,

quate-

quatenus nimirum nutrix cinerum calidorum inspersione nocere, & malum augere amplius non perrexit: hinc natura immissas particulas è corpore poroso extrudente malum sensim remisit. E D.Deusingio jam quæram: Si partium inflammationem Dæmon ad confirmandam superstitionem sic infert, cur, si prunæ candentes excrementis jam refrigeratis injiciantur, eundem Dæmon nòn producat effectum, & in iis pariter, qui, licèt seriùs accedant, vindictæ tamen cupiditate abrepti, ut caculæ noceant, excrementis jam frigidis prunas nihilominus injiciunt, superstitionem non confirmet, cùm in hoc casu æquè, ac in isto, noxiam inferre Dæmoni sit facile, & spiritus hic in omnes propagandi superstitionem occasiones omni studio incumbat?

§. 79. Consensus microcosmi cum macrocosmô exempla varia supra §. 49. dedimus, ut cum v. g. prægnans fœtui, fragi, rosæ, aut mali punici signum imprimit, quod illis in macrocosmo quotanis reflorescentibus annuatim etiam ratione existentiæ, quantitatis & coloris in infante nato respondet, iisdemque conspirationis evidentissimum subministrat. Prima quidem conformationis causa in fœtu imaginatio est, sed quæ causa sit conspirationis cum macrocosmo, quæstio est maximè ardua. Non ea est imaginatio, per quam fœtui character singularis fuit impressus: infante verò excluso nihil juris amplius in eum matris imaginatio habet. Nihil ad id confert nati imaginatio, quia etiam hac quiescente signum nihilominus mutationes patitur. Cœlum non potest esse genuina & principalis conspirationis causa, licet ratione anomaliæ in aere excitatæ aliquod symbolum conferre queat: siquidem cœli influxus est universalis & indeterminatus, non magis in pedes, minus in manus aut brachia influit: aut non minus in hanc cutis partem, magis in illam agit. Effectus autem determinatio in vegetabilibus oritur à specifica rei cujusque vegetabilis forma, quæ influxu cœli adjuta, ad florum, foliorum & seminum elaborationem se definito tempore accingit. At forma vegetabili corpus humanum destituitur, adeoque eo caret, quod in modum vegetabilis influxum cœli certo tempore suscipere & figuram vegetabili conformem producere queat. Non vegetabile in flores & fructus erumpens influit, & in sympathiam trahit id, quod in homine enatum alicujus in regno vegetabili similitudinem refert. Externa enim figuræ similitudo nihil ad influentiam &

sympa-

sympatheticum commercium facit. Planta etiam tota essentia differt ab hominis, & quidem ejus partis natura, quæ similitudinem externam habet: hæc enim constat carne, cute, venis, arteriis & nervis propriè dictis, quæ in planta non dantur.

§. 80. Existimarim ego in formatione signi per phantasiam matris fœtui impressi spiritum mundi concurrisse, & quasi auxiliatrices manus formatrici porrexisse, ita ut cum ea secundum ideam matris conceptam agens vim quandam vegetabilem analogam impresserit heteroclitæ parti, Proinde vegetabilibus in macrocosmo ab influxu Solis vigorem recuperantibus, spiritus idem cum omnibus naturalibus concurrens, sui quoque vigoris potestatem exerit, & qua ratione, ac quo tempore efficax est in hac vegetabilis specie, eandem etiam in analogam speciem, cujus ipse concausa fuit, influit, & conspirationis argumentum edit.

§. 81. Illum pilorum abscissorum cum vivente consensum, quo de §. *47.* diximus, quid promovit? Non consensus nudus qua talis eam canitiem & calvitiem invexit. In ea distantia quando pili abscissi cista inclusi fuerunt, nulla irradiatio & communicatio particularum sympatheticarum fieri potuit. Et irradiationem ac communicationem talem à capillis fieri, nondum est evictum. Sympatheticam autem irradiationem, qualis inter polos & magnetem reperitur, hic occurrere, longè difficiliùs confirmabitur, Canitiem ex temperamenti corporis & sanguinis, qui pilos alit, mutatione accidere certum est, eaque secundum Aristotelem *5. de Gener. Anim. cap. 3.* ex inopia humidi calidi pinguis h. e. humidi alimentalis oritur. At quî mutatio & inopia similis & in abscissis & in superstitibus capillis eodem tempore oriri potuit, cùm pilosa illa cutis detruncata & exsiccata omni sanguine, & humido alimentali dudum fuerit destituta? citiùs stante ista ex communi sententia causa, ad calvitiem & canitiem capillitium illud exsiccatum, quàm vivum & sanum caput debuisset pervenire, nisi alia adfuisset causa utrisque communis, quæ eadem actione eundem influxum in capillitium vivum & non vivum præbuit, & utrumque alteravit, nimirum spiritus universi.

82. Philtris amorem naturalem posse conciliari supra *pag. 819.* demonstravimus. Amans verò non præsentem tantùm amore prosequitur, qui, sicut antipathia per effluvia inimica, ita hic per amica ef-

fluvia quandoque excusari potest, sed & absentem & maximè distantem, ubi effluviorum amicorum communicatio locum non habet. Quid naturalem illum consensum promovet & actuat, ut invitus etiam non possit non amare absentem, quæ philtrum dedit, eidemque adesse cupiat? Neque hic spiritum Universi exclusum velim.

§. 83. Ursorum pinguedinem latebrarum tempore exundare, & exundantem ac intumescentem vasa implere ex Aristotele & Theophrasto notat Petrus Servius *l. c.* Nollem causam ad atomos in aere luxuriantes referre, cùm eadem atomorum in aere luxuria etiam extra hybernum tempus frequens sit, & pro ratione graduum diversa: neque tamen eadem vel gradualis exundantia reliquis anni temporibus observatur. Ut proinde & hic ad spiritus Universi eundem in utraque subjecta, ratione naturæ convenientia, influxum confugere malim.

§. 84. Hæc & similia citra Dæmonis adspirationem in natura emergentia opera cùm spiritum Universi, seu animam mundi satis prodant, & probabiliter doceant, probabiliter etiam hinc colligimus, eandem quoque ad morborum transplantationem concurrere, conspirationis negotium inter rem à corpore ægroto aliò transplantatam & corpus ægrum ipsum actuare, ac facta mediante subjecto, sive hoc sit brutum, sive vegetabile, sive elementum, in transplantato alteratione, alterationem etiam in ægri corpore producere, & ut natura felicius postmodum morbi onus deponere queat, efficere; quamvis modum, ut in istis, ita & in hoc, non intelligamus; difficultates autem quasdam, quibus & hæc sententia implicari queat, prævideamus. Modus & hic nodus, qui si ingenii acie solvi nequit, non Dæmonis manibus, quasi non nisi his solvi queat, relinquendus. Multos naturam modos insolubiles nobis ostendere supra vidimus, quos tamen ob id, quod ratio modum solvendi nesciat, stolidè Magico gladio solvendos tradideris. En duos superaddimus nodos.

§. 85. Gravidarum imaginatio quandoque ab externo objecto ita movetur & terretur, ut pro ratione perceptionis fœtus in utero, manibus aut pedibus privetur, & sic privatus in lucem prodeat. Quis modum annihilationis ratione sua pervestigabit? Imaginatio specierum mater substantias nec producit, nec annihilat, nec inferiorum facultatum ope id efficere valet. D. Deusingius quidem hujus effectus rationem

nem ingeniosè satis reddere conatur, & ait: mutata partis formatæ dispositione per vires imaginationis mediantibus spiritibus ac humoribus sensim deinceps spirituum ac sanguinis in eam partem influxu pars ipsa resolvitur & dissolubilis redditur, ut continuo sanguinis ac spirituum impetu eadem imaginatione matris protracta sensim dissipetur atque resolvatur, susceptis continuò atomis dissolutis in venas ipsas, iisdemque refluo sanguini permixtis aut partim cum aliis corporibus difflatis. Hoc quidem in eo casu, ubi post imaginationis matris consternationem amplius commorandi in utero tempus fœtui conceditur, locum habere potest. Sed si brevi post & cito partium in fœtu privatio & annihilatio, ut in sequenti exemplo contigit, fiat, ratio illa expirat, quia secundùm illam mutatio talis tempus & moram requirit. Exempla Helmontius Tr. quem *de Injectis materialibus* inscripsit, recitat. Citabo unicum. *Uxor mercatoris cognita nobis ut audivit, quod uno mane decapitarentur 13. (tempore Ducis Albani contigit Antvverpiæ) ducunturq; inordinatis appetitibus prægnantes, statuit spectare detruncationes. Adscendit ergo cubiculum familiaris sibi viduæ in foro morantis, visoq; spectaculo statim illam adorsus est dolor parturientis, peperitq; maturum infantem cruento collo, cujus caput nusquam apparuit.*

§. 86. Alter nodus hic esto. Pueri canibus instar equitum insidentes adultiores & equites facti, equi etiam ephippio benè muniti dorsum ad exulcerationem usque facillimè atterunt. Sie drücken die Pferd / ait vulgus. Et hoc experientia cognitum pluribus est notissimum. Oedipus sit, non Davus, qui rationem hujus & illius dederit. Adeò multa sacro involucro tegit Natura, eaque, præsertim agendi modos mentis acies etiam perspicacissima cernere, imò saltem conjicere nequit. Si enim non res ipsæ & qualitates non omnes, à quibus in naturalibus scrutinii & cognitionis fit initium, incurrunt, quî agendi modos, præsertim si agens sit spiritus, percipiamus? An ergo propterea naturalis operationis, quia incognita est, honorem Cacodæmoni deferemus.

§. 87. *Dari* autem *Spiritum Mundi*, Archæum universalem, sive Animam mundi, & *Mundum esse animatum*, *non est sententia pridie, vel hodie demum inventa*, *sed inter Philosophos veteres dudum floruit, neque (si rectè capiatur) adeò inepta est*, *ut vulgo putatur*, verba sunt

 M. J. Mi-

M. J. Michael Schvvimmeri Collegii Philos. Jenensis Adjuncti, *Tract. Phys. Dissert. 2. membr. 2. theor. 21.* quæ nostra quoque facimus. Plato in Timæo & alibi Mundum anima quadam informari, quæ singulas ejus partes moveat, & gubernet, quæque à mundi mole sit distincta, scribit. Marsilius Ficinus *libr. 4. Theol. Platon. cap. 1.* animam mundi ubique per terram & aquam ait spiritualia & vivifica semina in se continere. Aristoteles quoque non obscurè Animam Mundi prodit *lib. 2. Phys. c. 2. l. 13.* dicit, cœlum animatum esse, & habere motus principium manifestum esse, quòd habeat sursum, & deorsum, dextrum & sinistrum *lib. de Mundo cap. 5.* *Terram etiam omnem*, inquit, *omne mare, atherem, Solem, Lunam, & postremò totum cælum vis una per omnia pertinens, certo ordine descripsit, concinneq; digessit.* Potentiam hanc eodem capite naturam vocat, à qua omnia animam ducere, & animantia animam habere dicit. Naturam hanc sociam Deo non rarö jungit, ut quando Deum & naturam nihil frustra facere inculcat. Aristotelis vestigia alii etiam Philosophi, teste Piccolomineo *libr. de Mundo cap. 30.* legerunt, ut Themistius, Simplicius, Averroes. Augustinus, Hieronymus, Thomas Aquinas & Scotus etiam mundum hunc animal vocarunt aptissimè, ait Bodinus *Theatr. Natur. lib. 5. pag. 553.* quorum etiam loca in margine ibi citat.

§. 88. Quamvis autem non eadem omnium, qui Animam Mundo tribuerunt, fuerint circa eam animi sensa, ex his tamen sententiæ hujus antiquitatem colligimus, ejusdemque Animæ existentiam in primis Philosophiæ incunabulis fuisse deprehensam advertimus. Quæ recentiorum circa eandem sint placita, recensere hujus loci non est. Eleganter de eo disserit M. Henric. Heidenfeldius *Animadv. Analytico Didacticar. in libr. 10. cap. 3.* ubi ait: *Nos animam quidem Mundi propriè dictam & spiritum, qui ejus forma sit informans nulli admittimus: interim tamen spiritum aliquem mundi, ceu communem quodammodo corporum naturalium sic adstruimus, ut simul & quod sit, & quid sit, pateat. Datur nempe spiritus omnium mineralium, plantarum & animalium insitus, qui certè cum citra tum per eorundem corruptionem indesinenti effluxu aeri caterisq; elementis communicatur: cui ἀνάλογον quid & astris inesse, ex eo demonstratur, quia secus eorum influxus non reciperetur à mistorum natura: h. e. absque homogeneitate spiritus insiti non sibi constaret necessarius recipiendi*

piendi vigor atque modus; vi hujusmodi spirituosi effluvii & pluviæ, & vento, & terræ inest vis fœcundandi & fovendi plantas cum animalculis.

§. 89. Animam hanc seu spiritum per omnia diffusum nos quoque agnoscimus, hujusque vestigia in variis naturæ operibus reperiri diximus: hujus commercio etiam morborum transplantationem, & conspirationem rerum à se invicem dissitarum, sed sympatheticè inter se, & ex natura sua convenientium fieri existimamus. Spiritus hic ζωτικὴν καὶ ἐνεργητικὴν δύναμιν habens, data in materia dispositione debita variis putredinis & caloris cœlestis gradibus introducta seipsam insinuat, eamque actuat & vivificat: hinc natalia rerum sponte ortarum, ut & insectorum, & aliorum viliorum animalium petimus. Quo ipso tamen generationem traductivam & specificas specierum formas non tollimus.

§. 90. Ita à posteriori saltem spiritum hunc venamur: à priori eum indagare, ejusque essentiam manifestam reddere ratio humana nequit, cui teste Scaligero nulla prorsus forma planè plenèque cognita. *Et hic fortè ille spiritus est,* inquit Patritius *Discuss. Peripat. tom. 2. lib. 6. qui apud Mosen ferebatur super aquas: & qui apud Virgilium, spiritus intus alit.* Imò hunc spiritum eundem esse, quem Moses aquis incubuisse dicit, Dn. D. Joan. Ludov. Hannemannus *Libell.* quem inscripsit, רוח *Mundo restitutus*, probat. Ibi quoque quædam ad aperiendam difficultatem sympathiæ & antipathiæ tradit, quæ, quia institutum nostrum illustrant & confirmant, adscribere placet: *Universalis,* inquit *pag. 64. mundi spiritus ex quolibet corpore elicit quasdam atomos & subtilissima effluvia, quorum egressum Medici insensibilem transpirationem dicunt. Hæc elicita effluvia vel atomi sui corporis tincturam sympatheticam in se retinent, & ita consensum cum illo corpore habent, ex quo per archæum elicita, & si ita hæ atomi vel effluvia afficiantur, totum illud corpus simul afficitur. E. g. si inuratur stercus hominis adhuc calens ferro ignito, tunc hæc inustio scabiem in natibus facit; si coquatur & igne assetur alicujus hominis sanguis, malè habebit homo, præsertim si sanguis adhuc caleat, & ita igni apponatur. Ipse mundi spiritus, qui omnium anima, & natura naturans, omnibus inest, & in omnia influit. Si aliquid jam avellatur ab aliquo corpore, tunc illa pars avulsa adhuc in se habet universalem mundi archæum, qui per atomos & effluvia adhuc suum consensum habet cum priori corpore, à quo illa pars avulsa. Quod ergo parti avulsæ accidit, hanc contingentiam*

per atomos imprimit mundi archæus in suum archæum, qui adhuc corpori inest, & ita illa contingentia, quæ fit archæo partis avulsæ, fit quoque archæo per momentum corporis vivi, patitur ita corpus ex impressione archæi Universalis. Hactenus D. Hannemannus.

§. 91. IV. Quamvis Transplantatio morborum sit naturalis, ejus tamen usus sit rarus, & circumspectus in hoc sit Medicus, propter metuendum tum scandalum, tum periculum animæ, tum detrimentum famæ, & existimationis. Multos passim Practicos eum curandi modum nec latere nec damnare novi; rarò tamen eo jam utuntur, quia vulgus imperitum ejus rationem non capit, cumque absurdum eidem videatur, posse inter distantia & absentia citra contactum corporeum actionis communionē intercedere, superstitionis magicæ fraudes subesse suspicatur, & propterea Medici famæ & existimationi maculam adspergit, idque eò faciliùs, quò acriùs Viros alios rerum naturalium scientia non perfunctoriè imbutos in magneticam curam insurgere, & ad orcum eam relegare percipit. Tempus tamen futurum spero, quo occultior hæc Philosophiæ & Medicinæ pars magis exculta in usum istam medicinam trahendi sine famæ damno liberiorem concedet licentiam, pervestigata magis transplantationis natura, quomodo, quando, quæ in subjecta &c. fieri illa debeat. Pulverem sympatheticum damnat Dn. D. Libavius *Part. 1. Apoc. Hermet. cap. 22.* At verò non infimi subsellii Viri integritatis laude conspicui, & à superstitione alienissimi vim illius pulveris naturalem esse etiamnum statuunt, ejusque patrocinium suscipere non verentur: quidam licèt in usum istum non trahant, non tamen rejiciunt. Sic Excell. Dn. D. Straussius *in Respons. ad Exam. Pulv. Sympath. D. Deusingii. Ego quidem,* inquit, *nunquam usus sum pulvere illo sympathetico, nec unquam Armario, qui valde his in rebus sum incredulus, nec tamen rejicio.* Medici ergo prudentis fuerit, ut famæ suæ consulat, præsentibus simplicioribus, à docto alio contrarium sentiente aliter informatis, negligere magneticam curandi rationem. Ita etiam scandalum cavet; quamvis hoc, quia cura naturalis est, acceptum saltem sit. Mihi his praxeos meæ annis, qui viginti superant, non nisi ter, dictam ob causam, transplantatoriæ curæ effectum experiri placuit, & quidem

dem in Georgio Thüncklein Tectore, tumore hydropico toto corpore laborante. Urinam ejus recentem vesica suilla conclusam in camino suspendi curavi, omnemque remediorum usum interea, ut vis remedii extraordinarii evidentior fieret, negligere jussi. Tumor sensim remisit, & corpori tandem valedixit, cum admiratione non ægrotantis tantùm, sed & habitantis in vicinia balneatoris, qui propterea in remedium sæpius, sed propter silentium ægro impositum, frustra inquisivit. Eundem autem post aliquot annos denuò hydropicum factum idem remedium, id quod prædixeram, fefellit. Urina enim, quæ in primo casu citrina erat, jam rubore saturata, & corpusculis salinis cum fæculentiis tartareis copiosiùs imprægnata (erat aliàs æger atrabilariæ constitutionis) lienis δυσκρασίαν arguebat, quæ finem vitæ dedit. Virginis cujusdam febre intermittente tertiana laborantis urinam calidam in paroxysmo redditam gallinæ famelicæ cum pane mistam exhiberi curavi. Febris recessit, gallina autem de vita decessit. Simili autem morbo alium laborantem similique remedio utentem effectus similis destituit.

§. 92. Periculo etiam anima præpropera ista curatione exponi potest: siquidem veterator stygius, spiritus ille malignus, absurda & superstitiosa sua, quasi sint spiritus universi, apud rudem plebeculam, quæ vera à falsis, naturalia à supernaturalibus, distinguere nescit, venditare, & incautos in Magiæ illicitæ devia facilè abripere, animos etiam teneriores hactenus securos tandem dubitationum, & hinc tentationum retibus implicare potest, delineata ob oculos utriusque, transplantationis & actionis magicæ convenientia, rationumque pro ista allatarum nullitate. Quibus etiam in morborum transplantatione dubius est circa causam animus, istam planè fugiant, & tutius, ordinarium nimirum remediorum è Pharmacopoliis à Medico præscriptorum usum eligant. Nam *nil dubitante conscientia fiat,* Regula est Conscientiæ informatrix prima apud Dn. D. Danhauerum *Theol. Conscient. pag. 262.* Secunda hæc est: *In dubiis præeligendum tutius.*

§. 93. Ex dictis etiam patet, prudentis esse Judicis, mota circa actionem, quæ Magica primo auditu censetur, dubitatione vel controversia, non suum judicium interponere, sed Philosophi naturalis requirere, ne zeli & judicii præcocis tempestate abreptus innocentis famæ & vitæ

vitæ damnum nullo pretio reparabile inferat. Damna absentibus immitti, & Sagis, quæ fascinum Diaboli ope intulerunt, inferri, & ut fascinum tollant, citra Dæmonis adspirationem cogi posse, ex amicorum literis ad me exaratis ostendere esset facile, sed ea supprimo. Hoc saltem jam in fine in confirmationem dictorum addo, quod Dn. D. Gabriel Clauderus *in Disputat.* sæpius *alleg.* §. 55. tradit: *Magnifici Dn. Præsidis* (Dn. D. Michaelis) *constat experientia, aliquem ita mediante alvi excremento tractatum proprio suo stercore posse efficere,* (*sine omni tamen fascino & superstitione*) *ut illi nequam aut venefico omnia adsumpta sapiant amara, donec veniens commissum fateatur & deprecetur.*

Tantum de præsenti quæstione, de qua judicium meum liberè salva cujusque autoritate & sententia tuli, meliora docentem sequi semper paratissimus.

APPEN-

APPENDIX.

SUperavimus tandem propitio Numine hoc mare, & cum hoc in flumen ad portum abeunte, nos quoque contra- ctis majoribus velis ſenſim abimus. Flumen appendix præſens eſt, quam ſupra *lib. 1. Part. 2. Sect. 2. cap. 10.* §. *2.* indicavimus. Dionyſius Synopenſis cùm longiuſculum quendam perlegeret librum, & jam ad extremum in eo caput veniſſet, vacuam oſtendens auditoribus chartam, dixit: *Bono eſtote animo, terram videmus.* Nobis etiam in conſpectu imò in præſentia eſt litus, & ſi placeret, hoc ipſo in loco ceu prima ſta- tione pedem navicula efferre poſſemus, ſed nos fluminis hujus ductum ſecuturi ad portum ipſum tendemus. Datam proinde citato in loco fidem jam liberabimus, & ſequentia pertractabimus membra.

I.

Magnum eſſe ubique Dæmonum numerum.

§. 1. ANgelos ab integritatis ſtatu, in quo à Deo erant conditi, benè multos defeciſſe, conſtans eſt omnium ſententia, idque ex va- riis eorundem ordinibus, quos ſacer codex *Matth. 12. v. 24. cap. 17. v. 21. Luc. 11. v. 26. Epheſ. 6. v. 12.* in genere indicat, patet. In ſpecie au- tem Dæmonum ordines ſcriptura non revelavit. Marcus apud Michae- lem Pſellum, Philoſophum Conſtantinopolitanum *de Natur. Dæmon.* Dæmonibus plenum eſſe dicit aerem, & qui ſupra nos eſt, & qui nobis circumfunditur, plenam etiam terram, plenum mare, plena denique ima ſubterraneorum loca. Idem ſex in univerſum genera aſtruit, quæ vide ſis ſupra *libr. 3. Part. 4. Sect. 2. cap. 1.* §. *8.* Corn. Agrippa *lib. 3. Phi- loſ. Occult. cap. 18.* eos non ſecus ac bonos Angelos in novem diſtinxit ordines, ac Petrus Thyræus *lib. de Loc. infeſt. Part. 1. cap. 6.* §. *3. pag. 26.* in tres Hierarchias & novem choros.

§ 2. Sed hæc omnia ſunt incerta, uti & numerus eorundem eſt incertus. In maximo tamen numero ſpiritus malignos eſſe extra dubitationis aleam ponunt Sacrarum literarum cuſtodes omnes. Unius miſeri hominis à Dæmonibus obſeſſi exemplum *Marc.5. Luc.8.* magno nobis poteſt eſſe argumento. Iſti à Chriſto interrogati,quòd eis eſſet nomen? reſponderunt: Legio. Legio autem ex ſententia communi ſupra ſex mille, ſexcenta, ſexaginta ſex; ex ſententia Janſenii *in Evang. Concord.* apud Thyræum *loc. cit.* & hujus judicio, rectius 12250. continet.

§. 3. Caſp. Schottus *Phyſ. Curioſ. lib.1. cap.4.* numerum Angelorum omnium tam bonorum quàm malorum ſimul ſumptorum majorem eſſe numero omnium hominum, qui ſunt, fuerunt & erunt, probare laborat modo, quem ſuo loco, videndum, & quia non conceſſo fundamento nititur, doctioribus ventilandum relinquimus. Neque noſtrum faciemus illum Aſcetæ cujusdam calculum apud Joh. Adam Weberum *de Arte diſſerend. font.63.* qui Angelorum damnatorum numerum ſic indagavit: S. Brigittæ revelatum eſt, numerum Angelorum ſic excedere numerum hominum, ut unicuique homini decem poſſent in cuſtodiam deſignari: quam revelationem Eccleſia ſuscipit, & Vasque egregius Societatis Jeſu Theologus vero ſimillimam cenſet. Jam verò probabile eſt, univerſum numerum hominum conſurgere ad 30. vel 40. millia millionum, quorum unicuique ſi decem Angelos aſſignaveris, pertinget Angelorum numerus ad trecenta vel quadraginta millia millionum. Cujus tertia pars è cœlo ob peccatum deturbata & damnata faciet exercitum circiter centum millium millionum.

§. 4. Hoc autem intactum relinquere nolumus, Origenis, Gregorii Nyſſeni & aliorum ſententiam eſſe, non bonum ſolum Angelum, ſed & Dæmonem cuique hominum eſſe attributum. Proinde non abſurdum fuerit ſtatuere, Dæmones eſſe ubique. Non quidem ratione eſſentiæ omnipræſentes eos eſſe dicimus: hoc enim ſoli Deo competit: ſed ratione numeri & motus celeris, omnia ſubitò penetrando, eos ubiq; eſſe aſſerimus. Multipræſentiam, vel ubiquepræſentiam, ſi ita loqui fas eſt, indicat ſumma eorum velocitas, ad quam ſignificandam alæ non minus Dæmonibus, quàm Angelis bonis attribuuntur, & nonnihil quaſi procurat, quia incredibili celeritate, nec medio reſiſtente, nec mole

corpo-

corporeâ impenetrabili impediente in loca remotissima, & inde rursus in alia quæcunque motu quasi instantaneo moventur. Quare B. Lutherus *Concion. in Fest. Michaelis* bene disserit: Das hat euer Lieb offt gehört/ daß der Teuffel allenthalben um die Menschen ist/ an Fürsten-Höfen/ in Häusern/ auf dem Felde/ auf allen Strassen/ im Wasser/ in Höltzern/ im Feur. Das ist alles voll Teuffel. In Compendio cum Tertulliano *in Apologet.* dicam: *Dæmones momento sunt ubique, & totus orbis illis locus unus est: quid ubiq; geratur, tam facilè sciunt, quàm enunciant; velocitas divinitas creditur, quia substantia ignoratur.*

II.

Magnum etiam Magorum & Magarum esse numerum.

§. 1. Omnibus in locis & angulis angeli prævaricatores cùm sint, dominatumque ac principatum ubique affectent, ubique etiam subditos quærunt, eorumque numerum immediatè partim, partim mediatè per Magos, quos ad hoc vi quadam cogunt & adstringunt, augere nunquam non laborant. *Unus autem maleficus vel una venefica vel 500. maleficos efficere potest*, ait Bodinus *lib. 2. Dæmon. cap. 2.* Nec laborem Dæmonis, dolor! destituit effectus ullibi, maximoque in numero semper, & in omnibus terrarum partibus in principatu Satanico subditi pariter fuerunt: proinde Apostolus Dæmones ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας *Ephes. 6. v. 12.* & *Coloss. 2. v. 15.* non malè appellavit. Nolo antiquiorum seculorum memoriam evolvere, & dominatus in Perside, Ægypto, Græcia, & omnibus demum universi orbis locis, etiam in ipsa sede Romana, ut supra vidimus, antiquitatem & latitudinem exponere: intra recentiorum seculorum tempora subsistam. Jesuita à Lapide ex Rescio *de Sectis* refert, esse sectam *Diabolistarum, qui gloriantur, se esse sortiarios, & Diaboli charactere insignitos, quem, ubi vino incaluere, nudata carne ostendere non verentur. Auditum est ex ipsorum confessione, quòd numerus eorum usque ad sexaginta millia in Galliis excreverit.* Voetius *Tom. 3. Disp. p. 610.* Audiamus jam Joan. Filesacum Theologum Pariensiensem. Ita ille *de Idololat. Magica pag. m. 71. f. b. Etiam Magos, Maleficos, Sagas, hoc tempore, in orbe Christiano longè numero superare omnes fornices, & prostibula &*

officiosos istos, qui homines inter se convenas facere solent, nemo negabit, nisi elleborosus existat. & nos quidem tantam colluviem miramur, ac perhorrescimus. Hæc ille. In sola Comensi Diœcesi millenarium sæpe sagarum numerus excedit, quæ ab Inquisitoribus anni decursu examinantur, & sæpe ultra 100. singulis annis comburuntur, ait Spineus *de Strigibus cap. 13.* Quamvis verò tantam singulis annis nedum, singulis in locis fertilitatem sagarum non credam, multitudinem tamen earundem insignem per hæc probasse sufficiat. Nostra ætate Nobilissimus ac Consultissimus Dn. D. Tabor *Dissert. de Tortur. & Indiciis Delictor. §. 42. p. 79.* scripsit, Magiæ maleficium hodie ita denuò invalescere, ut nullum delictum frequentius fores Collegiorum Juridicorum fatiget, & Magistratus ubique conquerantur, se immanitati illius sceleris retundendæ vix sufficere.

§. 2. Neque tamen ex hoc, quia nonnullis in locis altum de Sagarum suppliciis est silentium, locorum ab istis puritatem colligas. Latent enim, tum quia externa pietatis specie quemcunque fallunt, suaque cautè inter tenebras simul ac larvas ad Doctoris infernalis instinctum facinora patrant, & propalata callidè excusant: tum quia Judex vel Wierianis principiis (nempe Scripturam Magiam nullibi damnare ut illicitam; Sagas de Magia exercenda pactum cum Satana nunquam iniisse, sed ex delirio earum confessiones promanasse: nefas proinde esse, ultimô quenquam ob Magiæ crimen supplicio afficere) pertinaciùs inhæret, vel complicum denominatorum autoritate, affinitate ac potentia terretur: aut munerum oblatorum pondere corruptus commissos actus inquisitorios corrumpit, aut ex officio instituendos negligit: vel ipse Magiæ addictus Magorum partes quomodocunque tueri laborat: vel nimio metu, ne in re hominis vitam & sanguinem concernente aberret, inquisitionis viam inire renuit, quia in nullius criminis cognitione & disquisitione faciliùs à tramite justitiæ aberrare judices posse novit, ac in crimine veneficii, Gödelmanno *Tr. de Magis lib. 1. c. 1. §. 1.* teste.

§. 3. Justitiæ autem tubam Judice ad Dei nutum & veritatis tenorem alicubi inflante mira sæpe numero è Sagarum confessionibus complicum denominatorum quantitas resonat. Petrus de Lancre, quem supra citavimus, ad Magorum Sabbatha homines supra 12000. suo tempore confluxisse, atque societatis hujus membrum, juvenculam quandam de

de Sant Pe annorum 17. stellarum multitudini sociorum numerum æquiparasse refert. David Mederus *Concion. 3. de Sagis* hæc habet: Das ist diese Jahr hero schrifft- und mündlich bezeugt worden / daß in dem einigen Ertz-Bistum Trier in die siebendhalb tausend Manns-und Weibs-Personen/ darunter auch viel Münch und Pfaffen gewesen/ dieses Lasters schuldig befunden/ und gestrafft worden. Was ist auch für ein Jammer im Bistum Maintz/ nur im Amt Munich / und unter dem Closter Ammerbach befunden worden? Hat man nicht in die 300. Personen schuldig befunden? Danæus *Dial. de Sortiariis pag. 7.* schreibt / es habe sich das Zauber-Gesindlein offentlich hören lassen/ wenn sie nur einen fürnehmen und ansehnlichen Obristen und Feldherrn bekommen möchten/ so getrauten sie sich so mächtig zu seyn / daß sie wider einen König einen Krieg anheben / und durch Hülffe ihrer Zauber-Kunst so leicht den Sieg wider ihn erhalten wollen/ als die Hunnen durch solche Mittel wider den Sigebertum der Frantzosen König erhalten haben / citante Herman. Samsonio in der ersten Hexen-Predigt. Quantum proximis annis in Suecia in pago Mohra & circumjacentibus aliis dominatum maledictus Princeps occuparit, ex relationibus historicis habemus compertum. Apponam pauca, quæ de eo à testibus fide dignissimis Gothof. Voigtius accepit, & *Deliciar. Physicar. cap. 7.* tradidit: Man befunde nach gehaltenen Examine im besagten Dorff (Mohra) 70. Zauberinnen/wovon man 23. zum Tode verurtheilte / welche alle gutwillig bekandt hatten: Andere die schwanger waren/ und ihre gethane Bekanntniß wieder geläugnet hatten/wurden nach Faluna geschicket / woselbst sie aber meist nacheinander sind getödtet worden. Et paulò post: Die Zahl der Kinder / welche von den Zauberinnen sind verführt gewesen/ ist ungefehr dreyhundert. In Italia, Gallia Spiritus familiares frequentissimi cùm sint, ut scribit Nicolai *de Magic. Action. c. 3. Exerc. 3. §. 16. n. 5.* aliis quoque in regnis eos foveri hoc ipso non negatur: at verò latam per eos viam incautis & superstitiosis ad Magiam apertam sterni, quis dubitabit? Plura ex pluribus, cùm de Lectoris in hoc puncto consensu dubitare nolim, congerere fugio. Curiosiùs etiam hîc, plures ne Sagæ seu malefici in Germania sint, uti quidem Autor *Cautionis Criminalis Dub. 2. pag. 3.* existimat, an verò alibi, inquirere supersedeo, & viris rerum Politicarum usu & experientiâ gravibus totum relinquo.

III.

Diabolum esse infestissimum DEI & humani generis hostem.

§. 1. Eminentissimus Angelorum ac Archangelorum omnium sapientissimus Lucifer, ut Tertullianus *l. 2. adv. Marcion.* allegante *loc. cit.* Filesaco, eum appellat, quia de erciscundo divinitatis imperio cum suo Creatore agere non erubuit, & spe & spectata sede excidit, atque catenis tenebrarum & dolorum constrictus ad orcum cum suis fuit damnatus. Ex eo juratus & capitalis Dei & humani generis hostis Dæmon factus est, qui gloriæ Dei & mortalium animabus, ut æternùm malè iis sit, quàm maximè laborat, & nihil non vigilantissimè molitur. Primum odii specimen inde usque ab initio edidit, primos homines, quibus felicitatem suam invidebat, in Paradiso sub serpentis figura ad peccatum fraudulenter seducendo; neque ex eo cessavit unquam illorum posteros in promisso & dato mulieris semine deperditæ salutis redintegrationem quærentes seducere.

§. 2. Et jam quoque, præterquam, quòd *ante conspectum Dei nostri die ac nocte nos accusat, Apoc. 12. v. 10. adversarius noster obambulat tanquam leo rugiens, querens quem devoret. 1. Petr. 5. Adversarius,* non unius sed omnium & singulorum: cùm easdem passiones quæ in mundo sunt, fraternitati nostræ fieri ibidem dicat Apostolus. *Obambulat,* hoc studium ejus significat: *tanquam leo rugiens,* cupiditatem & potentiam: *quærens,* industriam & sagacitatem: *quem devoret,* finem, nimirum æternum animarum nostrarum exitium. *Inimicus salutis nostræ nunquam dormitat, & omnia, quæ saluti nostræ obsunt, operatur,* ait Chrysostomus *Hom. 3. in Genes.* Hinc Latimerus in Anglia Episcopus Sacerdotes suos negligentes exemplo Satanæ excitavit dicens: **Es wäre in gantz** Anglia **kein fleissiger Bischoff als eben der Satan /** qui otiosis aliis maximè sit negotiosus, ac proinde illos imitari debere Satanam, qui Deum sequi nolint, Bakius *Exposit. Evangel. Dominic. V. post Epiphan. p. 406.* Non deest Dæmoni *Voluntas,* quia adversarius Dei est, proinde vindictæ in membris Filii Dei exercendæ cupidissimus: *non conatus,* quia pudorem per lapsum exuit, nec Christum in deserto tentando circumvenire formidavit: *non diligentia,* quia nocendi studium ipsi

ipsi proprium, aliumque actum non habet: *non techna*, quia mille artibus est instructus, & in infinita volumina se contorquere novit tortuosus serpens: non occasio, quia eam maligno afflatu corda ad lapsum sua natura prona disponendo, ipse sibi parare novit: *non auxilium*, quia hoc à Dæmonum sociorum & mancipiorum ad inserviendum paratissimorum multitudine habet, qui proinde suis in communi Magorum Synagoga nocendi necessitatem imponit his verbis: *Ulciscimini vos, alioquin moriemini.*

§. 3. Nec aperto semper Marte in Christiano orbe homines aggreditur, sed ut tutius occidat, errorum & superstitionum variarum venenum dulcissimo antiquitatis, receptæ consuetudinis & bonitatis apparentis saccharo obducit, & obvio cuivis, qui delicatioris est sensus, eoque delectatur, lubens porrigit. Gratiam divini nominis odor, qui omnem detestandi abusus fœtorem corrigere creditur, & personarum similibus vanitatibus deditarum societas, commendat. Sed diffusum per animæ potentias venenum sensim, nisi Spiritus Sanctus antidotum subministret, eam internecioni tradit. *Sagittas suas abscondit in pharetra, & laqueos suos abscondit sub specie lucis*, ut loquitur Augustinus *Soliloq. cap. 17. Sagittæ* tentationes & suggestiones sunt; *pharetra* verba & characteres: *laquei* errores: *speciem lucis* sacrorum Dei nominum recitatio parit ignorantibus τὰ βάθη *profunditates* Satanæ, *Apoc. 2. v. 24.*

§. 4. Bonifacius quidem & amicus Dominus suis videtur obediendi & curandi promptitudine, moremque idem in temporalibus Magis gerit & his, qui ad eorum castra inclinant: Sed spe lucri majoris gerit, ut videlicet hos promptiùs alliciat & abripiat, illos verò arctiùs sibi devinciat, & in æterna mala certiùs præcipitet. Morbos sine artis Medicæ præceptis curat, sed ut simpliciores & impatientiores, cum morborum suorum finem non sentiunt, ejus potentiam & clementiam mirati, à vero Deo ad se, à seriis ad nugatoria se vertant, curato verò corpore ipse animam tandem perdat. Solus & verus Bonifacius DEUS Opt. Max. est. Sed *nunquam adepol Diaboli ministerio hominibus benefecit Deus*, ut benè Jordanus *loc. cit. pag. 202.* disserit, ubi elegantia Leonis Magni *Homil. 10. de Passion. Domin.* & Gregorii Turonens. *lib. 6. Histor. Franc. c. 35.* verba subjungit: Illius hæc sunt: *Beneficia Dæmonum*

omnibus

omnibus nocentiora vulneribus, & *præstat illorum odium, quàm pacem meruisse.* Hic porrò ait: *Hæc Diaboli liberalitas est, ut boni nihil ullis hominibus præstet, nisi cum æquali vel majori hominum damno.* Sint sanè, ut Jordanus *p.215.* pronunciat, benefici Septentrionalium Drulli, Ruthenorum Coltkii, aliorum Cobaldi, morbos & pericula non rarò monitione sua avertentes, atrociùs tamen eo ipso lædunt, & mendacium ipsum, ceu venenatam escam & exitialem hamum cautiùs tegunt, velut feles, quæ magno silentio, & levibus vestigiis aviculis obrejunt, prædamque insidiando indefessè sectantur.

§. 5. Nec omnes, nec semper, imò quosdam rarissimè & non nisi in principio fucato benevolentiæ affectu prosequitur, sæpiùs spe vana mancipia lactat. Sagæ cuidam ad ignem damnatæ liberationem ad rogum usque promisit amasius infernalis. Inclamanti inter flammas auxiliique promissi eum commonefacienti respondit: An ne nescis me esse mendacem? Inopiam multorum sublevare promittit, promissa tamen non servat, vel quisquiliis monetæ speciem ad tempus referentibus suos falsarios præstigiatoriè ludificatur. Quot verò verberibus suos sæpe, qui vel nocendi occasionem neglexerunt, vel datis promissis non steterunt, cædit? Propriæ eorum confessiones à Judicibus notatæ abundè verborum gravitatem & alia graviora produnt. Quæ omnia id, quod caput præsentis puncti est, nimirum summam Dæmonis erga Deum & homines hostilitatem probant.

IV.

Diabolum Dei Simiam esse.

§. 1. Ut uberrima hostilitatis suæ semina ad quam plurima; divinæ vero promissionis, fœderisque salutiferi fructus ad quàm paucissima humani generis membra redirent, varia singulari acumine molitus est subdolus veterator, præprimis Deum ipsum imitari voluit, ob id *Dei Simia* vocatus. Quod Germani his exprimunt: Wo unser HErr GOtt eine Kirche baut / da baut der Teuffel eine Capell darneben. B. Lutherus *Tom. 1. Altenb. f. 117.* Der Teuffel ist unsers HErrn GOttes Affe / er hat neben den gebahnten Weg und der Landstraß deß Göttlichen Worts allezeit seine Holtzwege und Fußstege / dadurch er die Leute verführet.

§. 2. Dei Simiam esse constat (1.) *ex Deiformitatis affectatione* siqui-

siquidem jam ante præclarissima præter cæteros Angelos luce & perfectione à Deo Creatore suo donatus, Deo nihilominus æqualis esse quæsivit, eique debitum obsequium solvere detrectavit, ea propter catenis noctis in Tartarũ detractus est: cùm verò ex divinitatis consequendæ appetitu malè sibi æmulationem cecidisse, maximo suo damno didicisset, Protoplastis, ut socios malorum haberet, cogitationes Deiturientes instillavit.

§. 3. (2.) *Ex sanctæ appellationis & venerationis arrogatione.* Sibi enim Dei nomen, & divinitatis fastigium arripit. *Jehova* Dei proprium nomen sibi attribuit, & sub nominibus deflexis aut defractis *Jovis*, *Jao*, *Jacchi*, *&c.* à paganis se coli fecit; sicut & nomen tetragrammaton יהוה, ut gentiles resonarent in sacris suis choreis effecit, sive id sonuit *Jave* vel *Jahave*, ut Samaritani efferebant; sive pronunciarint *Jeheve*, ut Mercerus & Drusius censent, sive *Jehova*, ut præferunt puncta Masoritica, annotante Vossio *de Idol. lib. 2. cap. 14.* Notum est ex Macrobio *1. Saturn. cap. 18.* Apollinis Clarii oraculum, qui consultus: Quis Deorum sit habendus, qui vocatur ἰάω, ita effatus est:

Φράζεο, τ̔ πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν ἰάω.

Cogita summum omnium Deum esse Jao.

Quid autem Jao? quid? nisi Ebræum יה Jah, vel יהוה Jehovah. Dilherrus *Disp. Acad. Tom. 2. pag. 169.* ubi plura legas. Eo vesaniæ infelicissimus Apostata delapsus est, ut etiam à Christo pro Deo adorari voluerit *Matth. 4.* Et hunc captandæ divinæ existimationis & cultus divini fervorem nunquam remittit, sed in Magorum conventiculis, ut se Deum appellent & adorent, suis præcipit. Irenæus *lib. 5. adv. Haret. cap. 24.* *Diabolus quippe Apostata existens Angelus hoc tantum potest, quod egit in principio seducere & abstrahere mentem hominis, ad transgredienda præcepta Dei & paulatim obcæcare corda eorum, qui conarentur servire ei, & ad obliviscendum quidem verum Deum, ipsum autem quasi Deum adorare.*

§. 4. (3.) *Ex fæderum sanctione.* Deus cum Patriarchis & eorum posteris fœdus iniit gratuitum, annexa benedictionis, omniumque bonorum largissimè conferendorum, si in viis Domini ambulaverint, promissione. Diabolus etiam detestandum cum miseris & perditis suis mancipiis ferit fœdus, quo dato sibi à Magiæ Candidatis fidelitatis ju-

ramento rerum omnium abundantiam,& quæ à se petituri sint, promittit, sed ad hoc, ut Deo Triuni renuncient, fidemque Christianam abnegent, jurati Dei omniumque hominum hostes fiant,& maneant, sobolemque suam, quantum possibile, confœderationis reddant participem, mox adstringit.

§. 5. (4.) *Ex Sacramentorum institutione.* Sacramenta Deus, per quæ fœdus confirmat, duo in N. T. instituit, initiationis alterum, alterum confirmationis. Illud Baptismus est; hoc Cœna Domini. Illius typus in V. T. circumcisio, hujus agni paschalis mactatio & manducatio fuit. Pseudotheus Satanas sua habet non tam Sacramenta, quàm excrementa, quibus tanquam Symbolis tesserisque sui cultores sibi obstringit. *Baptismum* habet, in quo suos vel ipse, vel per Magos aqua, vel liquore fœtido è lacuna proxima aut fimeti locis hausto rigat, novumque eis nomen imponit, testibus rerum Magicarum scriptoribus. Petrus Martyr Mediolanensis, *lib. de Insulis nuper inventis*, narrat apud Cempoalanos Barbaros, anniculos pueros puellasque quibusdam ritibus & ceremoniis sacris baptizari à Sacerdotibus in templis,aqua ex urceolo capiti eorum in crucis formam superinjecta, verba quidem non percipi ille scribit, sed duntaxat actus & murmura animadverti, citante Dn. D. Zimmermanno *Analect. Miscell. Mens. 9. cap. 7. pag. 472.* Habet & *Cœnam* quam Satanicam appellabimus, in qua hostiam & potum quendam ad usum Sacramentalem porrigit, ut, cùm participes fiunt mensæ Dæmoniorum, & poculum Dæmoniorum (ore Pauli *1. Cor. 10.* loquor) bibunt, consortes etiam Dæmoniorum fiant. Quo de piissimus Arndius *Libell.* Von der Gnadenreichen Vereinigung der Christgläubigen mit Christo/ *cap. 12.* Der Satan als ein Feind deß menschlichen Geschlechts hat als ein Aff GOttes abscheuliche Opffer bey den Heiden gestifftet und angerichtet/ daß das Volck essen solte von dem Opffer/ welches dem Teuffel geopffert wurde/ auf daß alle dadurch in deß Teuffels Gemeinschafft kämen/ und ein Leib mit dem Teuffel würden/ die desselben Opffers genössen.

§. 6. (5.) *Ex stigmatum impressione.* Circumcisione fideles in V. T. divino Numini consecrabantur, ex qua in parte circumcisa stigma reliquum mansit. Infernale Numen suis, quos in magicam societatem recepit, stigmata etiam imprimit. *Et hæc est pars mimica Dæmonum*, inquit Voetius *Disp. Select. lib. 3.* (6.) *Ex sacrificiorum postulatione.* Deus à popu-

à populo suo certa sacrificia, quorum sex genera divinæ Majestatis Cancellarius Moses ex ore Dei excepit, & in Levitico descripsit, certis ritibus sibi offerri & immolari jussit, agnos puta, oves, hædos, arietes, turtures, & alia. Quem sacrificandi ritum ab Adamo inchoatum, ab ejus posteris continuatum, & sic à majoribus acceptum Noachus per liberos & nepotes ad posteros usque ad politiæ Israeliticæ constitutionem, propagavit. Sic & Dæmon, ne deterioris conditionis apud suos videretur, sacrificia varia sibi vel immediate, vel mediatè per Deos fictitios, quos ut gentes colerent, Autor fuit, à suis postulavit. Ægyptiis sexaginta sex genera sacrificiorum in usu fuisse, Romanis & Græcis non multo pauciora, annotavit Peucerus *de Divinat. Extispic. p. m. 169.* Non tamen contentus fuit summanus ille Pluto i. e. Satanas brutorum immolationibus, seu victimis egregiis, quæ, quòd è grege deligerentur, egregiæ dictæ, aut ex armentis exemtæ, eximiæ appellatæ, sed & ἀνθρωποθυσίαν, immanem immolandorum hominum ritum invexit, quem in Cananæa jam olim obtinuisse David *Psalm. 106. v. 37.* testatur. Assyrios in Samariam traductos, qui erant de Sepharvaim, combussisse filios suos igni Adramelech & Anamelech, Diis Sepharvaim *lib. 4. Reg. 17. v. 31.* legimus. De hoc inhumano & execrabili sacrificio gentilibus olim usitato vid. Alex, ab Alexandro *lib. 6. Gen. Dier. cap. ult. per totum.* Vossium *de Idol. libr. 1. cap. 35.* El. Schedium *de DIS Germanor. Syntagm. 1. cap. 33.* Polydor. Virgilium *de Rer. Inventor. lib. 4. cap. 8.* De eodem hodie adhuc Peruanis ac Mexicanis frequenti videatur Jos. Acosta *in Hist. Indic.* & Ludovicus Gothofredus *in Histor. Antipod.* Ammonitæ quondam idolum Moloch, cujus etiam indicia sacris in literis habemus, coluerunt, ejusque in honorem februationis gratia rebus prospere fluentibus, per spatium inter duos ignis intermedium Sacerdotes, vel, ad præscriptum eorum, parentes ipsi infantes ducebant, aut gestabant: in magnis verò calamitatibus, ut Numen suum placarent, vivos cremabant. Sed & in hoc sacrificio Dei simiam deprehendimus. Nimirum, ut ex magnis Theologis, Brentio & Dorscheo, Dn. D. Mœbius *Tract. Philol. Theol. de Sacrific. pag. 109.* advertit, per traditionem procul dubio à Majoribus acceperunt, hominem aliquando nascendum, cujus sanguine & mactatione Deus iratus expiandus, & humano generi reconciliandus esset, id quod in singulis sacrificiis à Sacerdotibus Leviticis populo Israelitico

litico fuit inculcatum. Ex hoc igitur principio profluxit, ut Ethnici, inſtigante præprimis Satana, ubivis ferè locorum homines magno numero immolarent, & quidem eum ob finem, ut Deos ſuos ſanguine mactatorum placarent, & propitios ſibi redderent.

§. 7. (7.) *Ex Sacrarii geſtatione.* Illuſtre benignitatis divinæ ad humanas ἀπορίας condeſcendentis monumentum fuit, Urim & Thummim, Sacerdotali Ephod, ſeu ſuper humerali ad pectus aſſuto inſertum duodecim gemmis coruſcum, per quod Deus reſponſum tulit. Satanas hoc imitando conſectatus eſt in Ægypto. Nam Ælianus *libr. 14. cap. 34.* ſcribit, *Ægypti Sacerdotem eundem fuiſſe ſummum Judicem, ex cujus collo pependerit* ἄγαλμα ἐκ σαπφείρου *quod vocatum ſit* ἀλήθεια. *Simile quid Diodorus* Siculus *lib. 1.* narrat de ſummo Judice Ægyptiorum, hunc nempe *ex aurea torque de collo ſuſpenſum habuiſſe* ζώδιον *h. e. ſigillum è gemmis pretioſisſimis, quod vocarint* ἀλήθειαν, ita Dn. D. Danhauerus *Theol. Conſcient. Tom. 1. pag. 4.* (8.) *Ex ſingulari in Somnis revelatione.* Abrahamo, Abimelechi, Jacobo, Salomoni & pluribus aliis Deus ſe in ſomnis revelavit, ſicut & *Numer. 12. v. 6.* dicit. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, apparebo illi in viſione, aut per ſomnium loquar ad illum.* Idem malignus fecit ſpiritus, quando incubantibus remedia, quibus ſanitati reſtituerentur, per inſomnia revelavit. Sic Virgilius *7. Æneid.*

— — huc dona Sacerdos
cum tulit, & cæſarum ovium ſub nocte ſilenti
Pellibus incubuit ſtratis, ſomnosq; petivit;
Multa modis ſimulachra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturq; Deorum
Colloquio, atque imis Acheronta affatur Avernis.

Quo de ſupra *lib. 1. Part. 2. Sect. 2. cap. 6.* (9.) *Ex varia ejusdem apparitione.* Deus per propriam naturam inviſibilis apparuit per aſſumtam creaturam, vel diſpoſitione alicujus materiæ conſpicabilis aſſumta, quam nimirum voluntas elegit, non natura formavit. Atque in forma nubis Angeli & ignis ſe conſpiciendum dedit Moſi: Abrahamo ad quercum Mambræ viri forma. Spiritus S. columbæ imaginem repræſentavit, quando Johannes Chriſtum baptizavit. *In Angelis erat utique & Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus & aliquando Pater, aliquando Filius aliquando Spiritus Sanctus, aliquando ſine ulla diſtinctione perſona Deus*

per

per illos figurabatur, etsi visibilibus & sensibilibus formis apparens, per creaturam tamen suam, non per substantiam, ait Augustinus *lib. 3. de Trinit. cap. 11.* Cacodæmon etiam per naturam suam invisibilis assûmto corpore vel verô vel phantastico varias sæpe expressit formas, quo de supra *lib. 3. Part. 6. cap. 6. 7. 8.* sed finem sub ea diversissimum semper sibi habet propositum, hominum nimirum perniciem æternam; æternam verò eorundem Salutem Deus nunquam non vult, & quærit. Abrahamum Eremitam, inquit Cornel. à Lapide *Comment. 2. Cor. 11. 14.* decipere conatus est, sub Angeli boni specie, teste Ephrem. *in Vita.* Cùm is media nocte psalleret, lux instar Solis in cella ejus refulgebat, & vox audita est: *Beatus es Abraham, nullusq; tui similis, qui omnes voluntates meas explesti.* Sed Vir Dei agnoscens dolum, exclamavit: *Obscuritas tua tecum sit in perditionem. Ego enim homo peccator sum, sed nomen Domini mei J. C. quem diligo, mihi murus est, in quo te increpo immunde canis*, citante D. Zimmermanno *Analect. Miscell. Mens. 3. cap. 7.* ubi plura exempla notat.

§. 8. (10.) *Ex hominum in aliam terram deductione.* Deus Israelitas ex Ægypto in terram Canaan deduxit. Deductionem hanc κακοζηλίᾳ quadam æmulus Dei hostis in urbe Mexico, Vitzliputzli dictus, æquare superbè affectavit. *Dæmonium* enim illud fuisse tradit Acosta, *cujus ductu & auspiciis ex Aztlan & Tuhulcuatam, septima Hispaniæ Novæ natio Mexicanam à se dictam Terram occupavit. Præferebatur idolum in arca juncea. Ordinem itineris, in expeditione item, leges atque ritus sacrificiorum exponebat. Ubi quiescendum erat, ante omnia in medio castrorum super aram Christianorum altaribus similimam, in tugurio illud collocabant,*

§. 9. (11.) *E Conventuum & festorum celebratione.* Et locum & tempus certum exercendæ religioni, externoque cultui designavit Deus populo Israelitico. Tabernaculum sibi, ut in medio filiorum Israel habitaret, extrui præcepit, *Exod. 26. v. 8.* Salomon verò deinceps templum Hierosolymis apparatu ædificavit magnificentissimo. Ter coram Domino Deo suo omne populi Israelitici masculinum apparere tenebatur, *Exod. 23. v. 17.* (non exclusis fœminis, quas etiam convenisse legimus) tribus etiam vicibus per singulos annos ipsi festa celebrare, ibidem *v. 16.* & *Deut. 16. v. 16*, Stativas has à Deo præceptas, ut & conceptivas ab

Ecclesia Israelitica receptas ferias fusè explicat Rudolph. Hospinianus Tigurinus *Lib. de Orig. & Progress. Festor.* Adi quoque Voetium *Disp. Select. Part. 3. p. 1227.* Fuerunt autem dies festi testimonium & pactum quoddam, quo Israelitæ publicè, se esse Dei populum, & Deum esse Dominum suum testabantur. En itidem Dei simiam in populo tum pagano, tum magico! Utrobique conventuum, festorumque dierum celebritatem advertimus. Pagani quidem notitia sibi innata, Deum esse colendum, Deum in conventibus & locis Numini sacris colere laborarunt: sed quia veræ religionis notitia caruerunt, patuerunt eorum pectora instinctibus Satanæ, qui ut verum veri Dei cultum obliteraret, sibique tacitè homines devinciret, à verô autem Deo longius retraheret, falsa istis divini cultûs objecta obtulit, vel in his latens seipsum colendum exhibuit, omnemque cultum superstitiosis ac nefandis ritibus conspurcavit. Exempla, ne ambages sectari, & ab instituto longius recedere videar, ab antiquitatum secretariis petere jam nolo. Ad Magorum conventus & ferias à Dei Simia institutas propero. Magis quoque Dæmon festos indicit dies, quibus magna frequentia congregantur, Viri & fœminæ cum puellis & infantibus, & qui suam Conventibus præsentiam invito Domino subtrahunt, nisi prægnantem absentiæ suæ causam dederint, vel durissimè vapulant, vel ære absentiæ delictum luere coguntur. Imò sponte sua adesse gaudent, cùm tantam infernalis spiritus clientibus advenis per apparentes conventûs delicias frequentandi desiderium ingeneret, ut, si possunt, adesse velint, abesse nunquam, Petro de Lancre, Grillando, Bodino, aliisque rerum magicarum scriptoribus testibus. Ter pariter coram Dæmone singulis annis comparere, & sabbatha celebrare tenentur, magicæ societatis membra, referente Bodino *lib. 2. cap. 2.* Generalia autem sine dubio sunt comitia ista; particularia iis, qui nonnihil in religione dæmoniaca vacillant, indicit, ut devotionis Dæmoniacæ evadant tenaciores, Vid. M. Prætorius im Bericht vom Blocksberg *p. 513.* Conventus præprimis, qui in ipsa S. Walburgis nocte Calendis Maji frequenti panegyri concelebrantur, celebres sunt, aliis cæteroquin temporibus magis vel minus, pro malo Ducis infernalis placito, frequentes. Nullam autem septimanæ noctem à Magicis Synagogis esse immunem annotavit Petrus de Lancre: diebus tamen hebdomadæ quinto & septimo, seu Dominico ob crucifixionis & resurrectionis Christi mysterium minoris Dæmonem esse potesta-

tis

tis se comperisse scribit. Locus, in quo Sabbatha festæque noctes celebrantur, variis in regionibus variat, & ille vel verus est, mons, pratum, via, vel alius memorabili quodam objecto insignis, vel præstigiarum fraudibus apparens, cùm quandoque conventus locus regiarum, palatiorumque magnificentissimè exstructorum splendorem mirè, mira præstigiarum Satanæ efficacia exprimere videatur, cessante has, patibulorum vel aliarum abjectiorum sedum loca deprehenduntur. Famosus conventiculorum locus est mons Bructerorum der Brockels, Blocksberg in Thuringia situs, quo de Prætorius *l. c.*

§. 10. (12.) *Ex operum & miraculorum Dei æmulatione.* Ingeniosissimus Poeta Taubmannus *Præfat. in Virgil. Cirin* asserere non dubitat, arbitrari se, in sacris literis paucas historias esse, miraculo præsertim aut mysterio insignes, quas non Diabolus, cujus sunt partes intervertendi veritatem, æmulanter, ut Tertullianus loquitur, affectarit exprimere. Infinita cùm sit solius Dei potentia, verbo omnipotente miracula facit solus, *Psalm. 72. v. 18.* Miraculum hic intelligimus, non mirum, quod admiranda quævis, & quæ humanæ mentis captum superant, sive ab Angelis, sive à natura sint, comprehendit. Satanæ potentia finita cùm sit, & ipse creatura, vera miracula facere nequit. Nihilo tamen minus Deituriens ille opera Dei, & miracula æmulari, & pro miraculis mira sub specioso præstigiarum fuco, ut sunt pleraque sic conficta, & suis, & aliis venditare non erubescit, ut nimirum affectatæ per mimicas actiones divinitatis splendore quodam inter suos superbiat superbus spiritus. Cùm autem quædam Dei propria sint, & Dæmoni ἀμίμητα, sibi tamen mendaciter ea attribuere non veretur, ut sunt Mundi creatio, conservatio & gubernatio. Has Dei externas & proprias actiones mimicè sibi sub titulis Jovis, Neptuni, Plutonis, Geniorum, Parcarum, Fortunæ &c. attribuit. Sophocles *in Trachin*:

Ὁ τῶν ἁπάντων Ζεὺς πατὴρ Ὀλύμπιος.

Cœlestis omnium parens est Jupiter.

In cæteris præstigiatorem plerumque agit. Videbimus propius Dei simiam! Dei virtute primus homo è luto fuit creatus, *Genes. 2.* Dæmonis virtute Simon Magus ex aere novum hominem creavit, ut refert Clemens Romanus *lib. 2. Recognit.* & *lib. 6. Constit. Apostolic.* Anastasius Nicænus *Quæst. 23. in Sacr. Script.* & ex his Delrio *l. 2. D. M. Q. 6.* Gasp. Schottus

Phys.

Phys. Curios. lib. 1. c. 16. & *Mag. univers. Part. 1. lib. 1. c. 8.* Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cœlo, *Gen. 19. v. 24.* Satanas è cœlo dejecit ignem super oves & pueros, *Job. 1. v. 16.* Ignis quidem Dei ibi vocatur, sed, quæ quorundam est conjectura, nuncius ille ignem à Deo missum esse putavit, aut Dæmon ipse nuncius famuli specie fuit, qui ita ignem vocavit, ut ad blasphemandum Jobum commoveret. Dei potentia Aaronis virga coram Pharaone versa est in colubrum; aqua non Nili tantùm, sed omnis in omni Ægypto terra, postquam Nilus virgâ istâ fuisset percussus, versa est in sanguinem. Aarone super fluvios manum suam extendente Nilus ebullivit ranas. Sed Dæmonis potestate Pharaonis Magi æmula patrarunt opera. Ad Dei jussum Moses petram virgâ percutiens aquam prolicuit, *Exod. 17. v. 6.* Ad Dæmonis jussum & nutum Sagæ è pariete, colo, clavis, cultro &c. lac extrahunt. Dominus Asinæ Bileam os aperuit & locuta est, *Numer. 23. v. 28.* Dæmonis ope locutus est Simonis Magi canis, qui Petrum Apostolum compellavit. Taurus Jovi sacratus in Insula Rhodo humani sermonis fuit gnarus. Picus Martius Matienæ, Sabinorum oppidi, oracula dedit: idem in Chaonia fecerunt Dodonææ Columbæ; quæ, & alia plura è genuinis autoribus tradunt Torreblanca *lib. 2. Dæmonol. c. 25.* Vossius *lib. 3. Idolol. cap. 44.* Deus Regem Nabuchodonosorem in bestiam mutavit, ut cor ejus ab humano commutaretur. Dæmonis ope Circen Magam Ulyssis socias in varias animantium formas jam olim transformasse ex Homero colligimus. Varro apud Augustinum *lib. 18. de C. D. cap. 17.* refert, quendam Demænetum cùm gustasset de sacrificio, quod Arcades de immolato puero Deo suo Lycæo facere solerent, in lupum fuisse mutatum. Omitto, quæ alii tradunt exempla. Deus dat vehementissimo imbri cursum, & viam sonantis tonitrui, mittit fulgura, & eunt, & reverentiâ ei dicunt, adsumus, *Job 38. v. 25. v. 35.* Sed & Dæmonem tempestates, pluvias, tonitrua & ventos, quandocunque vult, ciere posse, Sagæ, permissionis ignaræ, censent. Deus ad Elisæi petitionem puerum Sunamitidis mortuum viventium numero reddidit, *4. Reg. 4. v. 35.* Deique Filius Lazarum suscitavit, *Joh. 11. v. 43.* & filiam primatis cujusdam denatam *Matth. 9. v. 25.* Sic & Dæmon resuscitationem mortuorum æmulari, seu fingere deprehensus est. Regi Sauli Samuelem redivivum expetenti Pythonissa in Endor gratificatur: sed spectrum sub Prophetæ larva in-

va incantationibus ſuis evocat, *1. Reg. 28.* Similia tradunt multæ gentilium narrationes, non Poetarum modò de ſuſcitatis ope Æſculapii, Tindareo, Glauco, Admeto & ſimil. ſed & graviorum ſcriptorum. De Ere Armeno narrat Plato; de Gabieno, & aliis Plinius, de Zacla Ægypto Apulejus, de ſuſcitatis ab Apollonio Philoſtratus, de ſuſcitatis à Simone Mago Clemens & Egeſippus, ut notat Delrio *l. 2. D. M. Quæſt. 29. Sect. 2.*

§. 10. (13.) *Ex oraculorum imitatione.* Deus olim divinam ſuam voluntatem revelaturus πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, *multifariàm, multisque modis*, ut ait Apoſtolus *Hebr. 1. v. 1.* locutus eſt Patribus. Iſta oris Dei effata oracula fuerunt dicta, quorum ſub ampliori, quàm vox iſta importat, ſignificatione quinque communiora genera recenſent D. Gerhardus *Exegeſ. cap. 2.* D. Glaſſius *lib. 1. Philol. Sacr. Tr. 4. Sect. 1.* & ex his D. Mœbius *Tract. de Oracul. pag. 17.* quæ fuerunt facta 1. per viſionem. 2. in ſomnio. 3. in ænigmate. 4. in figura. 5. per allocutionem divinam, quibus Mœbius nonnullos modos, qui ſat frequentes fuerunt, addit & explicat, nempe (1.) per tectorium arcæ fœderis, (2.) per Urim & Thummim, (3.) per filiam vocis, ut Hebræi loquuntur, בת־קול, quod oraculum fuit vox ſubmiſſa, cœlo delapſa, unde futura didicerunt. Et ſimia infernalis inimica exempli divini imitatione oracula inſtituit, multisque modis ſibi addictis locutus eſt, & voluntatem ſuam multifariàm declaravit. Nam, ut Dn. D. Mœbius *l. c. pag. 20.* diſſerit, modo ex ſpecubus, profundis ædificiis, & templis circumſeptis, reſponſa dedit, qua in parte aliquo modo imitari voluit arcam fœderis in adyto templi collocatam, per cujus tectorium Deus percontantibus reſpondebat. Modò variis viſionibus clientibus ſuis apparuit, illisque varias res ſignificavit. Modò etiam ſomnia fatidica hominibus immiſit, ut in templo Serapidis fuit factum: modò nonnullos invaſit, illisque de rebus futuris varia ſuggeſſit, quæ tanquam Prophetæ prædicerent; modò per certos characteres, & literas nonnulla indicavit, quâ ratione Urim & Thummim exprimere viſus fuit; modo ore ad os homines allocutus eſt; modò etiam per aerem vox audita fuit tanquam cœlo delapſa eſſet.

§. 11. (14.) *E regiminis gubernatione.* Deus omnia in Eccleſia ordine conſtituit & colligat, ut alii præſint, alii ſubſint; & qui præſunt, non religionis tantùm, ſed & ceremoniarum, quæ illius ſunt ornamenta, habeant curam. Simia Dei Dæmon, qui aliàs in ſancto Chriſti regno,

 ſeu

seu militante Ecclesia, ut & in quovis benè constituto Politicô regno confusionis semina dispergere, summaque imis miscere gestit, in suo tamen ordinem affectare videtur. *Si Numæ Pompilii superstitiones revolvamus, si sacerdotalia officia, insignia privilegia, si sacrificialia ministeria; & instrumenta & vasa ipsorum sacrificiorum ac piaculorum, & votorum curiositates consideremus, nonne manifestè Diabolus morositatem illam Judaicæ legis imitatus est?* ait Dn. D. Zimmermannus *l. c.* Petrum de Lancre *cap. 16.* audiamus: Der Teuffel lutzet unserm GOTT in allen Dingen nach. Er hat seine Prælaten/ seine Bischöffe und Priester/ er hat seine Diacken/ Unter-Diacken und Priester / der die Messen thut / um das Amt der Messen nachzuäffen: er machet Altorn und Teuffel darauf an Statt der Heiligen. Er hat seine Music/ Glocken / Creutz / etc.

§. 12. (15) *Futurorum prædictionem* & (16) *miram morborum curationem*, quâ de supra *lib. 1. Part. 2. Sect. 2. cap. 10.* pluribus egimus, & plura alia, ne simia ista diutius manũ nostram & forsan Lectoris oculos ad tædium moretur, sicco pede prætcrimus, pedemq; hoc puncto efferimus.

V.

Pactum esse vel expressum vel tacitum.

§. 1. Divisionem hanc Doctores Theologi & Juris Consulti communiter retinent & tuentur. Pactum *expressum* (apertum directum, quod primò pactum dicitur) fit tribus modis, ut tradit Delrio *lib. 2. D. M. Quæst. 4.* Primus fit solennitate varia, & ipsi Cacodæmoni visibiliter in forma aliqua apparenti corporea, coram testibus fidelitas & homagium præstatur. 2. cum absque testibus id peragitur. 3. cum per vicarium initur, Magum videlicet, vel tertium, quando paciscens Dæmonis aspectum vel colloquium reformidat.

§. 2. Pactum *tacitum* (occultum, implicitum, interpretativum & indirectum) cum quis iis utitur mediis, quæ alius quis, qui cum Diabolo pactum explicitum iniit, à Diabolo accepit, & disciplinam hausit, Sennertus *de Cons. & Diss. pag. 225.* E. g. benedictionis formulam Saga illa supra *lib. 1. Part. 2. Sect. 3. cap. 6.* à Dæmone per pactum explicitum accepit: qui verò à Saga, aut ab his, quibus Saga illam formulam tradidit, edocti eâdem utuntur, implicitum cum Dæmone pactum ineunt, quia medio utuntur, quod Dæmon Sagam istam, quæ cum eo pactum hac de cau-

sa

ſa iniit, edocuit. Idem de his, qui verbis, figuris characteribus, rebusque abſurdis utuntur, ferendum eſt judicium, quia cum naturalem nullam ad effectum producendum potentiam iſta habeant, Dæmonem non tantùm ratione primæ traditionis, ſed & ipſius operationis, ſi quæ ſequitur, ea habere autorem nemo dubitet.

§. 3. Pactum hoc duplex eſt. *Primum*, quando quis ſciens ac volens ſuperſtitioſis utitur ſignis, quibus uti ſolent Magi. *Secundum*, quando quis ignorans utitur magicis ſignis, quia neſcit mala & à Dæmone inſtituta. Quo de Codronchus *de Morb. Veneſ. libr. 2. pag. 74.* ſcitè: *Et licet*, ait, *aliqui tale pactum ignorent, & verbis illis utantur, tamen nihil refert. Quamvis, cui Dæmon primò ea verba dictavit, ea lege habuiſſe exiſtimatur, ut, quicunque illis uteretur, tacite Dæmonem invocare intelligeretur. Ideò, qui hæc faciunt, veluti ſacramentis quibusdam Dæmonibus ſe obſtringunt, quamvis imprudenter illud agant, nec ea intentione exequantur.* Proinde pacti taciti ab expreſſo differentia non eſt immanis quanta. Es iſt nur um einen ſchlechten Grad weiter/ jedoch alles urſprünglich von dem Böſen und menſchlichen Feind herrührend/ ait Speidelius *l. c. pag. 1136.* Magicam & ſuperſtitioſam curam germanas eſſe ſorores, ait Freitagius *Noct. Medic. cap. 39. quòd utraque impia, illicita & damnata, & ſerio prohibita ſit: eo duntaxat differre* dicit, *quòd in magica curatione intercedat manifeſta, in ſuperſtitioſa verò tacita cum Diabolo conſenſio & confœderatio. Utraque easdem materias, inſtrumenta & ritus, ut characteres, verba, amuleta & ſimilia uſurpat, quæ natura ſua illam efficaciam, quam uſurpata à Magis Dæmonum vi & conteſſeratione acquirunt & præſtant, non habent. Sunt itaque tam in curatione magica, quàm ſuperſtitioſa tantùm ſacramenta Diaboli, in quibus ille non res ipſas, aut earum qualitates viresque naturaliter inſitas ſpectat, ſed id tantùm agit, ut per eas animos & mentes hominum ſtringat, illaqueet & decipiat, quaſi non poſſit juvare aut nocere, niſi per ejusmodi ſuperſtitioſo ritu res uſurpatas. In utraque denique curatione magica & ſuperſtitioſa vera fides à vero omnipotente Deo ad Satanam, res frivolas & creaturas convertitur.*

Hæc Freitagius.

FINEM

Jam in rerum omnium Principio, quod Deus eſt, facimus,
Exordium qui fuit, fiat jam Exodium.

TIBI,

O SANCTA TRINITAS! DEUS OMNIPOTENS,

PRo auxilio, quod è ſanctuario tuo mihi ad hunc laborem continuandum & abſolvendum miſiſti, gratias corde devotiſſimo agam ſempiternas. Abſolutum quod eſt, TIBI & PROXIMO ſit conſecratum. Tui Nominis gloriam & Proximi commodum meditatus ſum: ut meditationibus reſpondeat eventus, & effectus, divino tuo lumine & Numine, quo ſine vanus eſt omnis hominum labor, cuncta diſpone. Multis momento quovis expoſitum eſt genus humanum periculis, in quæ ut per varia faſcina mortales præcipitent, Dæmones quærunt. Magnus horum eſt numerus, omnium in hoc, ut æterno faſcino anima hominis ſubjiciatur, conſpirantium, & ad idem, quos in ſocietatem ſtygiam ex humana gente magno numero adſciverunt, verſute inſtruentium. Jurati ſunt tui hominumq́; hoſtes: gloriam tuã impugnant, hominum ſaluti inſidiantur, & ex inſidiis exitiale hoſtilitatis ſuæ virus in incautos evomunt. Simiam agit Princeps hujus ſeculi Satanas; inimicisq́; & miris operibus divinitatis opinionem de ſe in animos ſimpliciorum ſpargere, ſiq́; fruſtratum ſe in eo videt, occulto per vana & ſuper-

ſtitioſa

ſtitioſa influxu incautos ad pactum implicitum invitare, & hoc pravio ad explicitum pertrahere ſatagit, ut pacti cum Deo expliciti mortales oblitos in inferno tandem pangat. Non tam corporis, quàm animæ, illius per dolores, hujus per errores & vitia, faſcinũ meditatur, quod, quantò anima corpore eſt nobilior, tantò faſcino corporis gravius eſt & exitioſius, tantoq́; laborioſiùs faſcinator ſtygius malas ſuas partes agit. Tanta pericula animabus incurioſorum imminent! Pauci, eheu! hoc percipiunt, (ſi perciperent, toto certè pectore mox exhorreſcerent) ſed innumeri poſt ultima fata demum experiuntur & ſuæ in terra ſupinitatis pœnã in inferno luunt. Tu verò, Omnipotens Deus! animabus noſtris, pretioſo Filii Tui ſanguine à faſcino Diabolico, cui omnes, ut filii iræ, fuimus immerſi, ſemel redemptis, ſacrum Spiritus tui Sancti faſcinum immitte, ut hoc perculſi nos omnes inimicorum noſtrorum faſcina repellere, & ignita Satanæ tela fortiter profligare, tandemq́; poſt exantlatos in hoc mundi theatro labores devictis hoſtibus & adverſariis noſtris omnibus in cœleſti regia Te puriſſimo & tranquilliſſimo glorificati corporis ore & corde laudare, & cum Sanctiſſimo Angelorum Sanctorumq́; agmine concelebrare queamus. Amen.

FINIS
TRACTATUS DE FASCINATIONE.

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A.

Αβασκάντως, faſcini alexiterium. 61
Abel quid notet. 248
Aberglaub unde derivetur. 339
Abortum promoventia genuina & abſurda. 867
Abortus ex faſcino. 619
Abortûs faſcinum. 866
Abracadabra. 45. 307. 990. unde dicatur. 307. ei affinia alia. 308
ex Abſceſſibus varia prodiiſſe obſervatum. 464
horum cauſa inveſtigatur. 465
Abſentes etiam faſcinantur. 634
Abſurda quæ videntur, nonnulla non phyſicè vel magicè, ſed ethicè veniunt intelligenda. 661
Abſurdis vim ineſſe cur Dæmon perſuadeat. 195. 198. 660 684. 685
Abſurda vel abſolutè vel reſpectivè talia ſunt. 660
Actiones ideales, ſeminales. 242
Actionum vitalium animaliumq; detentio non ſtatim extinctionem ipſius vitæ arguit. 486
Adami ſopor ecſtaſis fuit. 562
Adiantum aureum. 938
Adjuratio. 23. 153. differt ab incantatione. ibid. ejus objectum. ibid. ejus effectus unde? 154
Adoleſcentes ſeniores faſcinare exiſtimantur. 49
Adoratione faſcinum averti creditum. 63
Adrianus Imperator genu ſuo cœcum ſanat. 196
Ædium faſcinum. 654
Ægagropili lapides an ab armis reddant incolumes. 813
Ægyptii Magi. 167
Ægyptii malis geniis operam ſuam locarunt. 984
Ægyptiorum remedia olim laudata cur nihil hodie valeant? 984
Æliani encomium. 84
Aër denſus fit ſpeculum naturale. 775
Aër impulſus admiranda efficit. 987
Aëris natura. 773
Aër præſtigiis Dæmonum inſervit. ib. ratione ſubſtantiæ eſt omnis malitiæ expers. 484
Aër ſolus an præſtigiis Dæmonum inſerviat. 779
Aëtites. 85
Affectus animi quid ſint? 827
Affectibus quomodo ad mala rapiamur. ibid.
Affectus canentium cum cantu transfundi nequeunt. 230
Agentia tria ſaltem dantur. 188
Agni cerei geſtatio an & quatenus ſit licita.

licita. 947. ei vires superstitiosè tribuunt Pontificii. ibid.
Agnus Dei fit materia magica. 724
A in I transitus est facilis. 4
Alala vox militum. 40
Alberti M. caput fictile. 903
Aleæ usui semper immediatam Dei providentiam adesse negatur. 325
Alexander Trallianus. 176
Alexandri M. imaginem Macrianorum familia Romæ gestavit. 943
Allii vires. 962
Alraun. 666
Alrunæ. 502
Alrunicus virunculus vid. Mandragoreus virunculus. 672
Alyssum herba controversa. 445. 935. amuleti fascinum. 65
Amen, varias habet significationes. 144. unde dicatur. 255. cur vox hæc in Ecclesia retineatur. ibid.
Amen pupillare, acceleratum, amputatum quid. 255
Amici fascinare creduntur. 49
Amicitiam æqualitas conciliat & tuetur. 165
Amorifica herba. 343
Amorifica remedia. 820
Amor excitatus erga eos, qui in somniis sunt visi. 111
in certum subjectum an per philtra naturalia conciliari queat. 818
magicis artibus potest conciliari. 823
multiplex. 110. 597
non acquiritur emissione radiorum oculi. 111
vulgaris dicitur fascinatio quædam. 17. quomodo Ficinus & Valleriola hunc explicent. ibid.
Amore quidam flagrans, dum verba cum amata facit, sentit venam in temporibus aperiri & copiosum sanguinem fundere. 18
Amoris natalia. 113
nimii ungues. 165
philtrum pulchritudo. 824
Amphion. 222
Amuleti nomen. 270. divisio. ibid
Amuleta naturalia. 270. quomodo agant in corpus. 479. ludicra. 273. sunt illicita. 275. quo sensu admitti queant. 276. magica. 277. 298. 304 sunt illicita. ibid. particularia quædam recensentur. 302
Amuleta fascini. 65. bestiarum ad fascinum. 84
Amuleta quædam naturaliter sanguinis impetum reprimunt. 305
varia fuerunt Ægyptiis. 306
Amuletis febricitantium paroxysmi malè quandoque inhibentur. 273
Amuletorum characteribus insignitorum varietas. 278. falsitas. 286
Amuletorum superstitiosorum effectus unde? 988
Amuletum cujusdam Archiepiscopi ad pestem. 302
Anathema S. Adelberti. 708. judicium de eo Theolog. 709
Anaxagoras. 179
Androgyni. 865
Angelorum velocitas. 1050
numerus est incertus. ibid.
Angerona. 348
Anginæ cura transplantatoria. 1011
Aniculæ ægris remedia olim præcinere solebant. 156

Anima hominis tripliciter consideratur. 346
non fascinat. 142
quomodo se ad species objectas applicet. 745
extra corpus de se non agit. 420
an & quatenus fascinari queat. 546
rationalis in irrationalem commutari nequit. 547
Animæ humanæ operationes ad externa secundum Avicennam. 53
Animæ ictus est reprehensio. 338
officium & operationes. 420
Animalia ætate minora cur faciliùs fascinentur. 50
Annuli characteribus insigniti jam olim in usu fuerunt. 279
Annuli conjugalis ad fascinum usus magicus. 997
Annulus Gygis Lydorum Regis. 281. 293. 581. 728. Eleazari. 281. magicus. 825
Anserculus ex utero mulieris editus. 881
Ἀντέρως. 112
Anthropophagi. 807
Ἀνθρωποθυσίαι publicæ. 679
Antipathia suos habet gradus. 407. subjectum suum non denominat morbosum. 384
non omnis effluviorum effluxu absolvitur. 392. in eadem specie humana est accidentaria. 384. hujus exempla. 382
Antipathiæ activitas. 401
exempla. 392. inter patrem & filium exemplum. 382. causa in homine venenum non est. 382
in Antipathia datur aliquid, quod hominem ut patiens afficit. 391
fascinatio naturalis fundatur. 395
Antirrhinum. 938
Apio hirundines blattas abigunt. 85
Apollo Pythius. 239
Apollonius Thyaneus assistētem non obsidentem habuit spiritum. 906.
se invisibilem fecit. 581
Appetens facultas quomodo fascinetur. 816
Apulejus. 181
Aqua benedicta non est fascini magici præservativum. 644
marina frequens olim Magis ad purgationes & expiationes medium. 196
puritatis index. 951
Aquæ baptismalis abusus. 376. abusus pœna. ibid.
Aquilæ pennæ abortum promovent. 867. aliarum alitum pennis mistæ eas absumunt. 469. 481
Aridurae remedium superstitiosum. 196
Arietinum oraculum. 795
Arimaspi cur monoculi dicantur. 86
Arioli. 150
Arion cantu bruta movit. 33. quomodo hoc intelligendum. 223
Aristotelis encomium. 83. 342
Armorum fascinum. 654
Ars muta cur Medicina dicatur. 348
notoria. 740
Paulina. ibid.
Passaviensis. 595. remedia huic opponi solita. 815
Artes & scientias quomodo Dæmon suos doceat. 739
Articulatio vocis pro idiomate certo arte

arte & industriâ acquiritur. 700
Artificialia quædam Magiæ crassæ, quędam subtiliori inserviunt. 728
Artificialium fascinum. 652
Asari folia ratione contrarii avulsionis modi vires contrarias habent. 344
Asæ fœtidæ vires. 962. ejus & allii usus ad fascinum. 961
Asmodæus plures in cubili, quàm Mammon in convivio interficit. 616
Aspasiæ somnium. 196
Astra quomodo in hominem influant. 295
Astrorum malevolo influxu quibusdam fascinandi virtutem inesse nonnulli contendunt. 53
Astris an sapiens dominetur. 294
Atheus. 339
Atheorum primariorum nonnulli. 510
ab Atomis ratio transplantatoriæ curæ peti nequit. 1029
Auditûs fascinum. 588
Auditûs hominis perfectio. 226
Aves allectatrices. 534
Augmentativa virtus amplificari nequit. 614
Augustus Cæsar lucidos habuit oculos. 14
Avicennæ ortus. 12
Auspicium rerum veteres à Deo fecerunt. 1
Autoris parens. 696
Autoritas profana. 82. autoritas antiquorum quanti habenda. ibid.

B.

BAalphegor Orientalium est Græcorum Priapus. 333
Baalschamaim. 490
Baaras radix. 669. 934
Baccharis fascini amuletum. 65. 445
Balliolorum in Galliâ divinum munus. 478
Balnei aquæ dulcis utilitas. 437. 438
Barbaricum genus ad superstitionem pronum est naturâ. 2
Barbari Græcis qui. 167
Basiliscus datur. 115. Historia de Basilisco vero. 18. de fictitio. 115. est aspis cristata. 116. dicitur Regulus. ibid. unde fictitii formentur. ibid. Basiliscus visu fascinare dicitur. 18. negatur. 118
Βάσκανος, βασκαίνω, βάσκω. 4. 78. 79
Beelzebub unde dicatur? 490. ratio appellationis. ibid.
Belial unde dicatur. 490. nomen hoc tribuitur Satanæ tanquam proprium. 490
in Bello variis gentibus usitata Musica instrumenta varia. 35
Beruffen. 4. 10
Beruffkraut. 69. 70. 436
Beschreyen. 4. 10
Beschwerung. 153
Benedictio unde dicatur. 351. 356. quid sit? 351. varia ejus acceptio. ibid. triplex est. 352. divinæ & humanæ causa ibid. causa impulsiva, subjectum quod, materia, objectum, forma. ibid. Finis. 353. descriptio. 356
Benedictio à Sacerdote in populo Israelitico quo ritu sit facta. 358
Benedictio anilis est à precum & piorum votorum naturâ aliena. 356. est maledictio. 368. ejus causa. ibid. finis. 361

 Bene-

Benedictionis anilis paradigmata. 711. 353. & seqq. examinantur. 358. 368. formulæ variant. 355
Benedictiones aniles sunt superstitionis plenæ. 362. magicæ. 363. per sacra nomina excusari nequeunt. ibid. sunt frustraneæ. 365. eas M. Christoph. Vischerus ex professo refutavit. 373
qui Benedicunt efficaciter, eorum quatuor sunt genera. 352
Beneficium excussionis & divisionis. 768
Betulæ usus ad maleficium. 965
B in F transitus est facilis. 4
Bileamus Magus. 507
Blasphemia unde dicatur? 368
de Bodini Dæmonolatria judicium Vossii. 929
Bombardæ instrumenta magica fiunt. 721
Bruta homines amarunt. 111. habitu maligno lædentia. 117. ab appellatione specifica aut individua non afficiuntur. 320. fascinantur. 651
Bubo quid? 208
Bufo est veneni quædam bursa. 686. ad hæmoptysin confert. 271
Bufonis in dorso hominis geniti exemplum. 464
effecta mira ap. Plinium hieroglyphycè sunt intelligenda. 662
Usus medicus internus. 686. ad hydropem. ibid. usus magicus. ibid.
Bubonibus & insectis aliis per fascinum immissis quid Medico agendum. 972
Bulla gestamen triumphantium. 61

C.

Cabal animal. 305
Cabbala unde dicatur. 275. diversæ ejus acceptiones. ibid.
Cabbalæ fundamentum præcipuum. 44. ei tribuunt Rabbini virtutem magnam. ibid.
Cabbalæ vanitatem Christianis Cabbalæ studiosis Photiniani remonstrant. 258. Pererius detegit. 259
Cachexiæ cura transplantatoria. 1004
Cadaveris humani manus quomodo sanet. 479
Cadaveris loquela, quam in eo Dæmon facit, vera loquela non est. 589
Cadaverum exustorum cineribus Magi utuntur. 680
Cadaverum ratione putredinis differentia. 783
Cain quid significet. 248
Cajus Furius Ctesinus Magiæ falsò accusatur. 345
Calamitates mortalium convivia Dæmonum. 498
Cambiones unde dicantur, quid sint? 627
Camphora prægnantibus nocet. 867
Cancrorum oculi ad casum utiles. 303 dentitionem promovent. 271
Cancri remedium transplantatorium. 1010
Canere. 150
Canis oviparus. 884
Cantare. 150
Cantandi vox ad magica flagitia denotanda cur sit traducta. 156
Cantiones antiquorum sæpe fuerunt incantationes. 238

Canus ætate sua tibicen præstantissimus. 35
Capitis distortio affectus rarus & gravis. 914
Caput mortui ad actiones magicas adhibetur. 680. 681
Cardanus se suspectum facit. 564
Caricarum vires. 190
Carmen maleficum. 149
Carmina non sanant sanguinis profluvium, ischiadicũ affectum, luxationem. 202. non podagram. 203
Carminibus Circen socios Ulyssis mutasse falsum. 181. Item Lunam detrahi. 179
Carminibus Romani urbem obsidentes Deos tulelares evocarunt. 27. 182
Carminum vim Hippocrates eludit. 181
Carnifices sæpe Magi. 529. 657
de Carrichtero Helmontii Judicium. 939
Carolus M. amoris fascino corripitur. 826
Caroniæ fons. 223
Cassioticus nodus 731
Cassius Mons. ibid.
Casu aliquo adverso suscepto atque contracto invidiam extingui olim creditum. 65
Catalepsis. 561
Catellos pygmæos efficiendi ars. 854
Cato. 202
Catoblepæ virulenta natura. 19. 118. radiis visivis non lædit. 119. unde dicatur. ibid.
Catoche. 561
Catinus unde dicatur. 4
Cauculator unde dicatur. 771. Cauculatores. 772
Causa morbi quotuplex. 833
Causam physicam vulgus cum morali sæpe confundit. 183
in Causarum Scrutinio cautè procedendum. 344
de Centauris fabulæ origo. 86
Cephalalgiæ fascino inductæ signa fallacia. 687
Cerebri dispositio ad sensum communem & Phantasiam quæ requiratur determinatu est difficilis. 757
Cerebrum homo maximum habet. 231
Cerevisiæ fascinum. 652
Cervæ fistulis demulcentur. 33
Chaldaicæ linguæ antiquitas. 251
de Chamæleontis pede sinistro figmentum. 698
Character unde dicatur. 278. characterum diversitas. ibid. horum Patronus Paracelsus & Agrippa. 279. Iudæi, Rudolph. Goclenius. 280. Lotichius. 296. cujus rationes solvuntur. 297. gratis à cœlo characterum virtutes nonnulli arcessunt. 283. de se non habent virtutem. 288. eorum usus superstitiosus & magicus. 298. characteres sunt noctuæ Diabolicæ. ibid. alphabetum, Sacramenta Diaboli. 299. opinio de characterum vi unde nata. ibid. characterum species tres in Scripturis Ægyptiis fuere. ibid. characteres duos magnifecit Paracelsus. 727
Charadrius avis visu ictericum sanare dicitur. 19. id quod examinatur. 122

Christi signaculum petere vel accipere quid significet. 941
Christus cur media & gestus in quibusdam morbis curandis adhibuerit. 190
Christo Dæmon objicit quidem præstigia, non autem præstigiis Christum fascinavit. 544
Circe saga famosa. 522. ejus parentes, conjugium, regnum, exilium, homines in bruta mutavit. ibid.
Clamoris militaris efficacia. 40
Clamor magnus phantasiam afficit. 244
Clitoris. 864
Coccinea linea fascini remedium. 61
Cœcitatis superstitiosa remedia. 196
Cœli influxus multarum superstitionum magicarum pallium. 171
Cœlum non agit in caracteres. 284. qualis sit causa. 411
Cognitio triplex. 819
Cognoscens facultas. 561
Colicæ cura transplantatoria. 1015
Color quid. 773. colorum diversitas unde. ibid.
Colorum diversitas in pullis avium non est ab imaginatione avis ova excludentis. 422
Colorationis in facie causa. 328
è Commentario sapere turpe. 79
Comitum de Habsburg donum divinun. 478
Commodi Antonini sordities. 712
Conceptus oviformis. 882
Conceptus & partus sine mare in Gallia. 426
Confessio falsa ex phantasiæ deceptione. 850
Confidentia ægri de Medico multum juvat. 426. quomodo? ibid.
Congressus hominis cum Dæmone quandoque verè fit. 874
Columbæ imaginem an Dæmon assumere queat. 796
Constantinus M. incantationes permittere videtur. 162
Constellationum imagines. 284
Constitutio habitissima cur periculosa. 52
Contagium quid. 380. 389. ad effectum contagiosum quæ requirantur. 384
Continendum quibus sit. 348
Contracturæ ex fascino remedium. 929
Conyza cœrulea. 70
Corallia gestata à terrore nocturno defendunt. 271. cur gestata quandoque nitorem amittant. 328. eorum ad fascinum usus. 966
Cornelii van Drebbel optica admiranda. 774
Cornelius Agrippa an fuerit Magus? 290. dæmonem habuit specie canis perpetuò comitem. 585
Cornices verbenacâ blattas abigunt. 85
Corpus verum vel phantasticum Dæmon induit. 585
Corylinum viscum. 938
Coxendix quid, ejus luxatio. 202
Credulitas superstitionis mater. 337
Crocodili incantantur. 28
Crocodili signum plumbeum ad Crocodilos ipsos. 721
Crocodilus carnificis munere fungitur. 337

Crocus melancholicis confert. 270
Crucis in primitiva Ecclesiâ usus. 966
Crucis signaculum an & quatenus ad fascinum magicum conferat. 941. 943
in Cruentatione cadaverum (non tamen omni) fascinatio locum habet. 399
Cruentationis cadaverum causæ naturales. 400. 406. supernaturales. 401. 407. exempla. ibid.
Crystallen-Seher. 503
de Cuculo figmentum Plinii. 141
Cunina Dea. 63
Cura anxia diffidentiæ index. 981
Curiositas credulitatem comitem habens viam nonnullis ad magiam sternit. 532
Curatio morborum per fascinum inductorum divina & naturalis. 954. magica. 974. fascini à Dæmonis influxu in conservari pendentis frustranea est. 954
cur ea tamen planè negligenda non sit. 955
Curatio magnetica. 1002
Cutis an ab armis naturaliter impenetrabilis fieri queat? 812. ejus indurationem per media naturalia simpliciter impossibilem esse, probari nequit. 814. non induratio fit per verba. 814
Cymbalis in bellis utuntur Arabes. 35
Cyprianus an fuerit Magus. 530
Cyrus à Jove auspicium rerum quomodo fecerit. 1

D.

DÆmon unde dicatur. 488. nomē hoc tribuitur etiam angelis. 489. item animæ à corpore separatæ. ibid. Dæmonum varia genera. 640. Dæmon miraculosos curandi modos Dei imitatur. 191. 470. potest curare morbos. 191. 974. non tamen omnes. 975. non est consulendus. ibid. ut vera opera mentiatur, quid agat. 192. est Apollo infernalis. 193. per somnia remedia indicavit. 196. suggerit vera nonnūquam remedia. 198. rete verborum & absurdarum rerum quibus ponat. 198. cum absurdis cur operetur. ib. 660. cur infirmis interdum subveniat. 198. mendax est, vera tamen quandoque dicit. 199. cur vera dicat, & fidem nonnunquam suis servet moremque gerat. 200. phthisin palliativè vel mendaciter curat. 205. superstitiosarum rerum usui se accommodat. 210. muscam, araneam & formicam ingrediens spiritus fit familiaris. 210. per imprecationes hominibus immitti potest. 219. 547. 735. Wiero hoc neganti respondetur. 219. Dæmon musicis instrumentis ludit. 237. citharæ pulsu è Saule fuit ejectus. ibid. Musicam fugit & eâdem fugatur. ibid. pestem sedat. 239. Pestis est Magister. 609. ut casus in culpam transeat, suo instinctu curat. 324. malus est moraliter. 361. Dæmonem hominibus adversarium cur Deus constituerit. 489. Dæmones varia sibi ipsis imponunt nomina. 491.

Dæmonum poteſtas magna eſt. 492. attamen reſtricta. 493.537. 631.648. eſtque vel naturalis vel moralis. 492. Dæmones dotes gratiæ, non naturæ, amiſerunt. 493.832. cur Dæmon, cùm alligatus ſit, adhuc prævaleat? 494 cur Dæmon, cùm per ſe lædere & faſcinare queat, Magorum & Sagarum requirat conſenſum & operationem. ib. ejus ſervitus inclemétiſſima & injuſtiſſima eſt. 508.

Dęmon ſibi à Deo permittente limites poni agnoſcit & fatetur. 538. faſcinat hominem vel totum vel ejus partes. 545 animam quoad intellectum. 551. immediatè & mediatè, externè & internè. 552. 737. an immediatè etiam & directè in intellectum hominis agentem & ſpecies intelligibiles tanquam principia intelligendi per modum objecti imprimere queat? 552. artium & ſcientiarum notitiâ mancipia ſua imbuere poteſt. 553. quomodo? 739. intellectûs organum ad intelligendum melius diſponere poteſt. 554. ſcientiam per cauſam naturalem ſubitò infundere nequit. 555. ſcientia quam intulit, ſublato ejusdem influxu perit. 741. quomodo intellectûs ſedem, ut ingenium creſcat, afficiat. 744. animæ non illabitur. 556. voluntatem hominis faſcinat. 757. quomodo? 745. Judæ proditoris intellectum & voluntatem faſcinavit. 557. Riſum & Sermonem faſcinat. 558. voces brutorum exprimere novit. 559. Linguâ obſeſſorum abutitur. 559.748. ecſtaſin ſuis ex κακοζηλία infert. 564. quomodo? 749. item Lycanthropiam. ibid. ſenſum communem faſcinat. 567. quomodo? 755. phantaſiam vigilantium & dormientium. 568. 757. faſcinat memoriam. 571. quomodo? 760. ſomnum & vigilias. 774.762

Dæmon faſcinat viſum. 580. quomodo? 781. verum vel phantaſticum corpus induit. 584.783. non omnibus ſui videndi copiam facit. 587. eſt præſtigiator. 771. aëre ad præſtigias utitur. 773.776. opticus eſt ingenioſiſſimus. 775. 776. Chriſti oculos præſtringere conatur. 779. pręſtigii exemplum aliud inſigne. ibid. phantaſiâ hominis ad præſtigia abutitur. 780. in Chriſti effigie apparuit Martino Epiſcopo ut & Luthero. 785. in Angelum lucis ſe transfigurat. 786. 1061. ſic apparuit Carolo Ludovici Regis Germaniæ filio, eumque obſedit. 786. Hominis ſpeciem ſub variis ſimulachris refert. 786. non tantum hominis in communi, ſed & individuo, tàm vivi, quàm demortui. 787. illius exemplum rarum Coburgi notatum. 789. futurorum maritorum formam repræſentat. 791. cur hominis ſpeciem aſſumat. 792. an ea ſemper ſit inſigni notâ conſpicua. ibid. brutorum formas aſſumit. 793. hirci in conventu

ventu sagarum cur assumat, rationes variorum. 794. viri ignei formâ etiam apparet. ib. Dęmonibus hirci formâ apparentibus Judæi sacrificarunt. 794. an lucii, ovis & columbæ imaginem repræsentare queat? 769

Dæmon fascinat auditum. 588. quomodo. 798. sine naturalium ope sonum non edit. 799. quibus instrumentis ad vocis formationem utatur. ibid. cathedram divinatricem ubique formavit. 801. Dæmonis vox qualis ut plurimum. ibid. energumenorum linguâ abutitur. 802. Dæmonem per serpentem cum Eva collocutum fuisse frustra irridet Julianus Apostata. 802. Dæmon phantasiam speciebus sonoris impraegnare potest. 803

Dæmon fascinat odoratum & gustum. 592. quomodo? 804. in Magis appetitum carnis humanæ producere potest. 806. tactum fascinat. 593. quomodo? 807. quomodo sagis stuporem inferat? 809. quomodo impenetrabilem ab armis cutem efficiat? 815. Appetentem facultatem quomodo fascinet. 817. potestatem in animos hominum sibi arrogat. ibid. quomodo animæ mala suggerat. 818. quomodo amorem excitet. 823. maleficium odii quomodo inferat. 828. loco motivam facultatem quomodo fascinet. 829

Dæmon fascinat vitam. 603. morbos infert & quomodo? 833. 840. injectis morbos parit. 841. sub morbis naturalibus quandoque Medicis illudit. 912 mortem infert. 615. quomodo inferat? 850. quomodo nutritionem fascinet? 851. fame & siti sub ciborum & potuum lusu quandoque necat. 612. Dæmonis epulæ sordent. 613. alimenta clam etiam subtrahit & subministrat. 852. 153. augmentativam facultatem fascinat. 613. 855. Gigantes producere nequit. 614

Dæmon genetricem facultatem fascinat. 616. 855. ad monstrorum productionem concurrit. 620. an sexum hominis mutare queat. 862. quomodo monstrorum productionem promoveat? 868. quomodo fœtus Diabolicos producat? ibid. liberos producere nequit. 870. 874. non potest creare. 870. non generat mediante alterius semine. 872. cum viris & fœminis verè congreditur. 874. Augustino id affirmanti contradicit Wierus, qui refutatur. 875. Dæmon uterô sæpe abutitur. 881. efficere potest, ut partus per insolitam viam edatur. 887. Dæmon quomodo corpus obsideat? 734. quomodo corpus ingrediatur. ib. quomodo cor implere & intrare dicatur. 735. ejus insidiæ. 736. tela ignita quomodo immittat? ib.

Dæmon universum hoc ejusque leges fascinare nequit. 639. non cœlum, non integra elementa ibid. partes elementorum turbat. 641. meteora non nisi mediantibus natura-

naturalibus producit. 643. 890. cur princeps aëris dicatur. 645
Dæmon pios etiam fascinat, ut Hiobum. 630. magistratum. 631 precibus non munitos facilius. 632. omnis etiam ætatis & sexûs homines. 633. matrimonii violatores. 636. jejunos. 637. tempore & loco quovis fascini opera patrat. 896
Dæmon à rebus naturalibus non afficitur. 932. an fœtida fugiat? 913. Dæmonem reliquias & imagines sanctorum fugere credunt Pontificii. 946. an salem Dæmon odio habeat? 950. cur superstitiosa suadeat? 951. Dæmonum magnus ubique est numerus. 1049. numerus eorum est incertus. 1050. eorum velocitas. ibid. Dæmonis indoles & genius. 1054. Dæmon bonifacius verus nunquam est. 1055. miracula æmulanter affectat. 1063. universalitate effectus solet facilè superstitiosos irretire. 836. ad vitia temperamento congrua homines sollicitat. 746. quorum futurorum habeat cognitionem. 748. omniscius non est. ibid. 488. triplex in Dæmonibus datur scientia. ibid. Lutheri Pathmum Dæmon ignoravit. 748. in bestias se sagarum loco transformans, quæ accipit vulnera, sagis alibi dormientibus infligit. 749. 754. sensuum internas & requisitas organorum dispositiones novit. 758. mille artifex cur dicatur. 771. non est corporea substantia. 773. corpora à putredine novit præservare. 783
Dæmonium cur Luc. 11. mutum dicatur. 558
meridianum. 897
Dardanarii olim Magi dicebantur. 453. non ita hodie. 454
Dardaniæ artes magicæ sunt. 453
Dardanus Magus. ibid.
Dea Cunina. 63
Deformosissimos etiam fascinari creditur. 50
Delphinus musicâ mulcetur. 33. 224
Democritus. 167. 168
sub Democriti nomine commenta multa venduntur. 698
Denominatio à sagis facta non est verum sagarum indicium. 930
Dentes ad loquelam conferunt. 132
Denunciationi complicum à sagis factæ soli nil tribuendum. 788
Deos duos gentiles agnoverunt. 893
Desperatio. 103
Despuitione fascinum repercussum. 63
Deus an & quomodo ad magicam actionem concurrat? 536
solus animæ hominis illabitur. 556
cur hominum corpora & fortunas lædendas tradat Satanæ. 894
in Deum ex non impeditione nulla recidit culpa. 536
Dei permissio circa actiones magicas non nuda est. 537
Diabolus unde dicatur. 453. 489
vocis hujus Homonymia. 453. cur Satan dicatur calumniator. 489. quomodo Deus dicatur. 491. est

Dei & creaturarum omnium hostis. 492. 1054
Diabolum Dei ſimiam eſſe probatur. 1056. vide Dæmon.
Diffamatio in vulgo ignominioſa non eſt verum ſagarum indicium. 930
Digitorum infantium demortuorum ad ſoporiferum faſcinum uſus magicus. 681
Dii gentium Dæmonia. 191. eorum numerus. ibid.
Diis quomodo pagani valetudinis recuperãdæ cauſa ſupplicarint? 169
Divinum in morbis quid ſit. 911
Doloris cauſa. 816
Doloris dentium remedium transplantatorium. 1007. 1015
Dormire unde dicatur. 170
Drachen-Huren. 504
Dracunculi ſemen abortum promovet. 867
Druidæ qui fuerint? unde dicantur. 502
Druten/Drütner. ibid.
Ducum Auſtriæ divinum donum. 478
Dudaim Rachelis. 667. quid fuerint dubitatur. 674. cur ea Rachel expetierit. ibid.
Duffus Rex Scotorũ faſcino læſus. 604
blaue Dürrwurtz. 70
Dyſenteriæ cura magnetica. 1012

E.

ECheneis piſciculus. 467. 481. unde dicatur. 468
Echo polyphona. 145
Ecſtaſis quid? 561. vel naturalis eſt vel ſupernaturalis. ibid. hæc divina vel diabolica. 562
Diabolica quomodo fiat. 749
Ecſtatici qui? 561
Effluviorum natura & qualitas. 390. ſunt vel amica vel inimica, vel neutra. 391. inimica, quæ ſummum inimicitiæ gradum obtinent, ſunt rariſſima. ibid. effluvia continenter egrediuntur ex homine & brutis. ibid. effluviorum communicatio duplex. 392. effluvia antipathetica ſæpe ſubito & magnam alterationem inferre poſſunt. 395
Ἐγγαςρίμυθοι. 800
Ἐκχύμωσις. quid. 329
Elben. 622
Eliæ currus & equi flammantes. 774
Empedocles. 168
Emplaſtrum fœtidum Mynſichti ad faſcinum magicum. 957
Empſalmiſtæ. 174
Empuſæ. 499
Entelidam ſeipſum faſcinaſſe Plutarchus ſcribit 49. negatur & alia ratio affertur.
Epheſiæ literæ. 132
Epheſiorum librorum Actor. 19. pretium. 133
Epheſus magicarum artium mater. ib.
Ephialtes. 578. vide Incubus.
Epilepſiæ cura ſuperſtitioſa & periculoſa. 349
transplantatoria. 1003. 1010. 1013. 1015
Epilepticos an & quatenus verba excitent. 204
Ἐπωδὴ, ἐπωδός. 149
Equi coëuntes tibiâ incitantur. 33
Ericus Suecorum Rex cur pileoſus dictus. 648

Ἔρως καύνιος. 112
Evangelium pro amuleto ſuſpenſum. 45. Pontificii ſic utuntur. 310. abutuntur hic Auguſtini authoritate, item Chryſoſt. 311
Euchariſtia pro amuleto uſurpata. 318
Eudoxus. 167
Evocationis Dei tutelaris formula. 27
Excrementa ſanguinis duplicia. 393
Execratio. 31. execrationis efficacis exemplum. 32. execrationum effectus unde. 217. execratio res triſtis & mali ominis. 218. execratio Laconum. 368
Exorciſmus quid? 153
Exorciſmi Pontificiorum magicis incantationibus ſunt affines. 158
in Exorciſmo baptiſmali Evangelicorum verbis imperativô modo factis quid ſignificetur. 159
Experientia 129. 382. 1020
in Experimentis lapſus eſt facilis. 692. 995
Experimentum pro vocis & verborum efficaciâ. 985
Exſpirationis finis. 484
Ezechiæ curatio miraculoſa. 190

F.

Familia effaſcinantium in Africa. 11. 178. in Creta. 56
Familiares faſcinatores. 49
Fanatici. 223
Faſcinum. Variæ nominis derivationes. 3. & acceptiones. 5. Faſcinatio actionem & faſcinum effectũ ſignificat, ſed non ſemper, ibid. Faſcinationis deſcriptio & diviſio. 7. Faſcinatio quædam cur vulgaris & poëtica dicatur. 9
Faſcinatio viſualis probatur authoritate tum ſacra. 10. tum profana. 11. quæ ventilatur. 77. rationibus. 13. quæ diſcutiuntur. 91. experientiâ. 20. quæ examinatur. 124
Faſcinatio vocalis. 22. ea probatur authoritate ſacra & profana. 23. illa examinatur. 163. hæc 166. rationibus. 28. quæ reſolvuntur. 187. & ſeq. experientiâ. 46. quæ examinatur. 321
Faſcinationis vulgaris deſcriptio, ſubjectum. 48. cauſæ variæ ex vulgi opinione. 49. objectum, modus 50. efficiens proxima, remota origo opinionis de faſcino. 51. 435. ſigna. 58. quæ ventilantur. 328. curatio. 59. 333. ad faſcinum amuleta. 65. varia vulgi ſuperſtitioſi remedia ad faſcinum curativa. 67. præſervativa. 73. 376
Faſcinatio naturalis & philoſophica cur ita dicatur? 379. an detur? quid ſit? 379. eſt propriè infectio ſive contagium ibid. an alia ratione detur faſcinatio naturalis inquiritur. 381. faſcinatio naturalis per antipathiam explicatur. 386. faſcinandi virtus an ab aſtris fluat? 408. in faſcinatione quantum imaginationi tribuendum? 411
Faſcinatio Magica. Magica & diabolica unde dicatur? 452. Dardania dici poteſt. 453. quo ſenſu hic magica dicatur? 454. faſcinatio diabolica & magica differunt. ib. ad faſcinationem magicam quid requi-

requiratur? 455. dari fascinationem Diabolicam & Magicam probatur. 455. negat Reginaldus Scotus. 456. nomen etiam impugnat Gutierrius. 456. descriptio fascinationis illius. 458. Fascinatio magica quæ visu fieri creditur. 459. refutatur. 460. ea nec verbis fit. 462. nec tactu. 465. nec halitu. 483. Fascinatio facultatis cognoscentis. 596. fascinatio visus. 580. 781. auditûs. 588. 798. gustûs. 592. 800. olfactûs. 591. 804. tactus. 593. 807. fascinum amatorium. 598. 823. fascinum affectuum. 601. 827. odii. 599. 828. facultatis loco motivæ. 601. 829. vegetativæ 603. 832. nutritivæ. 612. 851. augmentativæ. 613. 854. genetricis. 616. 855.

Fascinationis magicæ causa efficiens. 487. principalis. 488. instrumentalis. 496. causa sine qua non 536. causæ impulsivæ. 540. objectum primarium. 542. secundarium. 638. materia. 656. modus. 730. finis. 892. locus & tempus. ibid. signa diagnostica. 899. prognostica. 919. præservatio. 926. curatio naturalis. 952. magica. 975

Fascinatio an sit obsessio? 907

Fascinatio spiritualis suos habet gradus. 736. totius hominis. 734

Fascinare seipsum aliquem posse creditur. 49

Fascinare potest homo hominem naturaliter. 396. etiam bruta. 396

Fascini signa num liceat destruere? 978

Fascini curatio transplantatoria. 966. 1012.

Fascinati qui putantur infantes, quomodo curandi. 448

Fascino in corpus injecta varia. 843. 845. item ex eo extracta. 949

à Fascinô nemo est immunis. 927

Fascinum ex difficultate curationis morbi non licet simpliciter colligere. 915. neque ex subito morbi vigore ibid. nec semper ex inusitatis & raris symptomatibus. 916

Fascinum ex mucilaginis præsentiâ post balneum è sideritide paratum colligi nequit. 437

Fascinum quale Paulus Galat. 3. v. 1. intelligat? 80

Fascinus Deus. 59

Fasciolæ rubræ fascinationem repellere creduntur. 66

Fatalia nomina. 136

Favete linguis: phrasis hæc quid significet. 350

Fauni quid sint. 578

Febris remedium transplantatorium. 1004. 1005. 1010. 1011. 1014

Felix Malleolus infelix. 369
ejus scripta prohibita. 318

an Fermento transplantationis effectus tribuendus. 1030

Fescennini versus. 62. unde dicti? 63

Festa lustralia. 64

Festorum celebratio sacra & diabolica. 1062

Fiat Dei. 198

Figuræ de se nulla vis est & efficacia. 288. 289. 293. vid. & character.

Filia vocis. 1065

Filii de Kockerlack. 15. 100

Filix. 938

 Finis

Finis in genere bonorum est. 361. 893. bonitas tamen non semper vera est. 361
Fistulas è certis plantis morbos specificè respicientibus formatas specificos morbos curare creditum. 38
Fletus sine lachrymis est falsũ signum sagarum. 928. ejus causæ plures esse possunt. 929
Fluoris albi cura magnetica. 1012
Fœmina alterius speciei essentiam genito non communicat. 880
Fœminæ cur veneficiis frequentius quàm viri operam navent. 534
Fœminę plures fascinantes quam viri. 48
Fœminarum imbecillitas 532. 533
Fœtus Diabolici. 868
Fœtus masculinus septimus an strumosos sanet. 479
Formula quædam oculum fascinandi examinatur. 768
Formulæ ad fascinum & invidiam avertendum. 62. 73
de Formulis his: daß dich GOtt behüt: GOtt behüt es/quid sentiendum. 376
Fortuna ludionis non fascinatur verbis. 324
Fortunæ in lusu consideratio. 324
Fortunæ secundæ occultatio fascini præservativum. 64
Frater Lombardorum: Salernitanorum 622
artificio dæmonis producitur.
Fraxini lignum. 696. an ejus usus sit magicus ib. superstitiosa circa illius collectionem notantur. 697. lignum hoc vindicatur. ibid.
Fructuum traductio magica. 65
Fugitivos servos quomodo Turcæ retrahant. 15
Fures deprehendendi modus magicus. 72
fascinandi ritus. 76
Fußbeer. 43
Fußbeerkraut. 65
Futurorum & occultorum revelatio non est infallibile signum obsessionis. 906

G.

Gabelreuter. 503
Gagates. 446. de ejus suffumigio disceptatio. ibid.
Galbala, Galgulus vid. Charadrius.
Gallus in arce regia Hafniensi ovum peperit. 885
verum ovum non parit. 884
Gamathei quid? 279
Ganglium quid? 205
Gauckler unde dicatur? 771
Gellius. 90
Generantis ratio formalis in quo consistat. 870
à Generatione secunda non licet propter locum inferre primam. 880
Generatio fit in instanti. 871. ejus terminus. 871. non potest fieri ex semine virili à dæmone insensibiliter in uterum injecto. 872
variis modis accipitur. 871
Generationis fascinum. 868
Genitales partes vel verè vel præstigiatoriè auferuntur. 860
Genitales utriusque sexus partes an & quomodo differant? 866
Genitivam facultatem dæmon fascinat. 616

Gibbo-

Gibbositas quid? 206
Giganteæ quantitatis homo per artem fieri nequit. 854. neq; etiam maleficio magico. 613
Gigantes an & quatenus sint monstra. 615
Gladius magicus Imper. Maximiliani. 725
Gladius piscis verbis singularibus capitur. 34. 225. Græcorum idioma ab Italico distinguere putatur. ibid. sententia de hoc aliorum. 226
Gliedkraut. 69
Gnosticorum sacrificia nefanda. 678
Goëtia. 173. 176. 709
Græcia mendax. 172
Græci semper pueri. 169. multa sunt mentiti. ibid.
Gregorii nomen fatale Ecclesiæ & Imperio Romano. 137
Gregorius IX. ibid.
Gustum fascinat Dæmon. 592. 805
Gutierrius Carthaginensem infeliciciter refutat. 408. ut & Sennertum. 415. nomen fascini magici impugnat. 456

H.

HÆmorrhoidum cura transplantatoria. 1011
Hæreditate rebus nulla vis comparatur. 346
Halitûs efficaciam quæ suadeant. 483
Halitûs de se noxius non est. 484. est indifferens. ib. impuritatem unde contrahat? 485
Hallelujah unde dicatur. 255. cur in Ecclesia vox hæc retineatur. ibid. voce hac milites in fugam versi. 244
Hammelia oppidum. 590
Hammelensium puerorum auditum & visum Dæmon fascinavit. 590. 803. Historia ipsa. 590
Harmonia. vid. modi musici.
Harpocrates. 347
Hebræa lingua unde dicta? 43. est prima omnium. ibid. hac primi parentes locuti ibid. ex ejus dignitate & efficaci significatione non licet colligere virtutem physicam. 251. à rebus non accipit virtutem. 251. ejus antiquitas in dubium vocatur. 251
Hebræa nomina cur Ecclesia retineat. 255
Hecate cur Luna dicatur. 207
primùm aconitum invenit. 693
Heckthaler. 675
Heerdkind. 622
Heliotropius lapis. 898
Herba amorifica. 343. 820
Coca. 854
Hippice. 853
Scythica. ibid.
Tabacum. ibid.
Herbæ Dæmonis conatum non infringunt. 936
Herbæ olim ad fascinum commendatæ cur hodie nil prosint 997
Hermes. 168
Herniæ cura transplantatoria. 1007
Hesiodus. 168
Hexen unde ita dicantur. 504
Hiobi parentes. 630. ejusdem pietas & calamitas ibid.
Hippomanes. 824

Hirci delineatio. 796
Hirci formam præcipuè cur dæmon induat. 794
Hirundines apio blattas abigunt. 85
Historia citharœdi Regem Ericum Musicâ ad furorem adigentis 36. 235. Vincentii mirè oratione suâ Auditores flectentis. 41. de Pompejo ex nomine quodam malum omen legente. 42. de Basilisco vero. 18. factitio. 115. de hospitio perniciosissimis bufonis halitibus infecto. 177. de Juvene verbis ignotis Dæmonem advocante. 153. de Salutatore dolum suum fatente. 175. de incantatione serpentis tragica. 185. 186. de Eremita homines à serpente morsos, etiam absentes, verbo scripto sanante. 194. de muliere, quam Pastor, an saga sit, variis modis, sed infeliciter, pertentat. 209. de studioso, qui malè informatus superstitioso modo alios curavit. 210. de quibusdam spiritum familiarem expetentibus, quibus insecta per jocum data, sed cum his dæmon, animalcula subiens, datus. 210. de muliere, quæ verbis curavit, ad lapides damnatâ. 216. imprecationum efficacium historia. 218. immissionis Dæmonum per imprecaciones factæ. 219. mali eventus eorum, qui temerarios sermones fecerunt. 220. miraculosi murorum collapsus. 224. brutorum diversorum certo sono convocatorum. 226. de quodam, qui audito phormingis sono urinam reddere coactus. 230. de hostibus voce Hallelujah in fugam versis. 244. de Saracenis unicâ voce exacerbatis & ab Imperatore desciscentibus. 247. de quodam filiis suis ridicula nomina imponente 248. de amuleti naturalis intempestivo usu 272. de Pastore baculo cum schedula in medio gregis terra affixo lupos ab accessu prohibente. 313. de Cajo Furio Ctesino Magiæ fallò accusato. 345. de muliere, quæ absurdæ rei usu magnam butyri quantitatem è lacte comparavit. 346. historia tragica benedictionis anilis. 366. historiæ duæ mire delirantium. 432. viri, cujus natibus per fascinum magicum mus fuit immissus. 463. sagæ marito suo valedicentis, manuq; ipsum periculosè percutientis. 482. sagæ obstetricis ventrem puerperæ manu tangentis, tactum, prædicto à sagâ tempore, atrocissimi dolores sunt secuti. 483. sagæ halitu carnificem leprosum reddentis. 484. Virginis molam extra uterum pinguem in abdomine gerentis. 528. sagæ obstetricis, quæ infantes multos utero egredientes necarat. 530. Historia Monachorum trium horrenda, quorum unus cùm finitâ compotatione & scortatione gratias Dæmoni egisset, ab eo ad internecionem fuit afflatus. 538. armigeri cujusdam, qui extra limites voca-

vocationis & officii temerario ausu cum vitæ jacturâ vagatus est. 539. Medici, qui Dæmonem in vitro ad tempus feliciter, in fine vitæ infeliciter possedit, 544. item nobilis in annulo eum gerentis. 545. viduæ à furibus, ne loqueretur, fascinatæ. 558. historia duorum Catalepticorum. 561. sagæ ecstaticæ. 562. 568. Lycanthropiæ exempla. 565. 581. memoriæ stupendæ exemplum. 572. item artis memorialis. 573. fascini somni. 575. incubi historiæ. 579. sagæ lacerata & fracta subitò reparantis. 583. Dæmonis, qui cum duobus sociis, assumtis suspensorum cadaveribus hospitis cujusdam filiam ducere tentat. 586. de pari conjugum à Wagnero ridiculo spectaculo fascinatorum. 586. Historia exitûs puerorum Hammelensium. 590. Dæmonis in forma Monachi Lutherum convenientis. 592. ægri tentationes Diabolicas masculè repellentis. 592. sagæ, quæ maleficio taciturnitatis in cunno recondito sublato, sponte demum omnia fassa est. 594. Fausti visum & tactum præstringentis 596. fascini amatorii 598. 599. fascini odii. ibid. 826. hominis à Dæmone facie inflata, consentiente sagâ, affecti. 604. Duffi Regis Scotorum fascino læsi. 604. rerum per fascinum in corpus injectarum. 609. carnificis & sagarum unguento & pulvere homines interficientium. 610. voracium obsessorum. 613. maleficii ligaminis. 618. abortuum ex fascino. 619. fœtus diabolici. 621. Comitissæ post fœtum avem vivam parientis. 623. fœminæ monstrum bufoni non absimile, & alterius animalculum gliri simile in lucem etendis. 623. his affinia habentur. 624. 626. sagæ quæ culicem longũ peperit. 626. historiæ Cambionum. 627. fœtûs in ipso partu per fascinum ablati. 628. fœtûs locô veri à Diabolo suppositi. ibid. Pastoris sagarum existentiam malô suo addiscentis. 633. eorum, qui à fascinante longè distantes fascinati nihilominus fuerunt. 635. magi à mago fascinati. ibid. sponsi noctu à latere sponsæ rapti. 636. puellæ octennis imbrem certis ritibus cientis. 645. item studiosorum per jocum actu superstitioso idem procurantium. 646. sagæ frumentum alienum in suum solarium traducentis. 650. crocodili fascinati. 652. oppidi Schiltach à saga Dæmonis impulsu exusti. 655. mulieris Alrunum possidentis. 675. Regis cujusdam, qui è pueri decennis ad actionem magicam truncati capite futura recognoscere voluit. 681. vespillonis cujusdam, ut plura funera deducerentur, actio magica. 681. furum lumine magico utentium 682. Pergamensium à Dæmone per Magum deceptorum. 685. hydro-

hydropici pulvere bufonis curati. 686. Eberhardi Archiepiscopi Trevirensis per imaginem ceream fascinati & interfecti. 720. Sagittarii cujusdam, cujus finis tragicus. 722. panis eucharistici ad actionem magicam recepti; actio autem miraculosè fuit prodita. 722. militis ab amuleto agni Dei ab armis impenetrabilis. 724. fratris fratrem gladio magico fascinantis. 726. speculi magici. 726. de juvene Dæmonis concursu ad magna adspirante, sed seipsum apud Magistratum deinceps deferente. 741. de Cracâ cum cibo per fascinum filio scientiam, eloquentiam & fortunam ingenerante. 742. sagæ, cujus linguam Dæmon in forma sciuri compressit. 747. rusticorum se lupos esse existimantium. 750. sagæ in lupum se transformantis. 751. sagarum in assumtâ bestiæ formâ se in homines irruisse & vulnera ab aliis accepisse crediderunt, cum tamen Diabolus istis sopore domi oppressis ea inflixerit. 754. puellarum, quarum phantasiam Dæmon in somno mirè fascinaverat. 757. phantasiæ per morbū læsæ. 758. Herodis phantasiæ perturbatione insigniter laborantis. 760. memoriæ amissæ & restitutæ. ibid. præstigiarum exemplum insigne. 779. Medici Diabolum in forma hirci obvium intrepide aggredientis. 784. de imagine crucifixi Christi sanguinem fraude Dæmonis stillante. ibid. de Carolo Ludovici Regis Germaniæ filio à Dæmone seducto & obsesso. 786. historiæ variarum apparitionum Dæmonis. ibid. spectrorum hominum viventium formam repræsentantium. 787. petulantium juvencularum futuri conjugii qualitatem Satanæ ope præcognoscentium. 691. lemurum clamorem excitantium. 800. Bessi parricidæ ab hirundinibus proditi. 803. gravidæ armos viri cujusdam appetentis & comedentis. 806. perniciosi philtri magici. 824. melancholicæ maritum suum aversantis. 828. homicidæ fugitivi magicâ vi retracti. 830. rerum admirandarum vomitu rejectarum. 885. rerum per insolitas vias excretarum. 846. pueri, cui os femoris & tibię fascino surreptum. 849. quarundam, se homicidia patrasse, falsò ex phantasiæ deceptione confitentium. 850. potatoris dæmonis ope strenui. 852. melancholicorum, qui se impotentes imaginabantur. 875. uxoris, fascino odii erga maritum laborantis. 858. juvenis ab amplexu sociæ in toro conjugali à spectro, quod se interposuerat, impediti. 859. Herodis Zelotypiæ stimulis agitati. 860. sagæ penem Præfecti cujusdam noctu auferentis. 861. juvenis à saga virilia sua vi quadam repetentis. 862. fœminarum in

mares

mares mutatarum 863. Fœtus diabolici exemplum. 868. hominum ex Dæmonis incubi cum mulieribus commixtione ortorum exempla 873. Historia rustici ova parientis. 883. ancillæ, quæ recitatis quibusdam inter mulgendum verbis magnam lactis copiam acquisivit. 892. de Dæmoniis meridianis. 898 pluviæ sanguineæ 901. sudoris sanguinei ex artefactis. 903. obsessi insolita & mira proferentis. 905. aliûs peregrinam linguam loquentis. 906. hominis occultô morbo mortui & post mortem aperti. 911. juvenis obsessi, qui primùm naturali morbo laborare fuit judicatus. 912. juvenis distortione capitis laborantis. 914. fascinatorum, qui arte Medica fuerunt restituti. 821. pii cujusdam servi, quem saga per Dæmonem fascinare non potuit. 928. Regis Galliarum imaginem suam magicè factam & mutatam sine periculo in ignem projicientis. ibid. fœminæ spiritum hyperico abigentis, quæ examinatur. 939. Dæmonis Moguntiam turbantis. 947. fascinatorum, quibus bufones, lacertæ, & insecta alia fuerant immissa 972. philtri in pomo dati. 972. ligaturæ & destructionis signi. 981. melancholiæ ex fascino. 982

Homerus. 168. ejus poema exilibus notis exaratum. 278

ab Homine materia fascinationis magicæ sumitur. 677

Homines omnium horarum. 786

Hominis usui quæ inserviant. 693

Hominum immolandorum ritus. 1059

Homo cur musicâ delectetur 230
Spiritum fascinare nequit. 545
totus in brutum transformari nequit. 547

Horatius. 90

Hugonoti unde dicantur? 897

Humores narcotici in corpore humano generari possunt. 810
non possunt linguas peregrinas extorquere. 560

Hunnorum origo. 578

Hydropis cura transplantatoria. 1004. 1047

Hydrargyri ad fascinum magicum usus. 940. 964

Hypericum. 938. 965. de ejus ad Dæmones usu historia mira. 939. oleum hyperici fascinatis confert. 963

I.

JAnnes & Jambres Magi Pharaonis 513. nomina hæc unde Apostolo innotuerint? ibid. fuerunt Sacerdotes Ægyptiorum. ibid. an eorum opera præstigatoria, an quoad hypostasin vera fuerint. 514. cur istis Deus prodigiorum exercitium permiserit. 539

Icteri superstitiosum remedium examinatur. 341
remediũ transplantatorium. 1004. 1011. 1012. 1013

Ictus serpentum remedium superstitiosum examinatur. 194

Idea quid. 242. 837. idearum exempla. 242. ideales actiones. ibid.

ideæ mentales vel intelligibiles sunt vel sensibiles. 837
Idololatria subtilior. 298
יהוה nomen tetragrammaton. 258 sanctius quam cætera Dei nomina habitum. 258
Jejuni facilè fascinantur. 637
Jejunorum qualitas. ibid.
Jejunus seipso non jejuno gravior. 638
Jesu nominis pronuntiatio an & quatenus Dæmonem pellat? 949
Jesuitarum nomen. 248
Ignatius Lojola comitem assiduum habuit Dæmonem. 524
ejus mors horribilis. ibid. obsessam à Dæmone liberat Virgiliano versu. 949
Ignes non comburentes. 812
Ignis Dei cur Job. 1. dicatur. 1064
Ignis fervorem ne manus sentiat, quomodo præcaveatur? 812
Illyrii quare fascinare credantur? 86
Imago unde? 278. imago Christi crucifixi magicarum actionum instrumentum. 717. imagines cereas hominis necandi causa Lamiæ fingunt. 718. imaginu magicaru materia varia. ib. imagines magicas lædendi modi varii. 719
Imaginatio quid? 413. motricem facultam movet diversimodè, 414. in potentias naturales non habet imperium. 416 extra corpus non operatur. 421. verba virtute imprægnare nequit. 414. 423. in imaginationem alterius non operatur. 421. alienum, sed internum, corpus mutare potest. 427. quomodo fœtui nævum imprimat. ibid. matris imaginatio animi vitia imprimere potest. 428. variorum effectuum causa per accidens est. 433
Imaginatione forti partium in fœtu fit annihilatio. 1042. depravatâ qui laborant, cautè in curâ sunt tractandi. 432
ex Imaginatione nimiâ sponsa, quam Juvenis deosculatur, moritur. 56
Imaginationem quatenus risus aliorum moveat. 425
Imaginationem quomodo verba iræ, gratiæ quæque salutis spem ægro faciunt, suscitent. 430
Imaginationem fascinationis causam statuit Avicenna. 53
Imaginationis vis juxta quosdam. 54. 55. 305. 420. 426. in quinque potissimum observatur. 414. an imaginationis ope homo sine matre, utero & semine generari queat? ibid. imaginationis vi contrectata in aurum verti falsum. 427. ejus vi an monstra fieri queant? ib. Imaginationis prodigia per exempla ostenduntur. ib. Imaginationis ope morbi, non tamen omnes curantur. 431
Imaguncula in oculo non apparens vel inversa non est vera sagarum nota. 930
Imbellicitas humana finem aut modum non habet. 2
Imprecatio. 31. ejus effectus unde? 217. historiæ. 218. per imprecationem Dæmon immitti potest. 219. imprecationis effectum quid remoretur. 220

Incantatio carminibus & verbis constat. 23. unde dicatur. 24. incantare quid. ibid. 150. incantator. ibid. incantandi ratio est antiqua. 151. incantamentum Tralliani ad Podagram. 25
Incantatio serpentum. 163. infelicis incant. exemplum. 185. 186. formula incantationis serpentũ. ib.
Incantationis nomen. 149. descriptio. 151. 152. divisio. 150. causa efficiens principalis, instrumentalis. 152. materia, ratio formalis, objectum, finis, ibid. effectus unde? 154. modi. 156
Incantatio differt ab adjuratione. 153. continet vel benedictiones vel maledictiones. 157
Incantationem magnam habere vim negat Seneca: affirmat Plinius: conciliantur. 160
Incantationes divinæ & humanæ leges interdicunt. 161
Incredundæ. 162
Incubatio. 170
Incubare qui dicantur. 170. ritus hic superiori seculo duravit. ibid.
Incubus unde dicatur. 158. est vel naturalis vel præternaturalis. ibid. morbi remedium magicum. 579. 996
Indusium necessitatis quomodo conficiatur? 725. ejus vires. 721
Inediam quomodo obsessi ferant. 853
Inediam res naturales inferre possunt. ibid.
Infantes etiam fascinantur. 633. facilius quam pueri ab aurâ frigidiore læduntur. 434. vaporosum excrementum habent copiosius. ibid. eorum calor qualis. ibid. recens nati cur sudore non madeant. 435. Infantium morbi difficulter cognoscuntur. 448. cur sint voraces. ibid.
Infantes præsertim nondum baptizatos cur sagæ expetant. 677. 679
Injecta à Satana morbos pariunt. 841. dolores. 687
Insomniorum causæ. 328
Insolita quæ è corpore ejiciuntur aut extrahuntur, an revera in corpore fuerint. 841. quomodo fuerint immissa ventilantur. ibid.
Intellectum quomodo Dæmon fascinet. 737
quousque illustret. 740
Intellectus quomodo voluntatem moveat. 557
Intellectus possibilis seu potentialis. 745
Intellectus illuminatio à Dæmone facta cur fascinatio vocetur. 554
Intelligentiæ quid? 420
Invidia quid? 102. cor consumendo lædit totum. 16. ejus vis malefica. ibid. 103. nihil ad fascinum facit. 102
in Invidia quale sit oculorum lumen. 15
Invidi fascinatores putantur. 49. 51
Invidus sibi non aliis nocet. 107
Invisibiles quidam se fecerunt. 581
Jonas Propheta in ventre piscis Lamiæ fuit servatus. 499
Ira τῶν παθῶν πανσπερμία. 16
in Irâ quale sit oculorum lumen. 15
Irati fascinatores dicuntur. 49

Iſchiadicis medetur Muſica. 38
Judæ cor quomodo Satanas intraverit. 735. intellectum & voluntatem faſcinavit. 537
Judæi Magiæ ſunt addicti. 266
Judæi cujusdam factum, qui ignem aliquoties Coburgi verbis ſcriptis exſtinguere conatus eſt, examinatur. 260
Judam Dæmon quidem eſt ingreſſus, non tamen obſedit. 908
Judex in dijudicandis actionibus magiæ ſuſpectis ſit circumſpectus. 1047
Judicibus ſagæ inſidiari ſatagunt. 632
Judicii imbecillitas ſuperſtitionis mater. 337
Jul. Cæſar. Vannini Athei mors. 510
Julianus Cæſar Mercurio occultè ſupplicavit. 554
Jupiter Hammon in formâ arietis cultus. 795

L.

Lactatio infantis ablactati reiterata faſcinandi vim non parit. 321. non eſt cauſa mortiferæ inter conſanguineos luis. 322
Lactis exſiccatio magica. 607. 651
Lac maternum etiam actionibus magicis adhibetur. 683
Lachrymarum defectus non eſt genuina ſagarum nota. 928
Lachrymas cur quidam non fundant. 929
Lacus Pilatinus in Helvetiâ. 344
Lamia unde dicatur. 498. hujus nominis eſt ceti quoddam genus. 499. in Libya regina crudelis. ibid. ſpectri genus. ibid. item fera in Africa. 499. cur ſagæ vocentur Lamiæ. ibid.
Lapis aëtites geſtatus abortum præcavet. 271
Bononienſis. 785
memphites. 310
mirabilis. 649
nephriticus nephriticis confert. 271
ſtupefaciens. 811
Lappi magi exſtatici facti abſentium conditionem recognoſcunt. 563
Lateris doloris remedium magicum. 197
Latini à Græcis multa falſa acceperunt. 169
Laudatione nimiâ faſcinatio quomodo fieri queat. 56. 49
Laudatione familiæ in Africâ effaſcinant. 11
Leontopodii radix. 935
Lepræ prognoſticon. 190
Liberi Patris ſacra turpi licentia celebrata. 5
Liber Tobiæ. 935
Libido viam nonnullis ad Magiam ſternit. 533
Libri cervicali ſubditi inſomnia parere nequeunt. 712
Libri de tribus impoſtoribus autor. 510
Lienis exſiccatio modo transplantatorio. 1012
Ligatio ligulæ eſt actio magica, capitali ſupplicio digna. 856. eſt actio in ſe inepta. 856. hoc maleficio nullum eſt frequentius. 616. formulæ ejus ſunt multæ. 856. uſus ejus antiquus. 617. ligationis maleficio frequentius viri quàm fœminæ

minæ corripiuntur. 633. Ligationis nomine venit quibusdam fascinatio. 543. Ligationis remedia. 965. magica. 997
Lilith unde dicatur. 897
Lingua Hebræa vid. Heb. Lingua.
Lingua energumenorum abutitur Dæmon. 559. 747.
Linguæ in formanda voce usus. 132. 142. conformatio. ibid.
Lingua nulli homini naturalis est. 144. 700
Linguarum notitia non est ingenita. 560
Linteorum fascinum. 655
Lippientes oculorum intuitu lædere putantur. 20. quod refutatur. 123. Lippitudinis causa. 124
Literæ dentales, gutturales, labiales, linguales quæ? 143
Literæ Judæorum hodiernorum non sunt Hebraicæ. 261
Ægyptiorum. 300
Loco in sacro etiam Dæmon fascinat. 896
Loco motivam facultatem Dæmon fascinat. 601. 829
Lothi uxor qualem metamorphosin sit perpessa. 550. 548
Lotio manuum matutina non est fascini magici præservativum. 951
Lucii formam an Dæmon assumere queat? 796
Lues Venerea quando in Europa orta. 914
Luis Venereæ remedium transplantatorium. 1010
Lumen magicum. 68. 363
oculis inest. 14 96. quod pro affectuum varietate variat. 15
Luna radios de se non fundit. 96 quale sidus. 206. fundit humores. ibid. gibbositatem ejus radii curant. ibid. quomodo resolvat humores. ibid. Hecate cur dicatur. 207
Lunam carminibus cœlo detrahi error est: unde ille exortus. 179
Lunæ Eclipsis. 180
Lupi horrisonis cornibus arcentur. 35
halitus non est venenatus. 120
rostrum, cervix & cauda fascinum depellunt. 66
à Lupo homo prævisus raucus fieri dicitur. 19. hoc refutatur. 120
Lutheri annus, dies & locus natalis. 874
Lutherus Dæmonem Musica fugat. 238
Lutheri Pathmum ignoravit Dæmon. 745
Lutum fascini præservativum. 64
Luxationis manuum remedium superstitiosum. 341
Lux omni misto inest. 96
Lycanthropia latè sumta quid notet. 564. datur etiam ex morbo. item ob phantasiam in somno fascinatam. 750
Diabolica quomodo fiat. 751
Lycanthropismus an Physicè & realiter fieri queat. 752
Lycanthroporum non una est ratio. 565
Lyrâ in bello utuntur Cretenses. 35
Pythagoras animi perturbationes composuit. ibid.
Clinias iracundiam pulsavit. ibid.

M.

MAcies. 330. ejus causa. 328. quæ sit incurabilis. 330. maciei infantium signa. 916. in cura quid attendendum. 449
maciei remedium magicum. 994
maciei ex fascino remedium. 929
Magia ab Ægyptiis ad Græcos & Romanos venit. 168. 507. ad eam quatuor olim pertinuerunt. 452. publicè superioribus seculis in scholis fuit proposita. 173. ejus campus pinguis Medicina est. 169 naturalis & artificialis etiam datur. 455. Naturalis quid. ibid.
Magiam dari probatur. 455
Magiam variæ disciplinæ & facultates considerant. 215
Magi Christum adorantes an verè Magi fuerint. 515
Magi Pharaonis. vid. Jannes & Jambres.
Magi olim Dardanarii dicti. 453
Magus unde dicatur. 452. quid sit? 504. ejus significatio primitiva in alienā transiit. 453. Mag⁹ primus post diluvium Zoroaster sive Cham fuit. 506. ante diluvium quis fuerit ignotum. ibid. magus magum fascinat. 635. magis annumerandos esse, qui verbis curant, docent orthodoxi & heterodoxi. 214. Magos sedes Romana habuit. 529. Magos visu fascinare creditur. 459. id quod refutatur. 460. magi verbis fascinare nequeunt. 462. neque tactu. 468. neque halitu. 483. de Magis & sagis cur quibusdam in locis altum sit silentium. 1052. Magi divini potentes. 150
Magorum numerus tantus in tanta Evangelii claritate cur sit. 508
Magorum non omnia remedia sunt superstitiosa. 992
Magorum & Magarum magnus est numerus. 1051
Magica actio semper vera est, non autem effectus. 733
Magica remedia & exempla cur autor afferat. 994
Magicæ actiones sunt occultæ. 771. non rationibus physicis semper dijudicandæ. 732. nec ratione humana capi possunt. 733. magicis in actionibus apparens est veritas. 893. magicæ initiationis & promotionis ritualia. 680. ad magicas actiones sagæ quandoque nihil nisi nudum consensum conferunt. 659
Magistratum Dæmon fascinat. 631. sed rarius. ibid.
Maleficium sumitur vel latè vel strictè. 498
ad Maleficium tria concurrunt. ibid.
Maleficiatus quis. ibid.
Maleficii, dispensante Papa, sublati exemplum, in quo tres homicidæ notantur. 994
Maleficium non licet maleficio tollere. 992
Malis quid nos implicet. 337
Malorum causæ. 217
Manasses Rex Magus. 507
Mandragora unde dicatur. 666. ejus forma. 667. præcipuæ virtutes. 668. 674. commentum de eo impo-

impoſtorum. ibid. modus apparandi homunculos ex ejus radice. 671. 672. mandragora ſomnifera. 763
Mandragoreus virunculus non generatur ex ſemine vel urina ſuſpenſi. 672. ex ejus tractatione iniquâ nullum imminet periculum. ibi. divitias, cutis indurationem & fortunam non parit. 674. ſi quæ operatur, Diabolus in eo latens efficit. 675.
in Manſuetudine quale ſit oculorum lumen. 15
Mantis viſu lædere putatur. 19
Marſi. 397
Materia faſcinationis Magicæ. 656
Matrimonii violatores faſcinantur facilè. 636
Maximi Philoſophi Platonici laus. 827
Medicamenta ad faſcinum magicum naturalia. 955. ſpecifica ad idem. 956
Medicina pinguis Magiæ campus. 69. eam Ægyptii excoluerunt. 169. cur ars muta dicatur. 348
Medicus & Philoſophus naturalis verborum vim ſpectat. 213
Melancholici faſcinatores. 49. ſibi quandoque imaginantur, ſe ea audire, quæ tamen non ſunt. 830. ſimilem ſui diſpoſitionem mediantibus ſpiritibus non communicant. 425
Melancholiæ hypochondriacæ remedium transplantatorium. 1009
Melis faſcini remedium. 65. 66
Menſtrua etiam magicis actionibus adhibentur. 683
Menſtruorum fluxus nimii remedium transplantatorium. 1006. 1013
Meridianum dæmonium. 898
Meridie etiam Dæmonia ſunt operoſa. 897
Metalla beneficio virgulæ divinatoriæ ſcrutari licitum eſt. 691
in Metu quale ſit oculorum lumen 15
Microcoſmi cum macrocoſmo conſenſus exemplum. 1022
Milchdieb / Milchdiebin. 503
Mineralia etiam faſcinantur. 649. in curatione faſcini magici vegetabilibus ſunt efficaciora. 955
Minerva Medica. 191
Modorum Muſicorum varietas & effectus varius. 35
Modus in doctrina de faſcinatione eſt nodus. 730. in rebus phyſicis explicatu eſt difficilis. 731
in Mœrore quale ſit oculorum lumen. 15
Mola volatilis. 878. frequens in Belgio etiam Haffniæ editur. ibid.
Molendinorum faſcinum. 655
Molochus. 678. 1059
Moly. 935
Monſtrorum productionem etiam Dæmon promovet. 621. 868
Morbi admirandi. 910
magici an & quatenus curari queant. 919. 924. non omnes transplantantur. 1018. cauſa quandoque non niſi diſſecto poſt mortem corpore indagari poteſt. 311. verbis non curantur. 174
Morborum quorundam cauſæ obſcuræ. 911. ex faſcino cognitio diffi-

difficilis est. 910. quorundam supernaturalium affinitas cum naturalibus quandoque decipit. 912
Morbos potest Dæmon inferre. 603. 611. 841. quomodo? 833. 840. 856
Morbos potest Dæmon curare. 191. non tamen omnes. 192
Morbos injecta à Dæmone pariunt. 841
Morbus quotuplex. 833
Morbus subitaneus & lethalis à variis causis oriri potest. 125
Mors quid. 564
Mortem quomodo Dæmon inferat. 850
Mortui à Dæmonis fascino non sunt immunes. 634
Morum varietas sub vario & eodem sole. 387. causa. ibid.
Mosen Magum fuisse nonnulli statuerunt. 509. unde falsa hæc persuasio manarit. 510. à Magiæ crimine Moses vindicatur. ibid. nec obstat eum omni Ægytiorum sapientia fuisse eruditum. 511. Mosis excellentia. 510. Mosi magiæ notitia fuit, non usus. 511. quo sensu Moses Magus dici queat. 513
Motus animalium fit secundum & contra naturam. 602
Mulier unde dicatur. 532. mulier quædam ova peperit. 882. mulierum sexus qualis. 532. mulieribus fascini opinio magis quam viris probatur. 76. mulier est imbecillis animi. 76. 336. ad eredendum facilis. ibid. 337
Mures fœmina quædam peperit. 626
Musæus. 168
Muscæ qui olim dicti. 578
Muscus terrestris. 938
Musci in calvariis hominum morte violenta peremtorum usus superstitiosus. 684
Musica unde dicta. 222. ex avium imitatione ortum suum habuit 224. inanimata movere dicitur. 32. 224. bruta. 33. 224. hominem. 34. 227. Spiritus. 37. 225. movet phantasiam. 229. quomodo Alexandrū ad iram commovere potuerit. 231. quomodo tarantatos curet. 240. Musica cur homo delectetur. 230
Musicæ organa pruriginis arma. 35. ab eorum materia sonus non accipit virtutem. 239. Musicæ organa & effecta variant. 35. pro musicorum modorū varietate varii effectus fuerunt excitati. ib. Musicæ mirabilis effectus. 36. Musicæ instrumentalis vis exaltatur vocali. 231. Musicæ vim Græci exaggerarunt falsis exemplis. 231. Musicæ nostra ætate incrementum. 232. Musicam Dæmon fugit & eadem fugatur. 237. musicis instrumentis etiam Dæmon ludit. ibid.
Musici modi. 232
Mutatio est vel substantialis vel accidentalis. Illa vel totalis vel partialis, & hæc vel materialis, vel formalis. 549

N.

NAbuchodonosoris Regis mutatio. 549

Narcis-

Narcissus seipsum fascinasse putatur. 49
Narcotica. 764. 810
Natura sui conservatrix. 393. multa tegit. 342. morborum medicatrix. 238. in excernendis rebus vias insolitas quandoque quærit. 846
Naturæ virtutes quinque. 393
Naturale variis modis sumitur. 385
Naturalia à supernaturalibus cautè sunt distinguenda. 902
Naturalia cur in fascinationis negotio Dæmon quandoque suadeat. 991
Necromantia. 157
Nero Magus. 781. Simonis Magi cultor. ibid.
Nestel knüpffen. 617
Nitrum semen exstinguit. 887
Nocte, potissimum mediâ, Satanæ & sagarum labor viget. 896
Noctu quidam omnia viderunt. 14. causa hujus. 100. 101.
Noctu urbs in Bohemia à spectris obsessa. 897
Nodatio ligulæ. vid. ligulæ nodatio.
Nodus Cassioticus. 731
Nomen unde dicatur. 252
Nomina fatalia. 136
Nomina rerum propria Magi vocant radios 44. cur Persarum Reges novi mutarint, aut ad prius aliud assumpserint? 247
boni ominis ergo imposita vel mutata. 42
Nominibus Adam cuncta animantia appellavit. 43. vim inesse nonnulli statuerunt. ibid.
Nominis impositio & recitatio ominosa. 247. non semper ratione naturæ fuit ab Adamo facta. 252.
Nominum vim à rebus manare negatur. 253
Nubes quid sit? 273
fiunt specula naturalia. 775
Numeri nulla vis est. 345
Numerum definitum fascino obnoxium esse credebatur. 65
Numisma Patriarchæ Benedicti. 988
Nutritionis causa efficiens, principalis & instrumentalis, impulsiva, materialis. 851. fascinum. 612. 851

O.

OB in sacris notat spiritum ventriloquum. 801
Oblivionem quomodo Dæmon inferat. 761
Obsessio quid? 908. ejus requisita. ib. corporalis. 734. ejus signa. 905
corporalis & spiritualis in uno subjecto concurrere possunt. 545
spiritualis. 735. 546. ejus signa. 904
Obsidetur corpus vel totaliter vel partialiter. 546
Obstetrices sæpe fascinatrices. 529
Oculi aquilini. 101. piscium. ibid.
consideratio duplex. 94
humoribus cur turgeant. ibid.
igne etiam cur à natura sint donati. ibid.
lumen non fundunt. 96
sunt in amore ministri, non duces. 113. temperamentum. 94
urentes i. e. fascinantes. 64
Oculis lumen aliquod inest. 14
Oculorum conformatio & in animalium speciebus & individuis humanis variat. 101. gratia unde. 95
tristi-

tristitia unde. 328. humiditas & siccitas. ibid.
Oculus invidi. 11.78.79
malignus. 10
speculum est naturale. 92.775
ut fascinetur. 768.769
Odium est ira inveterata. 103. in invidia. ibid.
excitandi absurda media. 823
malignitatem de se non parit. 103
naturalibus mediis inferri potest. 819
naturale cum maleficio odii non licet confundere. 828
Odii fascinum. 599
Okos Bokos. 771
Oleum hyperici compositum. 950
Omnivoracis exemplum. 805
Onomacritus. 168
Optica visionis modum docet. 92. admiranda spectacula exhibet. 774
Oraculorum divinorũ varietas. 1065
Oratoriæ vis in animos hominum. 41. 245. effectus felix Deo potius tribuendus. 247
Oratoria phantasiam afficit, 246
Orationem quandam Salutatorum Episcopus Simonius nervosè examinat. 317
Orationis requisita. 356
Origanum. 938
Origenis encomium. 301. error. 173. 301
Orpheus. 168. 222. 223. inanimata & animata an & quomodo musicâ moverit. 35. 222.
Oscitatio quid. 424
Oscitante uno cur oscitet alter. ibid.
Os femoris & tibiæ per incantationem puero cuidam surreptum. 849
Ostentatio invidiosa est. 65
Ova peperit mulier. 882. quovis calore possunt excludi. 108. reperiuntur in testibus muliebribus. 882. peperit rusticus. item canis. 883. sed productionem eam magicam & præstigiatoriam fuisse probatur. 884
Ovidius. 90.825
Ovis effigiem an Dæmon assumere queat. 796
Ovi albumen in aqua frigida leviter concrescit. 332
Ovorum cortices unde generentur. 886
Ovorum uberior in gallinis proventus quomodo promoveatur. 886

P.

PActum est vel expressum vel tacitum. 1066
Paguri musica capiuntur. 35
Pan Deus Ægytiorum, ejus simulachrum. 795
Panis eucharisticus ad actiones magicas sumitur. 725
ignem non extinguit. 267
Paracelsus verbis ac characteribus addictus. 27. 276. horum vim quomodo probet. 28. fuit magus. 183. 524
ad Paralysin crurum ex fascino remedium 929
Parentes fascinatores. 49
Partus difficultas ex fascino. 620
Partuum mirorum exempla. 879
Partus ore editus. 881.887
Partus viæ insolitæ. ibid.
Passaviensis ars. 595

Patina

Patina unde dicatur. 4
Pavonis ſagacitas. 85
pennæ fluxum ſanguinis promovent. 480
Pavor noctis. 897
Paupertas viam ad Magiam nonnullis ſternit. 533
Penetrationem dimenſionum exemplis Helmontius confirmare ſatagit. 846
Permiſſio Dei. 537. 631. 685. 982.
Permiſſionis divinæ circa actiones magicas cauſæ. 894
Perſarum Regis filio quatuor Pædagogi præficiebantur. 511
Peſtis ferociam Muſica an mitiget. 38. 239. magiſter Diabolus. 609
Pervinca. 938
Petrus Apoſtolus cur à Nerone ſupplicio affectus. 522
Peſtis meridiana. 898
Phantaſia à Muſica movetur. 229. à Pictura. 230
in metu varia ſibi imaginatur. 776
ſubjectum ſuum afficit per accidens. 413
Phantaſia hominis Dæmon ad præſtigias abutitur. 780
Phantaſiæ varia acceptio. 412. actiones primariæ. ibid. ſecundariæ. 413
Phantaſiæ an novas ſpecies Dæmon poſſit immittere. 755
Phantaſiam quomodo Dæmon faſcinet. 755. vigilantium Dæmon faſcinare novit. 757. ſpeciebus Dæmon imprægnare poteſt. 803.
Vid. Imaginatio.
Pfaff unde dicatur. 452
Pheron Rex cœcus lotio reſtitutus 997
Philetæ. 995
Philoſophia à Barbaris ad Græcos venit. 167
Philoſophandi ratio apud Ægyptios & Græcos. 334.
Philoſophi apud priſcos Sacerdotes fuerunt. 513
Philtrum unde dicatur. 818. philtris amorem non poſſe conciliari quomodo ſoleat cõmuniter probari. ibid. quatenus philtra amorem excitare poſſe concedatur. ibid. philtris amorem poſſe conciliari docetur. 819. philtra jam olim cur damnata. 825. philtrorum noxiorum exempla. 825. philtrorum magicorũ exempla. 826. naturalia philtra diſſuadentur. ibid. Philtra Jeſuitæ in loco Confeſſionis interrogando docent. 827. curatio. 969.
Phthiſis quid. 205. cur Londinenſibus frequens. 204. verbis transplantari nequit. 205. remedium transplantatorium. 1004
Phyſæ poſt mortem motus. 1024
Pica quid? 805. ejus cauſa. 388. exempla. 805
Picus avis maleficiatis confert. 965
Pilorum abſciſſorum cum vivente conſenſus. 1022
Pios Dæmon non niſi permittente Deo faſcinat. 631. 928
Piſces ad Nomen vocati venientes. 225
Plagæ Ægyptiacæ dicuntur immiſſiones per Angelos malos. 641

Platea Coburgi Judaica unde nomen hoc habeat. 683
Plato. 102. 161. 167.
de Plinio judicia varia. 85. 86. ejus lapsus. 88. 512.
Pluvia artificialis quomodo producenda. 890
piscium naturaliter oriri potest. 902. ita & pluvia lapidum, animalium &c. ibid.
verè sanguinea naturaliter non datur. 900
Pluto nomen illicium ad amorem. 598
Plutarchus. 91. 113
Podagræ cura transplantatoria. 1005. 1006. 1008. 1009. 1015
Poëtæ ψευδόλογοι 9
Poëtica fascinatio, vid. Fascinatio poetica.
Polypus mineralis. 785
de Pomponatio judicia. 327
Porcus magicè excarnatus. 652
Pororum corporis usus. 393. diversitas 439. obstructio universalis & particularis. ibid. levis vel gravis & pertinax. 440.
Posthumo filio vis peculiaris superstitiosè tribuitur. 481
Præfiscine. 61. 336
Præservatoria fascini remedia juxta veteres. 935
Præstigia. 735. unde vox hæc originem habeat. 770. earum inventio tribuitnr Mercurio. ibid. exempla. 595. 588. 543. 635. 779. 784. 844. ridiculum. 781
Præstigiatores qui. 770. inter præstigiatores & veneficos differentia. ib.
Preces sunt optimum fascini præservativum. 927
Priapus. 5. fascini depulsor. 59. 66. 333. invidiæ medicus. 60. hortorum custos. ejus patria. 60. figura. 333. Baalphegor Orientalibus dictus. ibid. est idem ac Ægyptiorum Horus. Horus verò idem ac sol. 334. non tam oculos repulit, quàm invitavit. 333. ex Priapo biberunt gentiles. ibid. Priapum de collo gestare quis Græcis monstrarit. ibid. cur Priapus fascini fugator fuerit dictus? 334. cur hortis præfectus. 335
Probatio sagarum per aquam rejicitur. 930
Productionis modi duo sunt. 870
Prognosis in morbis à fascino illatis cur difficilis. 925
Provocationis efficacis ad tribunal Dei vis unde. 220
Psalmi. 109. scopus. 707
Psalmorum abusus superstitiosus & magicus. 706
Puerperis dæmonium meridianum insidiatur. 898
item magicum sodalitium. 634
Pulchra facilius fascinari creditur. 50
Pulvis sympatheticus. 1024. immeritò damnatur. 1026. 1046
Pupillas geminas nonnulli habere dicuntur. 11. quid de hoc sentiendum. 87. pupillarum pluralitas non infert fascinandi virtutem. 88
è Putredine non quodvis, sed congruum naturæ viventis animal & à cæteris differens oritur. 624

è putrida materia insectorum, non autem nobiliores certæ speciei formæ oriuntur. ibid.
Pygmæos quidam ex liberis suis arte fecit. 854
Pygmæi ut nascantur, an arte magica fieri queat. 613
Pyrrhus tactu spleneticis succurrisse dicitur. 465. hoc refutatur. 469
Pythagoras. 168. 238
Pythia mulier quomodo responsa acceperit & reddiderit. 518
è Pythonissæ obscœnis Satan, 1. Sam. 28. locutus est. 800
Python. 134

Q.

Qualitas aliena unde. 410
Qualitatibus in occultis quæ occurrant. 409
Qualitatum occultarum nomen multarum superstitionum magicarum pallium. 171

R.

Radii solis moventur. 106
Radiis oculorum perforari vitra negatur. 89
Radiorum emissione visionem fieri negatur. 92
Radios oculorum non probat ignis in oculo præsentia. 95
Radius visivus examinatur. 98. 105. 106
Rapa ἀνθρωπόμορφος. 680
Rasura capitis virilitatem augere creditur. 968
Ratio in experimentorum scrutinio non negligenda. 128
Raucedo unde. 120
Rautzen. 666
Reginaldus Scotus Magiam negavit. 456. male negat Dæmonem cum sagis fœdus mire. 785
Regulis non est incantatio. 23. 164
Religio velut inter duos scopulos sita est. 2
Reliquiæ quæ optimæ. 946
Reliquias Sanctorum Dæmones pellere Pontificii frustra confirmare laborant. 544
Remedii veritas unde sit æstimanda. 203
Rhamnus. 935
Rhetorica ars fascinum dicta Lacedæmonibus. 6
Risus causa: fascinum. 746
Roma turbida. 182
Romani cur Dei & urbis suæ nomen Latini ignotum esse voluerint. 27
Romani in Deorum cultu superstitiosi. 182
Rubenzalius spectrum in montibus Silesiæ Comœdus. 787. nominis illius notatio. 489
Rubigo ferri. 330
Rühnen / Runen. 667
Rusticus quidam parit ova. 883
Rutæ nomen & vires. 444. 84. fascini vulgaris remedium. 11. caussa hujus secundum Aristotelem. 83. ad fascinum naturale confert. 446. ad fascinum magicum. 938. 939
Rutæ hieroglyphicum in insignibus Ducum Saxoniæ. 84

S.

Sabbathi die quæ opera fiunt, in ea Dæmon permissionem quandam à Deo accipit. 539. 653
Saccularii. 771

Sacerdotum Ægypti authoritas fuit magna. 300
Sacrarii gestatio. 1060
Sagæ unde dicantur. 499. muscæ dici possunt. 578. vaccas sæpe fascinant. 891. lac quod ex absurdis rebus mulgent, unde veniat. 891. ad conventicula corporaliter quandoq; deportantur. 602. 637. 570. quandoque illusio phantasiæ saltem est. 559. sed an hoc an illud frequentius fiat, ignoratur. ibid. an tonitrua, pluvias excitare queant. 643. fructus alio traducere de se nequeunt. 650. vescuntur carne humana. 592. infantibus insidiantur. 677. 679. in inferendis morbis verè & realiter operam suam Diabolo conferunt. 607. quomodo tormenta perferant. 811. ut per Satanam lædant, quandoque saltem consensum præbent. 656. quandoq; signum nudum sufficit. 659. in Strigiportio aliquid violenti patiuntur. 832. sunt aves allectatrices. 534. sagæ etiam fascinantur. 638
Sagarum signa vel falsa sunt, vel superstitiosa. 928
Sagas an liceat consulere. 977. naturaliter vitam hominis fascinare singulari ratione monstrat Helmontius. 835. num ter propter Deum, ut fascinum tollant, liceat rogare. 1000. Sagas explorandi magica media. 931. eas Dæmon falso quandoque persuadet, ac si ipsæ hominibus morbos inferant. 850
Sagittariorum magorum solennia. 721. eorum finis est sæpe tragicus. 728
Sagittæ instrumenta magica fiunt. 721
Sal libidinis illicium. 950
an Dæmon abhorreat. 949
Salomon Rex incantationes composuisse dicitur. 24. variorum de hoc judicia. 176. magiæ addictus dicitur. 281
Saliva lustralis. Saliva virgo. 64. serpentibus venenum. 397. jejuni. 935. arcana Saliva. 936
Salutationem cur Salvator discipulis inhiberit. 349
Salutatores. 174
Sambuci ramus in salice nascens Epilepsiæ confert. 270. cortex pro decorticationis modo contrario contrarias habet vires. 344
Samuelem à Pythonissa evocatum spectrum fuisse probatur. 584
Sanguinei fascinatores. 49
in Sanguine occisi calor & spiritus sunt reliqui. 404
Sanguinis ad fascinum usus. 962
Sanguinis excrementa duplicis sunt potissimum naturæ. 393
Sanguinis menstrui malignitas. 17. negatur. 110. profluvium terrore sedatum. 430
Sanguis humanus superstitiosū est ad elephantiasin remedium. 196
menstruus an indirectè agat in Dæmonem. 938
Sanitas à Dæmone non petenda. 976
Sapor in fronte infantis salsus non arguit fascinum. 332
Saporem certis cibis proprium quomodo

modo magi in alienis cibis percipiant. 806
Saturni figura. 284
Satyrii radix fascini amuletum. 65. 445. ejus vires. ibid.
Satyrus unde dictus. 60. Satyri culti 795
Saul an à Spiritu maligno fuerit obsessus. 235.
einen Schwick setzen quid significet? 769
Scientia Dæmoniaca. 553. & seq. 679
Scientiæ per causum naturalem subito infundinequeunt. 555
Scilla. 935
Scintillæ oculorum unde. 95
Scirrhi remedium transplantatorium. 1010. 1011
Scopelismus.quid. 699. an maleficii magici crimine fit infamis. ibid. scopelismi varietas. ibid.
Scorbuti remedium transplantatorium. 1004
Scorpionum ictus voce Bud non cohibetur. 203
Scriptura Ægyptiorum. 300
Scuta Davidis. 279
Schwartzkünstler. 303
Seegensprechen/ Seegensprecher. 351. 503
Semen etiam ad actiones magicas petitur. 683
ex Semine hominis suspensi in terram profuso homunculus generari nequit. 672
per Semhammephoras Christum miracula fecisse nugantur Judæi. 43. 252
Senecio. 70
Senibus fascini opinio magis quam juvenibus probatur. 76
Seniores parum fascinare possunt. 49
Sennertus ab insultibus Gutierrii vindicatur. 415
Sensitiva facultas quomodo fascinetur. 749
Sensus est vel internus vel externus. 561. sensus requisita. 567 sensus non errat.ib.illæso motu cur pereat sensus.808.fascinari potest.567
Sensus in rebus duplicis est generis. 819. 391
communis officium. 413. 567
solius fide in scrutinio causarum non simpliciter standum. 188
Sensus belluini & serviles qui. 804
Sententiarum in eadem re diversitas quid arguat. 692
Q. Serenus. 45
Sermo nullus homini naturalis. 144
ad Sermonem quæ requirantur. 747
Sermonis temerarii pœna. 220
à Serpente morsum hominem, si æs adspiciat, repente mori fabulosum est. 123
Serpentes igniti Israelitarum cur ita dicantur. ibi. cur frequentius incantentur. 186. 634
Serpentis sub ostii limine reconditi usus magicus & absurdus. 685
Sexus fœminini imbecillitas. 532. 533. mutatio. 862. vera non datur. 863. causa apparentiæ. ibid.
Sibyllæ unde dictæ. 516. nomen hoc generale est. 517. quot earum fuerint, incertum. ibid. an fuerint magæ, earumque vaticinia instinctu Dæmonis edita. ibid

vaticinandi earum donum ad naturalium causam referri nequit. 518. libros Sibyllinos supposititios esse Causabonus probat. 519. Sibyllas inspiratione Dæmonis de Christo potuisse vaticinari conceditur, sed non sequitur id factum fuisse ibid.
Sideritis. 69. 350. ejus nomen & vires. 436. 437. ad fascinum commendatur. 436. 443. sordes in ejus decocto post balneum unde. 436. ejus decoctum non omnes morbos sanat. 438. cur etiam in decocto post lotionem sanorum quandoque reperiantur. 439. superstitiosæ circa ejus usum observationes. 440
Siderum influxus non est malignus. 408
Sigalion quis. 347
Sigillum. 278
Signa fascinationis magicæ. 899. ea tradere difficile est. 900
Signa fascini infantium. 916
maleficii ligaminis. 917
Signatura plantarum signum est non causa. 297
Signis fascini sublatis cur fascinum pereat. 426
Silentium quid. 345. unde dicatur. 347. sumitur bifariam. ibid. ejus dignitas. ibid. numen in bello maximum. 348. silentii exempla sacra. ib. silentium Pythagoricum. ibid. silentium cur chirurgi præcipiant. ibid. silentium nec divinitatis nec virtutis realis est particeps. ibid. silentium cur Dæmon in exercitiis magicis amet. 350
Simon Magus fascinator celebris. 521. 780. ejus mors. 522. 831. canis ejus humana voce locutus est. 559
Sirenes Poetarum ad fabulas referuntur. 233. expositio nihilominus datur quadruplex. 234. Sirenes dari probatur. ibid.
Solem Phœnices vocant Beel-Samen. Hebræi Baal-Schamaim- in civitate Accaron Baalzebub. 490
Solon. 168
per Somnia à Diis ægri pagani consilium acceperunt. 170. 196. 577
Somnia Diabolica. 577. 1060
vigilantium. 574
Somni causa. 763
fascinum. 575
Somniorum productio. 765. varietas unde. 766.
Somnus Epimenidis an fuerit Diabolicus. 765
Sonus quid. 132. 798. ejus ratio in quo consistat. 986. ejus vis unde. 140. natura ejus est abdita. 797. variat. 798. quomodo propagetur. ibid.
Sono buccinarum Israelitæ muros Hierichuntinos succusserunt. 33. 223
Sortiarii, sortilegi unde dicantur. 498
Species sensibiles, intelligibiles. 838. non egrediuntur ex intellectu & potentia cognoscente. ibid
Species rerum visibiles. 92
Spectra quid. 585. obsident urbem in Bohemia. 897

Specu-

Specula fiunt instrumenta magica. 726
Speculum datur naturale & artificiale. 775. magicum. 726
est oculus artificialis. 92
Specus Smellen horridum edit sonum 41
Spiritus completus vim habet corpora loco movendi. 831. pneumaticè, corpus physicè movetur. 832. corporis humani vitium contrahere possunt. 15. sunt mixti. 16
Spiritum familiarem qui habet, Dæmonem habet assistentem, non obsidentem. 908
Spiritus fascinari & cogi nequeunt. 544. cur se cogi simulent. ibid.
Spiritus Pythonis Act. 16. 800
Spiritum Universi dari exemplis quibusdam probatur. 1036. sententia hæc est antiqua. 1034. item à posteriori indagatur. 1045
de Spiritu qui Saulem exagitavit. 37. 235
Sputi sanguinis remedium magicum. 197
Statuæ amorem excitarunt. 111
Statuis Deorũ Ethnici quasi supplicaturi tabellas affixerunt. 2
Stellæ animatæ non sunt. 292
Stercora humana etiam magicis actionibus adhibentur. 683
Sterilitatis ex fascino remedium. 964
Stigmata magorum insensibilia. 811. varia. 812. non omnia sunt insensibilia. ibid.
Stigma & character insolitus sensu destitutus non est vera sagarum nota. 930
Stimme unde dicatur. 131
Stratagemata medica. 276
Strix unde dicatur. 500. quid sit. 897. 500. cur sagæ vocētur striges. ib.
Strumæ quid. 205. strumæ remedium magicum 193. strumas à Regibus Hispaniarum, Galliarum & Angliæ curari dicunt. 466. à manu etiam cadaveris humani. 467. item à septimo fœtu masculino ibid. primum illud in dubium vocatur. 475
Struthiocamelum visu pullos excludere falsum. 108
Suaveolentia utero non sunt inimica. 395
Stuhlbinder. 503
Stupefacientia. 810
Stuporis causa. 808. universalis exemplum & causa. 808. eum quomodo Dæmon sagis immittat. 809
Suchtkraut. 69
Sudor corrosivus. 90. sudoris ex artefactis sanguinei historia. 903
Suffituum ad morbos exempla varia. 442
Suffumigia pietatis, voluptatis & sanitatis. 441. sanitatis respiciunt vel partes. ibid. vel totum. 443. quomodo operentur. ibid. quibus noceant. 449
ad fascinum. 78
Suffumigio jecoris. Tob. 6. an Dæmon fuerit pulsus. 935
Suggestiones Dæmonis. 737. 740
Superstes unde dicatur. 339
Superstitio unde dicatur. 339. quid sit. 76. 339. sumitur bifariam. ibid. cujus sit soboles. 337. formosa specie

ſpecie decipit incautos. ibid. pietatis larva ſe commendat. 2. eſt humanarum mentium ludibrium. ibid.
Superſtitionis cauſa efficiens principalis, inſtrumentalis, impulſiva. 340. ſigna. 341. 345. exempla. 341
Superſtitioſa & magica cura ſunt germanæ ſorores. 1067
in Superſtitioſorum dignotione cautè procedendum. 342
Superſtitioſorum verborum formulæ variæ. 782. & ſeq.
Superſtitioſum. 260. 298. ſuperſtitioſis cur naturalia & ſacra quandoque jungantur. 996
Superſtitioſis colitur Dæmon. 701
Suſpiriorum cauſæ. 328
Suſurri Zoroaſtræi. 134
Sylveſter. II. 529. 716
Sympathia an ſit transplantationis morborum cauſa. 1028
Syriacæ linguæ antiquitas. 251

T.

TAbaci uſus. 442. 854. ejus loco alius pulvis compoſitus commendatur. 442
Tactu curatorum exempla. 465. 466. 467. ventilantur hæc. 470
Tactus qua talis nihil efficit. 469. 471. per accidens ad alteratione͂ facit. 469. 240. tactus efficacia à plantarum & mineralium viribus homini co͂natis deduci nequit. 471
Tactum Dæmon faſcinat. 593. 595. 807. tactum noxium qui ſequitur effectus, bene examinandus eſt. 482
Tactu num Reges Galliarum, Angliæ, Hiſpaniæ ſtrumas curent. 467
Taliſman quid. 278. horum author. 279.
Talpæ pes faſcini remedium. 66
Tarantulæ nomen. 38. morſus ejus muſicâ curatur. ibi. 240. ſymptomata ex ejus morſu oborta. ibid. diſſonantiam Muſicæ ægrè ferunt. 39
Tarantula ideas ſimiles ſuæ ſpeciei in veneno homini co͂municat. 242
Tauri incantati exemplum. 28
Tegularia philtra. 598
Tegulariæ. 501
Telephium confert hæmorrhoidibus & mariſcis. 271
Temerarii faſcinantur. 637
Temperamenta brutorum non ita, ut hominum variant. 386
Temperamentum homini competit elementare & vitale. 472
Temperiei gradus ut in manifeſta, ita & in occulta dantur. 390
Temperiei in eadem ſpecie humana magna eſt varietas. 387. 472
Temperies brutorum variat. 396 occulta ſæpe eſt. 388
Tempus quid. 207. Temporis obſervatio ſuperſtitioſa. 208
Teraphim unde. 712. quid ſint. ibid. 680. Michæ, Michalis. 515
Terror panicus unde dicitur. 128
in Terrore ſpiritus intro refugiunt. 393. ſanguinis profluvium ſiſtitur. 430
Tetinus. 59
Thalerorũ effigie equitis S. Georgii inſignitorũ uſus ſuperſtitioſus. 303

Thales. 167
Thebit. Philoſophus. 280
Theologiæ quidam Doctor Magus pro concione ex pacto Magiam negavit. 508
Theſſala philtra. 598
Theſſalæ voces & preces. 26. 182
in Theſſalia magia floruit. 182
Theſſalica mulier. ibid.
Theurgia. 173. 176. 709. 503.
Thyeſteæ voces & preces quid. 26. unde dictæ. 217
Thyeſtes. ibid.
Thymiama. 441
Tibia in bellis utũtur Lacedæmonii. 35
Tiliaceum viſcum. 938
Tilſema quid. 279. 716. exempla Tilſemiarum. 716
Tineæ cura transplantatoria. 103
Tireſias in fœminam & tandem in marem rurſus mutatus. 862
Töberer/Toverſche. 503
Torpedinis piſcis vis. 467. 481
Transformatio hominis in brutum vera non datur. 547. Bodinus eam fruſtra defendit. 548
Transfuſio ſanguinis. 501
Tranſpirationis vis & neceſſitas. 394. impeditæ Incommoditas. ibid. 433. 435. 437. hujus hiſtoria. 394. curatio. 434.
Transplantatio morborum ex uno ſubjecto in aliud an ſit magica. 1002. terminorum explicatio. ib. transplantationis in hominem exempla. in bruta. ibid. in vegetabilia. 1006. in Elementa. 1010. in terram. ibid. in aquam. 1011. in aërem. ibid. in ignem. 1013. transplantatoriam morborum curam quidam damnant. 1013. quidam recipiunt. 1014. neutra pars ſuam ſententiam apodicticè probat. 1019. transplantationis morborum in adſtantia & adjacentia exempla. 1014. in transplantatione hortenſi quæ occurrant notanda. 1016. item in medica. ibid. transplantatoria morborum cura è cenſu rerum naturalium non eſt ſimpliciter proſcribenda. 1021. quæcunq; transplantationis cauſa affertur, ea non caret difficultate. 1028. Spiritui univerſi transplantationis effectus tribuitur. 1035. curæ transplantatoriæ uſus ſit rarus & circumſpectus. 1046
Triballi quare faſcinare dicantur. 86
Triſtitiæ effectus. 103. 430. cauſa. 328
Trithemius Magus. 523. de ejus Steganographia judicium Bovilli ib. fruſtra eum excuſant quidam Jeſuitæ. 523
Tubis in bello utuntur Arcades. 85
Turcoſia ad caſum utilis. 303
Turtur lupos ſquillæ foliis arcet. 85
Tuſſis cura transplantatoria. 1003
Tutelares Deos Sacerdotes Romani, cum oppidum hoſtium obſiderent, carmine evocabant. 27. 182
Tympano in bellis utuntur. Ægytii. 35

U.

Uberſehen. 10
Vagiones unde dicantur quid ſint. 627
Variolis & morbillis laborantibus cur rubra & punicea videnda objiciantur. 13

Vegetabilium fascinum magicum. 650
Veneficæ, venefici unde dicantur. 297. 663. venenarii. 498
Veneficæ cor hominis devorantes. 461. tactu fascinantes. 468
ad Veneficium quid requiratur. 455
Venena quatenus ad materiam magicam pertineant. 658. sunt vel in se talia, vel talia fiunt per accidens. 663. varia Dæmon apparat. 664. cur magos ipsos non inficiant. ibid. quomodo Dæmon & sagæ applicent. 835
Venenata venenatorum animalium natura unde. 408. qualitas in corpore generari, venenumque diu in eo latere potest. 435
Veneni vox & in bonam & in malam partem olim accipiebatur. 497
Veneno quidam nutriti. 389
nutritorum constitutio an sit morbosa. ibid. an sit contagiosa. ibid.
Ventos venales habent Finni & Lappones. 648
Veratrices. 501
Verbasci vires. 193
Verbena capitis dolori medetur. 270
Verbenaca cornices blattas abigunt. 85
Verba sunt vel significantia vel non significantia. 132. hæc vel simpliciter talia sunt vel secundum quid. 133, vel bona sunt vel mala. ib. vel clara voce pronuntiantur, vel saltem admurmurantur; vel scribuntur. 134. vel sunt in enuntiatione vel extra enuntiationem. ibid. non habent vim ἐνεργητικὴν. 135. probatur rationib⁹. 139. non habent vim artificialem aut supernaturalem. 144. idem Ethnici adverterunt. 160. habent autem virtutem moralem. 138. 142. quoad materiale sonus sunt. 140. signa pura sunt. 141. arbitraria. 143. ex aere diverberato facta in aere pereunt. 140. non significantia sunt cadavera. 133. retia sunt Satanæ. 131. verba sacra etiam fiunt tessera Dæmonis. 706. verba naturalẽ vim habere Aristoteles nõ docuit. 172. verba virtute Dæmon imprægnare nequit. 463. unde verba vim acquirere quidã credant. 52. 324. ab imaginatione verba virtute imprægnari nequeunt. 414. verba sacra ad morbos ore proferre, vel collo gestare superstitiosum est. 315
Verbis virtus quæ inesse creditur, est vel à causa supernaturali. 135. vel à causa naturali. 137. vel ab arte. 138. verbis mira Prophetæ & Apostoli effecerunt. 135. & hodie Sacerdotes verbis sunt potentes ibid. verbis Hebraicis Cabbalisticè spectatis nulla inest virtus physica. 257. in verbis herbis & lapidibus magna est virtus, quomodo hoc intelligendum. 985. in verbis datur materiale & formale. 134. verbis scriptis vis inesse creditur 45. verbis vim inesse domesticæ vulgi probationes. 46
Verborum sacrorum observantia quæ 316. intellectus varius. 78
Verbum unde dicatur. 132

scri-

scriptum bifariam sumitur. 268. non habet virtutem realem. 260. neque à cœlo habet. 283. 326
nec agens quod, nec quo est. 145
Verpus. 64
Verrucæ quid. 205. verrucarum cura transplantatoria. 1010. 1022. remedium superstitiosum. 481
Verschreyen. 410
Vertumnus. 1002
Vespasianus sputo cœcum sanat. 196. 470
Vetulæ cur maximè fascinent. 48. 130. earum aspectus non lædit. 128
Vias extraordinarias quandoque natura legit. 846
Victimæ quædam cur egregiæ dicantur. 1059
Victorialis herba victoriam non dat. 813
Vigiliarum causæ. 328
fascinum. 574
Vindicta. 533
Virgilii encomium. 88
Virginum partus nullus. 872
Virgula divinatrix an ad magica instrumenta sit referenda. 688. autorum in ejus usu variatio & inconstantia. 689. virgula excusatur & defenditur. 690. superstitiosa circa ejus usum damnantur. 692. cur non in omnium manibus moveatur. 693. ejus vis major in plenilunio. 693. virgula hæc subinde fallit. 695
Visibile objectum varia ratione fascino subjicitur 583
Visibiles rerum species. 92
Visio est actio immanens. 94
Visionem fieri radiorum emissione statuunt Platonici. 13
Visionis modus verus. 91
Visionis varietas unde. 101
Visualis fascinatio. 10. 14
Visus utilitas & necessitas. 767
Visus fascinum. 580. cognitu difficile est. 767
Visus & agit & patitur. 108
Vitu qui fascinasse dicuntur, horum exempla. 21. mulieres quædam in Tartaria fascinare creduntur. 12
adolescentes seniores fascinare putantur. 49
Vita quid? 603
Vitis quando floret, turbat vina in cella procul. 1023. 1037
Vitrioli spiritus usus testiculis noxius. 857
Ulceris sanatio. 190
Ulcerum antiquorum cura transplantatoria. 1012
Umbilicus infantis deciduus colico dolori medetur. 27
Unguenti lamiarum ingredientia nihil ad motum localem faciunt. 198. 631. cur Dæmon id suis persuadeat. 199. narcotica id ingredi existimatur. 764. item caro cadaverum humanorum. 680
Unguenta Carrichteri ad fascinū magicum. 957
Unguentum paganum. 678
Unholden unde ita dicantur. 504
Voluntas non fascinat. 142
per appetitus sensitivi impetum fascinari potest. 558
Voluntatem quomodo Dæmon fascinet. 745. 598
intellectus moveat. 557
Voluntatis in appetitum sensitivum imperium quale. 558
Volatum arte quidam sunt imitati. 831. nonnunquam periculosè. ibid.
Vomitu mira rejecta. 845
Voracitatis effecta. 84
Vox quid? 131. 132. voci formandæ inservientia instrumenta. 131. vox naturalis est.
Vox Pythonis. 134
Urim & Thummim. 1060. 1065
ex Urina hominis suspensi in terram profusa homunculus generari nequit. 672
Urinæ cum morbo sympathia. 1024
Usnea. 674
Uteri suffocatio quomodo fiat. 396
Utero Diabolus sæpe abutitur. 881
Utero suaveolentia non sunt inimica. 395
ex Utero mulieris cujusdam anserculus fuit editus. 881
Uterus an concipiat & perficiat piscem aut aliud animal. 878
quid ad generationem conferat. 880
quomodo aliena pariat. 622
Vulgaris fascinatio vid. fascinatio.
Vulgi cor quale. 10
Vulgus malus honestæ rei judex. 75. rem suam ponderare nequit. 336
Weise Frauen. 504
Wettermacher. 503. 645
Wickhersen. 504

W.

Wierus malè sagarum actiones earundem melancholiæ, somniis & simplicitati tribuit. 608. historiam Duffi regis frustra fabulis annumerat. 606. 732. historiam de Craca falsitatis infirma ratione fretus accusat. 742. malè negat Dæmonem manus stipulatione fœdus cum Lamiis inire. 785. Dæmones cum hominibus misceri negat Augustino, qui vindicatur. 875. an fuerit Magus. 524
Witte wyven. 517
Wund-Holtz. 696

X.

Xiphia piscis vid. Gladius.

Y.

Ὑππόδρομοι. 33

Z.

Zauberer. 503
Zeißkraut. 69
Zelotypia. 165
Zingari nomen unde habeant. 526. unde hoc hominum genus originem ducat. 527. hodierni non sunt Ægygtii, furto, rapina & divinationibus victum quæritant. 527. sunt mendaces. 528. ignem fascinant. 648
Zoroaster primus post diluvium magus, unde dicatur. 505
fuit Cham. 506. quomodo ad posteros magiam propagarit. 506
Zoroastres plures fuerunt. 506

ERRATA.

PAg. 1. lin. 10. & pag. 5. lin. 5. lege tesseram. pag. 3. §. 2. pro תבר lege חָבֵר. pag. 6. lin. 14. lege civitate. pag. 7. lin. ult. post Mogunt. lege pag. p. 8. lin. 10. dele verò. p. 10. lin. 25. leg. textu Hebraico. lin. 26. lege עֵיבוּ. lin. 27. lege הֵרַע. pag. 14. lin. 6. lege περιέχονται. pag. 15. lin. 27. pro attingũnt &c. lege attingunt afficiunt læduntque. lin. 28. pro Auctibus lege fluctibus. pag. 20. lin. 19. pro manè, lege macie. pag. 23. lin. 7. lege παισὶ. pag. 25. lin. 17. lege ægro. pag. 28. lin. 22. lege ducentos. p. 30. lin. 27. lege Strumas. p. 36. lin. penult. lege שִׁיר. p. 42. lin. 25. lege antequam. p. 43. lin. 5. in voce Hebraica pro ד ponatur ר. p. 44. lin. 10. post diversas, lege species & res. pag. 47. lin. 15. lege aliàs p. 52. lin. 29. lege fuisse. p. 54. lin. 13. dele &. p. 57. lin 3. lege halitum. pag. 58 lin. 28. lege omnis sordis. pag. 59. lin. 25. dele II. lin. ult. lege ἦτλον pag. 61. lin 16. & infantes. pag. 63. lin. 27. lege Εἰώθασι. pag. 66. lin. 23. lege itidem lin. 25. lege è pinu. pag. 68. lin. 20. lege macescere. p. 74. lin. 24. lege alias. pag. 85. lin. 33 pro ex lege &. pag 93. lin. 29. lege, in oculo. pag. 94. lin. 14. post hæc, sit separandus, lege Ex oculo, quatenus est visus instrumentum, nihil emanat. p. 99. lin. 2. lege pro cui, cur. lin. 3. pro ut, lege, cùm. p 104. lin. 16. dele sit. lin. 20. lege ideò. lin. penult, lege habens. pag. 106. lin. 31. pro quò, lege quà. pag. 109. lin. 6. post hæc: an in oculo, adde, ut. lin. ult. pro lib. 20. cap. 7. lege lib. 19. cap. 10. pag. 110. lin. 19. pro ast, lege est pag. 111. lin. antepenult. lege transmissis. pag. 112. lin. 11. lege frequentatâ visione. pag. 113. lin. 32. lege acquirit pag. 114. lin. 22. pro tertia, lege certâ. lin. 27. lege redamare. pag. 117. lin. 10. lege opinionem secutus secutisque. pag. 129. lin. 19. lege enervatum iri sperarunt. pag. 136. lin. 10. lege tum. p. 143. lin. 9. pro ת ponatur ח. lin. 10. pro כ fiat ב. lin. 12. pro ש ponatur ט. lin. 13. pro ו fiat ז. pag. 145. lin. 14. post hæc, in composito: lege vel instrumentale. pag. 150. §. 5. lege חָבֵר חָבַר. pag. 154. lin. 16. lege ille. pag. 156. lin. 16. lege nec. pag. 161. lin. 11. & 16. pro ת ponatur ח. lin. 33. post noxiam, adde: Hæc ille. pag. 163. lin. 32. lege incantantis. pag. 167. lin. 13. pro hic, lege sic. pag. 177. lin. 25. 26. lege magiâ. pag. 179. lin. 7. lege agnosce. pag. 180. lin. ult. lege Posse Sireneis. pag. 181. lin. antepenult. lege magum. pag 184. lin. antepenult. pro hoc lege hæc. pag. 185. lin. 23. lege mejendi. pag. 189. lin. 23. & 28. lege tesseras. pag. 190. lin. 38. post confer, dele punctum. pag. 192. lin. 6. pro ad, lege &: lin. 30. lege docet pag. 195. lin. 19. post fol. 353. lege verba. pag. 198. lin. 8. lege obtusioris. pag. 200. lin. 13. lege μετασχηματίζεται εἰς. lin. 19. post. n. 3.

lege

lege ubi. pag. 201. lin. 18. pro inimicus lege mimicus. pag. 205. lin. 18. post malè, lege quandoque. lin. 20. pro suspicienter lege sufficienter. pag. 206. lin. 11. lege sed quia. lin. 26. lege radii. lin. 29. lege aëris pag. 208. lin penult. lege Temon. pag. 209. lin. 22. lege tenter. lin. 25. pro faceret, lege foret. pag. 219. lin. 17. lege quendam. p. 222. lin. 15. dele, quæ. pag. 225. lin. 19. post verbum pascuntur, insere: pari modo, ut coloris suavitate oculi invitantur & pascuntur. pag. 226. lin. 14. lege cerebello, & adde: derivantur; sicuti perturbationes in cerebro. pag. 235. lin. 30. lege רוח. pag. 242. lin. 14. post totum lege; tamen in tantum. p. 246. lin. 12. lege mendare. pag. 247. lin. 18. lege ταὶ. pag. 256. lin. 15. lege transferri. pag. 257. lin. 13. post sed, lege insere &. pag. 258. lin. 4. lege buccis. lin. 19. lege: saltem) opponitur, sicut. pag. 261. lin. 13. pro qualis, lege quasi. pag. 264. lin. 15. pro tamen, lege panem. pag. 265. lin. 16. lege charta. pag. 269. lin. 31. lege 5. 4. (2.) pag. 271. lin. 28. dele potestate. pag. 280. lin. 3. lege Philosopho. lin. 11. lege Cœlius. pag. 281. lin. 16. lege Chaele. pag. 282. lin. 2. dele, ait. pag. 287. lin. 13. exempli. pag. 299. lin. 5. dele, &. pag. 311. lin. penult. lege salutem. p. 312. lin 12. pro hac lege hæc. pag. 325. lin. 14 pro genitus lege genius. pag. 330. lin. 10. lege portiones. lin. penult. lege corpore. pag. 335. lin. 6. dele in. lin. 22. pro reis lege rei. pag. 341. lin. 9. lege introspiciens. lin. 29. lege ad hoc. pag. 343. lin. 24. pro magas lege magicas. pag. 350. lin. 29. lege opponatur. pag. 352. lin. 11. lege exemplar. pag. 355. lin. 13. post &c. lege, recitatione. lin. 18. lege nomine. pag. 372. lin. 7. lege bonæ. pag. 382. lin. 4. lege individuis eam. pag. 385. lin. 8. lege qua. pag. 402. lin. 9. post vocem vivente, lege non pag. 403. lin. 31. lego à Democriteis. pag 410. lin 25. dele sed inimica. pag. 421. lin. 12. dele non. pag 424. lin. ult. pro talem, lege tamen. pag. 426. lin. 2. lege imaginationem. pag. 427. lin. 11. pro & lege in. pag. 432. lin. 8 lege secundùm. lin. 11. lege profiteretur. lin. 32. lege conceptæ. pag. 438. lin. 17. lege ἴξιν. pag. 442. lin. 31. lege unum. pag. 446. lin. 17. lege antipatheticam qualitatem. pag. 447. lin. 2. lege calorificâ. pag. 454. lin. 2. lege dicantur. lin. 3. lege πυιταπύλεμ. pag. 457. lin. 19. post largimur, insere: Concedimus Dæmonem propria virtute non transmutare vel alterare materiam corpoream: At non omne fascinum per alterationem, quæ mediatè per res naturales fit, sed sæpe per motum localem ab eo immediatè infertur. Cum nim. sede suâ partes & humores corporis movet & turbat, quod ipse propriâ virtute citra naturæ opem efficere valet. Actio autem hæc fascinatio Diabolica rectè dici potest. pag. 474. lin. 20. lege dixerint. pag. 475. lin. 25. lege regum. pag. 482. lin. 8. dele, non nisi. pag. 487. lin. 11. lege habet. pag. 490. lin. 7. lege בלי. lin. 30. lege בעל־. pag. 491. lin. 2. lege בעל־זבוב lin. 3. זבחים pag. 494. lin. 20. l. præstringere. pag. 497. lin. 1, ab initio, dele, cum illo inito pag. 498. lin. 26. lege in aquam. pag. 499. lin. 5. lege beluinam. pag. 501. lin. 31. lege quem. pag. pag. 512. lin. 28. literæ Hebraicæ in unam vocem sunt cogendæ. pag. 520. lin. 4. lege pro miracula, oracula. pag. 523. lin. 17. lege scribenti. pag. 528. lin. 21. lege quandam. pag. 538. lin. 32. lege alius. pag. 546. lin. 6. lege propriæ. pag. 548. lin. 12. lege at saltem quoad corpus: sed. pag. 554. lin. 31. lege tetris. pag. 557. lin. 22. pro quia lege qua. pag. 563. lin. 23. lege ἐκστατικῶν. pag. 569. lin. 28. pro Wiglius lege Voigtius. pag. 570. lin. 11. lege ἐν ἁγίοις. lin antepenult. lege in eventum. pag. 571. lin. 18. lege dubitabimus. lin. 20. pro vero lege uno. pag. 573. lin. 1. lege seu verbotenus. pag. 584. lin. 31. lege movere. pag. 594 lin. 3. lege fuerat. pag. 601. lin. 19. lege inferendo. pag. 603. lin. 24. lege quidam. pag. 604. lin. 30. lege eruditis. pag. 612. lin. 9. lege propior. pag. 614. lin. 19. lege Dæmonem. lin. 32. lege subsidium. pag. 619. lin. antepenult. lege immemor. pag. 622. lin. 1. lege promtos. pag. 627. lin. 12. pro naturalia lege natalia. pag. 629. lin. ult. lege omnis. pag. 634. lin. 27. lege magi. pag. 649. lin. 3. lege lapis. pag. 654. lin. 14. lege ne. lin. 15 lege possit. pag. 657. lin. 5. lege modo. pag. 658. lin. 22. lege in viâ. lin. 23. lege debito. lin. 32. lege sursum. pag 659 lin. 8. lege exprobrare. pag. 663. lin. 2. lege hierogly-. pag. 665. lin. 9. lege sua. pag. 671. lin. 23. lege triginta. pag. 673. lin. 20. lege conjeci. pag. 683. lin. 16. post Scrophæ, lege lac. pag. 689. lin. 1. lege ducuntur. pag. 692. lin. 24 pro horam II. lege horam undecimam. pag. 695. lin. 7. lege parietibus. pag. 698. post hæc, ex Democrito, legatur Plinius. pag. 701. lin.

lin. 2. lege conscientiam. lin. 6. post sit , insere agens. pag. 704 lin. 24. lege oris. pag. 711. lin. 9. pro æger, lege ex ægris. pag. 712. lin. 8. lege ponere. pag. 714. lin. 20. lege aperto. lin. antepenult. lege zizania. pag. 720. lin. 20. lege obstinatum. pag. 727. lin 14. lege tormentaretur. pag. 734. lin. 7. lege δαιμονίζεται. pag 735. lin. 26. lege Gerhardo. pag. 737. lin. 6. lege sermones. lin. 15. lege quali. pag 740. lin. 18. lege militiæ. pag. 742. lin. 29. lege cibos. pag. 750. lin. 6. lege corruptioni. pag. 754. lin. 10. dele agente. pag. 760. lin. 24. lege Macosius. pag. 766. lin. 12. lege phantasia. pag. 775. lin. 26. lege Vitellia. pag. 781. lin. 14. lege truncus. pag. 782. lin. 24. lege Mirabilib. pag. 783. ab initio adde & lege: testarum particulæ, carbo vel stercus equinum pio aureo vel argenteo nummo. pag 784. lin. 8. lege Tali. pag. 785. lin 1. lege pro sic sit. lin. 25. lege Agnosce. pag. 789. lin. 7. lege Mengering. pag. 791. lin. ult lege mensa. pag. 796. lin. 12. lege Christiano. pag. 797. lin. 26. lege honoris. pag. 801. lin. 18. lege Memmelsdorff. pag. 803. lin. 29. lege ejus phantasiæ. lin. 31. lege memoriæ impressis. pag. 804. lin. 11. adulteretur. pag. 818. lin. 26. lege ὁρᾶν. pag. 820. lin. 32. lege conjugatos. pag. 823 lin. 23. lege acceperint. pag. 824. lin. 30. lege suadeat. pag 828. lin. 3. dele, &. pag. 830. lin. 20. lege onusti. lin. 27. lege vicinæ. pag. 833. lin. 1. lege naturâ. pag. 848. lin. 1. lege occultare. pag. 855. ad lin. 3. adde: quia facultas per organum læsum & debilitatum mox & continuò debilitatur: non autem per organum illæsum & confortatum subitò & perpetuò confortatur, ita ut etiam terminos sibi per naturæ leges præfixos transgrediatur. pag. 856. lin. 32. lege & in impietatis. pag. 858. lin. 32. lege famulum. pag. 867. lin. 4. lege alæ. lin. 28. lege confessione. pag. 875. lin. 19. lege pro Inuos Faunos. pag. 877. lin. 8 lege confirmata. pag. 878 lin 13. lege pervolitando. pag. 887. lin. 15. lege ilia. pag. 888. lin. 32. lege nos non posse non pag. 906. lin. 6. lege idioma non manat. pag. 910. lin. 7. lege maciei. pag. 911. lin. 14. pro 24. lege 34 pag. 915. lin. 4. lege extra ordinarium. pag. 917. lin. 16. lege utar. lin. 30. post hoc, cap. 2. lege de quodam. pag. 925. lin. 1. lege desistat. pag. 927. lin. 5. lege specimen. pag. 928. lin. 9. lege catelli. pag. 932. lin. 29. lege substantias corporeas. pag. 941. lin. 10. pro cum lege cur. pag. 951. lin. 29. lege avertenda. pag. 959. lin. 3. lege Hydrargyri. pag. 960. lin. 11. lege digitorum. pag. 966. lin. 17. lege extemplo. pag. 1008. lin. 7. lege forfice. lin. 18. & 19. literâ antiquâ erant verba ista exscribenda, quia sunt Autoris. pag. 1010 lin. 25. lege commendat. lin. penult. lege malignas. pag. 1013. lin. 11. lege ait Nasserus. pag. 1014. lin. 27. lege inficiantur. pag. 1016. lin 10. lege pro omni. pag. 1017. lin. 23. lege præternaturaliter. pag. 1018 lin. 4. lege frigidæ sphacelus. pag. 1019. lin. 20. lege magiæ. pag. 1028. lin. penult. lege degentis. pag. 1032. lin. 30. lege removendis. pag. 1034. lin. 23. lege gekrippelt. pag. 1035. lin. 15. lege facto. pag. 1045. lin. 19. lege רוח. pag 1056. lin. 14. dele ne. lin. 20. lege יהוה ׀ יה.
pag. 1065. lin 17. lege בת־קול. lin. 19. lege mimica. pag. 1066.
lin. 13. lege miram.

TANTUM.